
14
25 Q
10


LACTANTIVS
FIRMIANVS
ILLVSTRATVS.

LVCII COELII
LACTANTII
FIRMIANI
OPERA,
QVÆ EXTANT OMNIA,
VIDELICET.

- Diuinarum Institutionum aduersus Gentes Libri septem.
- Earundem Institutionum Epitome Α᾽ ΚΕ΄ΦΑΛΟΣ.
- De Ira Dei Liber vnus.
- De Opificio Dei, siue De formatione hominis liber vnus.

A IOSEPHO ISAEO CAESENATE
OLIM DIVI PETRI DE VRBE CANONICO,
CAMBETTOLÆ, BVSCHI, &c. COMITE

Summa diligentia recognita, & non modo ex antiquissimis MSS. Codicibus, ac probatioribus impressis, sed etiam ex Doctissimis Scriptoribus emendata.



ET NOTIS ILLVSTRATA.

Quæ item præter ea fuerint in hac editione præstita, Prolegomenon Index, quem pagina nona reperies ostendit.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. PRINCIPI
THEODORO TRIVVLTIO &c.






ROMÆ, Ex Typographia Mascardi, Anno Iubilei. MDCL.

Sumptibus Blasij Diuersini, & Zenobij Masotti.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILL.MO ET EXC.MO D.
D. THEODORO
PRINCIPI TRIVVLTIO &c.
Catholici Regis
AD INNOCENTIVM X. P. M.
Extra Ordinem Oratori, ac Pedestris exercitus Præfecto in Insubria.



T nominis æternitatem homines assequantur, opus illi non habent, vt condant magnifica tecta Corynthijs operibus exornata, quæ cum diù stare non possint, temporum inclementiæ debent omnino parere, neque vt argenti, aurique opes cumulent in aceruum quoniam hæ sæpissime subsunt ludibrio Fortunæ, neque vt commoti oblectamentorum voluptate vitam ducant animantibus pæne simillimam, quia proprium hoc pecorum est, quæ ab effrœni sensuum appetitù, non ratione ducuntur; sed si repellant mortales ab oculo superbiam, si coerceant auaritiam, si libidinum refrænent ardores; idque procul dubio consequentur si bonis legibus se dabunt informandos. hinc factum est, vt ducem naturam alij sectantes ad paternæ domus augendam existimationem, vel doctrinarum studijs incumbant, vel ad arma in hostes inferenda se non inficientur alienos: vnde armorum strenuitate, litterarumque peritia binis propemodum alis ad immortalitatis apicem euehitur humana fragilitas, quæ cupida, splendoris, & gloriæ labores aggreditur inperterrita, velis, equisque ad futuram vsque ætatum, sæculorumque memoriam nomen conatur extendere; hinc nepotes ob res ab auis præclarissimè actas ad eorum laudem exuscitati tradere non verentur bellicis artibus animos erudiendos, & omni disciplinarum genere imbuendos, vt ærumnarum, onerumque tandem sarcina deposita ad summum fastigium euolent acquisitæ commendationis. nostri muneris non est in præsentia laudibus efferre Theodorum, & Ioannem Iacobum, Erasminum, Antonium Ambrosium præcipue Magnum, non tantum duces antesignanos, sed Heroum titulo illustratos, Triuultianæ familiæ Principes; maiorum enim tuorum relatas ab hoste victorias, & innumeros de debellatis exercitibus triumphos potes domi cum laude meditari, in quibus habes, quæ mirum in modum sequaris exempla, in eorum vita splendidè tuas animi dotes queis agnoscere; illorum etenim virtutem historicarum rerum exacti sæculi præstantissimi scriptores elegantibus decorarunt elogijs, & inter Lyricos ætatis nostræ Poëtæ cultis ornauere carminibus: & nisi te arbitrare-

traremur offendere, tui nominis auctoritatem, & naturæ excellentiam apertè recenseremus, generis amplitudine mextolleremus sanguinis nobilitatē pleno ore laudaremus, & affinitatem prædicaremus, cum Dynastis, Ducibus, & Principibus, viris benè, solideq; constitutam, laudibus prosequeremur dignis eam, quam excolis sine violentia iustitiam cæterarum dominam, reginamque virtutum, sine libidine temperantiam, sine ignauia fortitudinem, sine arrogantia modestiam, sine superstitione pietatem, sine timore celsitudinem animi non in aduersis fractam. nec in secundis rebus ad superbiam elatam, quæ omnia cum perenni vitæ integritate nactus es ab optimo genitore, non tam stemmatis, quam sacræ purpuræ lucè conspicuo. Parentis prudentiam agnouit potentissimus Rex, qui primò cum Insubriæ, deindè Aragoniæ Regni proregis destinauit Imperio; post administratam cum Fama prouinciam regium Siciliæ regni sanciuit moderatorem, qui populi penitus omnis erga regem reconciliauit ex corde beneuolentiam, eodemque titulo nunc ipsum in Sardiniæ Regno cohonestauit. Tibi autem virtutum chorus inseruit vniuersus; tantus autem Rex eumdem tibi legationis gradum impertiuit, quem à Cæsare Comes Ludouicus Patruus Eminentissimi Principis Cardinalis accepit. Gentem tuam è litteris duxisse diuitias, ditiones, & potentiam, hoc adeò certum est, vt probatione non egeat; hinc nos inflammati, ea qua cæteris antecellis eruditione, & affabilitate, qua hominum aures, animosque deuincis, & morum allecti suauitate, qua cogis, & attrahis omnes, Lactantij monumentum typis confectum nostris, & eruditissimis notis refertum, è quo lac hauries eloquentiæ, & fontem vniuersæ ferè sapientiæ tibi dicare non dubitauimus cum certi quidem simus te vacuum grauioribus negotijs tempus crebrò terere in selectorum lectione librorum, à qua nascitur animi oblectatio, requiesque curarum, certioresq; simus, te pabulo doctrinarum ingenium enutrire, quo hominis mens alitur, & cogitando semper aliquid aut inquirit, aut agit, videndique, audiendique delectatione ducitur, inde tu cum Rhetoribus ornatè persuades, acriter & acutè cum Dialectis argumentaris, cum Mathematicis cæli vniuersi regiones intellectus acie perlustras, & aut stellas dinumeras, aut magnitudinem mundi metiris, cum Physicis occultum naturæ penetrale rimaris, & cum Theologis denique Dei naturam contemplaris assiduè; prætereà vt verum fatearmus, animo complecteris genus omne philosophiæ, aut quod circa mores hominum versatur, quod Socraticum appellatur, aut quod situs atomorum, figurasque scrutatur, quod Democriticum dicitur, aut quod pares, disparesque numerorum vires attentè describit quod Pythagoricum nominatur, aut quod argumentorum acumine munitur quod Peripateticum designatur, aut quod Ideas, rationesque diuinas penitus ab omni materia discretas sedulò speculatur, quod Platonicum laudatur, aut quod homines reddit planè sapientes quod stoicum existimatur; & demum vt epistolæ finem imponamus audaciæ veniam à te postulaturi accedimus, vt si minus, quod par fuerat te celebrauerimus parcas officio, quod nos impetraturos à te facile speramus ob diligenter inspectam à te nostram inscitiam, & simul obseruantiam; hoc enim auemus cum noscas nostram dicendi generis tenuitatem, sed ad omnia paratam inseruiendi tibi voluntatem.


Humiliss. & deditiss. seru.

Blasius Diuersinus, & Zenobius Massotus.

IOSEPHI ISÆI

IN SVVM AD LACTANTIVM FIRM. OPVS

PRÆFATIO.



Rauissimum inter Ecclesiasticos Scriptores semper habitum à veteribus Lactantium Firmianum, qui paulisper modò in literis sit versatus, iure negauerit nemo; cuius si libros accuratius expendamus, profectò reperiemus, illorum, qui eisdem de rebus scripsere, Lactantium nemini cedere, quamplurimos longe anteire; nam cum eius oratio multum habet roboris, atque neruorum, tum verò ita vbique praeclarissimis facundiae luminibus illustratur, vt vix vnquam satis digno praeconio à quoquam laudari posse videatur. Hoc porrò aliquando cogitanti mihi, & diligenter illius scripta euoluenti vnum tamen illud non parum voluptatis eripiebat, quòd sententijs quibusdam à catholica veritate alienis vteretur, quae piorum auribus hoc sanè tempore offensioni esse possint, quaquè haurirentur tanto capitaliori periculo, quanto maiori eloquentiae dulcedine propinarentur; nam (vt ipsemet ait Lactantius lib. 6. Instit. c. 21.) carmen compositũ, & oratio cum suauitate decipiens capit mentes, & quo voluerit impellit, persuadetq; quicquid suaue est, & animo penitus, dum delectat, insidet. *Quod tamen non ideo dictum volumus vt virum alioqui doctum, & de hominibus optimè meritum quisquam sibi incusandum, aut id ei vitio vertendum putet, cum planè sit notum, quo tempore isthaec literis ille mandabat; nondum decretum, ac constitutum fuisse de quibusdam ad religionem, & fidem spectantibus dogmatis, de quibus postea Sancta Dei Ecclesia eiusdem Spiritu afflata constituit, atque decreuit, eorum verò, quae constituta habebantur, cum passim vndique ab haereticis, aut etiam Ethnicis, & Iudaeis agitarentur, fucarentur, & teterrimis impiè miscerentur sordibus, syncèritatem profectò, puritatem, candorem homines pij tenere vix poterant. quo factum videmus, vt fermè nusquam Lactantius errarit, quin maximos viros habuerit erroris sui vel antecessores, vel comites, vel sectatores. Eorum itaq; temporum potius haec culpa extiterit, quam disertissimi viri, qui, vt lapsus fuerit in quibusdam, attamen in plerisque se strenuè gessit, egregiaq; ingenij sui posteris monumenta reliquit, quibus non gentium modò, aduersus quas, vt ait Hieronymus Epist. ad Pămach. fortissimè scripsit, & haereticorum praecipuorum Arrij, Pelagij, Ebionis, Theodosi, Valentini, Eutichetis, Montanistarum, Nouatianorum, aliorumque impietates, ac nefaria dogmata profligentur, sed etiam plurima Catholicorum placita firmentur, instituantur denique mores, dum miro quodam eloquio vituperantur vitia, virtutes summis in Caelum laudibus efferuntur. Igitur hoc quoque subinde angebamur, quod cum viri doctrina insignes, ac pietate nauarint eximiam operam, vt ne qua labe ex Cypriani, Tertulliani, Cassiani, aliorumue lectione quisquã inficeretur, positiones illas sedulò adnotantes, quae à Catholica veritate aberrarent, non hoc idem ad huc praestitum, aut non editum certè fuerit in Lactantio. Nam indiculus erratorum eius tribus, aut summum quatuor chartulis comprehensus, qui Antonij Randensis nomine aliquorum ipsius Lactantij librorum praefixus frontibus circumfertur, quà mancus est, quà supernacuus, cum nonnulla supprimat, alia verò affingat; neque rationibus vllis, aut Sacrarum Literarum, Doctorumuè testimonijs cur quisq; cauendus sit error, edoceat. Quinetiam haeretici suis eum Commentarijs consparcauerant, & Catholicorum notae in ipsum conscriptae ad fidei dogmata internoscenda parum admodum conferebant. Quamobrem cum meminissemus, Gelasium Pontificem in decreto de libris edito in Concilio Romano, quod habetur integrũ in primo tomo Conciliorum,*

& nobili

& nobili Commentario illustratur à Didaco Couaruuia Episcopo Segobiensi lib. 4. Variar. Resolution. Lactantij scripta inter apocrypha, eo quod nonnullis aspersa sint eorum temporum (vt dictum est) erroribus ablegasse (licet apud Gratianum decima quinta distinctione, & apud Burchardum illud idẽ decretum referentem nulla de Lactantio sit mentio) non hac quidem significatione, vt idcirco planè damnata intelligantur, sed vt in Ecclesijs publicè legi nõ permittantur; priuatim verò legi possint, & cum ea censura, quæ omnia dirigat ad Catholicæ Ecclesiæ defensionem, vt quæ definita sunt ab eadem Ecclesia, & huic Authori refragantur, illa à Lectoribus teneantur, eum nos laborem tantummodo suscipere, eamquè censuram peragere bono publico in animum induxeramus. Itaque nacti Firmiani Codicem editionis Aldi anni 1535. iam totis conníxi viribus in opus incumbere cœperamus; nec ita multum prouecti animaduertimus textum vbiq; corruptum, ac fœdè maculosum adeò, vt non excussa modò quamplurimis in locis beata illa videretur suauitas orationis, maiestas, ac pulchritudo, quæ subparem Ciceronis Lactantium, cæteris etiam longè superiorem proclamant, sed & vix sensus eius vllus alicubi deprehendi posset: neque enim vel Aldus, vel Paulus Aldi filius, quorum doctrinã, atque in restituendis scriptoribus solertiam, ac fidem nulla posteritas conticescet, huic authori manum admorant, sed vt ab Honorato Fascitellio emendatus (quod ipse rebatur) fuerat Lactantius, ita illum Paulus ediderat, qui quidem Fascitellius sua quoque dignus est laude; quamuis enim vel bonis exemplaribus destitut.., vel alia qualibet causa parum contulerit, præstitit tamen quod potuit, & laborem suum, qualiscunque fuerit, in commune studiosorum commodum posuit. Neque tamen admodum alia proderant editiones, quæ ferè nihilo Aldina meliores erant, præter vnã Plantini cum notis Michaelis Thomasij; nam eruditus Thomasius MSS. Codicibus adhibitis, nonnullis ille quidem Firmiani vulneribus opem tulerat: verùm enimuerò pleraque intacta, ac propè innumera remanserunt, ad quæ omnia si animum ipse eodem modo persananda appulisset, huiusmodi certe labore posteros leuauisset. Ibi igitur creuit simul animus cum periculis, subijtq; indefessum cogitatio sanè operosi conatus totum semel restituendi, purgandi, illustrandi Lactantium, quod & captum est acriter; an autem effectum, aliorum fuerit iudicium. Iam profectò inprimis loca omnia authoris, lector habebit explorata, quæ in fide aliquo modo suspecta esse poterant, illisq; ad Sanctorum Patrum, atque Doctorum ab Ecclesia Catholica probatam doctrinam, velut ad Lydium lapidem collatis vel à calumnijs vindicata vera, vel falsa liberè confutata comperiet, & quasi scopulosum mare, atque arduum transmissurus, quæ pericula singulis quibusque tractibus abdantur intelliget. Item quæcumq; huic operi ab hæreticis inserta fuerunt (quod & aliorum Patrum Clementis, Dionysij, Origenis, Athanasij operibus contigisse queruntur Pamphilus Martyr, Eusebius, Dydimus, Ruffinus, & alij) prorsus amota videbit, ac procul eiecta, prolata dicta sunt aliorum scriptorum, quibus non solum apertiora Lactantij sensa, & longè illustriora perspiciat, sed & nonnihil præterea fortaßè vtilitatis hauriat, ac voluptatis. Sententiarum item loca, quorum ante hac in MSS. vel editis Lactantij libris nullum prorsus extabat vestigium, non paruo conquisita labore tam ex profanis, quàm ex Sacris literis accitarum ad margines textus adiecta sunt, quarum quidem ex vetere Testamento deprompta diligenter excussa, & quomodo cum Septuaginta Interpretibus, vel Vulgata editione, aut Sanctis alijs Patribus in ijs efferendis concordet Lactantius, vel ab eisdem dissideat, ostensum est. Ad extremum sublatis mendis plus minus tercentis meliores lectiones ex optimis exemplaribus, & doctissimis Scriptoribus sunt restituta. Atque hæc quidem, & alia in Lactantio præmisimus, quæ facile intelliget quisquis animum ad legendum appulerit, vt iam non modica spes affulgeat, diuino fauente numine, cum præstantissimi Scriptoris dignitati, tum etiam lectorum vtilitati aliqua salem ex parte prospectum esse. Quod si contigerit, id vero vigiliarum, ac laborum nostrorum multò maxima merces erit, sin secus, conatus laudem exposcet, veniam merebitur imbecillitas. DENIQVE CONTESTAMVR SI QVID FORTE IN NOTIS PER IMPRVDENTIAM DICTVM, FACTVM EST ADVERSVM ECCLESIAE SANCTAE ROMANAE SCITA, INDICTVM, INFECTVM, ABOLITVM PENITVS VOLVMVS.

INDEX PROLEGOMENON AD LACTANTIVM, ET NOTAS.

1 LACTANTII Codicum MSS. & impressorum nomina, quibus vsi fuimus in hac recognitione.

2 VITA Lactantij ex scriptis ipsius, & aliorum Authorum collecta.

3 EIVSDEM, Operum ex B. Hieronymo, Honorio Augustodunen., Tritemio, Volaterano Catalogi, & de eo virorum insignium iudicia.

4 PROPOSITIONES, quæ in Lactantio reperiuntur ad fidem pertinentes à Catholicis cautè legendæ, in NOTIS vel pio sensu explicatæ, vel confutatæ.

5 SACRÆ SCRIPTVRÆ loca, quæ recitantur à Lactantio.

6 Dictionum omnium, & sententiarum græcarum, quæ in Lactantio habentur, latina ad verbum interpretatio.

7 VARIÆ lectiones minoris momenti, quæ ex diuersis Lactantij Codicibus proferuntur.

8 SVMMARIA Capitum singulorum Lactantij Librorum.

LACTANTII CODICVM MSS. ET IMPRESSORVM NOMINA,

Quibus vsi fuimus in hac recognitione.

Vatican. DVodecim Codices MSS. qui Romæ in Apostolica Bibliotheca Vaticana seruantur.

B. Codex Cœnobij S. Saluatoris Bononien. scriptus ab hinc ferè annis mille, vt conijci poteſt: quo pridem vſus fuerat etiam Michael Thomaſius in hoc Authore caſtigando.

Codex alter MS. eiuſdem cœnobij citari ſolet à Thomaſio, ferè priori par bonitate, licet vetuſtate impar, concordat enim plerunque cum illo, quem & nos eiſdem in locis Thomaſij fidem ſecuti citauimus.

T. Codex eruditiſſimi viri Michaelis Thomæ Taxaquetij diligenter excuſſus, atque examinatus, nempe ad margines varijs appoſitis lectionibus ex MSS. tum etiam ex plurimis Italiæ, Galliarum, Hiſpaniarum, atque alijs editionibus, melioreque, ac probatiore in textum recepta.

P. Codex MS. Reuerendiſs. D. Franciſci Peniæ Hiſpani Romanæ Rotæ Auditoris V.C.

Editio Veneta anni 1472.

Editio Romana anni 1474.

Editio Veneta anni 1493.

Venet. Trid. Editio Veneta Ioannis de Tridino anni 1511.

Floren. Iunt. Editio Florentina Iuntarum anni 1513. à Mariano Tuccio recognita.

Editio Veneta anni 1521. ab Iano Parrhaſio recognita.

Ald. Editio Veneta Aldina anni 1535. ab Honorato Faſitellio recognita.

Plantin. Editio Antuerpien. Plantiniana anni 1587. cum caſtigationibus, & notis Michaelis Thomaſij.

VITA LACTANTII

EX SCRIPTIS IPSIVS, ET ALIORVM AVTHORVM COLLECTA.



RÆNOMINE, nomine, ac duobus cognominibus Authorem nostrnm vocatum intelligo; Lucium enim prænomen fuisse, Cœlium nomen omnes fatebuntur, vt puto, antiquitatis non ignari. Lactantium cognomen fuisse arbitror ab eius in arte dicendi studio, & nitore orationis, quod quasi alter Liuius eloquentiæ lacteo fonte manaret. Proinde sat scire non possum, cur quidam recentiores eum Luctantium cognominent, cum in cognomine Lactantij omnes, præsertim antiquiores Eusebius, Hieronymus, & alij ipsius contemporanei conueniant. Firmianum quoque cognomen fuisse puto, nec tamen vnde inditum assequor. Quidam ei patriam Firmum Piceni Oppidum arbitrantur, vnde Firmianus sit dictus; verùm nullis hoc probatis Scriptoribus asseritur, & à Firmo Firmanus, non Firmianus fuerat dicendus. Alij Africanum meliore argumento coniectant, nam & in Africa cum degisse cum adhuc adolescentulus esset noscitur ex S Hieronymo ibi sympasium scripsit: ibi ab Africano homine, & in Africa profitente nempe Arnobio literis est excultus, & ex Africa perrexit Nicomediam quod quidem iter suum hexametris etiam descripsit carminibus. Cæterum de Patria, parentibus, ortu ipsius nihil apud Scriptores. Sed pauperem admodum, & tenui fortuna fuisse, adeo vt plerunque necessarijs indiguerit testatur Eusebius in Chronic. & ipsemet initio libri de Opific. Acri tamen ingenio, & laude clarissimus extitit Eloquentiæ, cui præserrim operam dedit, vt ipse fatetur lib. 3. Diuinar. Instit c. 13. Ciceronis facundiam & anhelauit præcipuè, & quidem etiam iudicibus optimis est assecutus. Discipulus fuit Arnobij Rhetoris, cuius extant libri aduersus gentes. Rhetoricam in Birhynia docuit, vt constat ex c. 2. & 11. lib. 5. Instit. scilicet Nicomediæ vt scribit S. Hieronymus. quæ Bithyniæ Ciuitas est. Docuit & Romæ, sed nunquam forum attigit, vt ipse testatur d. c. 13. Non solum autem eloquentiæ facultate præstitit, sed etiam omnis philosophiæ dogmata tenuit, vt egregiæ illæ aduersus Philosophorum sectas disputationes luculenter ostendunt, quæ Diuinarum Institurionum libris, & alibi continentur. Institutiones scribere aggressus est zelo Dei succensus contra impias Hieroclis,

atque Porphyrij blasphemias, vt scribit ipse lib. 5. c. 4. Quo autem tempore opus illud elucubratum opiner, ostendi ad cap. 1. libri primi. Antea quidem librum de Opificio Dei scripsit, vt liquet ex cap. 11. lib. 2. Institution. at verò postea librum de Ira Dei composuit, nam lib. 2. Instit. c. 18. innuit se de ea materia separato opere tractaturum, & libros Institutionum nominat cap. 2. & 11. eiusdem Operis De Ira Dei. Ex Ethnico Christianum factum suspicor illis verbis vltimi capitis lib. septimi Institut. *Vt contemptis terrestribus, & abiectis erroribus, quibus antea tenebamur, fragilibus seruientes, & fragilia concupiscentes, ad æterna cœlestis thesauri præmia dirigamur, &c.* & cap. 2. De Ira Dei. *Quo docente liberati ab errore, quo implicati tenebamur, formatiq; ad veri Dei cultum, &c.* & 3. cap. Epitom. *Vt errore vitæ prioris abiecto simul cum ipso Deo nosmetipsos, quos impietas dissociauerat, disceremus.* Floruit sub Diocletiano, ac etiam sub Constantino Magno, cui carissimus fuit, eiusque filium Crispum in Gallia extremum iam perductus ad senium latinis literis imbuit. Quamuis autem ipsum subijsse pro Christo martyrium nusquam legimus, neque enim hac de re quicquam aut de eius obitu mandatum posteris, tamen ad id se quidem certè animatum impensè, atque paratum fuisse ostendit plurimis in locis vbi & martyrij laudes effert lib. 3. cap. 27. lib. 5. cap. 13. & 14. lib. 6. c. 17. in fin. cap. 1. & 3. 8. & vlt. Epitomes. Multa præclara ingenij sui monumenta edidit, quorum aliqua nunc extant, alia interciderunt. Policitus quoque est disputationes aduersus omnes hæreses, & aduersus Iudæos in fine quarti, Instit. & lib. 7. cap. 1. & lib. de ira Dei c. 2. item aduersus Philosophos in calce lib. De Opific. Dei; an autem præstiterit, cum ad nos non peruenerint, nec in Catalogo illius scripturarum habeantur, penitus ignoramus (nisi forte disputationes aduersus Philosophos olim continerentur in ijs Epistolis, quæ tempore Damasi Papæ legebantur, de quibus Epistolis meminit idem Damasus apud Hieronymum Epistola 124. aut eæ sint, quæ habentur lib. 3. Instit. & lib. De Ira Dei) Quem quidem Catalogum ex Hieronymo, & alijs Scriptoribus, quidque de eo grauissimi viri senserint, subijciemus.

EIVS-

EIVSDEM OPERVM
EX B. HIERONYMO, HONORIO AVGVSTODIEN. TRITEMIO, VOLATERANO
CATALOGI,
Et de eo Virorum insignium iudicia.

EVSEBIVS CAESARIENSIS IN CHRON.

CRISPVM Lactantius latinis literis erudit vir omnium suo tempore eloquentissimus, sed adeo in hac vita pauper, vt plerunque etiam necessarijs indiguerit, ne dum delicijs.

S. HIERONYMVS DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

FIRMIANVS, qui & Lactantius Arnobij Discipulus sub Diocletiano Principe accitus cum Fannio Grammatico, cuius de medicinalibus versu compositi extant libri, Nicomediæ Rhetoricam docuit, ac penuria discipulorum ob græcam videlicet Ciuitatem ad scribendum se contulit; habemus enim Symposium, quod adolescentulus in scholis scripsit Africæ, & ὁδοιπορικὸν de Africa vsque Nicomediam hæxametris scriptum versibus, & alium librum, qui inscribitur Grammaticus, & alium pulcherrimum de Ira Dei, & Institutionum Diuinarum aduersus gentes libros septem, & ἐπιτομὴν eiusdem operis in libro vno ἀκέφαλον: & ad Asclepiadem libros duos. De persecutione librum vnum. Ad Probum Epistolarum libros quatuor. Ad Seuerum Epistolarum libros duos. Ad Demetrianum Auditorem suum Epistolarum libros duos. Ad eundem de Opificio Dei, vel formatione hominis librum vnum. Hic extrema senectute magister Cæsaris Crispi filij Constantini in Gallia fuit, qui postea à patre interfectus est.

Idem in Epistola ad Magnum.

Septem libros aduersus gentes Arnobius edidit, totidemquè discipulus eius Lactantius, qui de Ira quoque, atque Opificio Dei duo volumina condidit, quos si legere volueris, Dialogum Ciceronis in eis excerptum reperies.

Idem Epistola XIII. *ad Paulinum.*

Lactantius quasi quidam Fluuius eloquentiæ Tullianæ vtinam tam nostra confirmare potuisset, quàm facile aliena destruxit.

HONORIVS AVGVSTODVNEN. PRESBYTERI
De luminaribus Ecclesiæ, siue de Scriptoribus Ecclesiasticis.

FIRMIANVS, qui & Lactantius Arnobij discipulus scripsit in Scholis Africæ itinerarium hexametris versibus, & alium librum, qui inscribitur Grammaticus, & alium pulcherrimum de Ira Dei, & Institutionum Diuinarum aduersus gentes libros septem. Ad Asclepiadem duos. Ad Demetrium Auditorem suum Epistolarum libros septem. De persecutione vnum. Ad Probum Epistolarum libros quatuor. Ad Seuerum Epistolarum libros duos. Ad Demetrianum de Opificio Dei, vel formatione hominis librum vnum. Hic magister Cæsaris Crispi filij Constantini fuit.

ABBAS TRITEMIVS DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

FIRMIANVS Lactantius Arnobij Rhetoris quondam auditor, atque discipulus, vir in secularibus literis abundanter doctus, Diuinis Scripturis nobiliter institutus ita, vt in arte dicendi post Ciceronem facile obtinuerit principatum, Rhetoricen primùm Nicomediæ

comœdiæ, deinde Romę sub Diocletiano ab eo vocatus gloriosè docuit. Et cætera, vt supra.

RAPHAEL VVOLATERANVS ANTROPOL. LIB. XVI. Vt supra.

FRANCISCVS PETRARCHA EPISTOLARVM SENILIVM Lib. primo. Epistola Quarta ad Ioannem Boccacium.

DE secundo autem, & de vtroque quamuis, vt vides, maximi sint authores, quid tamen vir doctus, & eloquens Lactantius Firmianus hinc senserit, non alienum videtur inserere, &c.

Et ibidem paulò infra.

Quid verò si quid tale Lactantio dictum esset? Quid si dictum, & creditum Augustino? Dicam quod in animo est, neque ille tam valide peregrinarum superstitionum fundamenta conuelleret, neque iste Ciuitatis Dei muros tanta arte construeret.

Idem Inuectinar. in Medic. lib. primo ad fin.

Audi ergo quid Lactantius vir & Poetarum, & Philosophorum notitia, & Ciceroniana facundia, & quod cuncta transcendit, Catholica Religione clarissimus primo suarum Institutionum libro ait.

Et De Ocio Religiosorum lib. primo.

Atque in primis Lactantium Firmianum, qui omnem Deorum Scenam, turpesquè latebras scelerum aperiens, totam rei seriem, qui fuerint, quid egerint, qui mores, quæ vita, qui exitus, quæ sepulchra operosissima disputatione complectitur.

Et Libro Secundo.

Lactantius Firmianus & ipse magnus vir in eo libro quo Gentilium erroribus examatis fidem nostram quantum quiuit armauit, omnemque hanc Deorum scenam mira, & laudabili curiositate detexit, inq; hoc idem opus Augustino, atque alijs sequacibus viã fecit, &c.

Et paulo infra.

Accessit Sacer nominandus Ambrosius, accessere Hieronymus, Gregoriusque, nouissimus oris aurei Ioannes, & exundans lacteo torrente Lactantius. In hoc pulcherrimo comitatu Scripturarum Sacrarum fines, quos ante dispexeram, venerabundus ingredior, &c.

Idem rerum memorabilium lib. primo. In M. Varrone.

Vir fide pius, eloquioq; sacer Lactantius Firmianus, &c.

IOANNES FRANCISCVS PICVS lib. De stud. diuinæ, atq; humanæ philosoph. c. 7.

QVIS apud nos non videat esse Ciceronem, sed Christianum, hoc est aliquem, qui cum ad lineam, vnguemquè expresserit? Quis enim non aduertit Lactantium Firmianum æquasse ipsum, & fortè praecelluisse in eloquendo?

Idem lib. 3. Epistolar. Epistola 10.

Lactantius Ciceronis stilum effigiauit, aut, vt quibusdam placet, supergressus est. Mihi videtur rebus, & sententijs crebrior, nec numeris iniucundior, nec fili æquabilitate, & candore posterior: has quippe virtutes maximis viribus & æmulatus, & assecutus est; hunc nec æquales, nec posteri momorderunt, nemo elumbem, & fractum, Asianum, & redundantem nemo causatus est.

LEONARDVS ARETINVS in Epistola ad Constantiam Sfortiam.

MAXIME verò inter omnes, qui de Christiana veritate scripserunt, longè eminet, & excellit nitore quodam, ac copia Lactantius Firmianus vir omnium Christianorum procul dubio eloquentissimus, cuius libros lege, quæso, si literas amas.

L. COELIVS RHODIGINVS Antiquarum Lect. lib. 6. cap. 18.

Lactantius inter Christianæ veritatis assertores eloquentia maximè illustris.

Idem libro 9. cap. 12.

At ego ò Lactanti non te quidem dementem dixerim, cum & prudenter, & doctè scripseris non parum multa.

Et paulò

Et paulò post ibidem.

Hoc fuisse tibi propositum vir doctissime, & de Christiana veritate optimè merite malim credere, &c.

IOANNES LVDOVICVS VIVES Valentinus ad finem tertij De tradend. Discipl.

Christianorum omnium facundissimus est Lactantius: sonum habet planè Ciceronianum.

Et libro Quarto.

Ad efficacem rationem argumentandi Aristoteles, ad ciuilem Ciceronis Dialogi, & Lactantius primas partes feret.

Et Libro Quinto.

Iudicium porrò, vt quod est in prudentia naturale, doceri non potest, elimari, & excoli potest; primum lectione eorum authorum, qui plurimum bono illo valuerunt Platonis, Aristotelis, Demosthenis, Ciceronis, Senecæ, Quintiliani, Plutarchi, ex nostris autem Origenis, Chrisostomi, Hieronymi, Lactantij, &c.

IOANNES BAPTISTA PIVS Annotat. cap. 98.

Lactantius Firmianus maximus Regionis veræ propugnator.

GREGORIVS GIRALDVS FERONEN. Dialogo Quinto de Hist. Poetarum.

EOdem quo Iuuencus tempore fuit & Lactantius Firmianus vnus eloquentiæ Ciceronianæ inter Christianos præcipuus æmulator, qui præterea, quæ multa soluta oratione scripsit, & quæ passim in manibus habentur, versus quoque composuit, &c.

FRANCISCVS FLORIDVS Subsecinarum lect. lib. 2. c. 4.

LActantius Firmianus Arnobij Auditor, latinorum omnium, qui Theologica tractarunt, citra controuersiam eloquentissimus, nostræq; religionis assertor acerrimus celeberrimi, dum viueret, nominis propter singularem excellentiam à Christianæ pietatis cultoribus habitus est, editisq; non paucis elegantissimis, magnaq; eruditione refertis lucubrationibus, quarum bona pars doctorum manibus teritur, pars verò commune cum cæteris Romanorum scriptis naufragium passa est, sic in omnium ore versatur, quasi qui vnicè cuncta Philosophorum dogmata Christianis ex diametro aduersantia optimis rationibus peruertens, & grauissimis sententijs, & stili candore vnicè sit commendandus. Quamobrem fuerint licet, qui alias Theologiæ partes facilius, quàm ille, atque etiam argutius excoluerint, in ijs tamen, quæ ad confutanda gentium (sic enim vocabantur quicunque ante Christi aduentum legem à Moyse traditam non amplecterentur) placita spectant, nemo ad hanc diem extitit (quantum quidem ipse iudicare valeo) qui cum Lactantio longo interuallo sit conferendus; vel quia rerum, verborumquè pondere, ac efficaci quadam naturæ vi susceptum contra munitissimas Ethnicorum sententias munus egregiè obit, vel quia paucis verbis plurima complectitur, semper (quod de Thucidide perhibet M. Tullius) sibi instans, nullasq; sordes, vt alij complures faciunt, secum trahens. Quòd nisi tam eximius author plurima scripsisset, in quibus vix credas, virum tam curiosè in sacris, profanisq; literis versatum labi potuisse, eum vnum ex omnibus latinis scriptoribus maximè deligendum censerem, qui pueris in manibus semper esset, vt eodem tempore illi ex vnius lectione & Christianæ fidei rudimenta, & Romani sermonis puritatem discerent, &c.

GVLIELMVS CANTERVS Nouar. Lect. lib. 3. cap. 30.

Quem inter Græcos Theologos locum Nazianzenus Gregorius obtinet, eum inter Latinos ferè Firmianum Lactantium tenere non immeritò quis iudicet.

PROPOSITIONES,
QVÆ
IN LACTANTIO REPERIVNTVR
AD FIDEM PERTINENTES

A Catholicis cautè legendæ. In NOTIS vel pio sensu explicatæ, vel confutatæ.

Eæ sunt numero quatuor, & nonaginta, loca vero, vbi toto in opere sparsim ante hac periculosè legebantur supra centum, & septuaginta.

1 DEVM ante mundi Angelis filium, vel solitarium esse lib. 2. c. 8. lib. 4. c. 8.
2 Deum Angelos, vel homines genuisse lib. 2. c. 8. cap. 9.
3 Deum ex seipso genitum, factum, vel procreatum esse lib. 1. c. 7. lib. 2. c. 9.
4 Templorum vsum superuacaneum lib. 2. c. 2. lib. 6. c. 25. lib. de Ira Dei cap. ...
5 Non victimis Deo litandum, non sacrificia facienda lib. ... lib. 6. c. 1. & Epit. c. 2. lib. De ira Dei c. 2.
6 Non munera Deo offerenda, non templa extruenda lib. 2. c. 2. lib. 5. cap. 8. lib. 6. c. 1. & 25. Epit. c. 2. lib. de ira Dei c. 30.
7 Imaginum vsum superuacaneum esse lib. 2. c. 2. 3. ... & ...
8 Hominem esse hominis animam; corpus autem hominis animæ ipsius vas, receptaculum, hospitium, domicilium, vestem, indumentum esse lib. 2. c. 2. ... & ... lib. 3. c. 18. lib. 7. cap. 24. ... lib. de Opif. Dei c. 1.
9 Brutis rationem inesse, & ab homine sola religione differre lib. 2. c. ... & c. 9. lib. 3. c. 10. lib. 7. c. 9. lib. de ira Dei c. 7.
10 Sapientiam omnibus hominibus æqualiter à Deo datam esse lib. 2. c. 8. lib. 5. c. 15.
11 Ratio ad excogitandum prudentiusque esse lib. 2. c. 9.
12 Dei filium Dei spiritum esse lib. 2. c. 9. lib. 4. c. 6. 8. 9. & 18.
13 Supremum Angelum ante mundi molitionem creatum fuisse lib. 2. c. 9.
14 Supremum Angelum diuinam stirpem extitisse lib. 2. c. 9.
15 Supremi Angeli peccatum fuisse peccatum inuidiæ. lib. 2. c. 9.
16 Dei filium Deo Patri perseuerando probatum fuisse. lib. 2. c. 9.
17 Verbum Dei primum, & maximum Dei filium inter Angelos esse. lib. 2. c. 9. lib. 4. c. 8. & c. 14. iuxta vnam lectionem ibi, principem Angelorum.
18 Corpus hominis esse animæ septum, vinculum, domicilium, custodiam, carcerem. lib. 2. c. 9. lib. 7. c. 2. 5. 8. 12.
19 Duo principia, & duos rerum duces esse, alterum bonorum, alterum malorum. lib. 2. c. 10. lib. 5. c. 7. & 8. lib. 6. cap. 3. & 6.
20 Animam materiam in calore esse. lib. 2. c. 13.
21 Animam humanam ignem esse. lib. 2. c. 13.
22 Animam humanam ex Dei spiritu, vel ex Dei substantia esse. lib. 2. c. 13. lib. 7. c. 12.
23 Adam fuisse ab initio boni, ac mali nescium, sed ab esu vetiti fructus adeptum boni, ac mali scientiam. lib. 2. c. 13.

24 Iustorum animas post vniuersale iudicium in Paradisum terrestrem introductum iri lib. 2. cap. 1.
25 Deum post diluuium vitæ hominum metam in centum, & viginti annis collocauisse lib. 2. cap. 14.
26 Angelos à Deo missos ad custodiam, atque tutelam humani generis, cum numerus hominum cœpisset increscere lib. 2. cap. 15.
27 Eis Deum præcepisse ante omnia ne terræ contagione maculati substantiæ cælestis amitterent dignitatem. ibid.
28 Eos subinde à Diabolo ad vitia pellectos, & mulierum congressibus inquinatos fuisse. ibid.
29 Idcirco propter eorum peccata non [illegible] receptos in cælum, in terram decidisse. ibid.
30 Eorum autem filios, quia neque Angeli, neque homines fuerunt, sed mediam quandam naturam gerentes nec ad inferos, quam receptos fuisse. ibid.
31 Ita duo genera Dæmonum facta fuisse, cæleste vnum, terrenum alterum. ibid.
32 Dæmones aliquod solatium acquirere ex hominum perditione. lib. 2. cap. 15.
33 Dæmones esse quosdam spiritus tenues, & incomprehensibiles. lib. 2. cap. 15.
34 Dæmones hominum valetudinem vitiare. lib. 2. cap. 15.
35 Dæmones nullum sibi honorem appetere. lib. 2. cap. 17.
36 Deum verè, & propriè quibusdam affectibus commoueri. lib. 2. cap. 18. lib. de ira Dei cap. 2. 15. & 16.
37 Deum verè, & propriè irasci. lib. 2. cap. 18. & toto lib. de ira Dei, præsertim cap. 16. & 17.
38 Animæ humanæ originem è cælo esse. lib. 2. c. 19. lib. 7. cap. 9. & 12.
39 Cælum, terram, mundum denique rotundæ, siue orbicularis figuræ non esse. lib. 3. c. 24.
40 Diabolum non statim post transgressionem ad pœnam detrusum, sed in hunc mundum manere permissum. &c. lib. 2. cap. 29. lib. 7. cap. 26.
41 Diuinam prouidentiam auertisse philosophos, ne scire possent veritatem. lib. 4. c. 2.
42 Deum patrem dignatum fuisse filium suum appellatione diuini nominis. lib. 4. c. 6.
43 Christum fuisse à principio filium Dei. lib. 4. c. 8.
44 Filium Dei à Deo patre fuisse procreatum. lib. 4. c. 8.
45 Dei Verbum spiritum esse cum voce, & sono ex ore Dei prolatum lib. 4. c. 8.
46 Dei filium Angelum esse lib. 4. c. 8. & cap. 14. iuxtà vnam lectionem ibi. principem Angelorum.
47 Angelos Dei spiritus esse ex Dei naribus tacitè prolatos. lib. 4. c. 8.
48 Dæmonum spiritus dissolubiles esse. lib. 4. c. 8.
49 Christum, cum carnem humanam sumpsit, hominem induisse, gessisse. lib. 4. cap. 10.
50 Christum passum esse anno quintodecimo Tiberij Cæsaris. lib. 4. c. 10.
51 Deum noluisse filium suum in primo aduentu in claritate, & potestate cælesti mittere, vt ingratus vt Deum populus Iudæorum in errorem induceretur. lib. 4. cap. 11.
52 53 Duas resurrectiones futuras in fine seculorum. Post primam resurrectionem Christum mille annis in terra cum iustis regnaturum. Quo tempore multa euentura pronunciat quæ falsa notantur ipso regno mille annorum sublato. lib. 4. c. 12. in fin. lib. 7. c. 2. 14. 15. 20. 21. 22. 24. 25. & 26. Epit. cap. 11.
54 Infirmatum virginis vterum, & factam in multa miseratione matrem virginem. lib. 4. 12.
55 Hierosolymam à Salomone conditam fuisse. lib. 4. cap. 13. & cap. 18.
56 Christum mediam inter Deum, & hominem substantiam gessisse, siue medium inter Deum, & hominem esse. lib. 4. c. 13. & cap. 25.
57 Christum Deum, & hominem fuisse ex vtroque genere per mistum. lib. 4. c. 13.
58 Christum initio adolescentiæ suæ baptizatum fuisse. lib. 4. cap. 15.
59 Christum legem Dei soluisse lib. 4. cap. 17.

60 Pila-

60 *Pilatum sententiam aduersus Christum non tulisse. lib. 4. c. 18.*

61 *Christum Dominum passionis tempore coloris punicei veste indutum fuisse. lib. eod. c. eod.*

62 *Christum post passionem suam se Iudæis ostendere noluisse, ne adduceret eos in pœnitentiam, & resanaret. lib. 4. c. 20.*

63 *Deum purum virtutem docere non potuisse, quia expers corporis non fecisset, qua doceret, ideo Christum carnem sumpsisse. lib. 4. c. 23.*

64 *Christi corpus è cruce intactum sublatum, ne ad resurgendum inhabile redderetur. lib. 4. c. 26.*

65 *Christianos, cum vnum Deum esse dicant, duos tamen asserere, Deum patrem, & Deum filium. lib. 4. c. 29.*

66 *Patrem à filio fieri, & filium vicissim à patre. lib. 4. cap. 29.*

67 *Vsum luminum in templis superuacuum. lib. 6. c. 2.*

68 *Qui sciens peccat apud Deum veniam non habere. lib. 6. c. 13.*

69 *Qui ab operibus malis abstinet satis iustum esse. lib. 6. cap. 13.*

70 *Maximum crimen esse illius qui parùm lætetur, cum aduersi quippiam inimico suo videat accidere. lib. 6. cap. 56.*

71 *Iusto militare non licere. lib. 6. c. 20.*

72 *Iusto accusare quenquam crimine capitali non licere. lib. 6. c. 20.*

73 *Præceptum in Decalogo positum (Non occides) simpliciter, & absq; vlla exceptione intelligendum esse, vt nullo modo liceat hominem occidere. lib. 6. cap. 20.*

74 *Deum corpore præditum esse lib. 7. c. 5. Epitom. 10. De ira Dei 2. & 18. de Opific. 2. & 8.*

75 76 *Mentem humanam in quiescentibus somno sopiri, in furiosis penitus extingui, contagio corporea imbecillitatis ægrescere. lib. 7. c. 12. Opif. c. 18.*

77 *Animam humanam emissam corporis claustro ad sedem suam reuolare lib. 7. c. 12.*

78 *Mundum sex millibus annorum duraturum lib. 7. c. 14. & 25. Epitom. cap. 11.*

79 *Adam mille annis vixisse. lib. 7. c. 14.*

80 *Non ante venturum Antichristum, quàm Roma pereat. lib. 7. cap. 15. & 25.*

81 *Hostem superuenturum decem Regibus in fine mundi, qui illos subigat, mox & ipse ab Antichristo subigendus, & occidendus lib. 7. c. 16. Epitom. c. 11.*

82 *In fine mundi Prophetam missum iri à Deo lib. 7. c. 17.*

83 *Post prædicationem illius Prophetæ Antichristum orsurum. lib. 7. c. 17.*

84 *Malo spiritu Antichristum generatum iri. lib. 7. c. 17.*

85 *Impios non resurrecturos in iudicium lib. 7. c. 20.*

86 *Animā humanam spiritum esse, & ideo corpore exutam parem leuibus ventis esse. lib. 7. c. 20.*

87 *Carnē, quā Deus homini superiecerit post resurrectionē non huic terrenæ fore similē lib. 7. c. 21.*

88 *Ignem Inferni diuersum natura esse ab hoc nostro. lib. 7. c. 21.*

89 *Ignem Inferni purum esse, & lucidum, &c. lib. 7. c. 21.*

90 *Pœnas animarum, & præmia differri vsque ad diem vniuersalis iudicij. lib. 7. c. 21.*

91 *Affectus interdum ad delinquendum cogere. Epitom. c. 4.*

92 *Deum authorem esse malorum. lib. de ira Dei c. 3.*

93 *Deum proposuisse bonum, & malum. lib. de ira Dei cap. 15.*

94 *Aere ali animam, cibis corpus. lib. de Opific. c. 15.*

SACRAE SCRIPTVRAE LOCA,

QVÆ

RECITANTVR A LACTANTIO

Septuaginta verò Interpretum versionem ferè sequitur, vt monuimus ad Cap. 6. lib. 4. Diuinarum Institutionum.

EX NVMERIS.

c.23 NON quasi homo dominus suspenditur, nec quasi filius hominis minas patitur.
24 Orietur Stella ex Iacob, & exsurget homo ex Israel.

EX DEVTERONOMIO.

18 ET dixit Dominus ad me. Prophetam excitabo eis de fratribus eorum, sicut te, & dabo verbum meum in os eius, & loquetur ad eos ea, quæ præcipero ei; & quisquis non audierit ea, quæ loquetur Propheta ille in nomine meo, ego vindicabo in eum.
28 Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die, ac nocte, & non credes vitæ tuæ.
30 In nouissimis diebus circumcidet Dominus cor tuum ad Dominum Deum tuum amandum.

EX IESV NAVÆ.

5 ET dixit Dominus ad Iesum. Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & sede, & circumcide secundo filios Israel.

EX REGNORVM LIB. I.

c.2 ET suscitabo mihi Sacerdotem fidelem qui omnia, quæ sunt in corde meo faciat; & ædificabo ei domum fidelem, & transibit in conspectu meo omnibus diebus.

EX REGNORVM II.

7 ET fuit verbum Domini ad Nathan dicens. Vade, & dic seruo meo Dauid. Hæc dicit Dominus omnipotens. Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum; sed cum impleti fuerint dies tui & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, & parabo regnum eius. Hic ædificabit mihi domum in nomine meo, & erigam thronum eius vsque in sæculum, & ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, & fidem consequetur domus eius, & regnum eius vsque in seculum.

EX REGNORVM III.

9 QVòd si auertimini à me dicit Dominus, & non custodieritis veritatem meam, reijciam Israel à terra, quam dedi illis, & domum hanc, quam ædificaui illis in nomine meo; projiciam illam ex omnibus, & erit Israel in perditionem, & in opprobrium populo. & domus hæc erit deserta & omnis, qui transibit per illam admirabitur. & dicet. Propter quã rẽ fecit Dominus terræ huic, & huic domui hæc mala? Et dicent. Quia reliquerunt Dominum Deum suum, & persecuti sunt regem suum dilectissimum Deum, & cruciauerunt illum in humilitate magna; propter hoc importauit illis Deus mala hæc.
19 Æmulans æmulatus sum domino Deo omnipotenti, quia dereliquerunt te filij Israel. & altaria tua demoluerunt, & Profetas tuos interfecerunt gladio, & remansi ego solitarius, & quærunt animam meam auferre à me.

EX ESDRÆ II. siue ex Neemia.

DIscesserunt à te, & abiecerunt legem tuam post corpus suum, & Prophetas tuos interfecerunt, qui obtestabantur eos, vt reuerterentur ad te.

EX ESDRÆ LIB. Incerto.

ET dixit Esdras ad populum. Hoc pascha Saluator noster est, & refugium nostrum. Cogitate, & ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in signo, & post hæc sperabimus in eum, ne deseratur hic locus in æternum tempus dicit Dominus Deus virtutum. Si non credideritis ei, neque exaudieritis annunciationem eius, eritis derisio in gentibus.

EX PSALMIS.

3 EGO dormiui, & somnum cepi & resurrexi, quoniam dominus auxiliatus est mihi.

15 *Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuum videre interitum.*

17 *Constitues me in caput gentium: populus, quem non cognoui, seruiet mihi.*

21 *Effoderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi autem contemplati sunt, & viderunt me. Diuiserunt sibi vestimenta mea; & super vestem meam sortem miserunt.*

27 *Redde illis retributionem eorum; quoniam non intellexerunt in operibus Domini.*

32 *Verbo Dei Cæli solidati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

34 *Congregata sunt super me flagella, & ignorauerunt: dissoluti sunt, nec compuncti sunt; tentarunt me, & deriserunt derisu, & striderunt super me dentibus suis.*

44 *Eructauit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea Regi.*

Thronus tuus Deus in secula seculorum. Virga æquitatis virga Regni tui. Dilexisti iustitiam, & odio habuisti iniustitiam. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis.

68 *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potum mihi dederunt acetum.*

71 *Descendet sicut pluuia in vellus. Et orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec extollatur Luna.*

84 *Veritas de terra orta est.*

89 *Ante oculos tuos Domine mille anni tanquam dies vnus.*

93 *Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt. Et factus est mihi Dominus in refugium.*

109 *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis: quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum.*

Ante luciferum genui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

125 *Si Dominus non ædificauerit Domum, in vanum laborauerunt qui illam ædificauerunt. Si Dominus non custodierit Ciuitatem, in vanum vigilauit qui eam custodiuit.*

EX SALOMONIS PROVERBIIS.

8 *DEVS condidit me in initio viarum suarum in opera sua ante secula. Fundauit me in principio antequam terram faceret, & antequam abyssos constitueret, priusquam prodirent fontes aquarum, ante omnes colles genuit me Dominus: fecit regiones, & terras inhabitabiles sub Cælo. Cum pararet Cælum aderam illi, & cum secerneret suam sedem, cum super ventos faceret validas nubes, & cum confirmatos poneret montes sub Cælo. Quandò fortia faciebat fundamenta terræ eram penes illum disponens. Ego eram, cui adgaudebat; quotidie autem iucundabar ante faciem eius, cum lætaretur orbe perfecto.*

EX SAPIENTIA.

2 *CIrcumueniamus iustum, quoniam insuauis est nobis, & exprobrat nobis peccata legis; promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat: factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum; grauis est nobis etiam ad videndum; quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt viæ illius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab eo. Continet se à vijs nostris quasi ab immundicijs, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur, patrem se habere Deum. Videamus ergo, si sermones illius veri sunt, & tentemus, quæ ventura sunt illi. Contumelijs, & tormentis interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam illius: morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt, & errauerunt. Excæcauit enim illos stultitia ipsorum, & nescierunt sacramenta Dei.*

EX ECCLESIASTICO.

24 *EGo ex ore altissimi prodiui ante omnem creaturam: ego in Cælis feci vt oriretur lumen indeficiens, & nebula texi omnem terram. Ego in altis habitaui, & thronus meus in columna nubis.*

EX SALOMONIS LIB. Incerto.

Ode 19. *INfirmatus est vterus Virginis, & accepit fœtum, & grauata est, & facta est in multa miseratione mater virgo.*

EX ESAIA.

1 *AVDI Cælum, & percipe auribus terra, quoniam Dominus locutus est. filios genui, & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me. agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepium domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit.*

2 *Lex de Sion proficiscetur, & sermo Domini ex Hierusalem, & iudicabit inter plurimos populos, & reuincet, & deliget validas nationes.*

7 *Propter hoc dabit Deus ipse signum. Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel.*

9 *Ecce natus est nobis puer, & datus est nobis filius, cuius imperium super humeros eius, & vocatum est nomen eius magni consilij nuncius.*

11 *Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Dei, spiritus*

tus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & implebit eum spiritus timoris Domini.

Et erit in die illa radix Iesse, & qui exurgit principari in nationes. In eum gētes sperabunt; & erit requies eorum in honore.

19 *Et mittet eis Deus hominem, & saluabit eos, iudicans sanabit eos.*

35 *Confortamini manus resolutæ, & genua debilia consolamini. Qui estis pusilli animi nolite timere, nolite metuere. Dominus noster iudicium retribuet ipse veniet, & saluos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum. & aures surdorum audient. Tunc saliet claudus sicut ceruus, & plana erit lingua mutorum; quia rupta est in deserto aqua, & riuus in terra sitienti.*

42 *Ego Dominus Deus vocaui te in iustitiam, & tenebo manum tuam. & confirmabo te. & dedi te in testamentum generis mei, in lucem gentium, aperire oculos cæcorum. producere ex vinculis alligatos, & de domo carceris sedentes in tenebris.*

44 *Sic dicit Dominus Deus rex Israel, & qui eruit eum Deus æternus. Ego primus, & ego nouissimus, & præter me nemo est Deus.*

45 *Sic dicit Dominus Deus Christo domino meo, cuius tenui dexteram; obaudire ante eum gentes faciam, & fortitudinem regum disrumpam. Aperiam ante illum portas, & ciuitates non claudentur. Ego ante ibo. & montes deplanabo. & fores æreas conteram, & seras ferreas confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & inuisibiles aperiam tibi; vt sciat, quia ego sum dominus Deus, qui voco nomen tuum Deus Israel.*

Exultent cæli desuper, & nubes induant iustitiam; aperiatur terra, & pullulet Saluatorem. Ego enim dominus Deus creaui eum.

Fatigata est Ægyptus, & negotiatio Æthiopum, & Saba viri alti ad te transgredientur, & tui erunt serui, & post te ambulabunt vincti compedibus, & adorabunt te, & te precabuntur; quoniam in te Deus est, & non alius Deus præter te: Tu enim Deus es, & nesciebamus, Deus Israel Saluator. Confundentur, & reuerebuntur omnes, qui aduersantur tibi, & cadent in confusionem.

50 *Non sum contumax, neque contradico. Dorsum meum posui ad flagella, & maxillas meas ad palmas: faciem autem meam non auerti à fœditate sputorum.*

53 *Domine quis credidit auditui nostro? & brachium domini cui reuelatum est? Annunciauimus coram ipso sicut pueri, & sicut radix in terra sitienti. Non est figura eius, neque claritas: & vidimus illum. & non habuit figuram, neque decorem, sed figura eius sine honore, & deficiens præter cæteros homines; homo in plaga positus est, sciens ferre imbecillitatem, quia auersus est, & non est computatus. Hic peccata nostra portat, & pro nobis his dolet; & nos putauimus ipsum esse in dolore, & in plaga, & vexatione. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra. Doctrina pacis nostræ super illum: liuore eius nos sanati sumus. Omnes sicut oues errauimus; & Deus tradidit illum pro peccatis nostris.*

Sicut ouis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondentibus se sine voce, sic non aperuit os suum.

In humilitate eius iudicium sublatum est. Natiuitatē eius quis enarrabit? quoniam aufertur à terra vita eius; à facinoribus populi mei adductus est ad mortem; & dabo malos pro sepultura eius, & diuites pro morte eius, quia facinus non fecit, neque insidias ore suo locutus est. Propterea ipse consequetur multos, & fortium diuidet spolia, propterea quod traditus est ad mortem, & inter facinorosos deputatus est; & ipse peccata multorum pertulit, & propter facinora illorum traditus est.

63 *Ipsi autem non crediderunt. & exacerbauerunt Spiritum Sanctum, & conuersus est eis ad inimicitiam. Et ipse expugnauit, & recordatus est dierum seculi, qui suscitauit de terra pastorem ouium.*

66 *Venio colligere omnes gentes, & linguas, & venient, & videbunt claritatem meam. & dimittam super eos signum. Et mittam ex his conseruatos in gentes, quæ longè sunt, quæ non audierunt gloriam meam, & nunciabunt claritatem meam in gentes.*

EX HIEREMIA.

1 *PRiusquam te formarem in vtero noui te.*

4 *Hæc dicit Dominus viris Iuda, qui habitant in Hierusalem. Renouate inter vos nouitatem, & ne seminaueritis in spinis. circumcidite vos Domino Deo vestro. & circumcidite præputium cordis vestri, ne exeat ira mea sicuti ignis, & exurat, & non sit qui extinguat.*

8 *Cognouit tempus suum Turtur, & Hirundo & ruris Passeres custodierunt tempora introitus sui; populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Quomodo dicitis, sapientes sumus, & lex Domini nobiscum est? Incassum facta est metatura; falsè scribæ. & confusi sunt; sapientes trepidauerunt, & capti sunt, quoniam verbum Domini reprobauerunt.*

11 *Domine significa mihi, & cognoscam. Tunc vidi meditationes eorum. Ego sicut agnus sine macula perductus sum ad victimam; in me cogitauerunt cogitationem dicentes. Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus è terra vitam eius, & nomen eius non erit in memoria amplius.*

12 *Dereliqui domum meam, dimisi hereditatem meam in manus inimicorum eius. Facta est hæreditas mea mihi sicut Leo in sylua: dedit ipsa super me vocem suam; ideo odi eam.*

15 *Extr-*

15 *Exterrita est quæ parit, & tæduit animam, & occidit sol ei, cum adhuc medius dies esset; confusa est, & maledicta; reliquos eorum in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum.*

17 *Et homo est, & quis cognouit eum?*

25 & 35 *Misi ad vos seruos meos prophetas: ante lucem mittebam, & non audiebatis me, neque intendebatis auribus vestris cum dicerem vobis. Conuertatur vnusquisque à via sua mala, & à nequissimis affectationibus vestris, & habitabitis in terra ista, quam dedi vobis, & patribus vestris à seculo vsque in seculum. Nolite ambulare post Deos alienos, vt seruiatis eis; & ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad disperdendos vos.*

30 Apud 70. in Vulg. 31. *Ecce dies venient, dicit dominus, & consummabo domui Israel, & domui Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt illos educerem è terra Ægypti, quia ipsi non perseuerauerunt in testamento meo; & ego neglexi eos, dicit dominus.*

EX HIEREMIÆ LIB. Incerto.

B*Eatus qui erat antequam nasceretur.*

EX BARVCH.

3 H*Ic Deus noster est, & non deputabitur alius absque illo, qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus versatus est.*

EX DANIELE.

7 V*Idebam in visu noctis; & ecce in nubibus cæli vt filius hominis veniens, & vsque ad vetustum dierum peruenit. Et qui assistebant obtulerunt eum; & datum est ei regnum, & honor, & imperium; & omnes populi, tribus, linguæ seruient ei; & potestas eius æterna, quæ nunquam transibit, & regnum eius, quod non corrumpetur.*

EX OSEA.

6 V*Iuificabit nos post biduum die tertio.*
13 *Hic filius meus sapiens, propter quod nunc*
non resistet in tribulatione filiorum suorum, & de manu inferorum eruam eum. Vbi est iudicium tuum mors? aut vbi est aculeus tuus?

EX AMOS.

8 E*T erit in illo die, dicit Dominus, occidet Sol meridie, & obtenebrabitur dies lucis, & conuertam dies festos vestros in luctum, & cantica vestra in lamentationem.*

EX MICHÆA.

4 L*Ex de Sion proficiscetur, & sermo Domini ex Hierusalem & iudicabit inter plurimos populos, & reuincet, & deliget validas nationes.*

EX ZACHARIA.

3 E*T ostendit mihi dominus Deus Iesum sacerdotem magnum stantem ante faciem angeli Domini; & diabolus stabat ad dexteram ipsius, vt aduersaretur ei. Et dixit Dominus ad Diabolum. Imperet tibi Dominus in te, qui elegit Hierusalem, & ecce titio eiectus ab igne, & Iesus erat indutus vestimentis sordidis, & stabat ante faciem Angeli, & respondit, & dixit ad circumstantes ante faciem ipsius dicens. Auferte vestimenta sordida ab eo, & induite eum tunica talari & ponite cydarim mundam super caput ipsius & cooperuerunt eum vestimento, & imposuerunt cydarim mundam super caput ipsius, & Angelus Domini stabat, & testificabatur ad Iesum dicens. Hæc dicit Dominus omnipotens. Si in vijs meis ambulaueris, & præcepta mea seruaueris, iu iudicabis domum meam, & dabo tibi qui conuersentur in media horum circumstantium. Audi itaque Iesu Sacerdos magne.*

12 *Et intuebantur in me, quem transfixerunt.*

EX MALACHIA.

1 N*On est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus, & sacrificium acceptum non habeo ex manibus vestris; quoniam à Solis ortu vsque ad occasum clarificabitur nomen meum apud gentes.*

EX LVCA.

14 Q*Vi se extollit humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

EX IOANNE.

1 I*N principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

2 *Si soluerítis hoc templum, quod ædificatum est annis XLVI. Ego illud in triduo sine manibus suscitabo.*

DICTIO-

DICTIONVM OMNIVM,

E T

SENTENTIARVM GRÆCARVM,

Quæ in Lactantio habentur latina ad verbum
INTERPRETATIO.

LIBRO I. INSTITVTIONVM.

CAP. V.

πρωτόγονον primogenitum.
φάνητα apparentem.
πρωτόγονος φαέθων, &c. principio genitus Phaethon longo aer: natus,
Ἔκτισεν ἀθανάτοις, &c. condidit immortalibus domum incorruptibilem.

CAP. VI.

Ἑρμούπολις Mercurij Ciuitas.
ἀνώνυμον sine nomine.
Ὁ δὲ θεὸς, εἷς, &c. Deus autem vnus, vnus autem nomine nō eget, est enim qui est sine nomine.
εἷς θεὸς, ὃς μόνος &c. Vnus Deus, qui solus est, excedens omnem magnitudinem, increatus.
θεσβούλων Dei consilia denunciantem.
ἀλλὰ θεὸς μόνος &c. Sed Deus solus vnus eminentissimus, qui fecit Cœlum, Solemq; & Stellas, & Lunam, fructiferamq; Terram, & aquæ Maris fluctus.
αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα, &c. Ipsum, qui solus est, colite principem mundi, qui solus est in seculum, & a seculo fuit.
ἀλλὰ μόνος εἰμὶ θεὸς &c. Solus enim Deus sum, & non est Deus alius.

CAP. VII.

αὐτοφυὴς, ἀδίδακτος &c. Ex se ortus, non edoctus, sine matre, inexpugnabilis, nomen ne verbo quidem capiendum, in igne habitans. Hoc Deus est: modica autem Dei portio angeli nos.
πάνσοφε &c. omnia sapiens, omnia docte, qui per cuncta versaris exaudi Dæmon.
ἁρμονίη κόσμοιο &c. Concentus mundi Lucifer, & sapiens Dæmon.
Δαίμονες οἱ φοιτῶσι &c. Dæmones, qui ventitant circa terram, & circa pontum indefessi domantur sub flagello Dei.
αὐτοφυὴς ex se ortus.
αὐτογενὴς ex se genitus.
ἀγέννητος ingenitus.
ἀποίητος non factus.

CAP. VIII.

οὐ δύναται ἀνδρὸς &c. Non potest ex viri semine, & matrice Deus formatus esse.

CAP. XI.

Δαίμονας ἀψύχους &c. Dæmones inanimes, cadauerum simulachra mortuorum, quorum creta in iactantiam sepulchra misera habet.

CAP. XIII.

πρώτιστος μὲν ἄναξ &c. Primus quidem regnator erat terrestrium Saturnus virorum; ex Saturno autem genitus est ipse Rex magnus, & latè cuncta intuens Iupiter.

CAP. XV.

Ἑλλὰς δὲ τί πέποιθας &c. Græcia quid confidis in viros principes? ad quid dona inania mortuis dedicas? immolas idolis? quis tibi in mentem errorem imposuit, vt hæc perficias magni Dei ore relicto?

CAP. XXI.

καὶ κεφαλὰς ᾅδῃ &c. Et capita Diti, & patri mittite φῶτα.] τὸ φῶτα interpretationem non capit, nam Ambiguitas in ea dictione, seruari debet. vid. Not.
φαινόμενα apparentia.
ὄνους asellos.

CAP. XXII.

ἐξηγήσεως πινδαρικῆς expositionis pindaricæ.

LIBRO II.

CAP. I.

ἄνθρωπον hominem.

CAP. V.

φαινόμενα apparentia.

CAP. XI.

θεοειδῆ deiforme.
εἰκὼν ἐστ' ἄνθρωπος &c. Imago est homo mea, rationem rectam habens.

CAP.

CAP. XII.

εἷς μόνος ἐστὶ θεὸς ἀγέννητος &c. qui solus est Deus creator inuictus existens, ipse autem firmauit figuram formæ, ho ninum q; ipse miscuit naturam omnium generationis vitæ.

CAP. XIII.

οἱ δὲ θεὸν τιμῶντες &c. Qui autem Deum honorant verum, sempiternam vtique vitam hereditario iure possident, per seculi tempus ipsi habitantes paradisum æquè peramænum hortum.

ἄνθρωπον πλασθέντα θεοῦ &c. Hominem formatum esse Dei manibus, quem etiam seduxit serpens dolosè ad fatum accedere mortis, notionemq; accipere boni, & mali.

CAP. XV.

δαιμονάρχην principem demonem.

τοιοῦτοι δαίμονες &c. Ij. quidem dæmones sunt Iouis magni consilio boni, terrestres, custodes mortalium hominum.

CAP. XVI.

μία φυλακὴ εὐσέβεια &c. Vna custodia pietas; pium enim hominem nec dæmon malus, nec fatum tenet. Nam Deus liberat pium ab omni malo, quod enim vnum, & solum in hominibus bonum est pietas.

εὐσέβεια pietas.

ἡ γὰρ εὐσέβεια γνῶσίς ἐστι θεοῦ, pietas enim notitia est Dei.

ἀγγέλους πονηροὺς Angelos malignos.

CAP. XVII.

ἀπὸ πλάνης πάντα &c. quia error hæc omnia sunt, quæ stulti homines scrutantur quotidie.

LIBRO III.

CAP. XIII.

λογικὸν rationalem.

LIBRO IV.

CAP. VI.

ὁ λόγος τέλειος sermo perfectus.

ὁ κύριος, καὶ τῶν πάντων ποιητὴς &c. Dominus, atque omnium creator, quem Deum vocare censemus, quia secundum Deum fecit visibilem, & sensibilem. sensibilem autem assero, non ideo quia ipse sentit (hoc enim non est, vtrum ipse sentiat) sed quia ipse in sensum mittit, & mentem. Quoniam ergo hunc fecit primum, & solum, & vnum, pulcher autem ei visus est, & plenissimus omnium bonorum, sanctificauitque, & amauit quasi proprium filium.

παντατρόφον κτίστην &c. Omnium nutritorem, creatoremque, qui dulcem spiritum omnibus apposuit, ac principem omnium Deorum fecit.

αὐτὸν ἔδωκε θεὸς &c. Eum dedit Deus fidelibus viris honorare.

αὐτὸν σὸν γίνωσκε, &c. Ipsum tuum cognosce Deum, qui Dei filius est.

Δημιουργὸν θεοῦ. Opificem Dei.

σύμβουλον consiliarium.

CAP. VII.

αἰτία δὲ ταύτης τῆς αἰτίας &c. Causa autem huius causæ est diuini boni voluntas, quæ Deum protulit, cuius nomen non potest humano ore dici.

ἔστι γὰρ τις ὦ τέκνον &c. Est enim quidam ò fili secretus sermo sapientiæ de solo domino omnium, & præcogitato Deo, quem dicere supra hominem est.

αὐτὰς δὲ δμωαὶ λοῦσαν &c. Eos autem famulæ lauerunt, & vnxerunt oleo.

ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι ab vngendo.

CAP. VIII.

αὐτοπάτορα, καὶ αὐτομήτορα. Ipsum sui patrem, & ipsum sui matrem.

CAP. XIII.

ἀπάτωρ sine patre.

ἀμήτωρ sine matre.

θνητὸς ἔσται κατὰ σάρκα &c. Mortalis erat secundum carnem, sapiens portentificis operibus, sed sub iudicibus Chaldæis armis, comprehensus, clauis, & cruce amarum compleuit finem.

ἀνθήσει δὲ τότε καθαρὸν florescet autē flos purus.

CAP. XV.

πάντα λόγῳ πράττων &c. omnia verbo agens, omnem infirmitatem curans.

νεκρῶν δ' ἀνάστασις ἔσται &c. Mortuorum autem surrectio erit, & claudorum cursus erit velox, & surdus audiet, & cæci videbunt, & muti loquentur.

ἐν ἄρτοις ἅμα πέντε &c. In panibus simul quinque, & piscibus duobus hominum millia in deserto quinque satiabit, & reliquias tollens post fragmenta omnia duodecim cophinos implebit in spem multorum.

τοὺς ἀνέμους παύσει &c. Ventos compescet verbo sternet autem mare insanum pedibus, paciq; fiducia; calcans.

κύματα πατήσει &c. Fluctus perambulabit, morbum hominum resoluet, viuificabit mortuos, arcebit dolores a multis, ex vno autem fonte panis satietas erit viris.

φήσουσι σίβυλλαν &c. Dicent Sibyllam insanam, mendacem. Cum autem facta fuerint vniuersa, tum mei meminerint, neque me iam quisquam mēdacem dicet Dei magni Prophetam.

CAP.

C A P. XVI.

οἰκτρὸς, ἄτιμος, ἄμορφος &c. Miserabilis, ignominiosus, informis miserabilibus spem præbebit.

C A P. XVII.

ἀλλ' ὅταν ταῦτ' ἄρ ἅπαντα &c. Sed quando hæc omnia perfecta erunt, quæ dixi, in ipsum omnis soluetur lex.

C A P. XVIII.

εἰς ἀνόμων χεῖρας &c. In iniquorum manus, & infidelium postea veniet. Dabunt autem Deo alapas manibus incestis, & faucibus immundis saliuas virulentas. Dabit autem in verbera omnino innocens tunc dorsum.

καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει &c. Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat, quod verbum, & vnde venit, vt mortuis loquatur, & coronam portabit spineam.

εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν &c. In cibum autem fel, in sitim acetum dabunt; inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam.

αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων &c. Ipsa enim stulta Deum tuum non cognouisti ludentem inter mortales cogitationes: sed & spinis coronasti corona, horridumq; fel miscuisti.

C A P. XIX.

ναοῦ δὲ σχισθῇ τὸ πέτασμα &c. Templi verò scindetur velum, & die medio nox erit tenebrosa ingens tribus horis.

καὶ θανάτου μοῖραν &c. Et mortis fatum finiet triduum sopitus: & tunc à mortuis egressus in lucem veniet, primus resurrectionis vocatis initium ostendens.

C A P. XX.

Ἰουδαίων μακάρων &c. Iudæorum beatorum diuinum genus cœlestium.

C A P. XXV.

ἀπὸ τοῦ πάσχειν à patiendo.

LIBRO VII.

C A P. XIII.

καὶ τὸ αὐτὸ ἐξ ἀμφοῖν &c. Et idem ex vtraq; natura immortali, atque mortali vnam faciebat naturam hominis, eundem partim immortalem, partim mortalem faciens, & hunc ferens in medio diuinæ, & immortalis naturæ, & mortalis, mutabiliq; collocauit, vt videns omnia, omnia admiretur.

ψυχὴ μὲν μέχρι τοῦ δεσμοῦ &c. Anima quidem quo ad vinculis cum corpore tenetur, corruptibiles sentiens passiones mortalibus doloribus cedit. Cum verò solutionem humanam post corpus corruptum velocissimam inuenerit, in æthera tota fertur, nunquam senescens, manet autem in totum indomita, primogenita enim hoc Dei disposuit prouidentia.

C A P. XVI.

σάλπιγξ οὐρανόθεν &c. Tuba de cœlo vocem luctuosam emittet.

ἔσται κόσμος ἄκοσμος &c. Erit mundus immundus pereuntibus hominibus.

C A P. XVIII.

λόγος τέλειος sermo perfectus.

ἐπὰν δὲ ταῦτα οὕτως γένηται &c. Cum hæc ità facta fuerint ò Asclepi tūc dominus, & pater, & Deus, & primi, & vnius Dei creator, respiciens quæ facta sunt, & sua voluntate in huiusmodi cum bonum obiecisset temeritati, & errore reuocato, malitiaq; purgata; partim quidem aqua nimia diluens, partim verò igne rapido cremans, interdum autem bellis, & pestilentijs extergens ad statum pristinum perduxit, & restituit suum mundum.

ἥξει καὶ μακάρων πόλιν &c. Veniet & beatorum volens vrbem expugnare, & quidam à Deo missus rex ad suos omnes perdet reges magnos, & viros optimos; & sic iudicium fiet ab immortali hominibus.

καὶ τότ' ἀπ' ἠελίοιο &c. Tunc ex Sole Deus mittet regem, qui omnem terram placabit a bello malo.

ἡμετέρας δουλείας &c. Nostræ seruitutis iugum intolerabile in collo positum tollet, & leges impias soluet, vinculaq; violenta.

C A P. XIX.

ὁππότ' ἂν ἔλθῃ &c. Cum veniet, ignis erit, tenebræquè in media nocte obscura.

ῥίψουσι δ' εἴδωλα βροτοὶ &c. Proijcient autem simulachra homines, & diuitias omnes.

ἔργα δὲ χειροποίητα &c. Opera autem manibus facta Deorum comburentur.

C A P. XX.

ὁππότε καὶ τὸ κλέος τέλος &c. Cum autem dies iste acceperit finem fatalem, & ad mortales peruenerit iudicium immortalis Dei, veniet super homines magnum iudicium, & imperium.

ταρτάρεον δὲ χάος &c. Tartareum autem Chaos tunc ostendet terra dehiscens; venient autem ad tribunal Dei reges omnes.

οὐρανὸν εἰλίξας γαίης &c. Cælum voluens terræ latebras aperiam, & tunc exsuscitabo mortuos, fatum soluens, & mortis aculeum, posteaque in iu-

in iudicium ducam iudicans piorum, atque impiorum vitam virorum.

CAP. XXIII.

[illegible] &c. Quod cum ita sit, apparet non esse impossibile, & nos post mortem rursus spacijs quibusdam reuolutis temporis, in hunc quo nunc sumus restitutum iri statum.

[illegible] &c. Etenim durũ ad credendum omne hominum genus; sed cum iam mundi, & mortalium venerit iudicium, quod Deus ipse faciet, iudicans impios simul, piosquè, tunc demum impios quidem in tenebras, in ignem mittet, quicunque autem pietatem colunt, iterum viuent in terra, spiritum Deo dante, honorem, simul & vitam ipsis.

CAP. XXIV.

[illegible] &c. Totius enim terræ tunc mortalium confusio erit, ipse omnipotens cum venerit tribunali iudicare viuorum, & mortuorum animas, & mundum vniuersum.

[illegible] &c. Audite me homines Rex sempiternus dominabitur.

[illegible] &c. Vrbem, quam fecit Deus, eam fecit clariorem astris, atque Sole, Lunaquè.

[illegible] &c. Nec lupi cum agnis in montibus dimicabunt; herbamq; linces pariter cum hœdis pascentur, vrsi cum vitulis simul, omnibusq; pecoribus, carniuoransque leo comedet paleas ad præsepia; cum infantibusque dracones sine matribus dormiẽt.

[illegible], &c. Tunc gaudium magnum Deus dabit hominibus; nam & terra, & arbores, & innumerabilia terræ pecora dabunt fructum verum hominibus vini, & mellis dulcissimi, & candidi lactis, atque tritici, quod est hominibus optimum omnium.

[illegible] &c. Piorum autem solùm sancta terra omnia hæc feret, fluenta mellis de petra, atque de fonte, & lac immortalitatis manabit omnibus iustis.

LIBRO DE IRA DEI.

CAP. XXII.

[illegible] &c. Incoruptibilis conditor, æternus, æthera inhabitans, bonis bonum porrigens multò maiorem mercedem, in malos autem, iniustosq; iram, & furorem excitãs.

[illegible] &c. fuge sceleratas religiones, Deo viuo famulare, adulteria caue, & masculi insanum cubile, propriam generationem filiorum nutrias, & ne occidas, etenim ei immortalis irascetur, qui peccarit.

CAP. XXIII.

[illegible] &c. Veniente ira magna ad mundum pertinacem postremum in seculum, Dei edicta pando ipsis vrbibus, & hominibus cunctis. Omnibus prophetans, per Ciuitates hominibus.

[illegible] &c. Ex quo irascente Cœlesti Deo cum ipsis Ciuitatibus, & hominibus cũctis terrã cooperuit mare diluuio rupto.

[illegible] &c. Et tunc iram Deum non amplius placantem, sed aggrauantem, & perdentem genus hominum, ac totum id incendio depopulantem.

[illegible] &c. Sed misericordia conuertimini homines nunc, neque ad iram variã ducite Deum magnum.

[illegible] &c. Non perdet, sedabit autem iterum iram, cùm omnes pietatem ex animo in præcordijs exercueritis.

[illegible] &c. Ne forte iratus Deus incorruptibilis perdat omne genus hominum, vitam, & gentem improbam; oportet amare genitorem Deũ sapientem semper existentem.

[illegible] etc. Regem autem, et genitorem omnium, quem contremiscit et terra, et Cœlum, et mare; tartaræquè latebræ, & Dæmones exhorrescunt.

VARIÆ LECTIONES MINORIS MOMENTI,

Quæ ex diuerſis LACTANTII Codicibus proferuntur.

Vbiquè verò Vulgatam retinuimus, præterquam vbi ratio, aut meliores Codices vetuerunt.

LIBRO PRIMO INSTIT.

C A P. I.

IVſtior fieri poteſt] al. iuſtior effici, &c.
premium eſſe iudicarent] al. præmium prędicarent.
aſſertionibus eget] al. aſſertoribus, &c.
nihil certi aſſerentibus] al. n. c. aſſerentibus.
ſiquidem ſibi quique] al. s. s. quiſque.

C A P. II.

vel regantur] al. vel gerantur.
dicentes, nec fieri mundum] al. docentes, &c.
& nobis vtique] al. & nobis itaque.

C A P. III.

rationemque ſecum putet] al. rationeque ſecum putet.
Dij ſi plures ſicut] al. ſi Dij plures ſicut
(nam perfectus eſſe) vt eſſe debet, &c.] al. (quia perfectus eſt, vt eſſe debet) non poteſt, &c.
nec enim quanta vis, poteſtaſquè ſit diuinæ, &c.] al. neq; quanta ſit vis, poteſtaſquè diuinæ, &c.
tantæ intelligentiæ lucem] al. tantam, &c.
quòd ſingulorum poteſtas] al. quoniam ſing.
mens vna] ita meliores M SS. at plerique impreſſis, mens humana.
ſimul intenta eſt] B. T. P. & vetuſt. impreſſis. ſemel int eſt.
Vt tamen vnus ſit rector, &c.] ita B. T. & impreſſi antiq. al. vt tantum vnus, &c.
vt ipſi eius imperio, ac nutibus ſeruiant] ita recentiores editiones, at vetuſtiores, B. & T. & ipſi eius imp. ac nut. ſeruient.

C A P. IV.

aut inſani, aut mendaces] B. T. aut inſani, aut fallaces.
lucra deſiderant] al. qui lucra des.
non poteſt ſuſpicio] ita B. T. al. non poſſet, &c.

C A P. V.

qui eſt vetuſtiſſimus] ita B. T. al. qui & vet.
nihil ſit genitum] B. nihil ſit generatum.
ratione ducente] rat. deducente.
dicere, Iouem eſſe] ita B. T. al. Iouem dicerem eſſe, &c.
quomodo eſſe] B. T. quomodo eſſet.
effecta ſunt omnia] B. facta ſunt, &c.
materiam fictam] B. materiam factam.
niſi Deus fecerit?] P. niſi Deus fecit? B. T. niſi Deus?
quem ſpiritum, ac mentem] B. T. q. m. ac ſp.
fortè ignoret] B. fortè ignoraret.
quæ natura ducente] B. T. qui nat. duc.
ex qua nata ſint omnia] ita B. T. P. al. à qua, &c.
materiam omnium poſuit] al. m. om. rerum poſ.
poſuit in Deo] B. T. conſtituit in Deo.
horum omnium ſententia] ita B. T. al. hor. enim om.
authoritatem, ac maieſtatem] ita P. T. al. authorem, &c.
ac penè tenuiſſe] al. ac propè, &c.
infucata] ita P. T. & impreſſi antiquiores. al. fucata.

C A P. VI.

inter Deos relatus] T. in Deos, &c.
à quo ſit Argus occiſus] ita P. T. al. à quo A. oc. ſit.
colunt eum] al. ſeruant, & colunt eum.
qui tametſi homo, fuit antiquiſſimus tamen, & inſtructiſſimus, &c.] ita P. T. al. qui tametſi homo fuerit, antiquiſſ. tamen, &c.
cognomen imponerent] al. cog. imponeret.
quia & hi homines fuerunt] T. q. & hom. fuerint. P. q. & ipſi hom fuerunt.
nedum apud Latinos vixit] hæc T. non habet. al. nedum apud Latinos, & τὸ vixit deeſt.
ſcriptitarunt] T. ſcriptitauerunt.
idem pretium popoſciſſe] al. i. p. poſtulaſſe.
nomine fuerint] al. nom. fuerunt.
Ancyræ] T. Anciyræ.
iuxta ripas Anienis] T. iux. rip. amnis. P. & impreſſi vet. iux. rip. amnis Anienis.
ἐκ ἐγίνθεῖς] al. ἐκ ἐγί, &c.

C A P. VII.

quod Delphis] B. T. P. quò Delphis.
vniuerſa generauit] ita B. T. P. al. vniu. generauerit.
qui vnum eſſe dicimus] hæc abſunt à B. T. P.
qui vnum Deum dicamus] ita B. T. P. al. qui vnum dicamus.

cum preces] B. T. cum precem.
& Apollinem Smynthium] ita B. T. P. al. in A. smynthæum.
ἀσμεναντες] al. ἀσμεναντες.
de vtrisque generibus in secundo libro differemus] hæc 1 ax. non habet.
interim nobis] B. nunc nobis.
quomodo sint appelland.] B. & quom &c.
qui Deo assistunt] B. P. qui Deo semper as.
aliquid vlterius] B. P. aliud vlt.
quoniam nihil] ita B. al. quando nih.
ante illum] B. ante ipsum
vir acutus] B. T. homo acut.
animam debeamus] ita B. nonnullis τὸ animam deest.

C A P. VIII.

tot, & tantis testibus] B. tot, tantisque, &c.
ob nimiam, & inæstimabilem] ita B. T. al. ob nim. eius, & inæst.
dubitet ergo] B. T. dubitet vero.
Dij ergo] ita B. T. P. al. Dijs ergo.
quid opus est altero sexu, cum successione non egeant] receptus sum lectionem B. probatam Thomas. al. quid opus est altero sexu? nimirum vt generent ipsa progenie quid opus est, cū successione, &c.
vt vocatur] hæc B. non habet.
qui non intelligat] B. quin intelligat.
quæ vniuersa] B. quæ vniuersi.

C A P. IX.

expurgasse] B. T. purgasse.
viraginem] al. virginem.
vt ait orator] B. T. quod ait or.
fortior iudicandus] ita B. T. P. al. fortior iudicandus.
quam qui violentam in se ipso, &c.] ita B. al. quā qui violentiam, & in se ipso, &c.
volucres deijcit] B. T. vol. deiecit.
non tantum Euristheo] B. P. non Euristheo tantum, &c.
nullus dabit] al. nullos dabit.
Philoctete] al. Philoctetа.
in Oeta monte] quidam Vaticani, & P. in oetæo monte.

C A P. X.

quod à Deo meruit] al. quia a Deo, &c.
Cynosuris ait] ita B. T. P. al. Cynos. vrbe Arcadiæ ait, &c.
quo flagrabat] ita B. T. P. al. quo flagrauit.
quæ illi negari potuit impune] B. quam illi negari potuit impune.
mulierem in litore] B. mul. in lit. Ariadnem.
poenis dignissimos] B. pœnis dignos.

C A P. XI.

qui cupiditatibus] B. T. qui cupiditate.
aut (vt ait Poeta) &c.] B. aut credi, vt ait poeta, &c

potest ergo Iupiter] al. potest enim Iup.
sicut & pater eius] B. T. sicut pater eius.
abstinuit se tamen] al. abstinuit se tantum.
vnde ipsa diuinitas] B. T. vnde diuinitas.
scit profecto] ita B. T. P. scit vtique profecto.
aliquid maius existere. Idem per stygiam, &c.] B. aliquam ex ideo nec optimus, nec maximus, idem per stygiam, &c.
ad inferos deuoluantur] B. T. ad inf. reuoluantur.
in vna vtique sola] B. T. quod in vna itaque sola.
cam deperiret, & non] B. eam amaret, ac non.
& imbecillis] B. & imbe illus.
habere rectorem] ita B. T. P. al. hab. regem.
violaturus aureos, &c.] ita B. T. P. al. violaturas Iupiter aureos, &c.
ipsum in aureo imbre] T. ipsum aureo imbre
pristina forma] B. T. P. pristina specie
ac sentiunt, in terra, &c.] ita ad oram Plantin. editionis, al. nec sentiunt, &c.
sed finxerint] ita B. T. al. sed finxerunt.
sed pictores etiam imaginum] ita B. T. P. al. sed & pictores etiam, fictoresque imaginum.
si enim hic Iupiter, qui a vobis dicitur Deus, non is est, &c. al. si enim hic est Iupiter, qui a nobis dicitur Deus, si non is est, &c.
cecidit hic Iupiter] ita B. T. quidam impressi, & P. cec. ipse Iup. al. cec. iste Iup.
eum verò] ita B. T. at P. eum verè. deteriores, tum vero.
nihil igitur a poetis] ita B. al. non igitur, &c.
hanc historiam] B. T. & hanc hist.
vbi Iupiter imperium] sic ferè omnes MSS. & editi, & ita quoq; hunc locum refert Politianus in Muceilan. cap. 35 al. deest τὸ vbi.
Et quæ loca sunt secundum mare omnibus regnaret] al. & quæ loca sunt secus m. o. r. al. & quæ secundum mare loca essent om. reg. al. & quæ sunt secundum mare loca regnaret.
ea tempestate] ita B. T. P. al. eadem tempest.
si quis quid noui inuenerat, &c.] al. si qui quid noui inuenerant, &c. veniebant, atque Ioui ostendebant.
versicoloribus] ita B. T. P. al. varijsque colorib.
figuretur] a B. ungatur.
sic Deum precatur] al. sic Deum deprecatur.
inque sepulchro eius] al. in qua sepulchro, &c.
numerari diceret] ita B. T. P. cui lectioni adstipulatur & ipse Ciceronis locus principio (inquit) Ioues tres numerant. al. nominari.
religionum publicarum] ita B. T. P. al. relig. suarum public.
teneo aliquid in eo] B. teneo aliquid in hoc.
quod videam esse] B. T. quo videam, &c.
nihil est omnino] B. nihil fit, &c.
repentinè] al. repetino.
in cœlum, quod nunc nos nominamus] ita codex

dex Sancti Saluat. Bonon. minus antiquus P. & T. at B. in cœlum, quod nominatur. al. in cœlum, quod οὐρανὸς nominatur.
æther vocatur] B. T. P. æther vocabatur.
precans] al placans.
camque hostiam] al. terræquè hostiam.

CAP. XII.

quòd fuit] al. qui fuit.
vt nulli elemento] al. vt nulli alij elem.
cœlum putemus] cęlum putet.

CAP. XIII.

num iccirco, etc.] al. nunc iccirco, etc. sine interrogatione.

CAP. XIV.

si quid liberum] al. si quid liberorum.
ne educaret] P. ne quid educaret.

CAP. XV.

aut vrbis suæ conditores] ita T. P. al. aut vrbis condit.
varia sacra] T. vana sacra.
quos alios honores] T. quòd alios etc.
plebi suæ] τὸ suæ non extat in T. P.

CAP. XVII.

quod etiam tum] al. qui etiam tum, etc.

CAP. XVIII.

philosophi differunt] al. philosophi dixerunt.
nec sanum se voluit, nec senem fieri, ne quando se ipso minor, aut deformior, etc.] ita B. al. nec sanari se voluit, ne senex, aut deformior, etc. al. nec sanari se voluit, nec senem fieri, ne quando se ipso minor, aut deformior, etc.
hunc a rogo, quo viuum se ipsum, etc.] al. hunc ergo, qui viuum, etc. P. hunc a rogo, quo viuum se ipse, etc.
fortasse culpa sit, qui res, etc] ita B. P. al. fort. culpa, qui res, etc.
reliquerit hæc sanè] al. reliquit, etc.
quæ possent inueniri. Artes quoque, etc.] ita B. al. quæ possent inueniri primus inuenit. Artes, &c.

CAP. XIX.

hos coluit] ita B. T. al. hos colit.
medicinæ artis repertorem ad stygias, etc.] ita B. al. medicinæ repertorem talis, & artis ad stygias, etc.
mendacium poetarum] ita B. T. al. mendacium enim poetarum.

CAP. XX.

si animal ipsum] ita B. T. al. si id anim. ip.
huius nominis] B. huius nomini.
hanc solam Romani] ita B. T. al. hanc solú, etc.
putanda sit] B. putanda est.
populum scripsit] ita B. T. al. populum Romanum, etc.
certamque pecuniam] ita B. T. al. certam pec.
conuenientes memoriæ] B. T. cõuenienter mem.
quæ tunc mimorum] B. quæ tunc mimarum.
differt, re congruit] al. differre congruit.
ad honesta] B. ad honestatem.
debuerunt] ita P. al. deberent.
vniuersa flagitia] B. diuersa flag.
oportet] B. T. P. oportere.
non vides fore] ita B. T. P. al. non vid. fortè.
quibus careamus?] B. T. quibus careami? P. quibus careas?
et colenda non sacrificio, etc.] ita B. T. al. et colenda est non sac.
simul ac cæpit velle] B. simul vt occæpit, etc. al. simul occæpit, etc.
consecrationes esse sequitur: quod necesse est, etc. al. consecrationes sequitur, quod necesse est al. cons. sequi quid necesse est?
in venenum, et ferrum] al. in venena, et in fer.
priuatim verò inimicitijs] al. priuatis inimicitijs.
fortasse didicerant] B. fort. didicerunt.
hostium insidijs] B. hostium dolis. P. dolis hostiũ.
sicut iuuenes] ita B. al. sic iuuenes.
ex causa turpi venit] ita B. T. P. al. deest τὸ venit.
apposita est] B. T. P posita est.
quod haberent] B. P. quod habebant.
si earum defensor] al. si eorum, etc.
Deorum numen] B. T. Deor. nomen.
prodidit fratrem] al. perdidit, etc.
simulachra venerantur.] al. sim. vener. et colunt, sed illa, et colunt, non habentur in B. T. P.
quid quòd lapidem] al. quid qui lap.
Ioui cederent] ita B. T. P. al. Ioui cedere vellent.

CAP. XXI.

apud Cypri Salaminem humanam hostiam, etc.] B. P. apud Cyprios hum. host. etc.
hospites immolarentur] al. hospites immolarent.
qui sic sacrificant] al quibus sic sacr.
orbitatibus] B. orbitate.
piaculum soluerent] B. piacula solu.
quæ verè gesta est] ita B. T. al. quæ vera gesta est.
Quirinus dictus est] B. T. P. Quirinus factus est.
postquam se præcipitauit, Leucothea] ita B T. P. al. postquã se precip. in mare Leucothea, etc.
litabilis victima] B litalis etc. al. lætabilis, etc.
de obscęni magnitudine] ita B. T. P. et aliquot Vaticani al. de membri obscoeni magnit.
quæ sit ergo quæramus] ita B. T. P. al. quæ sint ergo, etc.
vlla esse ratio in rebus, et. [ita B. al. desit τὸ ratio.
ille negauit] ita B. al enimuero ille, etc.
id sanctum dicitur] al. id factum dicitur.
Ida] al. Ide.
principes intelligendi diuina fuerunt, etc. et paulò post diuina non intelligendi] ita Florentina, Aldin. et cæteræ editiones. sed B. T. P. vtrobique non (diuina) sed, diuini, habent.
muneris eius vacationē] ita B T. al. muneris vacat.

CAP.

CAP. XXII.

religionibus derogabant] al. relig. derogabatur.
Faunus in Latio, qui & Saturno auo nefaria, etc] B. Faunus, qui est in Latio, Saturno, &c. al. Faunus in Latio, qui est Saturno nefaria, etc.
suam Fatuam Faunam] P. suam Faunam.
his versibus] ita B. T. P. al. his verbis.
primus Orpheus] τὸ primus, non habetur in B.
ea sacra etiam nunc] B. ideo sacra, etc.
& amicitia copulabat] B. & am. copulauit.
laprio] B. labrio
Molioni] B. Molioni. P. Moloni.

CAP. XXIII.

eodem gradu proximus] T eod. gr. prox. fuit.
ad arguendas] T. ad coarguendas.
qua nulla] al. quia nulla, etc.

LIBRO SECVNDO.

CAP. I.

perseuerarunt] B. T. P. perseuerarint.
maius officium, reuocandi] ita B. al. maius off. scil eet reuoc.
& superuacuos, & frustra] ita B. at P. & superuacuos, & nihili, & frustra. al. & superuacuos, & nihil, & frust.
post mortem nihil futuros] ita B. al. post mortem nihil nos esse futur s.
libidinum voluptates] B. T. libid. suauitates.
magni æstimarent] B. T. magni existimarent.
posse retineri] B. possint retinere.
mortuos præferant] al. mort. anteferant.
grauis presserit, etc.] hæc omnia verba in modo indicandi leguntur in B. T. P. pressit, infremuit, incubuit, denegauit, etc.
ad Deum confugiunt] al. ad Deum confugitur.
hunc prot nus] al. hunc potius.
vnicum nomen] B. T. P. vnic. nomen.
effundere tenebras] ita B. T. P. al. effundere, etc.
cum vero ex humo subleuatum ad contemplationem, &c.] ita B. P. & tres Vatic. al. enimuerò ex humo subleuauit, & ad contemplation.
quem oculis] B. T. P. quoniam oculis.

CAP. II.

parte fuerint] al. parte sunt.
vt ex ea solatium] B. T. & ex ea, &c.
num idem sanus esse videatur ?] illa, esse videatur non habentur in B. T.
etenim hominis] B. T. P. & tamen hominis.
& vana] al. & vacua.
quæ nec sentiunt, nec mouentur] ita B. T. P. al quæ nihil sentiunt, etc.
magnasque actiones] B. magnasque rationes.
si sentire simulachra] B. si simulachra sentirent, etc.
homines fuissent, à quibus, etc.] P. hominem fuissent, a quo &c. B. hominē fuissent, quo, etc.
Suspicit] ita B. al. suscipit.

veretur] B. veneratur.
statuarium despicere] al. statuarum despicere factorem.
ò curuæ in terras animæ, etc.] ante hunc versum in quibusdam editionibus alter ille apponitur. ò curas hominum, ò quantum est in rebus inane. qui in B. T. P. & aliis optimis non habetur.
ad patrem tuum] B. T P. ad parentem, etc.
corporibus suis] τὸ suis, deest B.
coæquari] ita B. & quinque Vatican. al. versari.
orbatis] ita B P. al. orbati.
in humum] al. in terram.
confer e possetis] B. T. conferre possitis.

CAP. III.

ne te in tam bona, etc] al. ne tibi, etc.
& erat quidem multò, etc.] ita B. & quinque Vaticani pr. deest τὸ quidem.
benedicta potius] ita B. T. P. & Vaticani. al. bene potius dicta.
etiam ij] ita B. al. deest τὸ etiam.
mirandum esse] ita B. T. P. al. mirandum est.
corporalibus dediderunt] ita B. T. P. al. corp. dederunt.
& faciunt animos] Lucr. habet, efficiunt, etc.
cum hoc diceret] B. T P. cum hæc dic.
& eo modo] ita B. al. eodem modo.
nam isti] ita B. T. P. al. nam & isti.
potest impe. itis] ita B T. al. posset, etc.
non esse fateantur] ita B. T. al. esse non fat.
aliquam religionem] ita B. al. aliquam veram relig.

CAP. IV.

aliud fierent] B. aliquid fierent.
hoc esse aurum in templis] al. hoc esse aureum in templis, etc.
indumenta pretiosa, quibus, etc.] B. indum. pretiosa consecrant, quibus, etc.
argentum consecrant] B. arg. conferunt.
tam non habent qui accipiunt] B. tam in vsum non habent, qui, etc.
ad hominem] ita vterque Cod. S. Salu. Bonon. T. P. al ad te ipsum hominem.
esse poterant] al esse potuerunt.
qua vel defensores] B. quæ vel, etc.

CAP. V.

rectius est, &c.] B. honestius, & rectius est.
idest cœlum] ita B. T. P. al. τὸ idest, non legitur.
qui Deo, & patri indulgentissimo, sua sibi opera prætulerunt] ita B. T. P. al qui Deo patri ind. sua opera, etc. al. qui D. p. ind. suo sua sibi opera, etc.
Lucilius] ita B. T. P. et ipse Cicero. al. Lucillius.
hanc tantam] hæc B. non habet; habent alij Cod. et ipse Cic.
nos verò, et quidem constanter negamus] B. nos quidem constanter negabimus.

cæcos,

cæcos et ineptos] B. T. cæcos , ineptos.
quo dic colamus, quibus nominibus] hæc non habentur in B.
sic machinatus est] ita B. T. al. sic illa mach.
vices essent, moueri] B. vices essent, item mou.
sapientius] al. prudentius.
luminibus astrorum] ita B. T. al. à luminib. astr.

CAP. VI.

sub'gimus, & colimus] B. non habent illa, & colimus.
sicut Vrbs] ita B. P. al. sicut & vrbs.
atqui vt domus] B vt quomodo domus.
quod incolit] ita B. T. P. al. quod colit.
& absurdum] P. quam absurdum.
cum cælestes] B. qui cælestes.
Deos esse affirmant] P. Deos esse affirment.
habere dominium] in aliquibus errore operarum legitur, habere dominum. vid. Thom. notas.
nihil sentit, dominoque subiecta] al. nihil sentiens domino subiecta, &c.

CAP. VII.

in aperto litant] ita nouem Vaticani, & P. sed B. in compita litant. T. in euento aperto litant.
scelus esse dicatur] ita vterque Cod. Sancti Saluat. T. P. & tres Vaticani non, ducatur, vt in impress.
non insinuata] ita vterq; Cod. S. Sal. Bon. T. P. & quinq; Vatic. al. deest negatio.
electa est] B. T. e acta est.
sin autem pietas maiores sequi suadet] ita Vatic. omnes, sed B. sin autem veritas maior est, quæ suadet, etc.
seruierint] al. seruiunt. al. seruierunt.
conuiceris] ita B. & pleriq. Vaticani al. conuinceris.
videamus tandem] al. vid. tamen.
curia prætexto, &c.] hi versiculi apud Propertium, & Lactantium, in plerisque editionibus eo leguntur ordine, quo hic habentur. sed B & P. duos posteriores priori ponunt loco.

CAP. VIII.

nauis, qua vehebatur] ita B. T. P. al. nauis, in qua, &c.
nec vlla vi] ita B. T. P. al. nec vllo modo, aut vlla vi.
aduersus responsum] hæc aliquibus desunt.
Eodem postea luco] al. eod. post loco.
ipsum autem graui morbo esse correptum] al. ipse autem g. m. et. correptus.
abstinere prælio] al. abstin. a prælio.

CAP. IX.

& has omnes simulati numinis præstigias reuelabo] ita plerique Vatic. & P. at B. & has omnes simulationum causas in his præstigijs reu.
inducti homines] B. indocti hom.
instituatur] B. instruatur.

ad faciendum solertiss.] P. ad efficien. &c.
vt ab eo bonum] ita B. T. P. omnes Vaticani al. vt ab eo bono, &c.
datum fuerat] al. fuerat datum.
tum probatus] al. cum probatus.
operi vniuerso] ita B. T. at P. & nonnulli Vaticani operi immenso.
ornandis] al. ordinandis.
prouidentia, & ratione] ita Vatic. B. T. P. al. prouidentia, prudentia, & rat.
digestis] ita B. al. descriptis.
quem credant] ita B. T. P. al. quem credunt.
argumentis probas? nihil enim, &c.] B. T. argumentis doces? non enim, etc.
quo igitur ab homine] ita B. P. al. quomodo igitur, &c.
differet?] B. differt? B. differret?
Porrò si habuit, &c.] ita B. al. τὸ porrò non habetur.
aut faciendi] B. T. P. & fac.
nec enim illam] τὸ enim non est in B. P.
illa ei sit] B. T. P. illa fit.
Deus ipse natura, etc.] ita B. T. al. Deus ipsa nat.
Versuram soluis, à quo enim] al. versuram soluis Geta, a quo, etc.
Faber enim sine ligno] al. τὸ enim non habetur.
nihil ædificat] B. T. P. nihil ædificabit.
præparauit, & præp.] ita duo Cod. Sancti Salu. nonnulli Vaticani T. P. al. cop. deest.
Nam si est aliquid ante illum, si factum est aliquid non ab ipso iam potestatem Dei] ita B al. nam si est aliquid ante illum factum, & quicquam non ab illo factum est, potestatem, &c.
æterna esse non poterunt] ita B. T. P. al. non potuerunt.
prouium & quemadmodum fiat, antequam est, & quemadmodum constet] ita duo Cod. Sancti Salu. T. P. Vatic. al. præuisum aut q. f. a. est. aut q. c.
ratione, prouidentia] B. T. P. ratione, prudentia.
quod enim semper fuit, &c] al. quod enim semper fuit non desinit, & vnde fuit principium esse hinc etiam iam necesse est.
mutat, dissoluat] al. mutet, ac dissol.
idem enim] al. idem etiam.
qui sunt principes omnis disciplinæ] B. T. P. quæ sunt princ. omnium disc.
materiæ prouidentia conglobatum] B. materiæ prouidentiam conglobatam.
extricare non posset] B ext. non potuit.
videret fortasse, si eo tempore potuisset esse, quo Deus fecit] B. videre fortasse potuisses, si eo tempore potuisses esse, quo fecit.
terra subterfundaretur] B. terraque subterf.

tor-

torporata] B. T. corporata.
quomodo ædificetur] ita B. al. quomodo ædificatur.

CAP. X.

societate iunguntur] al. sociatæ iung.
ita plaga est septentrionis] B. ita plaga est septentrionalis.
meridionali,& septentrionali] B.T.P. meridiana, & septentrion.
quæ duo etiam in hoc præscius] B. quando hoc prescius.
calore potissimo] B. eal. potenti fimo.
prætererunt quicquam] ita B. T.P. al. perferunt,etc.

CAP. XI.

ad vestimentum] B. ad vestitum.
Saturnum solum fuit] ita B. T.P. al. Sat. sol. fuerit
Prometheum simulachrum] B. T. P. promethea simulachr.
prouidentiæ nutu] B. prouid. datur.
non potuit defendere] B.T.P. non poterit def.
eripiet] al. docet.

CAP. XII.

maturassent] al. maturuissent
quomodo autē vim] B.T.P. quomodo igitur vim.
et in id ipsum incidunt] ita B. T. P. al. et in ipsum incidunt.
profunderentur] B. funderentur.
inexplicabilisq;] B. inextricabilisquē.
videamus tamen] B. videamus ergo.
intelliget profectò] B. hoc intelliget profectò. T. hic uit prof.

CAP. XIII.

duarum materierum] B.T.P. duarum materiarū
secerni potest] B. sperari potest.
et sicut ardere] B. nam sicut, etc.
quæ fuit in medio] B. quæ fuerat, etc.
vt transcenderet] B. vt transgrederetur.
in extrema] ita B. T. al. tota in extrema.
temporaria] al. temporalis
illustrat] al. lustrat. et ita hunc locum refert Ambrosius Calepinus in Lustro.
mille,et quadringentis mensibus] B. mille,et quadringentis quadraginta mensibus.

CAP. XIV.

vineam sua manu seuit] B. vineam seuit
hæc fuit prima gens] B. hæc fuit progenies.
dum ea sæpe venerantes curiosius, atque liberius intuerentur] B. dum ea sæpe venerantur curiosius, atque liberius intuentes.

CAP. XV.

filis Diabolus] B. suis Zabulus.
vel disperderet] ita B. T. P. et quinque vaticani. al. vel dispergeret.
quod] ita B.T.P. et quinque vaticani al. quos.
in exordio rerum fecerat] ita B.T. P. et quinque vaticani. al. in exordio fecerat.

et Deus non colatur] hæc non habentur in B. T.
et solatium] B. et in sola ium.
dolis, erroribus] ita B T. al. vi dolis, non adest.
conserant] B. Collocant

CAP. XVI.

quia nec Deo] B. qui nec Deo
his verbis) al. his verbibus.

CAP. XVII.

pectoribus infundant] B. P. pectoribus offundant
nisi iussu eius facere] B. nisi iussum facere. P. nisi iussa facere.
res geratur] B. et multi Vatic. res gerantur.
rector vniuersi] B. rector vniuersitatis.
cum filio potestatem] ita B. T. P. et duodecim vaticani. al. cum filio suo potestatem.
quorum omnis honor] ita B. T. al. quorum honor.
ab augure] B. ab aruspice
sine vlla dissimulatione] ita B.T. P. al. sine dissimulatione.
perductus est) B. perlatus est.
itaque sibi) B.T. P. ita sibi.

CAP. XVIII.

simulachra ista) ita B. T. al. simulachra ipsa.
est autem peruersum) B.T. P. esse autem, etc.
ex eaquè statum] ita B. T. & aliquot Vaticani,at editio Florentina, & ex ea statum. al. & ex eo.
nisi solius artificis] ita B T. P. al. nisi solum, etc.
vnicum numen] B. T. P. vnicum nomen.
qui præsunt] T. qui præsint.

CAP. XIX.

naturæ suæ] B. suæ vitæ.
quod quidem de nomine ipso sapienti apparere pote] hæc non habentur in B.
hic denique cęlo dignus] ita duo codices Sancti Saluat. T. P. & aliquot Vatic. al. hic cęlo, Deoque dignus.

CAP. XX.

consensu omnium gentium premebamur] ita editio Florent. sed Ald. Plantin. consensu omn. gent. veritas premebatur.

LIBRO III.

CAP. I.

specie placet] B. specie placeret,&c.
ac diffluit] ita B. T. al. ac defluit.
nisi aliunde ornatu quæsito circumlitum fuerit,ac politum] B. nisi ornetur, cæteris omnibus expunctis.
philosophi doctrina literarum mirabiles] B. T. phil. literis mirab.
neque ego nunc] ita B T.P. al neque enim nunc,
cogitationes philosophorum] ita duo Cod. Sancti Saluat. T. P. & aliquot Vatic. al. cogitationes omnium philosophorum.
aut eorum eloquentiam] al. vt eorum,etc.
sententiam de sua) B. sententiam in se de sua,etc.

CAP. II.

ad excindendum] al. ad excidendum.
nec quæsitio ipsa recta est,etc.] ita duo Cod. Sancti Saluat. T. P. & Vaticani. al. nec quæsitio sapientiæ recta est.
nihil potest inuenire] al. n. p. inueniri.

CAP. III.

perueniret ad mentem] B. T. permanaret ad mentem.
cohæreant cęlo] B. T. P. adhæreant cælo.
vtrum quietum sit, an mobile] B. vtrum quietum sit,& immobile.
hæc inquam disputando] B. hæc inquam disputare.
qualem esse arbitramur] B. q. es. arbitremur.
& cum hic quoque perorauerit] B. & cum hæc quoque,&c.
mentiri doceret] al. mentiri diceret.

CAP: IIII.

rectius sit necesse est] ita B. T. P. al. rectius ergo sit, etc.
aliena melius vt videant] ita B. T. P. & Terentius ipse, al. vt aliena melius vid.
sic se inuicem iugulant] B. sic inuicem iugulantur.
ita constituit] al. itaquè constit.
distrahit] al. detrahit.
siue interitu sibi] ita B. T. P. al. sine interitu suo sibi, etc.

CAP. VI.

inter ipsos philosophos fuit] ita B. T. al. inter phil. fuit.
qui in alteram partem inclinauerunt] B. qui se in alteram,etc.
paucarum rerum incomprehensibilium] B. paucarum rerum & incomp.
vt enim nihil sciri posse] al. vt enim nihil scire posse,etc.
cum ab his sequendis] B. cum ab alijs,etc.

CAP. VII.

omnes vnum sentire oportet] B. P. sentire vnum omnes opor.
rectius vita degatur] ita B. T. P. al. rectius in vita deg.
par est in omnibus] ita B. T. P. al. par est omnibus.

CAP. VIII.

litigatoribus] ita B. T. & omnes antiqui. al. litigationibus.
veniamus ad iudicem] B. manus demus ad iudicem.
qui non tantum] B. T. quæ non tantum.
hic nos docet] B. T. P. hæc nos docet.
communis est omnibus] B. commune est,etc.
præcepta viuendi] B. præcepta dari viu.
ex eo esse laudandam] ita B. T. al. ex eo ipso esse laudandam, etc.
verum ergo inquit] τὸ ergo non habetur in B. T. P.
quis potest sibi] ita B. T. P. al. qui potest,etc.
vt eueniat] B. vt veniat.
exceptis animi bonis] B. & exceptis,etc.
sic illis præda] ita B. T. P. al. ita illis,etc.
inducendo bonum] B. in docendo bonum.
in his omnibus deprehenduntur] B. in his omnia deprehenduntur.
quæ ipsa in deterius] ita legen. ex B. T. P. al. quia ipsa, etc.
sed si aliam] B. T. P. vel si aliam.
huius disputationis] B. T. P. huius definitionis.
beati omnes videri] ita B. al. beatiores videri.
non est scientia, sed opinio] B. T. P. non est scientia, sed opinatio.
si facile ad illud] B. sed si facile,etc.
vt illud quilibet] B. vt & illud,etc.
animi comprehendat] ita B. sed P. an. comprehendant. al. deprehendat.
ad aliud perueniri] P. ad illud,etc.
propositio emolumento) al. proposito, & emol.
sentiatur malè) B. T. malè sentiatur. P. sentiretur malè.
vt sit ipsum proprium) B. vt sit ipsa proprium.

CAP. IX.

vt solius sit animi) ita B. al. τὸ sit, non legitur.
cœli,ac Solis videndi) ita B. T. P. al. Solis, ac cęli, etc.
quid si cæcus fuisset ?) B. T. P. quid si cæcus fuerit ?
in solis oculis) ita B. T. P. al. τὸ solis non habetur.
num carebunt suis quæque muneribus ?) ita B. T. P. al. an ne carebunt suis quoque,etc.
num insanus viderere) ita B. T. P. al. non insanus viderere.
duo sola deligens) T. P. duo sola deligendo. B. duo sola affigendo.

CAP. X.

ridendiquè) B. T. ridendi quoque.
quòd soli datum est intelligere, &c.) ita B. P. al. quòd soli datum est homini intelligere.
quia Deus vt cuncta) ita B. T. P. al. quia vt Deus cuncta.
Si enim nobis in cęlum,etc.) ita B. T. P. al. si enim nobis cœlum.
ne si velimus quidem, possumus) ita B. al. nisi velimus quidem,non possumus.

*****

CAP.

CAP. XI.

atque distrahi] B.T.P. atque abstrahi.
quam si & proprium] ita B.T.P. al. quàm si proprium.
id est profectò virtutis] B. T. P. id est profectò virtus.

CAP. XII.

sed quæritur] al. sed quæramus.
& inuisibilis est] verbum abest à B.
quid ergo intererit] B. T. quid ergo interest.
Deum beatum, & incorruptum vocat, quia sempiternus est] ita B. T. P. al. Deum beatum vocat, quia incorruptus, & quia sempiternus, &c.
ac iustitia peruenire] B. P. ac iust. prouenire.
pro salute ciuium] ita B. T. P. al propter salutem, &c.
in summo esse] ita B. T. P. al. in summo Deo esse.
illo modo] al. vllo modo.
quod beatum facit] al. quòd beatos facit.

CAP. XIII.

aut probare potuerunt ij, qui verum de anima sentiebant, expertes enim huius diuinæ, etc.] ita B. T. al. ita textus distinguitur. aut probare potuerunt. Ij, qui verum de anima sentiebant, expertes huius diuinæ, &c.
quali vtare sermone] al. quali vtatur, etc.
generati sumus] ita B. al. generati sunt.
studijs potest] ita B. T. P. al. studijs possunt.
ad confessionemque deducere] al. ad confessionemquè perducere.

CAP. XIV.

sed hoc ineptè] B. sed in eo ineptè.
quòd sapientiam inuenerit] B. quòd sic sapientiam, &c.
sed dum hominem] B. ita dum hominem. T. ita hominem, &c.
idem perfectus orator, idem summus philosophus] ita B. T. P. al. idem perf. orat. summusque, &c.
næ græcos reprehendam] B. & græcos reprehendit. P. ne græcos comprehendam.
at quam confessus fuerit philosophiæ veritatem] B. at quam confisus fueris philosophiæ veritati.
Siquidem melius est ciuiliter] B. quidem est maius ciuiliter.
stultè profectò viuit, qui non secundum philosophiam viuit] B. pro, viuit, habet, viuet.
cur non tibi aliquando verum fatebaris] B. T. cur non tibi verum aliquando fateris. p. c. n. t. a. v. fateris. al. c. n. a. u. f.

CAP. XV.

recta viuendi ratio] B. T. P. recta ratio viu.
& qui dixerit] ita B. T. P. editio Florent. al. & qui dixit.
Philosophiam vocari] B. T. P. philosoph. nominari. editio Florentina phil. vocare.
cum verò innumerabiles] ita B. P. al. cum innumerab.
domi facientes] B. tum domi fac.
qui disciplinam veram non ostentationem scientiæ] ita P. & aliquot impressi. B. qui disciplinam non ostentationem suæ scientiæ. al. qui discip. suam, non ost. scientiæ.
videre liceat] ita B. T. al. videre autem liceat. P. videre licet.
vt cum eorum vita, & vitijs] illa, & vitijs, non habentur in B.
Nepósquè Cornel.] B. T. P. Nepos quoque Corn.
quæ non probabit] B. T. quæ non probauit.
vt quibus alij] B. & quibus, etc.
vtatur agendæ] B. vtetur, &c.
in quo tamen] ita B, T. al. in quo sanè. al. in quo planè.
quæ philosophum] ita B. al. quæ sic philosophum.
famosissimam] al. formosimam.

CAP. XVI.

nihil aliud] B. ad nihil aliud.
in eloquendo] al. in eloquentia.
peragant] B. perdant.
faciunt, qui loquuntur] B. faciant, etc.
vel aduocandi] al. vel, non habetur.
& est incongruens, atque ineptum, non, etc.] ita B. T. P. al. & incong. atque inep. est, etc.
& hanc primus cum primis, etc.] ita maior pars impressorum, & Lucretius ipse B. P. & hæc primum, etc. sunt. editio, & hanc primum, etc.
fuisse sapientiam necesse est] ita B. T. P. al. τὸ sapientiam, non legitur.

CAP. XVII.

vt cum his decretemus] al. vt cum eisdem certemus.
quia multos populare nomen] al. quia multos ad pop, etc.
præterea, vt ad se] ita B. T. P. al. propterea, etc.
singulis quibusque] al. singulis quibuscunque.
sui causa] al. sua causa.
diuersisquè modis] B. diuersisquè morib.
vnde autem disciplina eius tota descendat] B. vnde autem disciplinæ eius tota historia descendat.
negligerent, aut non piè colerent] al. neglexerunt, aut non piè coluerunt.
se ipse coniecit] al. se ipse conclusit.
non (inquit) semper] τὸ semper non est in B.
nihil pro sunt] P. nihil possunt.
aut cernimus ?] ita B. T. P. al. aut non cernimus.
aut vnde ista corpuscula ?] B. aut vnde sint ista, &c.
& hamis indigent] ita B. al. & humoris indig.
aliquid constituatur ?] B. aliquid conteratur ?

præ-

præstinxit] ita emendati Lucretiani. al. restinxit. al. extinxit.
quòd & mors esse, etc.] ita T. P. al. cum & mors, etc. B. quo & mors,etc.
quæ res potius efficit,vt dolor malum sit] al. quin potius effice,ne dolor,etc.

CAP. XVIII.

contraria his differunt] al. contraria dixerunt.
aut quæ ratio esset hominis nescierunt] ita B. al. aut quæ ratio esset, homines nescierunt.
sibi ipsis manus] P. sibi ipsi manus.
vt Chrysippus] ita Aldin. Plantin. al. & Chrys.
vt empedocles] ita Plantiniana, & Aldina, al. & empedoc.
iussu recedendum est] ita B. T. P. al. iussu nobis reced etc.
habitaturos] al. inhabitaturos.
æqua mente patiendum est] ita B. T. P. al. æqua mente id ferendum est.
vindicem] B. T. P. iudicem.
& iustitiam] ita B. T. al. & ad iustitiam.
verus ille] B. vnus ille.
mente tamen cæcus es.] B. mens tamen cæca est.
tenebris iaces,] B. tenebris iacet.
efficit] B. T. efficit.
non inuenio] B. T. non video.
deridenda hominis leuissimi vanitas] B. der. est hom. leuissima,etc.
quid Ciceroni] B. quid de Cicerone.
qui vitam non esse malis plenam putet] al. qui vitam pœnam non esse putet.
profatus est] B. præfatus est. T. professus est.

CAP. XIX.

sensu carenti] B. sensu pereunte.
vt sibi videtur, quasi, et] ita P. al. vt sibi videbatur, quasi, etc. B. T. vt sibi videntur,quasi,etc.
fas est aut eum,etc.] illa, aut eum, non leguntur in B. T.
sic & mors ex præteritis] al. ita & mors,etc.
sin aliter] B. sin autem.
non pensant] ita B. et Franciscus Petrarcha, epistolar. senilium libro primo,epistola ad Boccatium. magnis me monstris. al. non compensant.
superuenerit] al. superuenit.
vitam omnem,plenamquè nihil aliud, quàm malis opinantur] ita Ald et Plantin. sed Florentina vitam omnem,bonisquè pleni nihil, etc.
credidisse illum] al. credidisse illi.
cur omnem vitam] al. cur omnium vitam.
scopulos,et incendium] B. scop. aut inc.
putauerit ?) B. putauit ?
quòd mas] ita B. al. quòd masculus.
quòd Atheniensis, et quòd temporibus, etc.] al. quòd Athen. non Thebanus,et quòd,etc.

quid verò adtinuit, etc.] B. absque interrogatione,quòd verò addidit,etc.
gloriari] B. T. gratulari.
potuit dare ?] ita P. al. potuit commodare ?

CAP. XX.

ab anima defluit] B. anima diffluit.
si ipse quod est melius inuenerit] al. si ipse quidem melius inuen.
fuisse sapientem] ita B. al. esse sap.

CAP. XXI.

quod iustitiæ ratio] B. vt iustitiæ,etc.
possideant] B. possidebunt.
multis rebus ostendere] al. multis rationib. ostend.
& vicibus] B. T. P. vt vicibus.
pudicitiam fœminarum] al. pudicitiam mulierum.

CAP. XXII.

euertendas] al. eruendas.
humanam vitam] B. hominis vitam.
& paria iunguntur] ita editio Florentina al. & paria iungunt.
quæ imitaretur] al. quæ sequeretur.

CAP. XXIII.

in tanta vanitate] al. in tanta varietate.
vnde possent gloriam, etc.] ita B. T. P. al. vnde putant,etc.
agros suos reliquerit] al. ag. su. dereliquerit.
quòd inter vitia] al. quia inter vitia.
nosmet inuicem tueremur] B. nosmet ipsos inuicem,etc.

CAP. XXIV.

inuersa pendere ?] al. vniuersa pendere?
qualia sunt ea] B. P. qualia sint ea.
esset inclusa] ita B. P. al. esset conclusa.
quomodo non cadunt] B. quomodo ergo non cadunt,etc.
à medio deferantur] al. à medio differantur.

CAP. XXV.

in communi] B. T. in commune.
confirmata causa] B. confirmatam causam.
summus ille] B. Cicero summus ille.
neque ad sapientiam tendere] B. neque sapien. ostendere.
denique nullas vnquam] al. deniq. nunquam vllas.
conuicijs redemptorem] B. T. P. conuicijs hunc ipsum redempt.
vt mihi quidem videtur] τὸ quidem deest. B. T.
non multum pecuniæ] B. T. P. non multam pecuniam.
appendere debuit] ita B. T. P. al. pendere deb.
& græcas literas] τὸ græcas non habetur in B. T. P.

CAP. XXVI.

quia sola sapientia] al. quæ sola, etc.
cruces,& ignes,& pericula,& taurum cõtemnet] ita P. & multi impressi. B. cruces,& ignes,pericul um

culum omne, & taurum, etc. al. cruc.&ig. & Phalaridis taurum,etc.
& innocens erit] B. & innocuus,etc.
non excindit vitia] al. non excidit,etc.

CAP. XXVII.

à scientia veniat] B. ad scientiam,etc.
si propter gloriam patientiæ, non fruetur, etc.] ita B.al. si propter gloriam,patientia non fruetur.
vtrum æquo animo, an iniquo eam subieris] B. vtrum æquo animo eam subieris.
iudicijs non sequitur] ita B. at P. iud. non sequetur. al. iud. non sequenda.
ita qui hæc locuti] al. itaque qui hæc,etc.
virtutis viderunt, ipsam virtutem non viderunt] B. vtrobique videbant.
defixi] al. deflexi.
ostendebat] sic apud Lucretium, & hic in aliquib. impressis. al. ostentabat.

CAP. XXVIII.

qui nos genuit] B. qui nos generauit.
non est Deus natura] al. non est Dea natura.
digladiari momentis omnibus] al. digl. munimentis omn.
fortuna vexetur] B. P. for. vertetur.
insipienter, inquis] B. T. P. ins. inquit.
sapientiæ dantur] B. sap. datis. P. sap. dat.
statuere] ita B. al. satis statuere.
philosophos accusans,ait,eos aut stultissimos,aut gloriosissimos] al. philosophos accusauit; eos ait gloriosos,aut stultissimos.
illud tempus? quando est,& a quibus] ita B. al. illud tempus, quo in ore? quando est, & à quibus, &c.

CAP. XXIX.

Is (inquam) planè] τὸ inquam non habetur in B. T. P.
dolis,& actu] ita B. T. P. al. dolis,& astutia.
ac Peccatis blandientibus] ita B. T. P. al. ac peccati blandimentis.
vt ipsi dicunt] al. vt ipsi aiunt.

CAP. XXX.

sentio tamen] ita B. T. P. al. scio tamen.
Hic hic est illud] ita B. al. hoc est illud.
religionem tenuerunt] B. T. P. rel. retinuerunt.
nondum instruxerunt.] al. non instrux.
& hic cum falsam] al. & hoc,cum,etc.

LIBRO IIII.

CAP. I.

cogitanti] consideranti B.
quid effecerit, quid malorum] al. quid fecerit,aut quid malorum,etc.
huiusmodi religiones] al. hu. religionis.
& deorsum] ita B. al. sed deorsum.
inhæserunt] ita B. al. inhærebant.
spretis æternis] al. sp. sempiternis.

sapientia excideat] B. T. sap. deciderat. P. sap. occiderat.
appareat fuisse] ita B. T. al. appa uerit, &c.
inueniretur] al. esset inuenta
fuisse traduntur, qui primi omnium, quia de rebus,&c.] al. fu. tr. primi omnium, qui quia de rebus,&c.
nomen ipsum sapientiæ] B. nomen ipsum, sapiens.

CAP. II.

arcanum summi sui diuini operis] ita B. al. arcanum diuini sui operis.
iustitiamque cognoscere] B. iust. què noscere.
exteris gentibus) B. cæteris g. P. cæteris nationibus.

CAP. III.

itaque philosophia) B. T. P. ita philos.
quia veram religionem) ita B. al. quia in illis relig. al. quia in vllis relig.
incredibili beneficentia) al. incredibili beneficio.
Scilicet vbi Deus) ita B. al. ibi scilicet vbi Deus.
vbi mulier vna viros) ita B. T. P. al. vbi mulier viros.
instabilis,& incertus) ita B. T. P. & multi impressi. al. instab. & incestus.

CAP. IIII.

quæ exigit timorem) ita B. T. al. quæ quidem extim.
immortalitatem accipient) ita B.T.P.al immort. quaccipiunt.
ia neque fictum) al. qua neque,etc.

CAP. V.

in prioribus libris ne facerem temperaui) B. in pri. lib. facere temper.
anno eos Cyrus maior terris, &c.) ita pleriq. impressi. at B. T. P. anno captiuos Iudæos Cyrus maior terris,&c.

CAP. VI.

sanctum,& incorruptibilem,& incomprehensibilem spiritum genuit) ita P. sed B. T. sanctum, & incorruptibilem spiritum genuit. al. san. & inc.& irreprehensibilem sp. etc.
quem filium nuncuparet] al. quem filium nuncuparunt.
videlicet ipse est Dei filius) ita B. T. P. al. vid. & ipse,&c.
quod tanta sapientia) ita B. T. P.al. qui tanta,etc.

CAP. VII.

scire nos conuenit, nomen eius, neque Angelis quidem notum esse) al. scire nomen eius non conuenit hominibus, neque Angelis quidem notum est, [illegible]

CAP. VIII.

circumfuditque tenebras) al. circumfunditque,etc.
cum solus sit) ita B. T. al. cum solus adhuc esset.

ad ho-

ad homines perferendi) al. ad hominem proferendi.

CAP. X.

à principio præcessisse) al. à pr. processisse.
temporum seriem) B. annorum seriem.
ventus induxit) B. ventus inuexit.
pro his tamen diuinis) al. pro his tam diu.
quod eos signo præcederet) al. quod eorum signa præc.
sæpe susceperant) B. sæpe susceperunt.

CAP. XI.

denunciauerat, se facturum) B. sese denunc. esse fact. P. annunciauerunt, se esse fac. al. se denunc. & fac.
Sicut Malachias) al. sic Malach.
quod sciebat esse facturos) hæc addidimus ex B. quæ multis desunt.

CAP. XII.

vento, & aura) ita B. T. P. al. vento, aut, etc.
Salomon in ode vndeuigesima) T. in psalmo vndeuigesimo. al. Solo. ita dicit; nec plura. al. Salomon. sic ait. nec plura.
atqui propheta) P. atquin, etc.
indui haberet) al. indui deberet.

CAP. XIII.

Deo patre progeneratus est) ita editi. at B. T. P. D. p. generatus est, etc.
hominem, & saluabit eos) B. T. hom. qui, & saluab. etc.
sed veritate pressus) al. sed veritatem prorsus.
veritas extorserat) B. T. P. veritas expresserat.
quæ eis prophetæ futura prædixerant) hæc addimus ex B. quæ cæteris desunt.

CAP. XIV.

per eum, qu' constituit, ad templum, & ad conspectum, etc.) al. per eum, qui constituit templum, ad aditum templi, & ad consp. etc.
Sic enim dixit) hæc non habentur in B.
nefandas manus Deo suo) ita B. T. al. nefandas manus suas Deo, etc.
potentissimus fuerit) B. poten. fuisset.
terræ ita inualuisse) ita B. T. al. terræ inualuisse.
Deo viuo, ad colenda) al. τὸ viuo, non legitur.
se ipse Deum dixit) al. se Deum esse dixit.
quem illustraturus) ita B. T. P. al. quem illustratum, etc.

CAP. XV.

quæ iam pridem) al. quæ etiam pridem.
ac sparsos maculis) al. ac asperlos, etc.
imbecillis redderet) al. imbecillibus, etc.
vel ægrorum) al vel ægrotorum.
per quinquagenos distributam) τὸ distributam, in aliquibus non habetur.
ὑψηγερεῖν) ita, hic omnes Cod. sed sibyllinus ὑψαγερεῖν.

CAP. XVI.

veræ diuinitatis expertes) ita vterq; Cod. Sancti Saluat. T. P. al veræ religionis exp.
sed sola est virtus) B. solaque est, etc.
æstimati sumus) al. existimati, etc.

CAP. XVII.

gerebant, intus inclusa malitia, causas præferebant, etc.) al. gerebant intus inclusam, alias causas præferebant.
ad Christum secesserat) B. ad Chr. accesserat.
per mortalem datam) B. per Mosen datam.
quòd non de eo) B. P. quòd non de se.
vescerentur) al. vterentur.

CAP. XVIII.

fieri oporteat) al. fieri oporteret.
suscitabo) ita B. al. resuscitabo.
at iniustissimi) ita P. & multi impressi. alij ironicos, at illi iustissimi.
conspuerunt faciem) al. consp. in fac.
neruis, ac viribus) al. verbis, ac virib.
& tota mundi elementa) ita B. T. P. al. τὸ mundi non habetur.
potum mihi dederunt acetum) al. potauerunt me aceto.
his versibus increpat) al. his verbis incr.
credideritis ei) al. cred. in eum.
quem negauerunt) B. T. quem necauerunt.
& in crucem, in qua, &c.) B. in crucem, qua.

CAP. XIX.

cauere voluerunt ?) ita editio Flor. al. cauere potuerunt ?
tenebræ factæ sunt) al. tenebræ fuerunt.
& obtenebrabitur) al. & tenebrabitur.
facto repente) al. repente facto.
post tridui somnum) al. post triduanum somnum,
ἀναλύσας) cod Sibyllinus ἀνακύψας. Musurus legit ἀνακύψας.

CAP. XX.

impios resanaret) editio Flor. imp. seruaret.
pro nobis morte suscepta) al. pro nobis mortem suscepit.
sententiam aduersus me) al. sententias, etc.
adoptione suscepimus) al. adoptionemque.

CAP. XXI.

ordinata verò discipulis suis Euangelica, etc.) al. ordinato verò discipulis suis Euangelio, etc.

CAP. XXII.

maiore authoritate, vt aiunt, professi Dei) T. Vaticani, & P. ma. aut. vt prof. Dei. B. ma. auth. vt præceptis Dei.
ab imbecillis) al. ab imbecillibus.
quam quicunque) ita B. T. P. al. quæ quicunque.

CAP. XXIII.

dat hominibus, ac vitam, moresquè, etc.) al. dat hominibus ad vitam, moresque, etc.
inter quos agit, & ipsi) al. int. q. habitat, ipse, & ipsi. respon-

respondebit itaque) B. T. respondet,&c.
& tu ipse, quæ præcipis fac, vt sciam , etc.] al. tu ipse quæ præcipis, fac vt sciam. al. tu ipse qui præcipis,etc.
inde euenit] B. T. vnde eue.
perfectum esse sapientem] B. T. perfectum extitisse sap.

CAP. XXIV.

mortale sibi corpus] ita B. T. al. τὸ sibi, deest.
hominum simillimum] al. homini, etc. B. hominis, &c.
omnem cupiditatem] al. omnem voluptatem.

CAP. XXV.

& cruciatu affici] al. & cruce affigi.
etiam hominem illum] ita B. al. etiam in hominem illum,etc.
spiritalem patrem] ita B. P. & omnes opt. al. corruptè. specialem patrem.
& eriperet] B. vt erip.
dominatio in carne] al. dom. in carnem.
mercedem expetendæ] al. deest, expetendæ.

CAP. XXVI.

de humilitate) al. de humanitate.
significantiam magnam) al. significationem,&c
cæcorum oculos) al. cæcorum lumina.
significabat fore) al. significauit,etc.
offensilibus) B. T. offensibilibus. P. offensionib.
incedit) al. incedat.
elephantici) al. elephantiaci.
tempora adiecisse,arcana mortis,etc.) al. tempora adiecisse perpetua,arcana,&c.
corporibus exhibebat) ita B. T. al. corp. adhibebat.
morantibus in hoc seculo) al. morantibus nobis in hoc,etc.
virtutis expertes) al. veritatis expertes.
id declarabat) al. id declarat.
suis terroribus) al. suis erroribus.
humilibus,& infimis) al. humilib. & infirmis.
humiles,& infimi) al. hum. & infirmi.
seruaretur) al. conseruaretur.
fixus itaque cum spiritum deposuisset) ita B. al. infixus itaq. cum spiritum sponte depos.
agni notant) al. agni notent.
in se vim haberet) al. in se vim gerebat.
imago fuit) al. imago fuerat.
conscripserint) al. conscripserunt.
& limen sanguine) al. & lignum sang.
sed tamen figura) al. sed tum figura.
vt appareret) al. vt appareat.
tuti omnes) al. tuti homines.
notauerint) al. notauerunt.

CAP. XXVII.

huius signi potentiam) al. de huius signi potentia.
expurgarent Dei templum) sic Ald. & Plant. vnus Vatic. expiarent. al. expugnarent,etc.
percitus dementit) al. percitus dementia.
per diuersa regionum) B. per diuersa religionum. P. peruersa religione.
patre omnium) ita B. al. patre omnia.

CAP. XXVIII.

generanti vos Deo) al. generati nos Deo.
elegantes) al eligentes.
hostiæ plures) al hostiæ plurimæ.
reprehensibilem suscipiat) al. repr. accipiat.
magis honorat) ita B. al. satis hon.
quid precere) al. quid precaris.
vt Deorum vice) al. vt in Deorum vicem.

CAP. XXIX.

impegit] ita B. T. P. & multi impressi. al. impingit.
labare] B. T. labere. P. laborare.
nec pater a filio potest , &c.] ita B. al. nec pater sine filio esse potest , &c.

CAP. XXX.

quàm eos ferre præpositos] B. nec eos ferre, &c.
quò si quis non intrauerit] B. quod si quis, &c.

LIBRO V.

CAP. I.

ineptè religiosis] al. ineptæ religionis.
& vix lecto) al. vt vix lecto.
ab illo itinere deuio ad vitam) al. ab illo itinere de morte ad vitam.
attigerit) al. attigerunt
modulatione currentium; ob eamque causam)ita B. P. editio Florent. Plantin. sed Ald. modulatione currentium . mella sunt hæc venenum te gentia ; ob eamq; causam,&c.
sit virtutibus instructior , & veritate sapientior) B. P. sit in vir. inst. & in ver. cap.
nec enim tam in malo statu res est,&c.)ita B. T. P. Plantin. editio , & Flor. sed Ald. nec enim plus iniquis spiritibus, quam sancto licet, aut tam in malo statu res est, &c.
cœlestis sapientiæ melle) al. cœlesti melle sapiētiæ.
& doctos) al. & doctores.
adeò nihil) al. ideo nihil.
vt planè sint) al. vt plenè, &c.
defensioni eius) τὸ eius non est in B.
in eloquendo) al. in loquendo.
quoniam & magnam) al. qui magnam.
& admodum multa) B. & qui admodum multa.
an facilior) B. an felicior.
in persuadendo fuerit) al. in persuadendo quisquam fuerit.
vltra verba sacramentum ignorantibus) al. vltra verba sacramentibus ignorantibus,&c.
à solis fidelibus) al. solis fidel.

CAP. II.

lacesserunt) B. T. lacessierunt.
quos ædibus) ita Florent. al. quos sedibus.
neu sæuas) al. nec sæuas.
conniuerent) al. conticescerent.

pisca-

piſcatorio artificio] al. qui piſcatorio officio.

C A P. III.

aut quis poſſit] al. aut quis poſſet,&c.
non enim quæſtus] ita B. al. non igitur quæſtus.
opera comparare] ita B. T. P. & plurimi impreſſi. al. op. computare.
factis præclaris] al. claris factis.
monumentum hoc deteſtabile , ſtultitia,etc.] al. monumentum hoc deteſtabili ſtultitia,etc.
& potuit Deus credi] al.& poterat Deus, etc.
fuerat aſſignatum] al. fuerat obſignatum.
non ſolum idcirco] ita B. Plantin. al. non idcirco.
verum etiam quia] ita B. al. ſed quia.
prædixiſſent] al. prædicaſſent.
non magis ex factis] B. tam ex factis.
exſcindere] ita B. al. excidere.

C A P. IIII.

vno ſemel impetu] al. vno ſimul,etc.
ſtruxerint] B. P. inſtruxerint.
commentitiamque putabat] ita B. al. commentitiam putabat.
principia monſtrare] B. principia demonſtrare.
firmatis viribus , veſci) B. firmatis viribus ſui , veſci,etc.
ac ſi hortatu] ita B. T. P. al. at ſi , etc.
ſolam veram] ita B. al. & ſolam,& veram.

C A P. V.

vt doceant] al. vt docerent.
nec adhuc vlla gente] B. T. nec adhuc illa gente. P. nec dum illa gente.
vt Cicero in ſuo narrat] ſic Aldina Plantina , ſed Florent. vt Cicero in ſuo ait Arato.
nec vlli deeſſet] B. nec vlli datum eſſet.
vel ſua ſponte] al. vel quia ſponte.
bello perſecutus] B. belloque perſ.
Iupiter fecerit] al. fecit. al. fecerat.
& idcirco] al. & ideo.

C A P. VI.

inſtrumenta corraderent] al. inſt. contraherent.
ſub iuſtitiæ nomine iniquiſſimas] ita B. al. ſibi iuſtitiæ nomine munitas , iniquiſſimas.
altioreſquè cæteris,etc. fulgebant] al. altioreſquè ſe cæteris,etc. faciebant.
ſed impiam tyrannidem vi , & hominibus , etc.] B. ſed imperium,tyrannidemq; hominibus,etc.
occidione] al. occiſione.
hunc venerabantur] al. hunc venerabantur.
iudicatur] al. iudicabatur.
iuſtitia,& veritatem] al. iuſtitia veritatem,etc.
imprudenter) al. imprudentes.
qui eam cœlo aſſugiſſe cecinerunt ad Iouis regnum) al. qui eam ad cœl. conf. cecin. ideſt ad Iouis , &c.
& expulſiſa iuſtitiæ) B. & explotio Iouis Iuſtitiæ.
Dei,patrisque communis) al. Dei patris communis.

non autem precanti) B. non auarus precanti.

C A P. VII.

nuncium ſuum miſit) ita B. al. deeſt τὸ ſuum.
in ea multitudo) al. in eam mult.
Deus ergo non excluſit , etc.) ita B. T. P. Florentina editio , al. Deus ergo iuſtitiam reducturus non excluſit,etc.
malum) P. malitiam.
nam & ideo) B. nam ideo.
potentiores) P. potiores.
quòd rara eſt) B. quæ rara,etc.
eſſet innocentia) B. T. eſſet innocentiæ.
incubuerint) B. incubuerunt.
culpa vacare) B. a culpa,etc.
pares omnibus affectus) B. ſimilem omnibus affectum. T. parem omnibus affectum. al. pares omnib. affectib.
retinuit id) al. retinuit illud.
efficit) al. effecit.

C A P. VIII.

collocate) al. conſtituite
aut alienum) al. nec alienum.
vt fragilibus) ita B. T. P. Flor. al. & frag.
contemnerent) B. T. continerent.
non eſſent igitur, vt dixi) B. nec eſſent mutua , vt dixi.
vltrò ad iuſtitiæ) B. vltrò iuſtitiæ,etc.
ignoratione) al. ignorantia.
profectò vitam) al. profectò vita.

C A P. IX.

inſtinctus) al. inſtructus.
quos coram) B. T. P. quibus coram.
ſuapte perfidia) B. ſua perf.
retorquent) al. detorquent.
iam intelligant) B. iam intelligent.
ſed de illorum) al. ſed ex illorum.
nec a ſorore, nec a matre , etc.) in B. vbique deſit præpoſitio.
nec culeum) al. neque eculeum.
atque illis vſitata) ita B. al. atque inuſitata.
animas ſuas) al. τὸ ſuas non legitur.
illorum malitiam) al. eorum,etc.
æque fieri) B. atquin fieri. al. eoquè fieri.
ſeruat & in cæteris) al. ſeruaret in cæteris.

C A P. X.

ſparſurus) al. hic,& apud Maronem,ſparſuros.
non tantum non repugnantes) B. non tantum pugnantes.
quanto enim) B. quanto ergo.
inſeruiunt) al. ſeruiunt.
cenſentis) B. conteſtantis.
religioſiſſimus) al. religioſiſſimum.

C A P. XI.

à prophetis) B. pro factis.
mentemſit habiturus) ita B. al deeſt , ſit.
nati ſunt) al. ſint nati.

in cineres furit) al. in cin. fundit.
ad Deum) al. ad eum.
quisque sæuit) ita P. at B. q. fæuijt. al. quisque sæuiuit.
tumiditate) sic Florent. at Ald. Plant. timiditate.
iubebatur) al. iubebantur.
aduersus iustos) al. aduersum iustos.
aliqui ad occidendum] al. alij ad,&c.
quia administratio] B. T. P quòd administratio.
a iud euitant] ita P. at B. vitant. al. diuitant.
tantummodo beatos] al. tantum nos beatos,&c.
maiorem virtutis] B. maioris virtutis.
reparetur] al. paretur.

C A P. XII.

solicitè persequuntur] B. T. solic. prosequuntur.
sæuiunt] al. sæuiant.

C A P. XIII.

tam demens] hæc habet B. & Plantin. quæ nonnullis desunt.
aut anilem) ita B. T. al. & anilem.
desipit] B. T. P. desipuerit.
prouidentia] B. T. P. prudentia.
vnitis] al. vnis.
qui data facultate ad placandum Deum non reuertatur] al. quin data fac. ad placidum dominum reuert.
libens obeat] al. libens subeat.
posse superare] B. posse sponte sua superare.
inspirata] al. inperata.
taciti] al. tacite.
aut Regulo] al. & Reg.
sexus infirmus] al. sexus fœmineus.
confidunt Deo] al. conf. in Deo.

C A P. XIV.

grauitati] al. veritati.
de sententia, & proposito] al. de sententiæ proposito.
& mori] ita B. T. P. al. & emori.
quo minus veram] al. quo minus verum,&c.
peruersitatis] B. prauitatis.

C A P. XV.

si fieri possit] al. si fieri potest.
agemus] B. T. P. agamus.
is ex prædicatione) B. T. P. is ipsum ex præd.
quodl bet) B. P. quidlibet.
afferentes) B. P. afferentes.
euertitur) al. subuertitur.
labefactare, quia tum nulla,&c.) Florentina editio. labefactare, vt diceret, inaniter laborari, quia tum nulla.
cerneretur) al. diceretur.
quantumque animi) ita B. al. quantum animi.
in esse ijsdem hominibus) al. esse in ijs hominib.
potest eam nosse) al. potest ipsam nosse.
quòd si iustitiæ) al. quia si iustitiæ.
altera iustitiæ pars) ita B. al. altera igitur iust.&c.
æquabilitatem) al. æqualitatem.

C A P. XVI.

quòd possunt) ita B. T. P. al. quos pos.
non quia diuitias habent, sed quia,&c.) al. non qui diu. hab. sed qui,etc.
a sapientis ratione) B. T. a sapientiæ ratione.
semotius) B. T. sub motius.
stultitia autem) τὸ autem, deest B. T. P.

C A P. XVII.

& apud eos) al. & apud eosdem.
potirentur, si iusti) al. potirentur dominio, si iusti,&c.
in egestate) ita B. & ipse Lactantius primo cap. epit. al. in necessitate.
non fallet) B. P. non fallit.
quia sibi consulet) ita B. al. quia rei consulet.
an indicabit) ita B. al. an id indic.
fieri posse) B fieri potest.
transibat ergo) al. transcendebat,&c.
nemo posset) B. nemo potest.
faciat Lælium) al. facit Læl.

C A P. XVIII.

licet sapiens fuerit) τὸ fuerit deest Ald.
quique illam) B. T. qui illam.
si virtutem animi,& ingenij) ita B. al. si virtutem ingenij.
quæ afferebant] B. quæ afferebant.
præscriberent] al. præscripserunt.
ostendimus) al. ostendamus.
prospexit] 1ax perspexerit.
& rationem tamen] τὸ tamen, non est in B. P.
qui sacramentum] B. quia sacramentum.
perduxeris] al produxeris.
iudicabitur ?] B. iudicabis ? P. iudicabit ?
Pythagoræi] sic Ald. Plant. sed Flor. pythagorici.
quòd alter pro amico] al. cum alter,&c.
confiteor] al. profiteor.
summas hominis] al. summas hominum.
vel ad abstinentiam] ita B. al. vel abstinentia,&c.
dictorum, factorumque] P. & Florentina editio, delictorum, factorumque.
quo solo) al. qua sola.

C A P. XIX.

qui egere) B quia egere.
nequaquam) B. T. nunquam.
qui possint) al. qui possunt.
virtutem ipsam Deus) al. τὸ ipsam, non habetur.
per angustissimos tramites) al. angustissimus trames.
adorare aliud) al. adorare alium.
ac terram) al. atque terram.
qui sit exhæres) al. quod sit,&c.

C A P. XX.

inhærentes) B. inhærent.
persuasioni) T. P. persuasione.

rerum omnium ignorantia] al. deest τὸ omnium.
ipsa ignorantia] al. ipsa ignoratio.
eadem impudentia] al. ead imprudentia.
delubris,ac ludibrijs suis] al. delubris suis, ac ludis deferantur,&c.
afferatur] al afferatur.
vt rationem] ita P al.& rat. al. aut,&c.
hiscant] B.T. dicant. P. discant.
irridebitur] al. ridebitur.
ac suorum literæ] al. ac illorum,etc.
coarguant] al. coarguent.
conuincant] al. conuincent.
cum sint eloquentes [al. qui sunt eloq.
nec potest aut veritas cum vi] al. non potest pietas cum vi.
& a suis] ita B. T. P. al.& suis.
nam ferè] al. nam fortè.
constituta] al. instituta.
cur nobis aut non credunt] al. cur nobis aut nostris non cred.
honesta voluntate) al. inhonesta vol.
moriendo) al. monendo.
necesse quidem) al. τὸ quidem, non legitur.
iam sublata, iam nulla est) B. iam supplicatio nulla est.
conseruata) al. consecrata.
morte occubuerit) al. mortem occubuerit.
præmium potest virtutis exoluere?) B. præmium mortis excluet?
militiæ cælestis) B. militia,etc.
ad precandum neque ex animo) al. ad precandum nemo neque ex animo.
isti autem) B. isti enim.
nihilquè secum ex ea neque afferunt] B. nihil secum neque afferunt.
neque firmæ,ac immutabiles esse] ita B. P. al. neque firmos,aut immutabiles. Traducuntur itaque,&c.
nisi vt occidat?] al. nisi vt occidant?
compilet?] al. rapiat?
sacrificasse] al. sacrificare.
libidines intra pectus inclusas] al. libidinem intra pectus inclusam.
quamlibet] al. quodlibet.

C A P. XXI.

ipsi autem] al. isti autem.
quid ergo nobis] al. quid ergo bonis,&c.
quorum potestati] al. de quorum potestate, &c.
qui suam] al. si suam.
si saluos volunt] al. si saluos esse volunt.
exprimitur inuito] al. exprim. ab inuito.
velit,nolit] al. velint nolint.
se esse Deorum] illa,se esse,non extant in B.
num peius nos destruimus] B. num potius,etc.

C A P. XXII.

à multis enim non coluntur] ita Flor. Ald. & aliæ multæ editiones. at in B. T. hæc non habentur.
nescire illos quid patiantur? perciti enim perferuntur,&c.] al. nescire illos, qui patiuntur? pergitur enim cæco,&c.
animasquè diuexant] al. animasque diù vexant.
Dei viui cum] τὸ viui, in aliquibus, non habetur.
existimant veros] al. æstimant veros.
quæ tota non in corpore] B. non, habet, tota.
quia videtur oculis] B. P non habent, videtur.
cuius sunt illa omnia] al. cui sunt illa, &c.
aspici] al. inspici.

C A P. XXIII.

virtutis] al. virtutum.
ab illis bonis] ita B. T. P. Florent. al. ab illis omnibus bonis.
concelebrant] al. celebrant.
subiectus est: & fragilitatis oblitus] ita B. T. P. Plant. Florent. sed Ald. subiectus est. Dominari affectat in liberos, quia temperantiam non habet,& fragilitatis oblitus,&c.
quia illa omnia humana, vt est a Lælio, &c.] al. quia illa omnia humana sunt, vt est, etc.
& eadem conditione] al. & ab eodem conditore.
impertit] al. impartitur.
pietas autem] ita B. T. al. pietas etiam.
& accidit ex eo] al. accedit eò.
idem nihil tumoris] ita B. fit autem antithesis ad superiora, vbi dixerat, impatiētem elato animo insolenter tumere,etc. al. & nihil timoris.
vnde nemini debet mirum,etc.] B. nec nemini mirum debet videri,etc.
quoniam cum peccamus] al. quibus cum peccamus, nec rerum) B. ne de rerum.
aberrauerunt à disciplina, & legis vincula ruperunt) al. aberrauerunt a disciplina legis, vinculaquè ruperunt.
ac tentet) al. ac temperet.
pressuræ verberibus) B. pressura,& verberib.
defluentem) P. diffluentem.
quomodo id fiat) ita B. P. al. quomodo fiat. al. quomodo illud fiat.
à Deorum cultibus) al. à Deorum cultoribus.
aliqui cupiunt scire) P. aliquis cupit scire.
quidnam sit) B. quodnam sit.
nolle sacrificare lapidibus) al. non sacrificare se lapidibus.

C A P. XXIV.

sed idem) B. & idem.
quos sic obterunt) B. quos hic,&c.

L I B R O VI.

C A P. I.

atque illustrandæ causam mihi, & scientiam, & fides, & ipse dominus noster imposuit) al. atque illustrandæ causa mihi, & scientiam,

ad ea ipsa] al. ad ea ipse.
possit auferre : Cum hæc ita se habeant, etc.] al. possit auferre ab ij,, qui eas habeant: illud, etc.
idem ferè significat] B. id significat. P. id ferè, etc.
ignorat, quoties] ita B. P. al. ignorat, quod aliquoties.
Cn. Pompeius] ita Ald. Plant. sed Iunt. Cn. enim Pompeius.
occidit] al. occiditur.
virtus nulla est omnino] ita Iunt. editio, sed Aldina, & Plant. virtus nihil est, etc.
alijs violenter eiectis] sic Ald. Plant. sed B. T. P. Iunt. alijs violenter ereptos.
facere maiora] al. facere meliora.
verum est enim Ciceronis] al. τὸ enim deest.
liberalitas, bonitas, etc.] ita Ald. Plan. Cic. ipse. at Iuntar. editio non habet τὸ, bonitas.
in hoc putatur] al. hæc putatur.
disputant] al. disputent.
feruntur enim ab optimis] Cicero habet, feruntur enim ex optimis, etc.
Si ergo & philosophis] ita B. T. P. al. τὸ ergo, deest.
nisi iustus, ac sapiens: iustus autem, ac sapiens nemo est, nisi quem, etc.] nisi iustus, ac sapiens, quod nemo est, nisi, &c. P. nisi iustus, ac sapiens; iustus autem, nec sapiens nemo est, &c.

CAP. VII.

nam illi omnes] al. iam illi, etc.
nihil verum: quod ea fit ratione, etc.] al. nihil verum, quod ea fit ratione, etc.
varietatem] al. varietates.
quod arripiunt] al. quod arripiant.
præcursor] ita B. T. P. al. percursor.
ostentaret?] B. ostenderet?
per confragosa] B. T. per fragosa.
non sunt aliæ viæ, sed diverticula] B. non sunt cliuosa, sed divert.
vna sedes, suauis, & simplex est] ita B. Plant. al. τὸ suauis, non habetur.

CAP. VIII.

nec ducem sequuntur vllum: eadem namque ratione hanc vitę, &c.] B. nec ducem sequuntur. ratione hanc, etc.
non hominem sequi debet, sed Deum] τὸ debet, non legitur in B.
quem in carne mortali] al. quem carne, etc.
ad summum sapientiæ] ita B. T. P. Flor. al. ad summam sap.
sed & omnes gentes, & omni tempore vna lex, & sempiterna, & immutabilis continebit; vnusquę erit communis, etc.] B. sed & omni genti, & omni tempore vna lex est, sempiterna, & immutabilis, quam si continebit vnusquisque, erit communis, etc.
Dei possit] al. Dei posset.

Imprudenter] al. imprudentes.
tanquam diuinent spiritu aliquo instincti] al. tanquam diuino spiritu aliquo instructos.

CAP. IX.

huius legis] B. cuius legis.
facit, vt Dijs alienis seruiat] B. facit Dijs alienis seruire.
qui per feciales, &c.] ita editiones omnes. at B. qui perfida bella.
iniurias faciendo] ita B. T. P. al. iniurias inferendo.
verum hi iustos se putant] ita B. T. P. Florent. al. verum hi iustos, putant.
similis est] B. T. similis erit.
tanquam membris eget] al. tanquam membris caret.
constare non possit] al. constare non potest.
dempta spe] al. adempta spe.
aliqua maiora] B. T. alia maiora.
nulla sunt alia] ita B. al. nulla sunt bona alia. P. nulla sunt dona alia.

CAP. X.

quòd animis] ita B. T. P. al qui animis.
qui hominibus) B. T. P. qui homini.
malum nunquam) al. mala nunquam.
semper bonum) al. bonum autem semper.
disceptatio est) al. disputatio est.
præseminati) al. seminati.
vt eos suis potissimùm] in B. T. P. Plant. sed Ald. & Flor. editio τὸ suis, non habent.
nullius ope [B. T. P. nullius opera.
& sermone] B. sermonis. P. & sermonis. al. sermonibus.

CAP. XI.

ita benignitate benignitas tollitur] ita B. & Cicero. ipse. al. ita bonitas benignitate toll.
te igitur authore] al. te ergo authore.
moriendum est] B. minus viuendum est.
qui eos retinet in vita, qui spiritu donat] B. qui eis vitam, qui spiritum donat.
atque furiosos] al. ac fur.
qui tribulibus suis] B. qui indigentibus amicis suis.

CAP. XII.

tenendum est igitur] B. tenenda est igitur.
omni modo] al. omnino.
expectes] al. expetes.
benè meruisse] B. benè meritus.
qui quod facit] ita B. T. P. al qui quod fecit.
& tamen res eodem redit] ita B. al. & tamen eò redit, vt quod, &c.
idem Deus] al. item Deus.
interdictum sibi putet aut communione cum amicis, aut charitate, &c] ita B. T. al. interdictam sibi putet aut communionem cum amicis, aut charitatem, &c.
si refertur] al. si referatur.

† 2 qui

qui id faciat, potentem, &c.] al. mendosè. quid faciat potentem, etc.
redargui] B. T. P. coargui.
laqueos induit] Ita B. P. al. laqueos induxit.
ne anteponere] al. non anteponere.
illa enim] al. illa verò.
vt eos humanitate naturali foueant] B. T. vt his natur. hum. faueant.
defuerit, qui assistat] al. defuerint, qui assistant.
oberrauerunt] al. aberrauerunt.
cum omne humanum] al. tam omne, etc.
tum diuinæ] al. quàm diuinæ, etc.
sed hęc, etiamsi sit inanis] al. licet hæc, etiamsi, etc.
non enim patiemur) B. T. non ergo patiemur. P. non patiemur, figuram, etc.
reddemus) ita P. al. reddamus.
necessariorum sepulturam nulli negandum munus, etc.) B. T. Plant. necessariorum munus implebimus. P. & Iunt. editio necessariorum sepulturam nulli negandam munus implebimus.
iustiorquè? Cum iam non homini præstatur, &c.) B. iustiorquè? Quæ cum sit, iam non homini, etc.
nunquam potest) al. nunquam poterit.
in arcam Dei) B. T. in aram Dei.
animum tuum contra te geram) ita B. T. al. animum contra te geram. al. & ego contra te geram, tuisquè te legib. etc.

CAP. XIII.

quia peccaueras) B. T. quia peccaueris.
qui ad peccatum imprudenter, incautèque labuntur) ita B. T. P. al. qui ad peccatum ignoranter, imprudenter, incautèquè lab.
ne in cogitationem quidem) al. ne cogitatione quidem.
vel in aspectu) al. vel aspectu.
danda igitur opera) al. danda igitur opera est.
vt promereare viuentem?) ita B. al. vt promereare inuenire viuentem? al. vt promereri inueniare viuentem?

CAP. XIV.

à vitijs distinguere) al. vitijs disiungere.
quis enim non possit) al. quis enim non posset.

CAP. XV.

nos armarit) al. nos armauit.
vitiosi plerunque fiunt) ita B. T. P. al. vitiosi pler. sunt.
appetitione refrenare) al. appet. frenare.
aut apparet, aut constat) al. aut appareat, aut constet.
vt, pro cupiditate) ita B. al. (vt) deest.
eos ratio defecit) ita B. T. P. al. eius ratio deficit.
possit non dolere) al. potest non, etc.
hostis euerterit) al. hostis inuaserit.
quoniam vitiosam) al. quam vitiosam.
aut certè nô multû) al. aut nihil, aut certè nô mul.
moderanda sint) B. T. Florent. medio temperanda sint.

CAP. XVI.

gradiendum quietè) al. grad. moderatè.
si ostendero) B. T. P. si ostendo.
frenos imponi) al. frena imp.
appetit alienam) al. app. alienum.
omnis igitur ratio) al. omnis ergo ratio.
periculo careat) al. peric. caret.

CAP. XVII.

ex alijs) al. ex illis.
credit ergone) B. T. creditne ergo, etc.
spectatę sunt enim, semperquè spectantur) ita B. T. al. sp. sunt en. semper, spectanturque.
hic solus) ita B. T. al. is solus.
voluntate opus esse) al. vol. opus est.
quamlibet concitatè ierit) ita B. T. P. al. licet quamconcitatè, etc.
aberrauerit) al. errauerit.
in terram) al. in terra.
sed eo) B. sed ideo.
nam parcè) B. nam parcere.
qui & benemeritis) ita B. T. P. al. qui & benem.
& cum oportet) P. & cum opus est.
vitium igitur) B. vitium vtique.
à perturbationibus) B. T. P. carent propositione.
impotentium stultam) al. impotentiam stultam, etc.
calcamus) B. calcabimus.
hæc vera constantia) ita B. T. al. hæc vera est constantia, etc.

CAP. XVIII.

præ se ferunt) B. T. præferunt.
non perspiciunt) B. T. non percipiunt.
etiam quæ sciunt] al. summam eorum, quæ sciunt.
pecuniam si quam, etc.) ita B. T. P. sunt. al. pecuniæ, si quam, etc.
quod succurrat) al. quod succurrit.
munus non accipiat) al. munus non accipiet.
vltionem sibi non assumat) ita B. al. vltionem suam sibi, etc.
seruet) ita B. al. reseruet.
sola efficit) al. sola efficiet.
quid ergo) B. quid enim. P. quid igitur.
quia cum de virtute) B. quòd cum de virt.
quæreretur] al. quæritur. B. loqueretur.
& ruentem quancunque in partem prouocauerit improbitas) in Florent. editio at Al. & ruentem quancunq. in par. improb. prouocarit. B. T. P. & ru. quacunque improbitas prouocarit.
petetur exemplum) al. peteretur exemp.
quòd si lacessitus) al. qui si lac.
& leuitate) B. & leuitas.
quam vt caperet) ita B. P. al. qua vt non careret.
victus est) B. virtus nulla est.

immor-

immortalitatis velut candidati sumus) ita B. T. & alij antiqui Codices. al.
immortalitatis velamine candidati, etc.

CAP. XIX.

præcipites agunt) al. præcip. agant.
vti maledicis) ita P. T. sed B. vti inimicis. al. corruptè. vti maledictis.

CAP. XX.

contra quinque sensuum voluptates) ita decem Vaticani,& omnes quotquot vidimus præpterea MSS. & impressis nisi quia duo ex eisdem Vatic. habent, contra quinque sensuum corporis voluptates. B. autem, contra iniquos sensus voluptatis.
quæro nunc] B. T. quære nunc.
vt recens natos) ita B. P. al. vt recentes natos.
oblidere) B. allidere.
aut amoribus] al. aut moribus.
non decet. Circensium,&c.) al. non decet, in talem vitiorum semitam dilabuntur. Circensium etc. sed priorem lectionem exhibent omnes MSS. B. T. P. Plant.
insideat) al. insidat.
conuenitur) B. conuenit.

CAP. XXI.

ab aliquo imperito doctore fundati) B. si non fuerint ab aliquo perito doct. etc.
animam sibi vinciant) B. animam subijciunt.

CAP. XXII.

nihil est, quod à nobis) ita B. T. P. al. nihil est aliud, quod à nobis.
quod qui facit) B. T. quæ qui facit.
itaque fecit omnia, Deus) B. idque fecit omne Deus.
ab omnibus excludere) B. ab hominibus, etc.

CAP. XXIII.

obijcitque oculis) B. obijcitque præ ocul.
irritabiles) P. irresibiles.
maribus admiscuit) B. mar. applicuit.
institutum Dei) ita B. T. P. al iustitiam, etc.
nisi etiam suum) ita B. T. P. al. nisi et suum.
assequatur) B. T. consequatur.
prohibebit) al. prohibet.
quemque præponere) B. T. quemque proponere.
huic diuinæ) B. cui diuinæ.
ad mortemque condemnant) B. morteque condemnant.
conscientia,& mente) B. scientiam, mente.
in deteriora descendere) B. ad deteriora desciscere.
quam non modo Deus) B. quæ Deus non modo.
terminat) B. terminauit.
nequa seruam) B. nequam seruam.
quisquis compagem) B. quisquis partem.
ne occasionem vitijs) al. ne excusationem vitijs.
ne quis diuina) al. si quis diuina.
adduntur illa) ita B. P. al. addantur, etc.
dimissam duxerit] B. duxerit eiectam.
sit omnibus hominibus] ita omnes excusi; at τὸ omnibus non extat in B. P.
etiam vincere) ita B. P. al. eam vinc.
Dei cepit) al. Dei ceperit.
nam quia virtus] B. T. P. nanque virt.

CAP. XXIV.

de se ipse desperet] al. τὸ ipse, non habetur.
facilior] al. felicior.
correctos esse] al. correptos esse.
tamen suscipimus] ita B. P. & multi impressi. al. tamen sustentamus, suscipimus, etc.
pœnitendo posse placari?] pœnitendo non posse, etc.
& obliturum] al. & obliteraturum. prior lectio proprius abest ab Ezechiel. cuius locum respicit.
iniquitates eius, qui iustitiam denuo cæperit, &c.] iniquitates nostras, si iustitiam denuo cæperimus oper.
aboleuit) B. abolebit.
quem enim facti sui, etc.] ita B. P. Florent. al. is enim, quem facti fui, &c.
nos possumus] ita B. al. nos latine, etc.
aperuit homini] al. aperuit nobis.
qua exhortationes suas, etc.) ita B. T. P. al. quod in exhortationibus suis, etc.
inclusam esse conscientiam) B. inclusa conscientia.
nisi antecederet) al. nisi accederet.
inclusam esse conscientiam) ita B. T. al. inclusam habere conscientiam.
hæret hic, quo carere non potes) al. hære hic, quò cadere, &c.
inuidiam detrahet) ita B. al. inu. distrahet.
superbia tumidus infl.) B. superbiæ tumore, etc.
obtemperauerit) al. obtemperauit.
verus Dei cultor) ita B. al. veri Dei, etc.
sed hominis,& vitæ) al. sed hominis vitam.
de intimo corde) B. T. P. de int. pectore.

CAP. XXV.

maiestate leni) al. maiest. leui.
consecrandus est) B. T. consecrandum est.
quid sit Deus) B. T. quis sit Deus.
minime indigens) B. minime indiget.
huius enim sacrificium sola benedictio. & recte: verbo enim sacrificari) B. cuius sacr. sol benedictio: recte est. verbo ergo sacrificari, etc.
humilitate) B. & humilitate.
& illud sibi) B. P. & id sibi.
etiam in malis gratias) B. etiam in malis suis gratias.

LIBRO VII.

CAP. I.

non fundamenta solum iecimus) al. non tantum

B. T. P. Iunt. al. quorum moderationes,& claritates, & motus aptissimè ad vtilitates viuentium temperauit.
varia gignendi] al. variam gignendi
vt vbertate] al. vt vbertas.
cuiusque generis] ita B. T. P. Iunt. al. cuique generi.
nascendo accepimus] B. T. P. nasc. accipimus.
nescientes accepimus] B. T. P. nesc. accipimus.
in vita comparare] al. inuictam comp.
soluetur] ita B. T. P. Iunt. al. soluitur.
cuius rei] B. T. cui rei.
natura, & ratio corporis præbet] B. naturæ ratio,& natura corporis,etc.
statim quàm natus est] al. statim quando,etc.
& suauitates] al. & suauitas.
damnabitur enim sententia Dei ad æternam pęnam, quia, etc.] al. quia damnabitur Dei sententia ad pęnam qui,etc.
quia solus possidet, pietatem hominis,qua Deum honorauerit,hoc afficit præmio,etc.] ita B. al. quia solus possidet pietatem hominis, qui Deû honorauerit,hoc afficietur præmio, etc.

CAP. VI.

tam mirabili] B. tum mirabili.
constitutus] al. constructus.
tamen rebus ineptis] al. tam rebus,etc.
quod videas] al. quod videamus.
mundus constitutus est?] al. mundus factus est?
quid Dij ex cultibus eorum] al. quid ij ex cultibus Deorum,etc.
post mortem] al. post obitum.

CAP. VII.

per philosophorum sectas] al. per philosophos,& sectas.
& illudere] al.& inuidere.
Aristoteles disseruit] ita Ald. Plant. al. Ariston disseruit.

CAP. VIII.

Platonis argumenta] ita B. T. P. Iunt. al. Platonis documenta.
quia deseri] B. quia desiderari.
à semetipso] B. T. a se ipso.
reperiatur in terra] B. T. non habent,in terra.
sed necesse esse] B. P. Iunt. sed necesse est.

CAP. IX.

colligemus] al. collegimus.
quorum vis] B. quorum multa vis.
sub oculos non veniret] al. sub oculis non venit.
ex solo corpore] ita B. T. P. Iuntar. editio. al. solo corp.
nihil cernentes animo] ita B. T. P. Plantin. al. nihil omnino cernentes.
aliquid sentiens,ac vigens] ita B. T. P. Iunt. al. aliquid constans,& sentiens,ac vigens.
vtique sunt expertes corporum] B. T. P. vtique animæ sunt expertes, &c.
status rectus] ita B. T. P. Iunt. al. status erectus.
reditura] al. reuersura.
vtitur] al. vtatur.
vtitur] al. vtatur.
ac suauibus] al. ac suauitatibus.
animantem] al. animantes.
iudicari] al. iudicare.
& mori] ita B. T. P. Iunt. Plant. al. & emori.
nisi æternitas?] ita B. T. P. Iunt. al. nisi æternitatis?

CAP. X.

vltione sedatur] ita B. T. P. Iunt. vlt. sedantur.
autem satietas] B. T. P. aut satietas.
redibunt protinus] ita B. T. P. al. redeunt,etc.
vt hæc vita] B. T. P. vt vita hæc. al. & vt hœc,etc.

CAP. XI.

mors temporalis accipit] ita Florent. al. mors temp. accipit.
rursum] al. rursus.
vita corporali] al. vita temporali.
æquè caduca] al. ea caduca.
sequitur vt anima ex eo] al. sequitur ex eo,vt anima,etc.
nihil nisi temporale] ita B. T. P. Iunt. al. non nisi temporalia.
sine nutu] ita B. T. P. Plant. al. sine vi,nutu. al. sine vi,& adminic.
animus verò potest multa] al. animus autem,&c.

CAP. XII.

contradixerunt] B. P. contrà disserunt.
videtur, & tangitur] hæc non habentur in editione Iunt.
sub tactum] ita Iunt. al. sub ictum.
recedit] ita B. T. P. Iunt. al. redit.
resoluitur] B. T. Plant. soluitur.
secedit] al. discedit.
accepit facultatem] B. T. accipit fac.
memoria defecit] B. T. P. mem. deficit.
conquassata de sede sua migrat] al. conquassata sede sua emigrat.
tanquam,si esset æterna,] al. quæ si esset,etc.
& paulatim frigescentibus membris anima efflatur] B. T. P. Iunt. vt paul. frig. mem. an. effletur.
sensuum suum tribuat] ita B. T. Plant. al. τὸ suum,non habetur.
equidem nunquam vidi] ita B. T. Plant. Iunt. al. sed equidem,&c.
de sui dissolutione] al. de sua dissol.
at enim non priusquam dissoluatur] al. deesta e. nobis ea,quæ] ita B. T. P. Iunt. al nobis,quæ &c.

CAP. XIII.

falsa est ergo] al. falsa est igitur.
qui viuere] al. quia viuere,&c.

CAP.

C A P. XIV.

prius est enarrandum] B. T. P. prius enarrandum est.

quo ratio elucescat] B. T. P. quo ratio eluceat. al. vt ratio elucescat.

efficere creduntur] al. efficere creditur.

& sicut Deus] ita B. T. P. Iunt. al. & vt Deus.

fabricandis] ita Ald. Plant. Iunt. al. faciendis.

perfert] ita B. T. Iunt. al. perpessus est. P. pertulit.

vt hunc diem] ita Iunt. al & hunc diem.

C A P. XV.

intolerando] al. intolerabili.

medio maris discissis fluctibus, & in vtranque partem dimotis, vt per siccum, etc.] B. T. P. medio mari, cum discissis fl. & in vtr. par. dim. per siccum, etc.

præsignificatio] al. præfiguratio.

temporum consummatione] al. temporis, etc.

Ægyptus tunc sola] ita Ald. Plant. Iunt. sed B. T. P. deest dictio, tunc.

prodigia miranda) al. prodig. mirabilia.

vt iam nostra) ita B. T. P. Iunt. al. vt etiam nostra, etc.

interibunt) al. peribunt.

frement vbique) al. frem. vndique.

gladius orbem) ita B. T. P. Iunt. al. clades orbem.

non humanis) al. non ab humanis.

in ætates) al. per ætates.

imperij Romani fuit.) τὸ Romani non extat in B. P.

nationibus subiugatis) B. nationibus imperio subiug.

C A P. XVI.

auctis) ita B. T. P. Iunt. al. coactis.

leges commutabit, suas sanciet) B. leges commutet, suas sanciat.

tum verò) al. tam verò.

quo nulli) al. quod nulli.

eruerentur) al. eruentur.

modò importunis) ita B. T. al. & modò, etc.

nec leges) B. T. P. non leges.

è cœlo tuba) al. de cęlo tuba.

per iram Dei) al. per iram Domini.

ad versum homines) al. aduersus, etc.

qui iustitiam non agnouerunt) ita B. T. al. qui iustitiam Dei non, etc.

impendens) ita B. T. P. Iunt. al. impendent.

nec nox) B. T. P. ne nox.

dentibus stridebunt) al. dent. strident.

C A P: XVII.

claudet cœlum) ita B. T. P. Iunt. al. cludet cœlum.

amburet illum) al. comburet illum.

operibus ipsius) al. operibus eius.

ac perditor) al. ac proditor.

teterrimus) al. deterrimus.

ac vocabit) B. ac vocari.

vno, communiquè latrocinio) ita B. T. P. Plantin. al. vno, communi graui j. latr.

facta erunt) al. ita erunt.

& emittet Regem) B. T. P. & mittet, etc.

disperdet) al. disperdat.

C A P. XIX.

hæc est nox) ita B. T. P. Iunt. Plant. al. & hæc est nox, etc.

orbis terræ regnum) B. T. P. regnum orbis terræ.

& antecedet) al & præcedet.

luat pœnas) al. luet, etc.

C A P. XX.

non resurrecturos impios) al. non res. esse imp.

fuerint bona, iustaquè, dentur ad vitam, etc) ita vterq. Cod. Sancti Saluat. B. T. P. Iunt. al. fuerint bona, iustificentur ad vitam, etc.

patibilis igitur) al. patibilis ergo.

origo fit) al. origo est.

hæc propemodum) B. & propemodum.

corporales) B. carnales.

C A P. XXI.

& contrectabile) al. & tractabile.

in vulturem Tityi) al. in vulturem, & Tityum.

virescentium corporum) B. reuirescentium, etc. P. Iunt. reuiuiscentium, etc.

ac sensu doloris afficiet) al. ac sensum doloris efficiet.

etiam igni) B. T. etiam in igni.

aliquid in se Dei, quod etc.) ita B. T. P. Iunt. al. aliquid inde, quod, etc.

ac respuat] al. ac reijciat.

tanta vis est innocentiæ] ita B. T. P. Iunt. al. tanta enim virtus est innoc.

accipit) ita B. T. P. Iunt al. accepit.

omnes in vna) al nam omnes in vna.

C A P. XXII.

nec mirum est, ita illis, etc] al. nec mirum ita illis, etc.

obscuro ore] al. obscurorum ore.

rectorem cœli non alium putabant esse, quàm Iouem) ita P. Plant. sed B. rectorem cœli dominum non alium put. esse, quam Iouem. al. rectorem, cęli esse non alium putabant Deum quam Iouem.

sed Deum] B. sed eum.

apud inferos] B ad inferos.

ne quis illis opponeret] ita B. T. P. Iunt. al. ne quis illud opp.

& docentibus] al. atque doc.

non oblitas sui] B non oblitas vitam sui.

hoc enim seculo.] al. hoc enim in seculo.

eo accedit] ita B. T. P. Iunt. al. eodem, etc.

manu

manu factorum) ita B. T. P. Iunt. al. fabricatorum.
tam facilè) B. ac tam facile. al. vitam fac.
ignorabant enim) al. ignorabat enim.
itaque renasci) al. ita renasci.
celeriter rapiant) al. celer. capiant.

CAP. XXIII.

collocatæ) al. collocati.
Sibylla dicit hæc) al. Sibylla iterum dicit.

CAP. XXIV.

tum qui erunt) al. tunc qui erunt.
sub idem tempus) al. sub id tempus.
ne quid malum) al. ne quod malum.
hinc ortus) al. hinc exortus.
videbant illa) al. videbantur illa.
quatenus diceretur) al. quatenus dicerentur.

CAP. XXV.

nec tantam rerum) B. nec tantarum rer. &c.
translata congererem) al. transf. cogerem.
qui autem) al. si quis autem.
nunc requirat) B. hoc requirat.
aliquantulum) al. aliquantum.
nihil istius) ita B. T. P. Iunt. al. nihil istiusmodi.
orbis occiderit) al. orbis ceciderit.
illa est enim ciuitas) P. illa illa est ciuitas. B. illa est ciuitas.

CAP. XXVI.

dæmonum) al. dæmoniorum.
vsque ad vnum) al. vsque ad imum.
corruent) al. concident.
occultabitur) al. occultatus erit.
aduersus gentes extremum iudicium terminet) al. adu. gent. & ext. iud. terminetur.
in qua) ita B. Plant. al. etiam in qua.
qui vel fragilia) ita B. T. P. al. qui fragilia.

CAP. XXVII.

prouecti sumus) al peruecti sumus.
perniciosissima) B. T. P. perniciosa.
existimanda est) B. T. P. æstimanda est,
subtractum) al. subtractis.
cum qua mercede) al. qua cum mercede.
multò atrociora) al. multò maiora.
vniuersos igitur) al. vniuersis, etc.
vt se quam primum) B. T. vel se quampr. P. vel vt se quamp.
vt susceptis) B. T. P. vel susceptis.
& huius vitæ) ita B. Plant. al. copula desit.
migrandum) al. demigrandum.
non vt faciunt quidam cęcis metib. nixi, quiiā, etc. ita B. T. P. Iunt. & impressi antiquiores. al. non vt faciunt, quorum cæcis mentibus lux negatur, qui etc.
& ardentius) al. vt ardentius.
intendamus ergo) al. intendamus igitur.
infatigabili militia) al. infatigabilem militiam.

à domino) al. à Deo.

EPITOMEN.

CAP. I.

cognoscere vt Parentem) B. agnoscere vt par.
vtilitatibus consulet) B. vtilit. consulit.
suas negliget) B. suas negligit.
possedere) B. possederint.
iustos dicemus quidem) τὸ dic. non habetur in B.
vitæ parcit) B. vitæ parcet.
imitatio enim) B. immutatio enim.
& rectum poterit) B. & rectum potest.
stultos vocent) ita B. al. stultos notent.
fidissima) ita B. al. fidelissima.

CAP. II.

& cum omnis terra in ipsius sit potestate, non indiget, etc.) ita B. al. est omnis terra sub potestate ipsius, non indiget, etc.

CAP. III.

vtrique) ita B. al. vtique.
quòd eas ad sola vitæ, etc.) ita B. al. cum eas ad solius vitæ, etc.
gradiuntur) ita B. al. sunt gradientes.
in elysium ferre) ita Iunt. al. in elys. fert.
Deum agnoscere) ita B. al. Deum cognoscere.
idem enim, qui nos genuit) ita B. al. is est enim, etc.
dissoluitur) B. dissolutum est.
ab ignorantia) B. ab ignoratione.
direptum) al. direptum.
dirempta] al. direpta.
nec parentibus] B. non parentibus.
furor duxerit] al. furor eduxerit.
itaque quæ ante] B. ita quæ ante.
in perniciem] ita B. al. deest, in.
lex diuina] ita B. al. τὸ diuina, non legitur.
vt ne facias] ita B al. vide, vt ne, etc.
metiaris] ita B. al. metieris.
quod de te sentis] ita B. al. quod in te, etc.
primus est enim] B. primum est enim.
sed prodesse] ita B. al. sed officiosè prodesse.
& omnibus stirpium, etc.] ita B. al. & omnium stirpium, etc.

CAP. IV.

respectum habere] ita B. al. respectum, aut curam habere.
carendum est etiam mediocribus] ita B. al. carendum est, estque temperandum mediocribus. al. carendum est etiam temperatis, & mediocrib.
sed qui terminos] ita B. al. & qui, etc.
aut etiam fortioribus] ita B. al. non habetur τὸ etiam.
cupiditas verò] τὸ verò, non legitur in B.
testamenta] ita B. al. testimonia.
inde illiciti amores] ita P. al. inde illicitæ nuptiæ.
etiamsi] ita P. al. etsi.

CAP. V.

aut latrocinio, aut proscriptione] ita B. al. aut latroc. aut furore, aut prosc.
facile sit] B. necesse sit.
& infamiam generat] ita B. al. & insaniam generat.
mortem acquirit] ita B. al. mortem incurrit.
& suauitatibus] ita B. & ipsemet Lactantius lib. 6. cap. 21. al. & suasionibus.
ad luxuriam poterit] B. ad luxuriam possunt.
absumet] ita B. al. corruptè, assumet.
intimos] hæc dictio non legitur in impressis, sed in B.
statum mentis furore perturbent] ita B. al status mentis furore perturbetur.
certe orationibus] ita B. al. certis orationibus. al. certis cantionibus.
facilè credunt] ita B. al. facilè creditur.
malunt: non quærunt, etc.] ita B. al. volunt, nec quærunt, etc.
in alteram rapit] B. in alteram cadit.

CAP. VI.

potentiora sunt] ita B. al. potentia sunt.
Saturni festa sunt] ita B. al. Saturno factæ sunt.
qui spectat, vel interest] B. qui spectaculis interest.
inuenit tamen] ita B. al. inuenta tamen, etc.
nam minus corruptelarum disciplina est] ita B. sed sunt. an non minus, etc. al. an non minus corruptela disciplinarum est? sed; corruptelarum disciplina, dixit etiam lib. 6. c. 20.
feruntur insania] ita B. al. feruntur, etc.
iaceat] ita B. al. placet.
suppositis autem] B. superatis autem.
spoponderit) al. spoponderat.
non erit asper] B. non sit asper.
cum his aget) B. cum his agat.
non recipiet] B. non accipiat.
locupletum] B. locupletium.
iudicetur] ita B. al. iubetur.
periculum mortis] ita B. al. desit τὸ mortis.
prohibemur] ita B. al. prohibetur.

CAP. VII.

ideo] ita B. al. deest copula.
& accipiendisque] B. & accipiendis.
videre posse] ita B. al. deest τὸ posse.
[illegible] misericordiæ opus] ita B. al. & lactantius supra lib. 6. cap. 12. magnanimi opus.
conditione prosequitur] al. conditione persequitur.
fur non effodiet, nec rubigo consumet, nec tyrannus eripiet] B. vbi fur non effodiat, nec ærugo consumat, nec tyrannus eripiat.
[illegible]itur] B. seruetur.

CAP. VIII.

vt discedere] B. vt desciscere.
vniuersa] hanc dictionem restitui, quæ al. deest.
vt sciamus, quali apud Deum gloria simus futuri] ita B. al. vt qui scimus, quali apud Deum gloria simus functuri.
casti, &] hæc adduntur ex B quæ al. desunt.
Deo est perinde atque incestus] al. Deo est pro incesto.
ne alium] B. & ne alium. al. ne aliud.
emaculetur] ita B. al. euacuetur.
fragilitatis, esse etc.] ita B. al. fragilitatis naturæ, esse, etc.
perseuerabimus] B. perseuerantibus.
debemus Deo, & pro delictis] ita B. al. debemus, & pro debitis.
corporibus putauerunt] B. corporibus arbitrantur.
sequentia peruidere] ita B. al. sapientia prouidere.

CAP. IX.

femina verò] al. femina enim.
sed cum ea senserint, huius tamen diuini operis, &c.] al. sed cum ea senserunt, ij tam diuini operis, &c.
vnde igitur mala] ita B. Florent. al. vnde igitur tanta mala, &c.
est enim conuenientius] ita B. al. est enim conueniens.
domus ædificatur] ita B. Plant. al. domus enim ædific.
quid in illis vtilitatis habeat illa rerum fabricatrix] ita B. al. desunt, vtilitatis, &, rerum.
aut quodnam sit omnino tantum illud] ita B. al. desunt illa, sit omnino.
temporalis vitæ] ita B. temporis vitæ.
immerserint] ita B. al. immiserint.

CAP. X.

non peruidet] ita B. al. non videt.
cum tantos illi honores, tantum potestatis] ita B. al. cum tantum illi honoris, tantum illi potestatis, &c.
dominetur mundo] B. dominetur in mundo.
hoc esse solum] ita B. al. & hoc est solum.
de terreni] ita B. Plant. al. terreni.
voluptas omnibus communis animalibus] ita B. al. volup. omnis comm. etc.
dissolutionem corporis] ita B. al. dissolutionem sui corp.
immortalitalitatis est] ita B. al. τὸ est non legitur.
an potest igitur non esse immortalis] ita B. al. an potest ergo esse mortalis.
parum videatur] B. parum videtur.

CAP.

CAP. XI.

superest docere] ita B. al. sup. dicere.
id verò tempus] ita B. al. id verò tempore, etc.
& consummatione temporum] B. et conclusione temporum.
hæc autem à prophetis] ita B. al. deest, autem.
vastitas fiet) ita B. al. vastatio fiet.
qui tribus deletis) ita B. Florent. Plant. al. qui tribus ex eo numero deletis.
& ascitis) ita B. al. & abscissis.
vt viuos) ita B. al. vt omnes viuos.
exsurget) ita B. al. surget.
tunc etiam) B. & tunc etiam.
nec somnus ad quietem) ita B. al. aut somnus, etc.
ac dicatos) ita B. al. ac deditos.
et exaudiet eos) ita B. al. et audiet eos.
et antecedet eum) B. et anteibit eum.
cum omnibus tyrannis) ita B. al. cum cæteris tyrannis.
victum dabit) B. victum ministrabit.
persoluant) ita B. al. soluant.
cecinerint) ita B. al. concinerint.
legemquè seruauerit) ita B. al. legesquè, etc.
firmet ad continentiam) B. formet ad continentiam.
rectus agnoscat) ita B. al. rectus cognoscat.

LIBRO DE IRA DEI.

CAP. I.

plurimos existimare) B. T. plurimos id æstimare. P. plur. id existimare.
est a nobis) B. est nobis.
nos arrogantes) ita B. T. P. Iunt. al. nostam arrog.
naturam rerum coniectura, etc.) ita B. T. P. Plant. al. naturam rerum omnium coniectura, etc.
à veri) ita B. T. P. Plantin. al. à Dei.
nostris sensibus) B. T. de nostris, etc.
argueret inscitiam) al. argueret insaniam.
ipse doctrinam) ita B. T. al. ipsam doct.
testatusquè est] ita B. T. P. Plant. al. testatus est.
adeòquè doctrinam] B. T. P. adeo doctrinam.
in quo solo] ita B. T. P. al. in quo sola.

CAP. II.

fabricatorum] ita B. T. P. al. fabricatos.
quos ex parte] B. quod ex parte.
et exequenda] B. T. et sequenda.

CAP. III.

disconueniens] B. T. inconueniens.
deducitur] al. deducetur.

CAP. IIII.

malum facere] B. T. malefacere.
quam cura viuentium] hæc non habentur in B. T.
maximequè] B. et maximè.
cum hæc etiam scriptis] ita B. T. al. deest τὸ etiam.
consignaret] ita B. T. P. Iunt. al consignemus.
inductus enim] ita B. T. P. al. indoctus enim, etc.
vnius falsæ sententiæ] τὸ falsæ non habetur in B. T.
iram Deo non conuenire] al. ira Deo non conuenit.
consequentia resecare] al. conseq. recusare.
itaque cum gradatim] B. T. P. ita cum grad.
constitit] B. T. P. restitit.
quò perueniatur] B. T. quò peruenias. P. quò perueniret.

CAP. V.

fauorabilis admodum] ita B. T. P. τὸ admodum non habetur.
pusillitatem] al. pusillanimitatem.
alterius] ita Plant. Ald. & Veneta editio Tridini, & Florent. alterius.
fuisse vniuersa, si irasceretur ?] ita B. T. Plant. al. fuisse vniuersa credibile sit, si irasceretur ?
malefaciat] ita B. T. P. al. malefacit.
superesse] ita B. T. al. superest.
honoratur] al. ornatur.
qui appetat lucem] ita Iunt. al. nec appetat, etc.
qui odit] ita B. T. Plant. al. & qui, &c.
qui alterum Deo tribuunt] B. T. qui cum alterum, etc.
tunc ad illud] ita B. T. P. Plant. al. tunc & ad illud, &c.

CAP. VI.

hæ sunt] al. hæc sunt.
summa omnis, & cardo] ita B. T. P. Plant. Iunt. al. summa omnis ratio, & cardo, &c.

CAP. VII.

vt vagetur) ita B. T. P. al. vt vagatur.
coæquarit] ita B. T. P. Iunt. al. coæquauerit.
similes) B. T. simillimi.
vt religionem solus intelligat] al. & religionem solus intelligit.
inconditæ] al. incognitæ.
religionis est propria, etc.] ita B. T. P. Plant. al. religionis enim est propria:
quam nullum aliud] al. quæ nullum, etc.
specie viuit] al. specie viuet.

CAP. VIII.

nihil cuiquam boni] ita B. T. at P. nihil vnquam cuiquam boni. al. nihil vnquam boni.
quandoquidem prodesse] ita B. T. Plant. al. quando prodesse, etc.
consulamus rei] vetustiores editiones hæc non habent, sed Ald. & Plantin.
etiam cum sanguine] al. etiam sanguine.
sentit Epicurus] ita recentiores editiones. al. sensit Lucretius.
qua distamus à belluis, & iustitiam] hæc editio Veneta Trid & Florent. non habent.
sed vtilitatis] al. sed vtilitate.
conficta sunt] ita B. T. P. al. confecta sunt.

quamuis breuiter] ita B.T.P. Veneta Tridin. & Florent. al. quambreuiter.

CAP. IX.

in mundo] al. in mundum.
professus est] B. confessus est.
maluerunt contra] B maluerunt vel contra.
id negare] B.T. id denegare.
et inertes] al. & inermers.

CAP. X.

cohæsisse] ita B.T. al. coijsse. al. esse.
possit somniare] al. posset somniare.
aliquid dicenti] al. aliqua dicenti.
leuitudo ipsa] B.T.P. lenitudo &c.
itaque quod amputari] al. ita quod amp.
minutias] B. T. micas.
de rebus paruis agitur] al. de rebus par. agitatur.
mundus ipse concretus est] al. mun. complet. est
perfectæ insaniæ] al. perceptæ insaniæ.
vt nihil vlterius adijci posset] B.T.P. nihil videtur vlterius adijci posse.
aut generari possunt?] B.T.P.lāt. augeriq; possunt?
rigoris materiæ] B. T. rigoris materies.
credendum est?] credent?
inhanelaueris] B.P. inhalaueris.
vapor leuis aliquid] B. vapor lene aliquid.
aut maris] B. & maris.
quid ego] ita B. al. quid ergo.
fortunam depellat] al. fortunam repellat.
denique] B.T.P. deinde.
consideret] B.T. considederes.
tractabilia] B. tactilia. P. tactibilia.
omitto] B. mitto.
sentium videndi] ita Venet. edit. Trid. & Florent. al. vium videndi.
Deos quoq; ex illis constituissent] B. Dij quoque ex illis constituissent.
reuertentibus] B. T. recurrentibus.
ista generarent) B. ista generassent.
non ædificauerunt?] al. non ædificauerint?
terra conglobaretur] ita B. al. terræ conglobarentur.
arbitretur) B. arbitratur.
tam subtilem, tamquè mirabilem à non sentiente formari] in vterque Cod. Sancti Saluatoris T. Plant. sed P. non habet illa, tamquè mirabilem. al. tam subtiliter a non sentiente natura formari.
consilio vtitur] B. T. Plant. consilio suo vtitur.
vrbem, aut domum] ita B. T. P. Plant. al. & vrbem, aut domum.
debuerunt atomi] ita B. T. P. al. potuerant atomij.
etiam hominem ipsum τὸ etiam, non legitur in B.
ad vsus suos) ita B. T. al. in vsus, &c.
sed fuerint sapientes] ita B. T. Plant. at P. non habet, sapientes. al. sed vt fuerint sapientes.

& Pythagoram] B. vt Pythagoram.
aut olim potuit] B. T. aut demum potuit.
sine perito, ac sciente rectore] ita B. T. P. Plant. al. desunt illa, ac sciente.

CAP. XI.

multorum Deorum esse credenda, &c.) ita B. Plan. al. deest τὸ Deorum.
si distrahatur) ita vterque Cod. Sancti Saluat. & T. al. si distribuatur.
diminui eam necesse sit, quod autem mimitur, vtique mortale est, &c.) ita vterque Cod. Sancti Salu. T. & Plant. al. diminuitur vtique, & Plant. al. diminuitur vtique, & mortalis est.
quia profuerant) B. T. P. qua profuerant.
immortalem memoriam) B. T. immortalitatis mem.
sepulchra) ita B. T. al. simulachra.
non potest) B. T. nunquam potest.
assequi valuit) B. T. assequi potuit.
commentitium est) ita B. T. τὸ est, non habetur.

CAP. XII.

iustitiaquè detracta) B. T. Iustitiaque detractis.
aufertur) ita B. T. P. Florent. al. auferetur.

CAP. XIII.

nostri causa) ita B. al. nostra causa.
ad vtilitatem hominis] B. Plant. ad vtilitatem solius hominis.
coquendorum ciborum] B.T. molendorum cib.
fructuum varietatem] ita B. al. frugum vbertatem.
ferendas] B. T. perferendas.
ad vbertatem omnis generis] B. T. ad varietatem omnis, &c.
Tondentur) hactenus B. T. P. al. attexuntur sequentes illi Maronis versiculi „ noctis lentus „ non deficit humor. Et quidam feros hiberni ad „ luminis ignes peruigilat, ferroque faces inspi„ cat acuto.
temporum subministrant) ita B. T.P. Plant. al. temporum planè subminist.
quorum adhuc lateat) ita B. Plant. adhuc, non legitur.
ab ipsa desiderari B. T. ab ea, &c.
inuicem sibi) ita B. T. P. Plant. al. inuicem enim sibi.
alterutro) B. altero.
sunt homini) τὸ homini in B. T. P. non habetur.
malum nullum sit, nullum periculum] ita B. T. Plant. al. malum nullum sit, periculumquè.
cum quocunque) ita B. al. deest, cum.
commodum] B. accommodatum.
vtile] B. vitale.
opus nobis esse) ita B. T. al. opus bonis esse.
fuissent proposita) ita B. P. al. fuisset proposita.

CAP.

C A P. XIV.

rectus corpore) B. P. recto corpore.

vtique iustissimum est & Deum colere, qui tanta præstiterit, & amare hominem, qui sit nobiscum, &c.] ita Plantin. sed B. T. vtique iustissimum est & eum, qui tanta præstiterit amare, & hominem, qui sit, etc. P. vtique iustissimum est, Deum, videlicet eum, qui tanta, &c. al. vtique iustissimum est & Deum colere, videlicet eum, qui tanta præstiterit, & amare hominem, qui sit, &c.

vnde intelligitur] B. T. vnde intelligimus.

C A P. XV.

& bonum quidem diligere, malum autem, quod bono repugnat, odisse) ita B. al. & bonum quidem diligere, ac malum, quod huic repugnat, odisse. P. & bonum quidem eligere, pugnans odisse.

consideremus diuinam) B. T. quòd si consideremus diu. &c.

inferre) B. afferre.

ratio, & causa in homine] ita B. T. Plant. al. τὸ causa.

ad continendam) B. ad continuandam.

C A P. XVI.

accidentibus malis) B. P. accedentibus malis.

iniurias] ita B. T. P. al. iniurijs.

igitur Deus causam] ita B. Plant. al. τὸ Deus, non habetur.

qui sit dominus) B. quia sit, &c.

& precibus] ita B. T. P. al. cum precibus.

ita quasi communi) al. itaque quasi, &c.

& virtutibus locus est] ita B. T. Plantin al. est. virtutibus locus, &c.

C A P. XVII.

qui habet potestatem] τὸ potestatem non extat in B.

quæ tanta est negligendi causa] B. T. quæ tantæ negligente causa est, &c.

ministratio] B. T. administratio.

animus autem) B. T. animus tamen.

ac vigorem capiant. Denique requies sempiterna solius, &c.) ita B. Plant. al. ac vigorem capiant de quiete. quies igitur sempiterna solius, &c.

acerbitatis, & malitiæ nomine) ita B. Plant. al. illa, & malitiæ desunt.

ipse autem est nocens) B. is est autem noc.

libet quærere) ita B. al. licet, &c.

alij, vt ait Possidonius) B. aut, vt ait, &c. P. vel, vt ait Pos.

iniusta, quæ) ita B. Plant. al. deest, iniusta.

ad aliquod maximum malum) ita Plant. al. deest τὸ malum.

iusta, qua mouetur) hæc reperiuntur in Ald. & Plant. al desunt.

quibus & iudex) B. T. quibus & si iudex.

mouetur) ita B. T. P. Florent. al. moueri.

fieri videt) ita B. T. P. al. fieri videat.

à superioribus destat, quam possumus, &c.) ita B. T. Plant. al. a superioribus distat. iram autem, quam possumus, &c.

ne in homine quidem) al. non in homine, etc.

quia tota) ita B. T. P. al. quæ tota.

C A P. XVIII.

peccatorem] B. T. peccantem. P. peccata.

commouetur] B. T. commoueatur.

æternam molestiarum materiam subministrat] B. T. æternam molestiam subm.

miserum te, inquit] al. deest, te.

si, vt ait Plato] al. sicut ait Pl.

dominum suum sæuire] ita B. T. Plantin. al. deest τὸ suum.

aut quæ sapientia est] ita B. P. Plăt. al. aut sap. est.

ob exiguum delictum] al. ob exiguum dolorem.

ob maximum] ita B. T. Plant. al. aut ob. &c.

producendæ gratia sobolis] B. T. prodendæ sobolis gratia.

ad immania] ita B. T. P. al. ad maxima.

de figura Dei dicere] τὸ Dei, non extat in B. T.

nascitur] B. T. nascetur.

hæc habet] ita B. T. P. al. hoc habet.

C A P. XIX.

è duobus, animo, & corpore] ita B. T. P. Plant. Florent. al. è duobus homo, anima, &c.

repugnauerit voluptatibus] al. rep. cupiditatibus.

compresserit] B. T. represserit.

verè Deo similis inuenietur] ita B. T. Plant. al. erit verè Deo similis. vnde, &c.

quia se corpori] al. qui se corp.

diuini numinis] B. T. P. diuini muneris.

inquinauerunt] ita B. T. Florent. al. inquinarũt.

quòd si est mundi] B. qui si est, &c.

si est prouidus] ita B. T. P. Veneta Trid. & Flor. al. si est Prouidens.

& idem Deum] ita B. T. P. Plant. al. τὸ idem, non habetur.

rebellandi] B. T. rebellante. P. rebellanti.

non vtique ademit] ita B. T. P. Plant. al. deest, vtique.

C A P. XX.

si potest ignoscere, potest & irasci, cur ergo, &c.) ita B. T. sed Veneta Trid. & Flor. si potest igitur irasci, cur ergo, &c. Ald. & Plant. si potest ignoscere, potest igitur irasci, cur ergo, &c.

violentia) B. T. vinolentia.

ex improbris) ita B. T. P. Plant. al. & ex improbis.

maluerunt; & pecudum more humi repere. humilis enim) ita B. T. Plant. al. maluerunt pecudum more; humilis enim, &c. al. maluerunt pecudum modo; humilis enim, &c.

ter-

terram,quam calcare debuerat] al. terrena,quæ calcare deb.
agnoscunt] al. cognoscunt.

CAP. XXI.

vna,& extrema] ita libri antiquiores. at recentiores Ald. Plant. vna,maxima,& extrema.
vt & in præceptis] B. T. P. vt etiam in præc.
debuit furor] ita B. P. al. debuerat, etc. al. debuerit,etc.
Deus autem non ad præsens irascitur, quia æternus est,perfectęquè virtutis,& nunquam, etc.] ita B. T. P. Plant. al. Deus autem & non ad pręsens irascitur, & quia æternus est, perfectæquè virtutis,nunquam,etc.
qui à principio] ita B. Plant. al. quia in principio.
denique rursus eum irasci quidem, sed non peccare præcepit. Non vtique,etc.] B. T. P. deinde rursus eum irasci quidem,sed non peccare præcepit,non vtique,etc.
celerius præcipit] ita B. al. celerius præcepit.
siquidem præcepit] B. T. P. ea enim præcepit.
post delictum locus] B. positus locus.
noxium quemque] B. T. noxium aliquem.
& corrigendi] hęc in B. reperiuntur,& Plantiniana editione,quæ aliquibus desunt.

CAP. XXII.

refelleres] B. refellas.
reuincamus] ita B. T. P. Veneta Trid. Florent. al. vincamus.
vt humana diuinis tribuant authoritatem, cum potius humanis diuina debuerint] ita Mss. & antiquiores excusi, & Plant. al. vt humanam diuinis tribuant authoritatem, cum potius humanis diuinam debuerint.
Sibyllas multas fuisse] ita Ald. Plant. al. non habentur illa,multas fuisse.
Aristo Chius] al. Aristarchus.
ἔσεσθαι ἁμαρτεῖν] post hæc in Florentina editione sequuntur illa, indignatur ergo aduersus peccatores. quæ al. non habentur.

CAP. XXIII.

rationes philosophorum] al. rationes omnium philosoph.

CAP. XXIV.

minusquè officiosa, quàm domini,etc.] al. minusquè quàm officiosa domini,etc.
discedere] B. T. desciscere.
incitatrix] B. T. irritatrix.
qui fraudibus) B. qui facinoribus.
destructibilia] B. T. destructilia.
ac luce sapientiæ] al. ac duce sapientia.
cuius diuinitati secreta mentis patent, ita viuemus, etc.] al. eius diuinitatis potentia ita viuemus,etc.

LIBRO DE OPIFICIO DEI.

CAP. I.

& in summis] al. etiam in summis.
deessem sibi] B. deesset tibi.
quibus aut mederi] B. T. quibus illos aut mederi.
neque enim possum] ita B. T. P. antiquiores impress. Plant. sunt. al. neque enim vt non possum.
vel iucunditas) B. T. P. & iucund.
sensim) hæc dictio non habetur in aliquibus editionibus.
repetens iterumquè iterumquè monebo) ita Maro ipse. at B. T. P. repetens iterum, iterumquè mon. al. repetens iterumquè mon.
& ille) in B non reperitur,&.
idem ipse) B. idem sæpe.
nec possint) B. T. P. antiquiores impressi, ne possint.
incedere) B. T. procedere.
in qua ciuitate) B. T. in quam ciuitatem.
fictum) B. T. factus.
& materiam) B. T. nam materiam. al. materiam.
in libro de natura Deorum) illa, in libro,non habentur in B. T.
contrectari) B. contueri.
sensibus possunt) B. T. P. sensu poss.
quæ asserunt) B. T. quæ afferunt.
inspicere) B. T. dispicere.
quidque factum sit) ita B. T. P. al. quisque factus sit.

CAP: II.

pellibus) B. pilis.
ac frigora) B. T. P. ac frigorum.
cæteris animalibus) al. cæteris animantibus.
homini ad pulchritudinem) B. T. in homine ad, etc.
aut vngues) hæc non habentur in B. T. P.
quis non sentit) B. T. P. quis non sentiat.
quoniam æternum) al. quem æternum.

CAP. III.

nimis imbecillum) al. nimis quam imbecillum.
magis desipere) al. tam desipere.
hæc loquuntur) al. hoc loquuntur.
quàm factum est) hæc in aliquibus desunt.
vt prouidentissima illa) ita B T. at P. vt prudentissima illa. al. quòd illa prouidentissima.
quid in homine deesse, quia imbecillior nascitur, credant) B. quid in homine deesset, quia imbecillior nasci credatur.
pecudum scilicet conditio) B. T. pecudum scilicet,atque armentorum conditio.
sine matrum) τὸ matrum, in aliquibus deest.
& frondibus) B. T. aut è frondibus.
non ipsum animal edunt) ita B. Plant. al. non materno corpore ipsum animal,&c.

fatu] al. mendosè, fœtu.
vtrum malint, humanamne sapientiam) ita B. Plantin. al. vtrum malint humanam sapientiam.
quid optant? quid eligunt?] ita B. Plant. sed hæc aliquibus Codicibus desunt.
qua re nihil est] B. T. P. & impressi antiquiores, quod nihil est.
nec magnitudo virium] B. P. neque magnitudo, etc.
corpus accepit?] al. corpus acceperit?
loquamur] B. T. P. loquar.
maluerunt] ita B. T. vetustiores excusi, Veneta editio Tridini, Florentina, al. maluerint.
quos si Deus in ea fortè conuerterit] B. quòd si Deus in ea fortè eos conuerteret, &c.
pennarum] B. pinnarum.

C A P. IV.

hominem morbis] B. T. homines morb.
esse subiectum] B. T. esse subiectos.
vita sæpe in medio] al. vita sua in medio, &c.
capere posset] al. cap. possit.
ante illud tempus) B. T. P. ante id tempus.
& per se ipsum mobilis semper] hæc habentur in B. T. antiquioribus impressis, Venet. Tridin. Florent. at desunt Ald. Plantin.
quid sequatur, hominem vtiq; nisi certo tempore] B. T. quid sequatur, hominem vtique certo tẽpore mori, &c. P. quid sequatur, vt cætero tempore mori nullo modo possit.
nemo nisi senex] ita B. P. Plant. al. nemo enim nisi.
diuinitas suam prouidentiam] ita B. T. & MSS. ferè omnes. al. diuinitatem suam prouidentia.
quæ necessario sequerentur] B. T. quid necessariò sequeretur. al. quæ necessariò sequentur.
sequuntur autem) al. sequentur autem.
quæ reuerentia) al. quæ notitia.
deterius homine ?) B. T. tetrius homine ?
vel maximè) ita B. T. Plant. al. deest, vel.
nimis diu) al. nimium diu.
rebus apertis) B. T. rebus apertissimis.
fieri potuisse) τὸ potuisse, non legitur in B. T.
loquimur) ita B. T. P. Veneta Tridin. & Florent. al. loquamur.

C A P. V.

perducerent animal) B. T. P. producerent, etc.
operandumquè) B. T. tenendumquè.
pennæ) B. pinnæ.
facultatem animal.) B. T. animal vsum.
quæ mollia) B. quæ molliora.
leni quodam) al. leui quodam.
vtrolibet) al. vtrumlibet.
huiusmodi motus) B. T. P. eiusmodi, etc.
ne rationem) ita B. T. P. al. vt rationem.
breuitas impediret] ita F. T. P. al. breuitas non impediret.

C A P. VI.

vt atomis) ita B. T. P. Plant. al. vt & atomis.
quæ (malum) vanitas) ita B. al. corruptè, quod malum vanitatis.
nascendi] malè omissa est hæc dictio in aliquibus exemplaribus, quæ legitur in B. T. & alijs MSS. optimis.
cessasset ?] B. cessaret ?
ante enim] ita B. P. al. at enim.
magni operis] B. magnum oneris.
& exitus) copula non extat in B. T.
non sunt oculi ad videndum nati. Cur igitur vident ? B. Plant. si non sunt ad videndum oculi nati, cur igitur vident ?
nata sint] al. nata sunt.
ad quod est quæque) ita B. T. P. Venet. Trid. Florent. al. ad quod sunt quæque, etc.
summam ipsam) ita B. T. P. al. deest, ipsam.
odoraret) B. odoraretur.

C A P. VII.

nutu) B. T. motu.
vt quemque locum decebat, vt quæ solida essent, conclusa tegerentur] ita B. T. al. vt quemcunque locum decebat, vtque solida ossa conclusa tegerent. al. vt quemcumque loc. dec. vtque sol. ossa conc. tegerentur.
per quos) B. T. per quas.
innumerabiles imaginis præferat, &c.] ita B. T. al. immer. animantium perferat, etc.
femora) B. T. femina.
in suo genere, & specie] B. in sui generis specie P. in sui genere, etc.
exigebat] in B. T. al. exhibeat.
si detrahas] ita B. T. P. al. si detrahes.
adeo in suo quæque genere) ita B. al. adeo in suo quoque genere.
sed tamen cum ipsa nuditas] ita B. T. Plant. al. cum tamen ipsa, &c.
pilei] B. T. pilæ.
sed alicubi effusus, alicubi retractus pro cuiusque loci, &c.) ita B. al. sed alibi infusus, alibi retractus pro cuiuslibet, &c.
& à temporibus) ita B. P. al. & temporibus.
vel ad dignoscendam] ita B. al. deest, vel.
corporis ratio) B. T. operis ratio.

C A P. XIII.

ratio, & sublimis) B. ratio est, & sublimis.
orbis rotunditas) B. T. omnis rotund.
ac primum oculorum) B. P. ac primùm quòd oculorum, &c.
conclusit) B. inclusit.
præ se ferat) B. T. P. præferat.
cum pars) ita B. T. P. al. tum pars.
nisi perceptam) B. T. nisi exceptam.
retentam) ita B. T. P. al. retenta.
conueherent) B. T. conbiberent. P. coercerent.

aut quia vocem] ita B.T.P.& apud Isidor.lib. 11. orig.c. 1.al. deest, aut.
ne pulchritudinem] T.P. quæ pulchr.
pendulæ, atque flaccentes] al. pendulas, atque flectentes.
aut imaginum incursione] B. T. aut imaginum incursiones.
tardius, quam oculis aduertimus] ita T.Ald.Plát. sed B.tardius,quàm oculos aduertimus. Venet. Trid.& Flor. radium,quem oculis aduertimus.
lucente vitro] B.T. perlucente vitro. P. quàm lucente vitro.
nasci volebant.) B.T. P. nasci volebat.
ad visum inutilius] B.T.P.ad vsum inutilius.

CAP. IX.

illorum reprehendere vanitatem] B. Archesilæ repreh. &c.
cum acies] B.T. P. tum acies.
diducitur] al. deducitur.
tunc singuli] B. T. & singuli.
si animum rursus intenderis] al. si autem rursus intendens.
cur illi falluntur] B.T.P. cur oculi fallantur.

CAP. X.

tersa purè niteat] B. tersa reniteat.
tam mirabili] al. quam mirabili.
si vnum, ac simplex] ita B.T. Plant. al. si simplex.
sic in capite] ita B.T.P. Plant.al. sic & in capite.
ex transuerso] B. ex aduerso.
in verba discernit] al. in verba distendit.
per se loquendi] ita B. T. P. al.per se eloquendi.
sed tamen solo] P. sed tantùm solo.
commolitos] B. permolitos.
defluat] B. refluat. P. effluat.
dentium septis Deus] ita B.T.P. al. dentium ordine sepiens Deus.
quasi antea] al. quasi ante.
qua sapores sentiuntur] B. qua sapor sentitur.
extantium lacertorum] ita duo Cod.S.Saluat. B. al.extentium.
trinos] B. T. ternos.
aliud animal] ita B.T.P. Plant.al. τὸ aliud, deest.
ad terram versus abiectum] ita B.T.P. al. ad terram versus subiectum.

CAP. XI.

quoddam viscerum] B. quoddam visceris.
simul spiritus, aut inflaret simul] B.T. P. semel spiritus, aut inflaret; ideoq; &c.
hic transitus] ita B.T.P. & antiq. impres.al. hinc transitus.
breuiter sunt apertæ] B.T. breues sunt,& apertæ.
si vt gulæ] ita B. al. si sicut gulæ.
ne admittere quidem] B. T. ne auditum admittere quidem,&c. P. ne audire quidem,&c.
trahere possumus] B. trahere possimus.
vno tamen] Ita B. T. antiq. impres. Floren. al. vno tantum.
ne qui fortè] B. T. necubi fortè.
niterentur] ita B.P.impres antiq. Floren.al. mitterentur.

CAP. XII.

tantum compage] B.T.P. tamen compage.
& omnino] ita B. T.P. al. & ideo.
confingi] B.T. P. effingi.
vita hominis] B.T.P. vita omnis.
similem prouehi] al. similem prouenire.
concors mistura] B. discors mist.
rectè peruenire] B.T.P. rectè prouenire.
institutum Dei est] al. constitutum à Deo est.
successiua] B. T. P. succesiiua. ab arborum surculis metaphora ducta, quibus succisis alij renascuntur.
pareretur] B.T.P. pararetur.
est dicta] hæc non habet B. nec P.
fontibus lactis] B.T.P. fontibus lacteis.

CAP. XIII.

nunc ego] τὸ ego, non habetur in B. T.
reliqui corporis] B.T.P. reliquæ corp.
sedendum aptissimam præbent] B.T. sedendumq; aptissimum vsum præbent.
tenuatis, & firma sunt] B.T.P.tenuatis firmata sunt, &c.
quàm in manibus] B. quàm in cruribus.
quàm vsum præferentes] B.T.P.quàm vsum maiorem præferentes.

CAP. XIIII.

circumnectitur] B.T.P. circumretitur.
quasi riui] B.T. P. quòd riui.
vnus sanguinis] B.T. viuus sanguinis.
tot res, tot viscerum genera] ita B. Plant. al. res tot, tanta viscerum, &c.

CAP. XV.

vox oriri] ita B.T.P. Plant. al. deest vox.
ex maximo] B.T.P. & maximo.
vt enim) B. T. etenim.

CAP. XVI.

quanto tandem miraculo) B. quo tandem,&c.
tum quòd) B. tunc cum.
tanquam in arce habitare) B. T. P. tanquam in arce corporis habitare.
sed quando) B.T. P. sed cum.
ex thesauro recondito) B. ex thesauro recõditũ.
sin autem non, hoc tamen nihilominus, &c.) ita Florent. at B. T. sin autem non est ita, tamen nihilom.&c.al.siue autem non,tamen nihilom. al. sin autem non, tamen nihilom. &c.
cum sit natura eius) ita B. T. Plant. al. deest τὸ eius.
vt solidis) B. vt calidis.
scilicet) ita B. T. P. Florent. al. idest.
sicut nerui benè intenti conspirantem sonum) ita vterque Cod. Sancti Saluator. & T. al. sicut

sunt

sunt neruj bene intenti ad conspir. son.
aut interceptum] B.T.aut interruptum.
non harmoniam] B.T.nunquam harmoniam.
tactu artificis] B.T. tractatu artificis.

CAP. XVII.

qui ventum putant esse] ita B.T.P. Plant.al. deest τὸ esse.
videamur] B.P.videmur.
Varro itaque definiit] B. Varro ita definit.
tepefactus] B.T.P. temperatus.
huiusmodi rerum] ita B.T. Plant.al.τὸ rerum non habetur.
quis dixerit] B.quispiam dixerit.
aut vitreum, aut (vt Empedocles ait) aerem glaciatum] ita B.al.aut vitreum, vt Emped. &c.
genitricis] B. matricis.
mortui fuisse] al. mortui esse.
his omnibus] ita B. T. Plant. sed P. his rebus omnib. al, τὸ his, non legitur.

CAP. XVIII.

nam si nullas] B. quæ si nullas.

CAP. XIX.

feruntur animæ] ita B. T. P. Florent. al. feruntur animæ corporibus, &c.
quando tamen, aut quomodo id fiat] ita B.T.Plãt. Florēt.at.P.qua ratione tamen, aut quomo. &c.
solus efficit] B.P. solus effecit.
& citra hoc opus] ita B.T.P.al. & circa hoc, &c.
& ideo] ita B.Plant.al.deest copula.
conceptus ipse] al. conceptus ipsi.
incolumi sumus] B.T.P.incolumes sumus,
an vtamur] B-T.vt vtamur P. an vtamur, an non vtamur.

CAP. XX.

sine ipsa] hæc non habentur in T.P.
non modò non esset, sed ne appareret quidẽ] al nõ modò nõ esse, sed ne apparere quidem posset.
ita quoniam] T.P. itaque quoniam.
sudauerit] ita T.al. fundauerit.
animum, quo sublimium] al. animam, qua sublim.
prodiderit] B. prodegerit P. perdiderit.
si delicatus magis, ac tener in hac vita fuerit, quã ratio] B.T.P.si delicatus, ac tener, &c.al.si delicatus, ac tener in hac vita aliter fuerit, &c.
rectum rectè] τὸ rectè non habetur B.T. Plant.

CAP XXI.

esse debeas] B. T. esse debebis.
laturus] al. lecturus.
tunc ego] ita B.T. P.Iunt.al.tunc ergo.
quam ipse non nouit?] B.T.quod ipse nõ nouerit?

SVMMARIA CAPITVM
SINGVLORVM LACTANTII LIBRORVM

Huc autem ea reiecimus, quòd sciamus Authorem tractatus hosce non in capita diuisisse, sed serie continua conscripsisse.

CAPITA PRIMI LIBRI INSTITVTIONVM.


Vanta sit, & fuerit semper cognitio veritatis, & quòd nec sine Religione sapientia, nec sine sapientia sit probanda Religio. c. primum.
De errore Philosophorum euacuantiũ prouidentiam, & publica statuentium fide. c.2.
An potestate vnius Dei Mundus regatur, an multorum. c.3.
Quòd sub vno vniuersali Deo particulares plures esse non possunt testimonio Prophetarum. c.4.
De testimonijs Poetarum, & Philosophorum c.5.
De testimonijs Cotta Pontificis, & Trismegisti, et de decem Sibyllis. c.6.
De testimonijs Apollinis, & Deorum. c.7.
De cæcitate eorum, qui Deos plures opinantur, & vnde hic error habuit originem, & corpus Deo non esse necessarium, nec propagationem liberorũ. c.8.
De Hercule, & ortu eius, & gestis, & morte. c.9.
De Æsculapio, Apolline, Neptuno, Marte, Castore, & Polluce, & Mercurio. c.10.
De Iouis ipsius parentibus, & ortu, & vita flagitiosa, morte, & sepultura, & de opificio Poetarum. cap.11.
Quomodo Stoici figmenta Poetarum ad physicam transferant rationem. c.12.
Quomodo Poetæ, & Historici euacuant Stoicorum traditionem de Ioue, Saturno, & alijs Dijs. c.13.
Quòd Ennius docet eadem in sacra historia. c.14.
Qua ratione homines Dij cœperint nominari. c.15
Qua ratione Dij esse non possunt, quos sexus discernit, & quòd in naturam Dei non cadit aut sexus, aut coitus, aut officium generandi. c.16.
Quòd Stoici fidem historiarum, & Poetarum figmẽta inani physica ratione peruertunt, & quæ miseria, & turpitudines de Dijs referantur. c.17.
Quomodo refellantur ij, qui Deos factos ex hominibus mentiuntur. c.18.
Quòd Deos vanos, & Deum verum nemo simul colere potest. c.19.
De propria Romanorum religione. c.20.
De sacrificijs, & mysterijs eorum. c.21.

Quis apud Romanos tot, & tantar u m superstitionum præcipuus author extiterit, & quis apud alias gentes. c.22.

Quo tempore cœperint superstitiones, quibusquè sub authori bus. c.23.

SECVNDI LIBRI.

Quod rationis obliuio, & ignorantia sui faciat homines ignorantes veri Dei, qui colitur in aduersis, & in prosperis contemnitur. c.1

Quæ fuerit prima causa fingēdi simulachra, & quod verissima Dei imago sit homo, & quòd extra se Deum nem o fideliter colit. c.2.

Quòd Cicero, & alij, qui videbantur sapientes, cæteris deterius peccauerunt. c.3.

Quòd nihil maiestatis, & reuerentiæ habeant idola. cap.4.

Quòd solus omnium creator verus Deus est, solusq; colendus, nec elementa, nec corpora cælestia aliquid diuinitatis habent, in quo & Stoici desipiunt qui stellas Deos putant, quæ non sua voluntate mouentur, sed Dei, & qua ratione eas sic moueri voluerit. c.5.

Quòd nec terra, nec aqua, nec pars aliqua mundi, nec totus ipse mundus est Deus, nec est animatus sicut Stoici mentiuntur, qui idem astruunt pariter, & euertunt. c.6.

Quòd dupliciter peccant insipientes, & quòd auaritia sub obtentu religionis colitur, præualente rationi traditione maiorum, & qui fuerint maiores, quorum authoritas præiudicat veritati. c.7.

Quod rationi potius innitendum est, & quæ miracula scripta sint ad confirmationem erroris multorum. c.8.

Quòd per inuidiam diaboli intrauit mors, & pullulant radices errorum, & quod Deus ipse Natura est, qui materiam primordialem, & omnia fecit ex nihilo. c.9.

Quòd Deus quatuor elementa distinxit, & quatuor qualitates, & quatuor tempora; & quod ex humore, & calore fit vita, & quare homines igne, cætera animalia magis vtantur aqua. c.10.

Quòd creato mundo facta animalia sunt propter hominem, & tandem homo ipse, & quid sit, quod Poetæ finxerunt, Deucalionem homines reparasse & quòd Aristoteles falsò putauit, mundum esse æternum, & quæ sint tres Parcæ. c.11.

Quòd non de terra, vel sponte sua nata sunt animalia, sed dispositione diuina, cuius fecisset Deus nos conscios, si scire expediret. c.12

Quare duo sunt sexus mundi minoris, idest hominis, & quid sit mors sius prima, quid secunda, & de primorum parentum culpa, & pœna. c.13.

Quòd non Liber pater fuerit inuentor vini, sed Noe post diluuium, & quæ fuerit origo gentium, & qui primi habuerint scientiam astrorum, & ignorantiam Dei. c.14.

De inquinatione Angelorum, & duobus generibus Dæmonum, qui se persuaserunt vt Deos coli, quos etiam Philosophi familiares habuerunt, vt Socrates. c.15.

Quòd hi prodesse putantur, cum nocere desinunt nec possunt aliquid in eos qui in fide solidati sunt, sed sanctis subiecti eis tanquam serui obediunt. capitulo 16.

Quòd hi astrologiam, aruspicinam, & omnes artes reprobas inuenerint, & persuaserint cultum Idolorum per miracula, & varias fallaciarum tendiculas. c.17.

Cur Deus humano generi sic patiatur illudi, & quod tribus de causis vana est Deorum religio. c.18.

Quòd in cultu simulachrorum nulla potest esse religio, nam à simulatione, idest à fallacia dicuntur. cap. 19.

Breuis epilogus, quo dicit, gentibus superatis sibi à Philosophis grauius imminere certamen. c.20.

TERTII LIBRI.

Commendatur in primis veritas, & omni præfertur eloquentiæ, & quare eam non fuerint assecuti Philosophi, aperitur; & quare stylo simplici sacra scribuntur eloquia, & quod Philosophis illic maximè credendum est, cum suam ignorantiam profitentur. c.1.

Quòd ipso nomine philosophia conuincitur, quàm inanis fuerit gentiliter philosophantium occupatio. c.2.

Ex quibus rebus philosophia constet, & quis author fuerit Academicæ sectæ, quæ nihil certò definit, solamque opinionem esse in philosophia gentilium qui ideo plus audent, quia errores eorum non arguit nisi Deus. c.3.

Quomodo Zeno, & Socrates totam philosophiam sustulerunt de medio, quæ quasi quodam ciuili bello suis confecta est armis. c.4.

Contra Academicos, quòd multa scire, & natura rerum, & vita necessitas cogit. c.5.

Quomodo sapientia in medio errantium fuerit, & Academici contra Physicos, & Physici contra Academicos dimicauerint, & quæ sint assistarum exempla quæstionum, & quòd rationes cælestium, siue naturalium sciri non possunt. c.6.

De morali philosophia & quare sicut vtilior, ita & cæteris philosophiæ partibus sit facilior, & quæ fuerint omnium ferè Philosophorum de summo bono sententiæ. c.7.

Quòd vera sapientia docet, hominis summum bonum non esse animi, vel corporis voluptatem, aut aliquod eorum quæ à Philosophis proposita sunt. c.8.

Quid sit verè sapientis summum bonum, & quam vitiosa fuerit ratio Anaxagoræ, ad quid natus sit homo. c.9.

Quòd ea, quæ videtur esse hominis propria, cæteris quoque animalibus quodammodo communia sunt, hominis verò proprium est Deum noscere, & colere. c.10.

Quod Deus fecit hominem cupidum religionis, & sapientiæ, quorum alterum sine altero constare non potest, & quod nihil eorum, quæ mortales appetūt, summum bonum est. c.11.

De duplici pugna corporis, et animæ, et hostibus utriusq; & quòd virtus nō ꝓpter se appetēda est; & virtutē necessariò sequitur, & ī præsēti haberi nō potest. c. 12

Quòd animum sit immortalis, & quare diuina traditio logicam non desiderat, aut physicam, sed ethicam solā, in qua docenda summi Philosophi errauerunt, & quare philosophia non sit dux vitæ, & virtutum parens, expultrixquè vitiorum, quod tamen Cicero, & alij astruere conati sunt. c. 13.

Quòd Lucretius, & alij errauerunt, opinati, sapientiā inuentam esse ab homine, non datam hominibus à Creatore, & quomodo Cicero suis verbis conuincitur, & quòd philosophia nec verum docet, nec ad rectè viuendum instruit. c. 14.

Quòd in eodem errore fuit Seneca, & quid philosophia secundum ipsum: Quòd sicut Deus vnus, & veritas vna, ita vna est, & simplex sapientia, & quomodo Philosophorum oratio pugnet cum vita. c. 15.

Quòd rectè docentes, & malè viuentes, teste Cicerone, non vtilitatem ex philosophia, sed inanem percipiunt oblectationem; & quòd sapientia se ipsam in bonis actibus semper exerceat, & quare non philosophiæ, sed sapientiæ ipsi sit iugiter insistendum. c. 16.

Quæ fuit doctrina Epicuri, qui moribus omnium appositissimè loquebatur; & quomodo Leucippum, & Democritum habuerit authores erroris, & fabros atomorum, & assertores voluptatis. c. 17

Quomodo Pythagorici, & Stoici contrario Epicureis errore desipiant, sic animarū immortalitatē statuētes, vt eas in varia corpora transire mētiantur, & voluntariam mortem persuaserint inaniter philosophantibus. c. 18.

Quòd Cicero, & alij sapientissimi immortalitatē animarū, sed īfideliter docēt, & quòd mala, vel bona mors sit pōderanda ex antecēdēti vita, & gratia Dei. c. 19.

Quòd Socrates in eo fuerit cordatior cæteris, quia à scrutinio cælestium, & naturalium causarum disputationem suspendit, in quibus temerè consumitur ingenium, & tempus; sed in multis desipuit, quorum subijciuntur exempla. c. 20.

Quòd Plato didicerit à Socrate ea, quæ si obtineret humani generis periret societas. c. 21.

Quòd dogma Platonis non erat nisi criminis fons, & fomes, & virtutum omnium exterminium. c. 22.

De minorib᷒ philosophis, & quatenus inuicē ratione ex ferū cōtēptu proficiāt, & erroris assertores sīt. c. 23.

De antipodibus, quos ideo esse finxerunt, quia opinati sunt mundum esse rotundum. c. 24.

Quot, & quanta prædiscenda sunt gentiliter philosophātibus, & quòd philosophiam assequatur nullus, aut rarus. c. 25.

Quòd doctrina cælestis sola sapientiam largitur, quam natura communis appetit, & quærens philosophia non inuenit, & quàm efficax sit lex Dei, & Ecclesiæ sacramenta. c. 26.

Quòd Philosophi sæpè rectè præcipiunt, & interdum verum vident, & quare non sit eis credendum in quo solùm nitatur conditio creaturæ: & vnde, & quomodo philosophi suis inuicem gladijs pereunt. c. 27.

Quòd fortuna nihil est, quam Philosophi non modò Deum, sed Deum mentiuntur, & quomodo hunc errorem Dæmones immiserint eis, qui Deum nesciebant, aut contemnebant. c. 28.

Itē repetitio de fortuna, & natura, & definit. eius c. 29.

Epilogus, quo docet, quomodo transcendendum est à vanitate philosophorum, & ad veram sapientiam aspirandum, idest ad verbum Dei, in quo solo & veritas, & virtus continetur, & beatitudo; & ab eis, quæ dicta sunt, ad dicenda transitum facit. c. 30.

QVARTI LIBRI.

Qvomodo vnius seculi error in omnem sit transfusus ætatem, & orbem occupauerit; & Græcia post gloriam septem Sapientum studio perquirendæ veritatis exarserit, & studiosi eius se maluerint Philosophos, quàm sapientes appellari. c. 1.

Quòd ibi quærenda est sapientia, vbi gentibus est stultitiæ titulus, & quare Pythagoras, & Plato literarum perscrutatores non accesserunt ad Iudæos. c. 2.

Quòd sapientia, & religio inseparabiliter cohærent, & quòd necesse est, eosdem esse non diuersos, secretarios sapientiæ, & numinis sacerdotes, & quare contra naturam sit colere plures Deos, & quomodo necessitate natura oportet, vnum Deum esse vnicuique sicut & patrem vnum. c. 3.

Quòd sapientia spectat ad filios, religio ad seruos, & vtrinsque fons Deus vnus solus, & verus, qui ingratum abdicat filium, & fugitiuum punit seruum. c. 4.

Quòd oracula Prophetarū sollicitè inspiciēda sunt, quos diuinitus esse locutos rerum multo ante prædictarum cōuincit euentus, & quo tempore prophetauerit Moyses; quot annis Iosue rexerit populum; quot annis præfuerint Iudices; quamdiu regnauerint Reges Iudæorum; quo tempore dominatus fuit Cyrus; & quòd in Prophetis est sapientiæ fundamentum. c. 5.

Quòd Deus creator omnium omnipotentem genuit filiū, & per eum crexerit vniuersa, testes sunt Sibylla, & Trismagistus, oracula consona Prophetis, & sapientissimo Salomoni. c. 6.

Quòd nomen filij, & angelis, & hominibus sit ignotum, licet nomen habeat, quod ab vtrisque adoratur; & vnde dicatur IESVS, & vnde CHRISTVS. c. 7.

Quòd filius bis natus est, æternaliter à patre, temporaliter de Virgine Matre, sed natiuitate inexcogitabili, & ineffabili, & quare dicatur Verbum, & in quo ab alijs Angelis differat, & quare illi non dicantur Verbum Dei, vel verba, & quare hominis spiritus dissolubilis, & quid Dauid, & Salomon prophetauerint de hoc verbo, & quantum Salomon præcesserit Troianum excidium, & quid Ioannes Euangelista de eodem Verbo. c. 8.

Quòd caput religionis, & via veritatis est Deũ noscere, & fideliter colere, & quare diuersæ leges sint à gentibus institutæ, & quis ingeat integritate sensuũ, quã gratia largitur potius quàm natura. c. 9.

Quod Religio Deo, misericordia homini debetur, & quas causas ædificandi ciuitates, & viuendi socialiter, & inuentionis verborum falsò commenti sunt. c. 10.

In quos sit præcipuè humanitas exercenda, & in quibus liberalitatibus imaginarijs pereat opera, & impensa præstantis. c. 11.

A quo sit speranda, & expetenda, & quæ, & quanta sit veræ liberalitatis merces, & quàm inanis, & nulla falsæ, & qui sunt gradus humanitatis. c. 12.

De præmio largitionis, à quo nullus quantumlibet purus à labe peccati sibi temperare debet, & de tribus gradibus virtutis. c. 13.

Quòd philosophi vera caruerunt humanitate, qui cum Stoicis eam inter morbos animi posuerunt. c. 14

Quomodo Peripatetici vincunt Stoicos, & docent, affectuum naturalium stimulos euelli non posse, sed mitigari, & quòd ea, quæ brutis animalibus data sunt, singulis hominibus insita sunt vniuersa, & quomodo Stoici mentis affectiones definiant. c. 15.

Quomodo Peripatetici errauerint, & quòd bonus vsus affectuum virtus est, malus vitium, & quòd vsus ipse ex causa pensandus est. c. 16.

Quòd ea, quæ Philosophi vitia putant virtutes sunt, si tamen referantur ad finem debitum, idest ad Deũ: & quòd insani sunt, qui humanam naturam ingenitis affectibus spoliare nituntur. c. 17.

Quomodo præcepta Dei, quibus insistendũ est, à philosophicis diffidcant institutis, & quis sit patientiæ titulus. c. 18.

Quòd Peripatetici Stoicis obuiant in defensione affectuum, & quæ sint tres furiæ, quas Poetæ finxerunt, & quis earum vsus sit, & abusus. c. 19.

De quinq; sensuũ voluptatibus, & quare plus voluptatis datũ sit homini à natura, quàm cæteris animãtibus, & primò de voluptate visus, & de spectaculis euitãdis, & de ludorum, & spectaculorũ authoribus. c. 20.

De voluptate aurium, & quid sibi velit diuinorum eloquiorum simplicitas, quæ omnibus carminibus, & floribus, pompisquè verborum præferenda est c. 21.

De voluptate olfatus, & gustus, quam vir prudens euitare debet. vt laqueos, & tendiculas mortis. c. 22.

De voluptate tactus, & quare sit in homine vehemẽtior quàm in cæteris animalibus, & quãtas per eam Diabolus turpitudines ingerat, & spicula gehennæ. De illicito coitu, & licito. & quare inter omnia a[n]imãtia sola mulier post conceptum sit patiens viri, & quis sit continentiæ, vel incontinentiæ fructus. c. 23.

De pœnitentia, & fructu eius. & conscientiæ stimulis, & de stricto Dei iudicio, & quibus sacrificijs, & in qua ara possit placari. c. 24.

De differentia doni, & sacrificij diuini, & forma laudandi Deum, & de orationis forma, & fructu. c. 25.

SEPTIMI LIBRI.

QVid sit dictum in præcedentibus libris, & quid dicendum in vltimo. Quid sint credituri veritati, & qui non, & quare. c. 1.

Quòd aureum seculum, idest felicissimus status futurus est post iudicium, & quare ratio mundi non potest ab homine apprehendi, & quòd veram sapientiam nõ assequitur quis beneficio naturæ, sed gratiæ. c. 2.

Quantum errauerint Stoici de ratione mundi. & authore omnium Deo, & de homine, per quem factus est mundus, & quam manifestè contra Epicurum doceatur rationibus, mundum, & omnia, quæ in eo sunt Dei prouidentia gubernari. c. 3.

Quòd omnis res ad aliquẽ vsum facta est, etiam illa omnia, quæ omnino videntur esse mala, & quare homo creatus sit corpore fragilis, & capax rationis. c. 4.

Quare homo creatus sit, & quare ex contrarijs constet, & quod ei domicilium constitutũ est in medio, & vita duplex proponitur, quarum alteram ministrat natura, alterã largitur gratia, & quid significet. quod homo primũ quadrupedibus conformatur, & postea erigitur, & tandem vtitur exercitio rationis. c. 5.

Quare mundus creatus sit, quare homo, quàm inanis sit cultus Deorum. c. 6.

Quare Philosophi nequiuerint comprehendere veritatẽ integrè, quã tamen. sicut exempla declarant, particulatim cõprehẽderunt, totã defendere nequiuerũt. c. 7

De immortalitate animæ, & quibus eam argumentis Plato sit conatus astruere. c. 8.

Quæ sit de immortalitate animæ fidelis assertio, & quòd laborũ, virtutiũq; finis beata æternitas est. c. 9.

Item de immortalitate animæ, & quòd virtus semel habita perpetuatur, & amitti nõ potest, & q̃d duplex vita est, & itẽ mortes duæ homini proponũtur. c. 10.

De resurrectione corporum, & morte, & animarum perpetuitate. c. 11.

De immortalitate animæ contra Lucretium, & Epicurum, & de differentia mentis, & animæ, & corporum resurrectione. c. 12.

Quibus testimonijs immortalitas animæ approbatur, & futurum iudicium Dei, & quantum Aristoxenus alios vicerit in errore. c. 13.

De fine mundi, & errore Chaldæorum, & quòd post sex ætates, idest sex mille annorum status mundi mutabitur, & renouabitur, & quòd mille anni sunt vnus dies Dei, & quòd post iudicium mille annos regnabunt electi Dei. c. 14

Quòd submersio Pharaonis, & Ægyptiorum, & liberatio hebræorum de seruitute Ægypti præfigurauit liberationem electorum, & reproborum damnationẽ, quæ futura est in fine mundi, et quòd signa multa sicut illã, ita et hanc præcedent liberationem, et quod Romanum imperium ante delebitur, et in Asiã summa potestas reuertetur, et quibus ætatum gradibus Roma creuerit, et deficiat. c. 15.

Quando

Quando Imperij ventura sit destructio, & quæ illi signa præcessura sint secundum vaticinia Prophetarum, & Sibyllæ. c.16.
De aduentu magni Prophetæ, qui Elias dicitur, & quomodo interficietur ab Antichristo, & resurget die tertia, & ascendet in Cælum, & de persecutione Ecclesiæ, quam infert Antichristus, & de miraculis eius. c.17
Quomodo hæc pronunciata sint vaticinijs Prophetarum, & oraculis gentiliũ vatum, & Sibyllæ. c.18
Quomodo Christus, & quibus præcedentibus signis descendet de Cælo, vt interficiat Antichristum, & tyrannos, & impios deleat de terra, & quòd vigiliæ nocturnæ Christianorum ideo institutæ sunt quod Christus de nocte venturus est; & quod Dij, & cultores eorum dabuntur incendio, sicut Sibylla prædixit. c.19.
Quomodo aperientur inferi, & resurgent mortui, & qui iudicandi sunt, & qui non, & quomodo hæc Sibylla prædixerit, & qua ratione anima, cum immortalis sit, passibilis esse possit secundum Stoicos. c.20.
De potentia Dei, quæ pro merito cuiusq; potest homines, & Angelos punire. De carnis immortalitate post resurrectionem. De differentia ignis gehennalis, & ignis communis, & quid ignis in electis, & quid in reprobis operabitur. c.21.
Quod hæc a quibusdam dicitur esse poetica; & vnde ad notitiam venerint poetarum, & quibus de causis corruperint veritatem, & lethæum amnem, & alia phantastica finxerint. c.22.
De resurrectione, & quod Pythagoras, & alij Philosophi ineptè locuti sunt de anastasi, mentientes, animas in varia transire corpora. c.23.
Quod secundum vaticinia Sibyllæ post iudicium per mille annos regnabit in terra filius Dei cum electis suis in sancta ciuitate, quam constituet, & quod diabolus vincietur mille annis, & omnis creatura mansuescet, & ad iucunditatem seruiet homini, & quod Christus ab omnibus coletur vt Deus, & Dominus. c.24.
Quod non restant ex quarundam scripturarum assertione nisi ducenti anni vsque ad rerum innouationem, & quod finis non aderit nisi Roma destructa. c.25.
Quod elapsis mille annis aurei seculi post iudicium soluetur item Diabolus, & concitabit gentes, vt sanctam expugnet ciuitatem, & obsidebunt eam, & quomodo eas omnino destruet Deus, & pœnis æternis tradet, electis translatis ad gloriam Angelorum. c.26.
Exhortatio vt omnes properent ad suscipiendam cum religione sapientiam, per quas ad beatissimã peruenitur æternam vitam. c.27.

LIBRI DE IRA DEI.

PRoœmium, in quo præmittens ordinem dicendorum, ad habendam veritatem docet, Deum esse cognoscendum. c.1.
De gradibus per quos ad veritatem ascenditur, & qui de ipsis gradibus deijciantur. c.2.
Quod nullus asseruit, Deum irasci, & gratia non moueri. c.3.
Contra Epicurum disputat, qui negabat, Deum irasci, gratificari, & omnia prouidere. c.4.
Contra Stoicos dicentes in Deo esse gratiam, sed non iram. c.5.
Quod Deus irascitur. c.6.
Quod Philosophi errant, & quòd homines ab alijs animantibus maximè differunt religione, quæ hominis est propria. c.7.
Contra Epicurum religionem subuertẽtem, & quod religio sit habenda. c.8.
Varias opiniones de mundi opificio, & gubernatione enumerat. c.9.
Quod mundus Dei prouidentia factus sit, & gubernetur. c.10.
Vtrum vnius Dei, an plurium Deorum prouidentia mundus regatur, & constet. c.11.
Quod religio sit, & hominis sit. c.12.
Quod omnia tam bona, quam mala hominis gratia facta sunt. c.13.
Cur Deus fecerit hominem. c. 14.
Vnde ad hominem peccata perueniant. c.15.
Quæ materia sit in Deo gratiæ, vel iræ. c.16.
Quòd Deus administrat mundum, & regit hominum actus, & per consequens irascitur. c.17.
Quod sine ira peccata non corriguntur. c.18.
Quod homo, ex corpore vitia, & ex anima virtutes habeat, & quod, cum velit Deus homines bonos, eorum vitijs irascitur. c.19.
Quod malorum felicitas iræ Dei non contradicat, & quod sit Deus patientissimus. c.20.
Si Deus irascitur, cur hominem irasci prohibeat? cap.21.
Epilogus, & inductio authoritatum Sibyllæ Erythrææ ad iram Dei probandam. c.22.
Authoritatibus aliarum Sibyllarum iram Dei probat. c.23.
Concludit Deum amandum, verendum, honorificãdum, & metuendum. c.24.

LIBRI DE OPIFICIO DEI

PRoœmium, in quo narrat, cur hoc opus assumpserit. c.1.
Quæ Deus homini, & quæ cæteris animantibus dedit. c.2.
Contra Epicureos disputat, qui opera naturæ damnabant, & præcipue, quod homo cæteris animantibus imbecillior oriatur. c.3.
Contra Epicureos conquerentes, homines morbis, & immaturæ morti subiectos. c.4.
De differentia creationis animalium brutorum, & hominis secundum corpus. c.5.
Contra Epicurum, qui ex atomis fortuitò concurrentibus compactum, fabricatumque hominem disputauit. c.6.
De Dei prouidentia circa vniuersalem hominis fabricam. c.7.

De forma hominis, & omnium membrorum habitudine, sed specialiter de auribus, & oculis. c.8.

Contra eos, qui sensus falsos esse contendunt. c.9.

Ad oculorum fabricam redit, & omnium membrorũ habitudinem, sed specialiter eorum, quæ vsque ad ventrem per cutem apparent. c.10.

De visceribus, & intestinis vsque ad membra genitalia. c.11.

De membris conceptionis, & ipsius conceptus physica ratione. c.12.

Contra illos, qui per voluptatem membris genitalibus abutuntur, & de subditorum membrorum forma. c.13.

Quod de multis, quæ sunt in corpore ratio sciri nequit. c.14.

De obscura vocis ratione. c.15.

Vbi sit mentis sedes, & qua ratione corpori coniungatur. c.16.

Quod anima sit æterna, & quid sit secundum Philosophorum varias opiniones. c.17.

Vtrum animus, et anima sint idem. c.18.

De origine animæ. c.19.

Cur Deus dederit spiritum tentatorem. c.20.

Operis conclusio, et veritatem superari non posse. c.21

FINIS.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Mag. S. Pal. Apost.

A. Riualdus Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Reuerendiss. P. Mag. Sac. Palatij Apost. Socius, Ord. Præd.

LVCII



LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI
DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS GENTES.
Liber Primus.

DE FALSA RELIGIONE.
CAPVT PRIMVM.


AGNO, & excellenti inge-
nio viri, cum se doctrinæ
penitus dedissent, quic-
quid laboris poterat im-
pendi, contemptis omni-
bus publicis, & priuatis
actionibus, ad inquirendę
veritatis studium cōtulerunt, existimantes
multo esse prçclarius humanarum, diuina-
rumq; rerū inuestigare, ac scire rationem,
quàm aut struendis opibus, aut cumulandis
honoribus inhærere, quibus rebus (quoniā
fragiles, terrenæq; sunt, & ad solius cor-
poris pertinent cultum) nemo melior, ne-
mo iustior fieri potest. Erant quidem illi
veritatis cognitione dignissimi, quam scire
tantopere cupierunt, atque ita vt eam re-
1 bus omnibus anteponerent; ' Nam &
abiecisse quosdam res familiares suas, &
renunciasse vniuersis voluptatibus cōstat,
vt solam, nudamque virtutem nudi, expe-
ditiq; sequerentur, tantum apud eos virtu-
tis nomen, atq; authoritas valuit, vt in ea
omne summi boni prçmium esse iudicarēt:
Sed neque adepti sunt id quod volebant, &
op ram simul, atque industriam perdide-
runt, quia veritas, idest arcanum summi
Dei, qui fecit omnia, ingenio, ac proprijs
non potest sensibus comprehendi; alioqui
nihil inter Deum, hominemq; distaret, si
consilia, & dispositions illius maiestatis
æternæ cogitatio assequeretur humana:
Quod quia fieri non potuit, vt homini per
se ipsum ratio diuina innotesceret, non est
passus hominem Deus lumen sapientiæ re-
quirētem diutius oberrare, ac sine vllo la-
boris effectu vagari per tenebras inextrica
biles. Aperuit oculos eius aliquando, & no-
tionem veritatis munus suum fecit, vt &
humanam sapientiam nullam esse mōstra-
ret, & erranti, ac vago viam consequendę
immortalitatis ostenderet. Verùm quo-
niam pauci vtuntur hoc cælesti beneficio,
ac munere, quòd obuoluta in obscuro ve-
ritas latet, eaque vel contemptui doctis est,
quia idoneis assertionibus eget, vel odio
indoctis ob insitam sibi austeritatem, quā
natura hominum procliuis in vitia pati nō
potest (' nam quia virtutibus amaritudo 2
permista est, vitia verò voluptate condita

sunt, illa offensi, hac deliniti feruntur in præceps, ac bonorum specie falsi mala pro bonis amplectuntur) succurrendum esse his erroribus credidi, vt & docti ad veram sapientiam dirigantur, & indocti ad veram Religionem. Quæ professio multo melior, vtilior, gloriosior putanda est, quam illa oratoria, in qua diu versati non ad virtutem, sed planè ad argutam malitiam iuuenes erudiebamus. Multo quippe nunc rectius de præceptis cælestibus disseremus, quibus ad cultum veræ maiestatis mentes hominum instituere possimus; nec tam de rebus humanis bene meretur, qui scientiã bene dicendi affert, quam qui piè, atque innocenter docet iuuere; iccirco maiore in gloria Philosophi, quàm Oratores fuerunt apud Græcos: illi enim rectè viuendi Doctores sunt existimati, quod est longe præstabilius, quoniam bene dicere ad paucos pertinet, bene autem viuere ad omnes.

3 [3] Multum tamen nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, vt nunc maiori copia, & facultate dicendi causam veritatis peroremus, quæ licet possit sine eloquentia defendi, vt est à multis sæpe defensa, tamen claritate, ac nitore sermonis illustrãda, & quoddammodo disserenda est, vt potentius in animos influat, & vi sua instructa, & luce orationis ornata. De Religione itaque nobis, rebusq; diuinis instituitur disputatio;

4 [4] Nam si quidam maximi Oratores professionis suæ quasi veterani, decursis operibus actionum suarum, postremo se philosophiæ tradiderunt, eamq; sibi requiem laborum iustissimam putauerunt, si animos suos in earum rerum; quæ inueniri non poterant, inquisitione torquerent, vt non tam ocium sibi, quàm negocium quæsisse videantur, & quidem multo molestius, quàm in quo fuerant ante versati, quanto iustius ego me ad illam piam, veram, diuinamque sapientiam quasi ad Portum aliquem tutissimum conferam, in qua omnia dictu prona sunt, auditu suauia,

5 facilia intellectu, honesta susceptu? [5] Et si quidam prudentes, & arbitri æquitatis institutiones ciuilis iuris compositas ediderunt, quibus Ciuium dissidentium lites, contentionesq; sopirent, quanto melius nos, & rectius diuinas institutiones literis prosequemur, in quibus non de stillicidijs, aut aquis arcendis, aut de manu conserenda, sed de spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur, vt superstitiones

mortiferas, [6] erroresq; turpissimos sopiamus? 6 Omissis ergo huiusce terrenæ philosophiæ Authoribus nihil certi afferentibus, aggrediamur viam rectam, quos equidem, si putarem satis idoneos ad bene viuẽdum duces esse, & ipse sequerer, & alios vt sequerentur hortarer: sed cum inter se magna concertatione dissideant, secumque ipsi plerunque discordent, apparet eorum iter nequaquam esse directum, siquidem sibi quisque, vt est libitum, proprias vias impresserunt, confusionemq; magnam quærentibus veritatem reliquerunt: nobis autem, qui sacramentum veræ Religionis accepimus, cum sit veritas reuelata diuinitus, cum doctorem sapientiæ, ducemq; veritatis Deum sequamur, vniuersos sine vllo discrimine, vel sexus, vel ætatis ad cęleste pabulum conuocamus; nullus enim suauior animo cibus est, quam cognitio veritatis, cuius afferendæ, atque illustrandæ septem volumina destinauimus, quamuis ea res infiniti penè sit operis, & immensi, vt si quis hęc dilatare, atque exequi plenissimè velit, tanta illi rerum copia exuberet, vt nec libri modum, nec finem reperiat oratio: sed nos iccirco breuiter omnia colligemus, quòd omnia, quę allaturi sumus, tam clara sunt, & lucida, vt magis mirum esse videatur tam obscuram videri hominibus veritatem, & ijs pręcipuè, qui sapientes vulgo putantur, vel quòd tantummodo instruendi homines erunt, hoc est ab errore, quo sunt impliciti, ad rectiorem viam reuocandi. Quod si fuerimus (vt spero) assecuti, mittemus eos ad ipsum doctrinæ vberrimum fontem, ac plenissimum, cuius haustu, atque potu, conceptam visceribus sitim sedent, ardoremq; restinguant; eruntque illis omnia facilia, prona, manifesta, modò ne pigeat ad percipiendam sapientiæ disciplinam legendi, vel audiendi pątientiam commodare: multi enim varijs superstitionibus pertinaciter inhærentes obdurant se contra manifestam veritatem, non tam de suis religionibus, quas prauè asserunt, bene meriti, quàm de se male, qui cum habeant iter rectum, deuios sequũtur anfractus, planum deserunt, vt per pręcipitium labantur, lucem relinquunt, vt in tenebris cæci, ac debiles iaceant. His consulendum est, ne contra se pugnent, velintq; se tandem ab inueteratis erroribus liberari; quod vtique facient, si quare sint nati aliquando peruiderint;

hæc enim prauitatis est causa, ignoratio sui; quam si quis cognita veritate discusserit, sciet quo referenda, & quemadmodum sibi vita diligenda sit. Cuius scientiæ breuiter summam circumscribo. Vt neque Religio vlla sine sapientia suscipienda sit, nec vlla sine Religione probanda sapientia.

CAPVT II.

SVscepto igitur illustrandæ veritatis officio, non putaui adeo necessarium ab illa quæstione principium sumere, quæ videtur prima esse, Natura sit ne prouidentia, quæ rebus omnibus consulat, an fortuitu vel facta sint omnia, vel regantur, cuius sententię author est Democritus, confirmator Epicurus; sed & antea Protagoras, qui Deos in dubium vocauit, & postea Diagoras, qui exclusit, & alij nonnulli, qui non putauerunt Deos esse, quid aliud effecerunt, nisi vt nulla esse prouidentia putaretur? Quos tamen cæteri Philosophi, ac maximè Stoici acerrimè retuderunt, dicentes, nec fieri mundum sine diuina ratione potuisse, nec constare, nisi summa ratione regeretur. Sed & M. Tullius quamuis Academicæ disciplinæ defensor esset, de prouidentia gubernatione rerum, & multa sæpe disseruit Stoicorum argumenta confirmans, & noua ipse afferens plurima; quod facit tum in omnibus suę Philosophię libris, tum maximè in ijs, qui sunt de natura Deorum. *a* Nec difficile sanè fuit paucorum hominũ prauè sentientium redarguere mendacia testimonio populorum, atque gentium in hac vna re non dissidentium. Nemo est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in Cęlum tollens, tametsi nesciat cuius Dei prouidentia regatur hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione; nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio maiori aliquo sit instructum: & nobis vtique facillimum est exequi hanc partem quamlibet copiosè. Sed quia multum inter Philosophos agitata res est, & prouidentiam tollentibus satis responsum videtur ab hominibus argutis, & eloquentibus, & de solertia Diuinæ Prouidentiæ per totum hoc opus, quod suscepimus, sparsim dicere nos necesse est, omittamus hanc in pręsenti quæstionem, quę cum cęteris sic cohęret, vt nihil a nobis differi posse videatur, vt non simul de prouidentia differatur.

a Cic. 2. de nat. Deorũ.

CAPVT III.

SIt igitur nostri operis exordium quęstio illa consequens, ac secunda, Vtrum potestate vnius Dei mundus regatur, an ne multorum. Nemo est quidem qui sapiat, rationemq; secum putet, qui non vnum Deum esse intelligat, qui, & condiderit omnia, & eadem, qua condidit, virtute moderetur: quid enim multis opus est ad mundi regimen sustinendum? nisi forte arbitremur, si plures sint, minus habere singulos neruorum, atque virium: quod quidem faciunt ij, qui esse multos volunt, quia nęcesse est, imbecilles esse, si quidem singuli sine auxilio reliquorum tantę molis gubernaculum sustinere non possent: Deus autem, qui est ęterna mens, ex omni vtique parte perfectę, consumatęq; virtutis est: quod si verum est, vnus sit necesse est; potestas enim, vel virtus absoluta retinet suam propriam firmitatem. Id autem solidum existimandum est, cui nihil decedere, id perfectum, cui nihil possit accedere. Quis dubitet potentissimum esse Regem, qui totius Orbis habeat imperium? Neque immeritò, cum illius sint, quę vbique sunt, omnia, cum ad eum solum omnes vndique copię congerantur. At si plures partiantur Orbem, minus certè opum, minus virium singuli habebunt, cum intra pręscriptam portionem se quisque contineat. Eodem etiam modo Dij (si plures sint) minus valebunt, alijs tantundem in se habentibus. Virtutis autem perfecta natura non potest esse nisi in eo, in quo totum est, non in eo, in quo pars exigua de toto est. Deus vero si perfectus est (nam perfectus est, vt esse debet) non potest esse nisi vnus, vt in eo sint omnia. Deorum igitur virtutes, ac potestates infirmiores sint necesse est, quia tantum singulis deerit, quantum in cęteris fuerit; ita quãto plures, tanto minores erunt. Quid, quòd illa summa rerum potestas, ac diuina

vis ne semel quidem diuidi potest? Quic-
quid enim capit diuisionem, & interitum
capiat necesse est: si autem interitus pro-
cul est à Deo, quia incorruptibilis est, &
ęternus, consequens est, vt diuidi potestas
diuina non possit. Deus ergo vnus est, si
nihil aliud esse potest, quod tantundem
capiat potestatis: & ij tamen, qui mul-
tos esse arbitrantur, officia inter se dicunt
esse partitos, de quibus omnibus suo loco
disputabimus: illud interim, quod ad prę-
sentem locum pertinet, teneo: si partiti
sunt officia inter se, eodem reuoluitur res,
vt ex ijs quilibet sufficere omnibus neque-
at: perfectus igitur iam non erit, qui ces-
santibus cęteris, non potest omnia guber-
nare: ita fit, vt ad regendum mundum
vnius perfecta virtute magis opus sit, quã
imbecillitate multorum: qui autem putat,
hanc tantam magnitudinem non posse ab
vno regi, fallitur, nec enim quanta vis,
potestasq; sit Diuinę Maiestatis intelligit,
si existimat, singularem Deum, qui face-
re mundum potuit, regere non posse, quẽ
fecit: at si concipiat animo, quanta sit
diuini huius operis immensitas, cum antea
nihil esset, tamen virtute, atque consilio
Dei ex nihilo esse conflatam, quod opus
nisi ab vno inchoari, perficiq; non potuit
iam intelliget multo facilius ab vno regi,
quod est ab vno constitutum. Dicat for-
tasse aliquis, ne fabricari quidem tam im-
mensum opus mundi nisi à pluribus potuis-
se: Quamlibet multos, quamlibet ma-
gnos faciat, quicquid in multis magnitu-
dinis, potestatis, virtutis, maiestatisq; po-
suerit, id totum in unum confero, & in
uno esse dico, ut tantum in eo sit istarum
rerum, quantum nec excogitari, nec dici
potest: qua in re, quoniam & sensu defi-
cimus, & uerbis, quia neque tantę intel-
ligentię lucem pectus humanum, neque
explanationem tantarum rerum capit lin
gua mortalis, id ipsũ intelligere nos opor-
tet; ac dicere. Video rursus, quid è con-
trario dici possit. Tales esse illos plures,
qualem nos uolumus unum: at hoc fieri
nullo pacto potest, quòd singulorum po-
testas progredi longius non ualebit, occur
rentibus sibi potestatibus cęterorum; ne-
cesse est enim, ut suos quisque limites, aut
transgredi nequeat, aut si transgressus fue
rit, suis alterum finibus pellat. Non ui-
dent, qui Deos multos esse credunt, fieri
posse, ut aliquid diuersum uelint, ex qua
re disceptatio inter eos, & certamen oria- [a]
tur; sicut Homerus [a] bellantes inter se *Homer. init.*
Deos finxit, cum alij Troiam capi uellent, *20. Iliad.*
alij repugnarent. Vnius igitur arbitrio
mundum regi necesse est; nisi enim singu-
larum partium potestas ad unam proui-
dentiam referatur, non poterit summa
ipsa constare potestas, unoquoque nihil
curante amplius, quàm quod ad eum pro-
priè pertineat. Sicut ne res quidem mili-
taris, nisi unum habeat Ducem, atque re-
ctorem: quòd si in uno exercitu tot fuerint
imperatores quot legiones, quot cohor-
tes, quot cunei, quot alę, primùm nec in-
strui poterit Acies uno quoque periculum
recusante, nec regi facilè, aut temperari,
quòd suis proprijs cõsilijs utantur omnes,
quorum diuersitate plus noceant, quàm
prosint. Sic in hoc rerum naturę imperio
nisi unus fuerit, ad quem totius summa cu-
ra referatur, uniuersa soluẽtur, & corru-
ent. Dicere autem multorum arbitrio re-
gi mundum, tale est, quale si quis affirmet,
in uno corpore multas esse mentes, quo-
niam multa, & uaria sunt ministeria mem
brorum, ut singulos corporis sensus singu-
lę mentes regere credantur; item multi
affectus, quibus commoueri solemus uel
ad iram, uel ad cupiditatem, uel ad lętitiã,
uel ad metum, uel ad miserationem, ut in
his omnibus totidem mentes putẽtur ope-
rari, quod si quis profectò dicat, ne ipsam
quidem, quę una est, habere uideatur.
Quòd si uno corpore [7] tantarum rerum 7
gubernationem mens una possidet, & uni-
uersis simul intenta est, cur aliquis existi-
met, mundum non posse ab uno regi, à
pluribus posse? Quod quia intelligunt isti
assertores Deorum, ita eos pręesse singu-
lis rebus, ac partibus dicunt, ut tamen
unus sit rector eximius. Iam ergo cęteri
Dij non erunt, sed satellites, ac ministri,
quos ille unus maximus, & potens omniũ
officijs his pręficerit, ut ipsi eius imperio,
ac nutibus seruiant: si uniuersi pares non
sunt, non igitur Dij omnes sunt; nec enim
potest hoc idẽ esse quod seruit, & quod do
minatur; nam si Deus est nomen summę
potestatis, incorruptibilis esse debet, per-
fectus, impassibilis, nulli rei subiectus. ergo
Dij nõ sunt, quos parere uni maximo Deo
necessitas cogit; sed quia non frustra fal-
luntur ij, qui hoc ita putãt, causam huius er
roris paulo post aperiemus: Nũc unitatẽ
diuinę potestatis testimonijs cõprobemus.

CAPVT IIII.

Deuter.6.et 27. Reg. 4 Psal.17.& 85.Sap.12. Esai.45.

PROPHETAE, qui fuerunt admodum
multi, vnum Deum prędicant, vnum
loquuntur, a quippe qui vnius Dei Spiritu
pleni, quæ futura essent pari, & consona
voce prædixerunt. At enim veritatis ex-
pertes non putant his esse credendum; il-
las enim non diuinas, sed humanas voces
fuisse aiunt; videlicet quia de vno Deo
præconium faciunt, aut insani, aut men-
8 daces fuerunt. [8] At quin impleta esse in
plerisque quotidie illorum vaticinia vide-
mus, & in vnam sententiam congruens
diuinatio docet non fuisse furiosos: Quis
enim mentis emotæ non modò futura prę
9 cinere, [9] sed etiam coherentia loqui pos-
sit? Num ergo fallaces erant, qui talia
loquebantur? Quid ab his tam longe alie-
num fuit, quàm ratio fallendi, cum cæte-
ros ab omni fraude cohiberent? Iccirco
enim à Deo mittebantur, vt & præcones
essent maiestatis eius, & correctores pra-
uitatis humanæ. Præterea voluntas fin-
gendi, ac mentiendi eorum est, qui opes
appetunt, lucra desiderant; quæ res pro-
cul dubio ab illis sanctis viris abfuit: ita
enim delegato sibi officio functi sunt, vt
derelictis omnibus ad tutelam vitæ neces-
sarijs, non modò in futurum, sed ne in
diem quidem laborarent, contenti ex tem
porali cibo, quem Deus subministrasset,
& hi non modò quæstum nullum habue-
runt, sed etiam cruciatus, atque mortem:
amara sunt enim vitiosis, ac male viuen-
tibus præcepta iustitiæ; itaque ij, quorum
peccata & arguebantur, & prohibeban-
tur, excruciatos eos acerbissimè necaue-
runt. Ergo à quibus abfuit studium lucri,
abfuit etiam voluntas peccandi, & causa
fallendi. Quid quòd aliqui eorum Princi-
pes, aut etiam Reges fuerunt, in quos ca
dere non potest suspicio cupiditatis,
ac fraudis, & tamen præconium Dei
singularis eadem, qua cæteri, diuinatio-
ne fecerunt?

CAPVT V.

SED omittamus sanè testimonia Pro-
phetarum, ne minus idonea probatio
10 videatur esse [10] de his, quibus omnino nõ
creditur: Veniamus ad Authores, & eos
ipsos ad veri probationem testes citemus,
quibus contra nos vti solent, Poetas dico,
ac Philosophos: [11] Ex his vnum Deum 11
probemus necesse est: non quod illi ha-
buerint cognitam veritatem, sed quòd ve
ritatis ipsius tanta vis est, vt nemo possit
esse tam cæcus, qui non videat ingeren-
tem se oculis diuinam claritatem. Poetæ
igitur, quamuis Deos carminibus ornaue
rint, & eorum res gestas amplificauerint
summis laudibus, sæpissimè tamen confi-
tentur, spiritu, vel mente vna contineri,
regique omnia. Orpheus, qui est vetustis-
simus Poetarum, & æqualis ipsorum Deo-
rum (si quidem traditur inter Argonautas
cum Tyndaridis, & Hercule nauigasse)
Deum verum πρωτόγονον & magnum pri-
mogenitum appellat, quod ante ipsum ni-
hil sit genitum, sed ab ipso sint cuncta ge-
nerata: eundem etiam φάνητα nominat;
quoniam, cum adhuc nihil esset, primus
ex infinito apparuerit, & extiterit: cuius
originem, atque naturam, quia concipere
animo non poterat, ex aere immenso na-
tum esse dixit.

πρωτόγονος φαέθων περιμήκεος ἠέρος υἱέ.

Aliud enim amplius, quod diceret, non
habebat. Hunc ait esse omnium Deorum
parentem, quorum causa Cælum condi-
derit, liberisq; prospexerit, vt haberent
habitaculum, sedemq; communem.

ἔκτισεν ἀθανάτοις δόμον ἄφθιτον.

Natura igitur, & ratione ducente intel-
lexit esse præstantissimam potentiam Cæ-
li, ac Terræ conditricem; non poterat
enim dicere, Iouem esse principem re-
rum, qui erat Saturno genitus, neque Sa-
turnum ipsum, qui Cœlo natus ferebatur.
Cælum autem, tanquam Deum primum
constituere non audebat, quòd videbat es-
se elementum mundi, quod ipsum egue-
rit authore: hæc eum ratio perduxit ad
illum Deum primogenitum, cui assignat,
& tribuit principatum. [12] Homerus ni- 12
hil nobis dare potuit, quod pertineat ad
veritatem, qui humana potius, quam di-
uina cõscripsit; potuit Hesiodus, qui Deo-
rum generationem vnius libri opere com-
plexus est: a sed tamen nihil dedit, non a
Deo conditore sumens exordium, sed a
Chao, quod est rudis, inordinatæq; ma-
teriæ confusa congeries, cum explanare
ante debuerit, Chaos ipsum vnde, quan-
do, quomodo esse, aut constare cœpisset;
nimi-

a Hesiod. Theogon.

nimirum ficut ab aliquo artifice disposita, ordinata, effecta sunt omnia, sic ipsam materiam fidam esse ab aliquo necesse est. Quis igitur hanc nisi Deus fecerit? cuius potestati subiacerent omnia: sed refugit hoc ille, dum horret incognitam veritatem: non enim Musarum instructu, sicut videri volebat, in Helicone carmen illud effudit, sed meditatus venerat, & paratus. Nostrorum primus Maro non longe fuit à veritate, cuius de summo Deo, quem spiritum, ac mentem nominauit, hæc verba sunt. *a*

a Virg. 6. Æneid.

Principio Cœlũ, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molẽ, & magno se corpore miscet.

At ne quis forte ignoret, quisnam esset ille spiritus, qui tantum haberet potestatis, declarauit alio loco dicens. *b*

b Virg. 4 Georg.

————————Deum nanque ire per omnes
Terrasque, tractusque Maris, Cœlumque profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemque sibi tenues nascẽtem arcescere vitas.

Ouidius quoque in principio præclari operis *c* sine vlla nominis dissimulatione à Deo, quem fabricatorem mundi, quem rerum Opificem vocat, mundum fatetur instructum. Quòd si vel Orpheus, vel hi nostri quæ natura ducente senserunt in perpetuum defendissent, eandem, quam nos sequimur doctrinam comprehensa veritate tenuissent: sed hactenus de Poetis: Ad Philosophos veniamus, quorum grauior est authoritas, certiusque iudicium, quia non rebus commentitijs, sed inuestigandæ veritati studuisse creduntur. Thales Milesius, qui vnus è septem Sapientum numero fuit, quique primus omnium quæsisse de causis naturalibus traditur, Aquam esse dixit, *d* ex qua nata sint omnia: Deum autem esse mentem, qui ex aqua cuncta formauerit: *e* ita materiam omnium posuit in humore, principium, causamque nascendi posuit in Deo. Pythagoras ita definiuit, *f* quid esset Deus, Animus, qui per vniuersas mundi partes, omnemque naturam commeans, atque diffusus, ex quo omnia, quæ nascuntur, animalia vitam capiunt. Anaxagoras Deum esse dixit *g* Infinitam mentem, quæ per se ipsam moueatur. Antistenes *h* multos quidem esse populares Deos, vnum tamen naturalem summæ totius artificem. *i* Cleantes, *i* & Anaximenes *k* æthera dicunt esse summum Deum, cui opinioni Poeta noster assensit. *l*

c Ouid. initio 1. Metam.

d Arist. 1. met. Ci. 1. de nat. Deor. Plut. in placit. Laert.

13

e ap. Cic. Pl.

f Galen. in hist. Philos. Cic. plut. Laert. Galen. vbi supra.

g Cic. vbi s.

h in phys. ut inf. li. de ira Dei, Cic. de Nat. Deor.

i Cic. vbi s.

14

k Cic. vbi s.

l Virg. 2. Georg. pp. fin.

Tũ pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno permistus corpore fœtus.

15

Chrysipus naturalem vim diuina ratione præditam, interdum diuinam necessitatem Deum nuncupat. *m* Item Zenon diuinam, naturalemque legem. *n* Horũ omnium sententia, quamuis sit incerta, eodem tamen spectat, vt Prouidentiam vnam esse consentiant; siue enim natura, siue ratio, siue mens, siue fatalis necessitas, siue diuina lex, siue quid aliud dixeris, idem est, quod a nobis dicitur Deus. Nec obstat appellationum diuersitas, cum ipsa significatione ad vnum omnia reuoluantur. Aristoteles, quamuis secum ipse dissideat, ac repugnantia sibi & dicat, & sentiat, *o* in summum tamen vnam mentem mundo præesse testatur. *p* Plato, qui omnium sapientissimus iudicatur, monarchiã plane, apertèque defendit, *q* nec æthera, aut rationem, aut naturam, sed, vt est, Deum nominat; ab eo mundum hunc perfectum, atque mirabilem esse fabricatum; quem Cicero secutus, atque imitatus in plurimis Deum frequenter cõfitetur, ac supremum vocat in ijs libris, quos de legibus scripsit, *r* ab eoque regi mundum argumentatur, cum disputat de natura Deorum hoc modo. *s* NIHIL est præstantius Deo, ab eo igitur mundum regi necesse est: nulli igitur est naturę obediens, aut subiectus Deus; omnem ergo regit ipse naturam.] Quid autem sit Deus in Consolatione definit. *t* NEC verò Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quędam, & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & mouens.] Annęus quoque Seneca, qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quàm sępe summum Deum merita laude prosequitur? Nam cum de immatura morte dissereret: NON intelligis (inquit) authoritatem, ac maiestatem iudicis tui, rectoris orbis terrarum, Cęlique, & Deorum omnium Dei, à quo ista Numina, quę singula adoramus, & colimus suspensa sunt.] Item in exhortationibus, HIC cum prima fundamenta molis pulcher-

m Cic. vbi s.

n Cic. vbi s.

o Cic. vbi s.

16

17

p Arist. 2. de gene. 12. meta. libelli de Mũd. c. 7.

q Plat. in Parm. Tim. Phad. Leg. Rep.

r Cic. 1. de Leg.

s Cic. 2. de nat. Deor.

t & 1 t. Tuscul ex Platone.

18

19

20

cherrimæ iaceret, & hoc ordiretur, quo neque ma:us quicquam nouit natura, nec melius, vt omnia sub ducibus suis irent, quamuis ipse per totum se corpus intenderat, tamen Ministros Regni sui Deos genuit.] Et quam multa alia de Deo nostris similia locutus est, quæ nunc differo, quòd alijs locis opportuniora sunt. Nunc satis est demonstrare, summo ingenio viros attigisse veritatem, ac penè tenuisse, nisi eos retrorsum infucata prauis opinionibus consuetudo rapuisset, qua & Deos alios esse opinabantur, & ea, quæ in vsum hominis Deus fecit, tanquam sensu prædita essent, pro Dijs habenda, & colenda credebant.

CAPVT VI.

NVnc ad diuina testimonia transeamus; sed prius vnum proferam, quod est simile diuino, & ob nimiam vetustatem, & quod is, quem nominabo, ex hominibus inter Deos relatus est. Apud
a Cic. 3. de Nat. Deorū. Ciceronem a C. Cotta Pontifex disputans contra Stoicos de religionibus, & de varietate opinionū, quæ solent esse de Dijs, vt more Academicorum omnia faceret incerta, quinque fuisse Mercurios ait, & enumeratis per ordinem quatuor, quintū
21 fuisse eum, à quo sit Argus occisus, [21] ob eamque causam in Ægyptum profugisse, atque Ægiptijs leges, ac literas tradidisse.
22 Hunc Ægyptij [22] Toyth appellant, a quo apud eos primus anni sui mensis, idest September nomen accepit. Idem condidit Oppidum, quod etiam nunc græcè voca-
23 tur ἑρμόπολις, & [23] Pheneatæ colunt eū religiosè: qui tametsi homo, fuit antiquissimus tamen, & instructissimus omni genere doctrinæ adeo, vt ei multarum rerum, & artium scientia Trismegisto cognomen imponerent. Hic scripsit libros, & quidem multos ad cognitionem diuinarum rerum pertinentes, in quibus maie
b stateem summi, ac singularis Dei asserit,
b Mercur. Trism. Pimād. c. 11. Asclep. primo. bijsdemq; nominibus apellat, quibus nos, Deum, & Patrem; ac ne quis nomen eius requireret, ἀνώνυμον esse dixit, eo quod nominis proprietate non egeat, ob ipsam scilicet vnitatem: ipsius hæc verba sunt.
24 [24] ὁ δὲ θεὸς, εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ
25 προσδέεται, ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος] [25] Deo igitur nomen non est, quia solus est; nec opus est proprio vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo, vt vnā quamque personam sua nota, & appellatione designes. Deo autem, quia semper vnus est, [26] proprium nomen est Deus. Su- 26
perest de responsis, carminibusque sacris testimonia, quæ sunt multo certiora, proferre: nam fortasse ij, contra quos agimus, nec Poetis putant esse credendum, tanquam vana fingentibus, nec Philosophis, qui errare potuerunt, quia & hi homines fuerunt. M. Varro, quo nemo vnquam doctior ne apud Græcos quidem, ne dum apud Latinos vixit, in libris rerum diuinarum, quos ad C. Cæsarem Pontificem maximum scripsit, cum de quindecimuiris loqueretur, Sybillinos libros ait non fuisse vnius Sibyllæ, sed appellari vno nomine Sibyllinos, quòd omnes fœminæ vates Sibyllæ sunt à veteribus nuncupatę, vel a consilijs Deorum denunciandis, σιοὺς enim Deos, non θεοὺς, & consilium non βουλὴν, sed βυλὴν appellabant Æolico genere sermonis: itaque Sibyllam dictam esse quasi θεοβούλην. Cæterum [27] Sibyllas 27
decem numero fuisse, easque omnes enumerauit sub authoribus, qui de singulis scriptitarunt. Primam fuisse de Persis, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secundam Libyssam, cuius meminit Euripides in Lamiæ Prologo. Tertiam Delphicam, de qua Chrysippus loquitur in eo libro, quem de Diuinatione composuit.
[28] Quartam Cumæam in Italia, quam 28
Næuius in libris Belli Punici, Piso in Annalibus nominat. [29] Quintam Erythręam, 29
quam Apollodorus Erithræus affirmat suam fuisse Ciuem, eamque Graijs Ilium petentibus vaticinatam, & perituram esse c in carminib. Sibyll.
Troiam, c & Homerum mendacia scri-
pturum. d Sextam Samiam, de qua scri- d In carminib. Sibyll.
psit Eratosthenes in antiquis Annalibus Samiorum reperisse se scriptam. [30] Se- 30
ptimam Cumanam nomine Amaltheam,
[31] quæ ab alijs Demophile, uel Herophi- 31
le nominatur, [32] eamque nouem libros 32
attulisse [33] ad Regem Tarquinium Pri- 33
cum, ac pro eis [34] trecentos Philippeos 34
postulasse, Regemque aspernatum pretij magnitudinem derisisse mulieris insaniā, illam in conspectu Regis tres combussisse, ac pro reliquis idem pretium poposcisse: Tarquinium multo magis mulierem insa-

niro

nire putasse: quæ denuo tribus alijs exustis, cum in eodem pretio perseueraret, motum esse Regem, ac residuos trecentis aureis emisse, quorum postea numerus sit auctus, Capitolio refecto; quòd ex omnibus Ciuitatibus, & Italicis, & Græcis, & præcipuè Erythręis coacti, allatiq; sunt Romam, cuiuscunque Sibyllę nomine fuerint. Octauam Hellesponticam in
35 agro Troiano natam vico [15] Marpesso circa Oppidum Gergithium, quam scribit Heraclides Ponticus Solonis, & Cyri fuisse temporibus. Nonam Phrygiam, quæ
36 uaticinata sit Ancyrę. [16] Decimam Tiburtem nomine Albuneam, quę Tiburi colitur ut Dea iuxta ripas Anienis, cuius in gurgite simulachrum eius inuentum esse
37 dicitur tenens in manu librum, [17] cuius sacra Senatus in Capitolium transtulerit. Harum omnium Sibyllarum carmina, &
38 feruntur, & habentur, [18] prępterquam Cumeę, cuius libri a Romanis occuluntur, nec eos ab ullo, nisi à Quindecimuiris inspici fas est. Et sunt singularum singuli libri, qui, quia Sibyllę nomine inscribuntur, vnius esse creduntur, suntque confusi, nec discerni, ac suum cuique assignari potest, nisi Erythreę, quę & nomen suum
39 uerum carmini inseruit, [19] & Erythręam se nominatum iri pręlocuta est, cum esset orta Babylonię: sed & nos confusè Sibyllam dicemus, sicubi testimonijs earum fuerit abutendum. Omnes igitur hæ Sibyllæ unum Deum predicant, maximè tamen Erythræa, quæ celebrior inter cęteras, ac nobilior habetur: siquidem Fenestrella
40 diligentissimus Scriptor [20] de Quindecimuiris dicens ait, restituto Capitolio retulisse ad Senatum C. Curionem Cos. ut Le-
41 gati [21] Erythreas mitterentur, qui carmina Sibyllę conquisita Romam deportarent. Itaque missos esse P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium, qui descriptos à priuatis uersus circa mille Romam deportarunt. Idem supra ostendimus dixisse Varronem. In ijs ergo uersibus, quos Legati Romam attulerunt de uno Deo hęc sunt testimonia.

42 [22] Εἷς θεὸς, ὃς μόνος ἐστὶν ὑπερμεγέθης, ἀγένητος. a

a In carminib. Sibyll. Theoph. l. 2.

Hunc esse solum Deum summum, qui Cęlum fecerit, luminibusque distinxerit.

43 ἀλλὰ θεὸς μόνος εἷς [23] πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκεν
Οὐρανὸν, ἠέλιόν τε καὶ ἀστέρας ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου. b

b In carminib. Sibyll. ibid. Theoph. vbi supra.

Qui quoniam solus sit ædificator mundi, & artifex rerum uel quibus constat, uel quæ in eo sunt, solum coli oportere testatur. c

c Sibyll. ap. Theophilat. vbi sup.

Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἡγήτορα κόσμου,
Ὃς μόνος εἰς αἰῶνα, καὶ ἐξ αἰῶνος [24] ἐτύχθη. 44

Item alia Sibylla, quecunque est, cum perferre se ad homines Dei uocem diceret, sic ait. d [25] 45

Εἷς μόνος εἰμὶ θεὸς, καὶ οὐκ ἔστιν θεὸς ἄλλος.

d In carmi. Sibyll. sępe, pręsertim ser. 3.

Exequerer nunc testimonia cæterarum, nisi & hęc sufficerent, & illa oportunioribus locis reseruarem. Sed cum defendamus causam ueritatis apud eos, qui aberrentes à ueritate falsis Religionibus seruiunt, quod genus probationis aduersus eos magis adhibere debemus, quam ut eos Deorum suorum testimonijs reuincamus?

CAPVT VII.

APOLLO enim, quem præter cæteros diuinum, maximeque fatidicum existimant, Colophone respondens
([26] quòd Delphis, credo, emigrauerat, 46
amænitate ductus Asiæ) quærenti cuidam quis esset, aut quid esset omnino Deus, respondit viginti, & vno versibus; quorum hoc principium est.

Αὐτοφυὴς, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέλικτος,
Οὔνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενος, ἐν πυρὶ ναίων,
Τοῦτο θεὸς· μικρὰ δὲ θεοῦ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς.

Nunquid potest suspicari, de Ioue esse dictum, qui matrem habuit, & nomen? Quid, quòd Mercurius ille ter Maximus, cuius supra mentionem feci, non modò ἀμήτορα, vt Apollo, sed ἀπάτορα quoq; appellat Deum? quòd origo illi non sit aliunde; nec enim potest ab vllo generari, qui ipse vniuersa generauit. Satis (vt opinor) & argumentis docui, & testibus confirmaui quod per se satis clarum est, vnum esse Regem mundi, vnum Patrem, vnum Deum. Sed fortasse quærat aliquis à nobis idem illud, quod apud Ciceronem quę-
rit Hortensius, [27] si Deus vnus est, quæ 47
esse beata solitudo queat? Tanquam nos, qui vnum esse dicimus desertum, ac soli-
tarium esse dicamus; [28] habet enim mi- 48
nistros

stros, quos vocamus nuncios. Et est illud verum, quod dixisse in exortationibus Senecam supra *a* retuli [11] genuisse Regni sui ministros Deum. Verùm hi neque Dij sunt, neque Deos se vocari, aut coli volunt, quippe qui nihil præter iussum, ac voluntatem Dei faciant. Nec tamen illi sunt, qui vulgo coluntur, quorum & exiguus, & certus est numerus. Quòd si cultores Deorum eos ipsos se colere putant, quos summi Dei ministros appellamus, nihil est, quod nobis faciant inuidiam, qui vnum Deum dicamus, multos negemus. Si eos multitudo delectat, non duodecim dicimus, aut trecentos sexaginta quinque (vt Orpheus) sed innumerabiles esse, arguimus eorum errores in diuersum, qui tam paucos putant: sciant tamen, quo nomine appellari debeant, ne

50 Deum verum violent, [11] cuius nomen exponunt, dum pluribus tribuunt. Credant Apollini suo, qui eodem illo responso, vt Ioui principatum, sic etiam cæteris Dijs abstulit nomen. Tertius enim versus ostēdit, Dei ministros non Deos, verùm Angelos appellari oportere. De se quidem ille mentitus est, qui cum sit è numero Dæmonum Angelis se Dei aggregauit: deniq; in alijs responsis Dæmonem se esse confessus est. Nam cum interrogaretur, quo modo sibi supplicari vellet, ita respondit,

51 Πάνσοφε, παντοδίδακτε, [11] πολύστροφε, κέκλυθι δαῖμον.

Item rursus cum preces in Apollinem Smynthium rogatus exprimeret, ab hoc versu exorsus est.

Αρμονίη κόσμοιο φαεσφόρε, καὶ σοφὲ Δαῖμον.

Quid ergo superest nisi vt sua confessione verberibus veri Dei, ac pœnæ subiaceat sempiternæ? Nam in alio responso ita dixit.

Δαίμονες οἳ φοιτῶσι περὶ χθόνα, καὶ περὶ πόντον
Ακάματοι δάμνανται ὑπαὶ μάστιγι θεοῖο.

De vtrisque generibus in secundo libro disseremus. Interim nobis sat est, quod dum se honorare vult, & in Cælo collocare, confessus est id, quod res habet, quomodo sint appellandi, qui Deo assistunt: retrahant ergo se homines ab erroribus, & abiectis religionibus prauis Parentem suum, Dominumque cognoscant, cuius nec virtus æstimari potest, nec magnitudo perspici, nec principium comprehendi, cum ad illum mentis humanæ intentio, & acumen, & memoria peruenerit, quasi subductis, & consumptis omnibus vijs subsistit, hæret, deficit, nec est aliquid vlterius, quò progredi possit. Verùm quia fieri non potest, quin id quod sit aliquando esse cæperit, consequens est; vt quoniam nihil ante illum fuit [11] ipse an- 52
te omnia ex se ipso sit procreatus, ideoq; *a sup. initio*
ab Apolline αὐτοφυής, *a* à Sibylla αὐτογενής, *huius cap.*
b & ἀγέννητος, & ἀποίητος nominatur; *b Sibyll. ap.*
quod Seneca vir acutus in exhortationi- *Theophilat.*
bus vidit; NOS (inquit) aliunde pende- *c In carmi-*
mus: itaque ad aliquem respicimus, cui *nib. Sibyll. i*
quod est optimum in nobis, animam de- *prīcipio. &*
beamus: alius nos edidit, alius instruxit; *apud Theo-*
Deus ipse se fecit.] *phil. l. 2.*

CAPVT VIII.

HIS igitur tot, & tantis testibus comprobatur, vnius Dei potestate, ac prouidentia mundum gubernari, cuius vim, maiestatemque tantam esse dicit in *d* Timęo Plato, *d* vt eam neque mente con- *Plat in Ti-*
cipere, neque verbis enarrare quisquam *mæo.*
possit ob nimiam, & inæstimabilem potestatem. Dubitet ergo aliquis, an quicquam difficile, aut impossibile sit Deo, qui tanta, tamque mirifica opera prouidentia excogitauit, virtute constituit, ratione perfecit, nunc autem spiritu sustentet, potestate moderetur inexcogitabilis, ineffabilis, & nulli alij satis notus, quam sibi. Vnde mihi de tanta maiestate sæpius cogitanti qui Deos colunt interdum videri solent tam cæci, tam incogitabiles, tam excordes, tam non multum à mutis animalibus differentes, qui credant, eos, qui geniti sunt maris, ac fœminæ coitu aliquid maiestatis, diuinæque virtutis habe-
re potuisse, cum Sibylla Erythræa dicat. *e* *e Sibyl. Ery*
——— οὐ δύνατ' ἀνδρὸς *thr. ap Theo*
Ἐκ μηρῶν μήτρας τε θεὸς τετυπωμένος εἶναι. *phil. ad Au*
Quod si est verum, sicuti est, apparet, *tolyc. lib. 2.*
Herculem, Apollinem, Liberum, Mercurium, Iouemq; ipsum cum cæteris homines fuisse, quoniam sunt ex duobus sexibus nati. [11] Quid est autem tam remotum à Deo, quam id opus, quod ipse ad propagandam sobolem mortalibus tribuit, & quod sine substantia corporali nullum potest esse? Dij ergo si sunt immortales, & æterni, quid opus est altero sexu, cum successione nō egeant qui futuri sunt

ſemper? Nam profectò in hominibus, cæteriſque animalibus diuerſitas ſexus, & generatio nullam habet aliam rationem, niſi vt omnia genera viuentium, quoniam ſunt conditione mortalitatis obitura, mutua poſſint ſucceſſione ſeruari: Deo autem, qui eſt ſempiternus, neque alter ſexus, neque ſucceſſio neceſſaria eſt. Dicet aliquis; vt habeat vel miniſtros, vel in quos ipſe poſſit dominari. Quid igitur opus eſt ſexu fœmineo, cum Deus, qui eſt omnipotens, vt vocatur ſine vſu, & opera fœminæ poſſit filios procreare? Nam ſi quibuſdam minutis animalibus id præſtitit, vt ſibi

——— è folijs natos, & ſuauibus herbis
Ore legant a ——

a Virgil. 4.

Cur exiſtimet aliquis, ipſum Deum niſi ex permiſtione ſexus alterius non poſſe generare? Illos igitur, quos imperiti, & inſipientes tanquam Deos & nuncupant, & adorant, nemo eſt tam inconſideratus, qui non intelligat fuiſſe mortales. Quomodo ergo (inquiet aliquis) Dij crediti ſunt? Nimirum, quia Reges maximi, ac potentiſſimi fuerunt ob merita ſuarum virtutum, aut munerum, aut artium repertarum, cura cari fuiſſent ijs, quibus imperitauerant, in memoriam ſunt conſecrati. Quòd ſi quis dubitet; res eorum geſtas, & facta conſideret, quæ vniuerſa tam Poetæ, quàm Hiſtorici veteres prodiderunt.

CAPVT IX.

HErcules, qui ob virtutem clariſſimus, & quaſi Africanus inter Deos habetur nonne orbem terræ, quem peragraſſe, ac expurgaſſe narratur, ſtupris, libidinibus, adulterijs inquinauit? nec mirum, cum eſſet adulterio genitus Alcmenæ. Quid tandem potuit in eo eſſe diuini, qui ſuis ipſe vitijs mancipatus & mares, & fœminas contra omnes leges infamia, dedecore, flagitio afficit? Sed ne illa quidem, quæ magna, & mirabilia geſſit talia iudicanda ſunt, vt virtutibus diuinis tribuenda videantur. Quid enim tam magnificum, ſi Leonem, Aprumque ſuperauit, ſi Aues ſagittis deiecit, ſi regium ſtabulum egeſſit, ſi Viraginem vicit, cingulumque detraxit, ſi equos feroces cum domino interemit? Opera ſunt iſta fortis viri, hominis tamen: illa enim, quæ vicit, fragilia, & mortalia fuerunt: NVLLA
enim eſt (vt ait Orator a) tanta vis, 54
quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique poſſit. At animum vincere, iracundiam cohibere,] Fortiſſimi eſt, quæ 55
ille nec fecit vnquam, nec potuit. HÆC
qui faciat, non ego eum ſummis viris 56
comparo, ſed ſimillimum Deo iudico. b]

a Cic. p M. Marcell.

b Cic. ibid.

Vellem adieciſſet de libidine, luxuria, cupiditate, inſolentia; vt virtutem eius impleret, quem ſimilem Deo iudicabat. Non enim fortior putandus eſt qui Leonem, quàm qui violentam in ſe ipſo incluſam feram ſuperat iracundiam, aut qui rapaciſſimas Volucres deijcit, quàm qui cupiditates auidiſſimas coercet; aut qui Amazonem bellatricem, quàm qui libidinem vincit pudoris, ac famæ debellatricem, aut qui fimum de ſtabulo, quàm qui vitia de corde ſuo egerit, quæ magis ſunt pernitioſa, quia domeſtica, & propria mala, ſunt quàm illa, quæ & vitari poterant, & caueri. Ex quo fit, vt ille ſolus vir fortis debeat iudicari, qui temperans eſt, & moderatus, & iuſtus. Quòd ſi cogitet aliquis, quæ ſint Dei opera, iam hæc quæ mirantur homines ineptiſſimi ridicula iudicabit. Illa enim non diuinis virtutibus, quas ignorant, ſed infirmitate ſuarum virium metiuntur. Nam illud quidem nemo negauit, Herculem non tantum Euriſtheo ſeruiſſe Regi, quod aliquatenus honeſtum videri poteſt, ſed etiam impudicæ mulieri Omphalæ, quæ illum veſtibus ſuis indutum ſedere ad pedes ſuos iubebat penſa facientem. Deteſtabilis turpitudo; ſed tanti erat voluptas. Quid tu (inquiet aliquis) Poetis ne credendum putas? Quid ni putem? Non enim iſta Lucilius narrat, aut Lucianus, qui Dijs, & hominibus non pepercit, ſed hi potiſſimum qui Deorum laudes canebant. Quibus igitur credemus, ſi fidem laudantibus non habemus? Qui hos mentiri putat, proferat alios, quibus credamus, Authores, qui nos doceant, qui ſunt iſti Dij, quomodo, vnde orti, quæ ſit vis eorum, qui numerus, quæ poteſtas, quid in his admirabile; quid cultu dignum, quid denique certius, veriuſque myſterium: nullus dabit. Credamus igitur iſtis, qui non vt reprehenderent ſunt locuti, ſed vt prędicarent. Nauigauit ergo cum Argonautis, expugnauitq; Troiam iratus Laomedonti

ob ne-

ob negatam sibi pro filiæ salute merce-
dem. Vnde, quo tempore fuerit, appa-
ret. Idem furore, atque insania percitus
vxorem suam cum liberis interemit: hunc
57 homines Deum putant? [57] Sed Philocte-
tes eius hæres non putauit, qui facem sup-
posuit arsuro, qui artus suos, & neruos
cremari, ac dissolui vidit, qui ossa eius,
ac cineres in Oeta monte sepeliuit, pro
quo munere sagittas eius accepit.

CAPVT X.

ÆSCVLAPIVS & ipse non sine fla-
gitio Apollinis natus quid fecit
aliud diuinis honoribus dignum, nisi quod
sanauit Hippolytum? mortem sane ha-
buit clariorem, quòd à Deo meruit fulmi-
58 nari. [58] Hunc Tarquitius de illustribus vi-
ris differens ait incertis parentibus natum
expositum, & à venatoribus inuentum ca-
nino lacte nutritum, Chironi traditum di-
dicisse medicinam: fuisse autem Misseni-
a um, sed Epidauri moratum. Tullius etiam
Cic. de nat. Cynosuris ait: a sepultum. Quid Apollo
Deor. pater eius? nonne ob amorem, quo fla-
59 grabat, [59] turpissimè gregem pauit alie-
60 num, [60] & muros Laomedonti extruxit
cum Neptuno mercede conductus? quæ il-
li negari potuit impune; ab eoque primo
Rex perfidus quicquid cum Dijs pepigis-
set, didicit abnegare. Idem formosum
puerum & dum amat violauit, & dum lu-
dit occidit. Homicida Mars, & per gra-
tiam cædis crimine ab Atheniensibus li-
beratus, ne videretur nimis ferus, & im-
manis adulterium cum Venere commisit.
Castor, & Polux, dum alienas sponsas ra-
piunt, esse gemini desierunt; nam dolore
iniuriæ concitatus Idas alterum gladio
transuerberauit. Et eosdem Poetæ alter-
b Virg. 6. nis viuere, alternis mori narrant, b vt iam
Æneid. sint non Deorum tantum, sed omnium
mortalium miserrimi, quibus semel mori
non licet: Hos tamen Homerus ambos
simpliciter (non vt Poetæ solent) mor-
tuos esse testatur; nam cum faceret in mu
c Homer. 3. ris assidentem Priamo Helenam cunctos
Ilíad. quẽ re Græciæ Principes recognoscere, solos au-
fert & Cic. tem se fratres suos requirere, subiecit ora-
sub initiũ 3. tioni huiusmodi versum. c
de nat. De- *Hæc ait. ast illos retinebat terra sepultos.*
orum. Fur, ac nebulo Mercurius quid ad famam
sui reliquit, nisi memoriam fraudum sua-
rum? Cœlo dignus, quia Palæstram do-
cuit, & Lyram primus inuenit. Liberum
patrem in Senatu Deorum summæ autho-
ritatis, primæq; esse sententiæ necesse est,
quia præter Iouem solus omnium trium-
phauit, exercitum duxit, Indos debella-
uit: Sed inuictus ille Imperator [61] Indicus 61
maximus ab amore, ac libidine turpis- 62
simè victus est: [63] Delatus enim Diam. 63
——— [64] *cum feminiro comitatu d* 64
nactus est impudicam mulierem in litore, d Virg. 4.
ac fiducia victoriæ Indicæ vir esse voluit, Æneid.
ne nimium mollis esse videretur; atque il-
lam patris proditricem, fratris interem-
ptricem, ab alio relictam, & repudiatam
in coniugium sibi vendicauit, [65] & Libe- 65
ram fecit, & cum ea pariter ascendit in
Cœlum. Quid horum omnium pater Iu-
piter, qui [66] in solemni precatione Opti- 66
mus Maximus nominatur? Nonne à pri-
ma sua pueritia impius, ac penè parricida
deprehenditur? cum patrem Regno ex-
pulit, ac fugauit, nec expectauit mortem
decrepiti senis cupiditate regnandi. Et
cum paternum solium per vim, per arma
cæpisset, bello est à Titanibus lacessitus;
quod humano generi principium fuit ma-
lorum; quibus victis, & pace in perpetuum
comparata reliquam suam vitam in stu-
pris, adulterijsque consumpsit. Omitto
virgines, quas imminuit, id enim tolera-
bile iudicari solet. Amphitryonem, ac
Tyndarum præterire non possum, quo-
rum domos dedecore, atque infamia ple-
nissimas reddidit. Illud vero summæ im-
pietatis, ac sceleris, quòd [67] Regium pue- 67
rum rapuit ad stuprum: parum enim vi-
debatur, si in expugnanda fœminarum
pudicitia maculosus esset, ac turpis, nisi
etiam sexui suo iniuriam faceret; hoc est
verum adulterium, quod fit contra natu-
ram: hæc qui fecit viderimus an maximus,
certè optimus non est, quod nomen à cor-
ruptoribus, ab adulteris, ab incestis abest;
nisi fortè nos erramus homines, qui talia
facientes sceleratos vocamus, ac perdi-
tos, omnibusque pœnis dignissimos iudi- e Cic. actio
camus. Stultus autem M. Tullius, qui C. 2. in Verr.
Verri adulteria obiecit e [68] eadem enim 68
Iupiter, quem colebat, admisit; qui P. f Cic. & M.
Clodio sororis incestum f. At illi optimo Cælio.
Maximo eadem fuit. g Virg. 1.
Et Soror, & coniux. g ——— Æneid.
ouid. 3. met.

CAPVT XI.

QVis est igitur tam excors, qui hunc in Cęlo regnare putet, qui ne in terra quidem debuit? Non
69 insulsè [69] quidam Poeta triumphum Cupidinis scripsit, quo in libro non modò potentissimum Deorum Cupidinem, sed etiā victorem facit: Enumeratis enim amoribus singulorum, quibus in potestatem Cupidinis, ditionemque venissent, instruit pompam, in qua Iupiter cum cæteris Dijs ante currum triumphantis ducitur catenatus. Eleganter id quidem à Poeta figuratum, sed tamen non multum distat à vero: qui enim virtutis est expers, qui cupiditatibus, ac libidinibus malis vincitur, nō Cupidinis (vt ille finxit) sed morti subiectus est sempiternæ: Sed omittamus de moribus dicere, rem consideremus, vt intelligant homines, in quibus miseri versentur erroribus. Regnare in Cælo Iouem vulgus existimat; id & doctis pariter, & in indoctis persuasum est; quod & religio ipsa, & precationes, & hymni, & delubra, & simulachra demonstrant. Eundem tamen Saturno, & Rhea genitum confitentur. Quomodo potest Deus videri, aut (vt ait Poeta) a

———— hominum, rerumq; repertor.

a Virg. sub fin. 12. Aeneid.

Ante cuius ortum infinita hominum millia fuerunt? Eorum scilicet, qui Saturno regnante vixerunt, ac priores luce, quàm Iupiter sunt potiti. Video alium Deum Regem fuisse primis temporibus, alium consequentibus: potest ergo fieri, vt alius sit postea futurus; si enim Regnum prius mutatum est, cur desperemus, etiam posterius posse mutari? Nisi fortè Saturnus generare potuit fortiorem, Iupiter non potest. At qui diuinum imperium aut semper immutabile est, aut si est mutabile, quod fieri non potest, semper vtique mutabile est. Potest ergo Iupiter Regnum amittere, sicut & pater eius amisit. Ita planè; nam cum idem neque virginibus, neque maritatis vnquam pepercisset, abstinuit se tamen vna Thetide, quòd responsum fuit, maiorem patre suo futurum quisquis ex illa natus esset. Et primum in eo
70 71 [70] imprudentia non Dei, cui [71] nisi Themis futura dixisset, ipse nesciret; si autem diuinus non sit, ne Deus quidem sit, vnde ipsa diuinitas nominatur, vt ab homine humanitas. Deinde conscientia imbecillitatis, qui timuit vtique maiorem; quod qui facit, scit profectò non esse se maximum, quandoquidem potest aliquid maius existere. Idem per Stygiam Paludem sanctissimè iurat.

Vna superstitio superis quæ reddita Diuis. b

b Virg. 12. Æneid.

Quæ est ista superstitio? aut à quo reddita? Est ergo aliqua potestas maxima, quę peierantes Deos puniat? quæ tanta formido est paludis infernæ, si sunt immortales? quid metuunt eam, quam visuri nō sunt, nisi quos mori necesse est? quid igitur homines oculos suos in Cęlum tollunt? quid per superos deierant, cum ipsi superi ad inferos deuoluantur, ibique habeant quod venerentur, & adorent? Illud vero quale est? esse fata, quibus Dij omnes, & ipse Iupiter pareat. [72] Si Parcarum 72
tanta vis est, vt plus possint, quàm Cælestes vniuersi, quámque ipse Rector, ac Dominus, cur non illæ potius regnare dicantur, quarum legibus, ac statutis parere omnes Deos necessitas cogit? Nunc cui dubium est, quin is, qui alicui rei obsequitur maximus non sit? nam si sit non accipiat fata, sed faciat. Nunc ad illud, quod omiseram, redeo. In vna vtique sola fuit continentior, cum eam deperiret, & non virtute aliqua, sed metu successoris. Quæ formido vtique eius est, qui sit mortalis, & imbecillis, & nihili; quippe qui potuit & tunc cum nasceretur, extingui, sicut frater eius ante genitus extinctus est, qui si viuere potuisset, nunquā minori concessisset imperium. Ipse autem furto seruatus, furtimque nutritus [73] Ζεὺς, 73
siue Ζὴν appellatus est, non (vt isti putant) c à feruore cælestis ignis, vel quòd vitæ sit dator, vel quod animantibus inspiret animas, quæ virtus solius Dei est (quam enim possit inspirare animam, qui ipse accipit aliunde?) Sed quòd primus ex liberis Saturni maribus vixerit. Potuerūt igitur homines alium Deum habere rectorem, si Saturnus non fuisset ab vxore delusus: At enim Poetæ ista finxerunt. Errat quisquis hoc putat: illi enim de hominibus loquebantur, sed, vt eos ornarent, quorum memoriam laudibus celebrabant, Deos esse dixerunt. Itaque illa potius ficta sunt quæ tanquam de Dijs; non illa, quæ tanquam de hominibus locuti sunt: quod clarum fiet exemplo, quod inferemus. Danaen

c Plato in Cratyl. Arist. ad fin. libell. de Mund.

naen

naen violaturus aureos nummos largiter
in sinum eius infudit. Hæc stupri merces
fuit. At Poetæ, qui quasi de Deo loque-
bantur, ne authoritatem creditæ maiesta-
tis infringerent, finxerunt, ipsum in aureo
74 imbre delapsum, eadem figura, qua im-
a Virg. 12. bres ferreos dicunt, a cum multitudinem
Aeneid. telorum, sagittarumque describunt. Ra-
puisse dicitur in Aquila Catamitum: poe-
ticus color est, sed aut per legionem ra-
75 puit, cuius insigne Aquila est, aut na-
uis in qua est impositus in tutela habuit
76 Aquilam figuratam, sicut Taurum, cum
rapuit, & transuexit Europam: Eodem
modo conuertisse in Bouem traditur Io
Inachi filiam, quæ vt iram Iunonis effu-
geret, vt erat iam setis obsita, iam Bos,
tranasse dicitur mare, in Ægyptumque ve-
nisse, atque ibi recepta pristina forma,
Dea facta, quæ nunc Isis vocatur. Quo
igitur argumento probari potest nec Eu-
ropam in Tauro sedisse, nec Io factam
Bouem? Quòd certus dies habetur in fastis
77 quo Isidis navigium celebratur; quæ res
docet, non tranasse illam, sed nauigasse.
Igitur qui sapere sibi videntur, quia intel-
ligunt viuum, terrenumque corpus in Cæ-
lo esse non posse, totam Ganymedeam
fabulam pro falso repudiant, ac sentiunt
in terra id esse factum, quia res, ac libido
ipsa terrena est. Non ergo res ipsa gestas
finxerunt Poetæ, quod si facerent, essent
vanissimi, sed rebus gestis addiderunt quē-
dam colorem: non enim obtrectantes illa
dicebant, sed ornare cupientes. Hinc
homines decipiuntur, maximè quòd dum
hæc omnia ficta esse arbitrantur a Poetis,
colunt quod ignorant; nesciunt enim qui
sit poeticæ licentiæ modus, quousque pro-
gredi fingendo liceat; cum officium Poe-
tæ sit in eo, vt ea, quæ gesta sunt verè in
aliquas species obliquis figurationibus cū
decore aliquo conuersa traducant. To-
tum autem quod referas fingere, id est ine-
ptum esse, & mendacem potius quam
Poetam: Sed finxerint ista, quæ fabulosa
creduntur, num etiam illa, quæ de Dijs
fœminis, Deorumq; connubijs dicta sunt?
Cur igitur sic figurantur, sic coluntur? ni-
si fortè non tantum Poetæ, sed Pictores
etiam imaginum mentiuntur. Si enim hic
Iupiter, qui a vobis dicitur Deus, non is
est, qui ex Saturno, & Ope natus est, non
oportuit nisi solius simulachrum in Tem-
plis omnibus collocari. Quid sibi mulie-
rum effigies volunt? quid sexus infirmus,
in quem si cecidit hic Iupiter, cum vero
ipsi lapides hominem fatebuntur. Men-
titos aiunt esse Poetas, & his tamen cre-
dunt, immo verò non esse mentitos re ip-
sa probant: ita enim Deorum simulachra
confingunt, vt ex ipsa diuersitate sexus
appareat, vera esse quę dicunt Poetę: Nā
quod aliud argumentum habet imago Ca-
tamiti, & effigies Aquilę, cum ante pedes
Iouis ponuntur in Templis, & cum ipso
pariter adorantur, nisi vt nefandi sceleris,
ac stupri memoria maneat in ęternum?
nihil igitur a Poetis totum fictum est; ali-
quid fortasse traductum, & obliqua figu-
ratione obscuratum, quo veritas inuoluta
tegeretur, sicut illud de sortitione Regno-
rum: aiunt enim Ioui Cœlum obtigisse,
Neptuno Mare, inferna Plutoni. Cur
non Terra potius in sortem tertiam venit,
nisi quòd in terra gesta res est? Ergo illud
in vero est, quod Regnum Orbis ita parti-
ti, sortitique sunt, vt Orientis imperium
Ioui cederet, Plutoni, cui cognomen 78
Agesilao fuit, pars Occidentis obtingeret,
eo quòd plaga Orientis, ex qua lux mor-
talibus datur, superior, Occidentis autem
inferior esse videatur. Sic veritatem men-
dacio velauerunt, vt veritas ipsa persua-
sioni publicę nihil derogaret. De Neptu-
ni sorte manifestum est, cuius Regnum ta-
le fuisse dicimus, quale M. Antonij fuit 79
infinitum illud imperium, cui totius orę
maritimę potestatem Senatus decreue-
rat, vt prædones persequeretur, ac Ma-
re omne pacaret. Sic Neptuno maritima
omnia cum insulis obuenerunt: quo modo
id probari potest? Nimirum veteres hi-
storiæ docent. Antiquus Author Euheme-
rus, qui fuit ex Ciuitate Messana, res 80
gestas Iouis, & cæterorum, qui Dij pu-
tantur, collegit, historiamque contexuit
ex titulis, & inscriptionibus sacris quæ in
antiquissimis Templis habebantur, maxi-
mèque in Fano Iouis Triphylij, vbi aure-
am columnam positam esse ab ipso Ioue
titulus indicabat, in qua columna gesta
sua perscripsit; vt monimentum esset po-
steris rerum suarum. Hanc historiam 81
interpretatus est Ennius, & secutus, cu-
jus hęc uerba sunt. VBI Iupiter imperium
Neptuno dat Maris, vt Insulis omnibus, &
quæ loca sunt secundum Mare omnibus
regnaret.] Vera sunt ergo, quæ loquun-
tur Poetæ, sed obtentu aliquo, specieque
velata

velata. Poteſt & Mons Olympus figuram
Poetis dediſſe, vt Iouem dicerent Cæli Re
gnum eiſſe ſortitum, quòd Olympus ambi-
guum nomen eſt & Montis, & Cæli. In
Olympo autem Iouem habitaſſe docet hi-
ſtoria eadem, quæ dicit. EA tempeſtate
Iupiter in monte Olympo maximam par-
tem vitæ colebat, & eo ad eum in ius ve-
niebant, ſi quæ res in controuerſia erant.
Item ſi quis, quid noui inuenerat, quod
ad vitam humanam vtile eſſet, eò venie-
bat, atque Ioui oſtendebat.] Multa in
hunc modum Poetæ transferunt, non vt
in Deos mentiantur, quos colunt, ſed vt
figuris verſicoloribus venuſtatem, ac le-
porem carminibus ſuis addant: Qui au-
tem non intelligunt, quo modo, aut qua
re quidque figuretur, Poetas velut menda-
ces, & ſacrilegos inſequuntur. Hoc er-
rore decepti etiam Philoſophi, quod ea,
quę de Ioue feruntur minime in Deũ con-
uenire uidebãtur duos Ioues fecerunt, vnũ
naturalem, alterũ fabuloſum. Viderunt ex
parte quod erat verũ, cum ſcilicet, de quo
Poetæ loquuntur, hominem fuiſſe, In il-
lo autem naturali Ioue vulgari conſuetu-
dine religionis inducti errauerunt, quòd
in Deum nomen hominis tranſtulerunt,
qui, vt ſupra diximus, quia ſolus eſt, non
indiget nomine. Iouem autem illum eſſe,
qui ſit ex Ope, Saturnoque natus negari
non poteſt. Vana igitur perſuaſio eſt eo-
rum, qui nomen Iouis ſummo Deo tribu-
unt. Solent enim quidam errores ſuos hac
excuſatione defendere, qui cõuicti de vno
Deo, cum id negare non poſſunt, ipſum ſe
colere affirmant. Verùm hoc ſibi place-
re, vt Iupiter nominetur, quo quid abſur-
82 dius. [82] Iupiter enim ſine contubernio co-
niugis, filiæquę coli non ſolet. Vnde quid
ſit, apparet: nec fas eſt id nomen eò tran-
ſferri, vbi nec Minerua eſt vlla, nec Iuno.
Quid, quod huius nominis proprietas non
a diuinam vim exprimit, ſed humanam? Io-
Cic. de nat. uem enim, Iunonemquè à iuuando eſſe di-
Deorum. ctos Cicero interpretatur. a Et Iupiter
quaſi iuuans pater dicitur, quod nomen
in Deum minimè congruit, quia iuuare
hominis eſt opis aliquid conferentis in
eum, qui ſit alienus, & exigui beneficij.
Nemo ſic Deum precatur, vt ſe adiuuet,
ſed vt ſeruet, vt vitam, ſalutemque tri-
buat, quod multo plus, ac maius eſt, quàm
iuuare. Et quoniam de Patre loquimur,
nullus Pater dicitur filios iuuare, cum eos

generat, aut educat. Illud enim leuius eſt,
quàm vt eo verbo magnitudo paterni be-
neficij exprimatur: quanto id magis in-
conueniens eſt Deo, qui verus eſt Pater,
per quem ſumus, & cùius toti ſumus, à
quo fingimur, animamur, illuminamur,
qui nobis vitam impertit, ſalutem tribuit,
victum multiplicem ſubminiſtrat? Non
intelligit beneficia diuina, qui ſe iuuari
modo à Deo putat. Ergo non imperitus
modo, ſed etiam impius eſt, qui nomine
Iouis virtutem ſummæ poteſtatis immi-
nuit. Qua re ſi Iouem ex rebus geſtis, &
moribus hominem fuiſſe, in terraque re-
gnaſſe deprehendimus, ſupereſt, vt mor-
temque eius inueſtigemus. Ennius in ſa-
cra hiſtoria deſcriptis omnibus, quæ in
vita ſua geſſit, ad vltimum ſic ait. DEIN-
DE Iupiter, poſtquam terràs quinquies
circuiuit, omnibuſque amicis, atque co-
gnatis ſuis imperium diuiſit, reliquitque
hominibus leges; mores, frumentaq; pa-
rauit, multaque alia bona fecit, immor-
tali gloria, memoriaque affectus ſempi-
terna monumenta ſuis reliquit, ætate [83] 83
poſſum acta in Creta vitam commutauit,
& ad Deos abijt: cumque Curetes filij ſui
decorauerunt, curaueruntque eum, [84] & 84
ſepulchrum eius eſt in Creta [85] in Oppido 85.
Gnoſso, & dicitur Veſta hanc Vrbem
creauiſse, inque ſepulchro eius eſt inſcri-
ptum antiquis literis græcis ὁ Ζεὺς τοῦ
Κρόνου. ideſt latinè. Iupiter Saturni.]
Hoc certè non Poetæ tradunt, ſed anti-
quarum rerum Scriptores, quæ adeò vera
ſunt, vt ea Sibyllinis verſibus confirmen- b
tur, qui ſunt tales. b In carmin.
Δαίμονας ἀψύχους νεκύων εἴδωλα καμόντων Sibyl. ſer. 8.
ὧν Κρήτη [86] καύχημα τάφους ὁ δύσμορος ἴσχει. 86
Cicero de natura Deorum, cum tres Io-
ues a Th ologis numerari diceret, ait, c c Cic. lib. 3.
tertium fuiſse Cretenſem Saturni filium, de nat. De-
cuius in illa Inſula ſepulchrum oſtenditur. orum.
Quomodo igitur poteſt Deus alibi eſse vi-
uus, alibi mortuus, alibi habere templum,
alibi ſepulchrum? Sciant ergo Romani
Capitolium ſuum [87] ideſt ſummum caput 87.
religionum publicarum nihil eſſe aliud,
quam inane monumentum. Veniamus
nunc ad eius patrem, qui ante regnauit,
& qui fortaſse plus habebat in ſe, quòd ex
coitu tantorum elementorum genitus eſ-
ſe dicatur. Videamus, quid in eo fuerit
Deo dignum. In primis illud, quòd aureũ
ſeculum narratur habuiſse, quòd iuſtitia

sub eo

sub eo fuerit in terra. Teneo aliquid in eo, quod in eius filio non fuit: quid enim tam conueniens Deo, quàm iustum regimen, ac pium seculum? Sed cum eadem ratione natum esse cogito, non possum putare Deum summum, quòd videam esse aliquid antiquius, Cælum scilicet, atque Terram. At ego Deum quæro, vltra quem nihil est omnino, qui fons, & origo sit rerum. Hic sit necesse est, qui Cælum ipsum condidit, terramque fundauit. Saturnus autem, si ex his natus est (vt putatur) quem admodum potest esse Deus principalis, qui alijs ortum suum debet? aut quis præfuit mundo, antequam Saturnus gigneretur? Sed hoc poeticum est (vt dicebam paulo ante) figmentum; nec enim fieri poterat, vt elementa insensibilia, tantòque interuallo separata in vnum coirent, ac filium procrearent, aut is, qui natus esset, non potissimum genitoribus similis existeret, sed eam formam gereret, quam parentes sui non habebant. Quæramus ergo quid veritatis sub hac figura lateat. Minutius Felix in eo libro, qui Octauius inscribitur, sic argumentatus est; Saturnum, cum fugatus esset a filio, in Italiamque venisset, Cæli filium dictum, quòd soleamus eos, quorum virtutem miremur, aut qui repentinè aduenerint, de Cælo cecidisse dicere, Ter-
88 ræ autem, " quòd ignotis parentibus natos, Terræ filios nominemus. Sunt hæc quidem similia veri, non tamen vera, quia constat etiam tunc, cum regnaret, ita esse habitum: potuit & sic argumentari; Saturnum, cum potentissimus Rex esset, ad retinendam parentum suorum memoriam nomina eorum Cælo, terræque indidisse, cum hæc prius alijs vocabulis appellarentur, qua ratione & montibus, & fluminibus nomina scimus imposita. Neque enim, cum dicunt Poetæ de progenie Atlantis, aut Inachi fluminis, id potissimum dicunt, homines ex rebus sensu carentibus potuisse generari, sed eos vtiq; significant, qui nati sunt ex ijs hominibus, qui vel viui, vel mortui nomina montibus, aut fluminibus indiderunt: Nam id apud veteres, maximèque Græcos vsitatum fuit. Sic maria eorum traxisse nomina accepimus, qui deciderant in ea, vt Ægæum, Icarium, Hellespontum; & in Latio Auentinus vocabulum monti dedit, in quo sepultus est. Tybernus, vel Tybris amni, in quo mersus est. Non ergo mirandum, si nomina eorum Cælo, terræque attributa essent, qui Reges genuerant potentissimos. Apparet ergo nõ ex Cælo natum esse, quod fieri non potest, sed ex eo homine, cui nomen Vrano fuit, quod esse verũ Trismegistus author est, qui cum diceret admodum paucos extitisse, in quibus esset perfecta Doctrina, in his Vranum, Saturnum, Mercurium cognatos suos nominauit. a Hæc ille quia ignorauit, aliò traduxit historiam, qui quoniam quomodo potuerit argumentari ostendi, nunc dicam quomodo, vbi, à quo sit hoc dictum. Non enim Saturnus hoc, sed Iupiter fecit. In sacra Historia sic Ennius tradit. DEINDE " Pan eum 89
deducit in montem, qui vocatur " Cæli 90
stela. Postquam eò ascendit, contemplatus est latè terras " ibique in eo monte 91
Aram creat Cœlo; primusq; in ea Ara Iupiter sacrificauit, in eo loco suspexit in Cælum, quod nunc nos nominamus; idq; quod supra mundum erat, quod æther vocatur, de sui aui nomine Cælo nomen indidit; idque Iupiter, quod æther vocatur, precans primum Cœlum nominauit, eamq; hostiam, quam ibi sacrauit, totam adoleuit.]. Nec hic tantum sacrificasse Iupiter inuenitur. Cæsar quoque in Arato refert, Aglaosthenem dicere, Iouem, cum ex insula Naxo aduersus Titanas proficisceretur, & sacrificium faceret in litore, Aquilam ei in auspicium aduolasse, quam victor bono omine acceptam " tutelæ suæ 92
subiugarit. Sacra verò Historia, etiam ante consedisse illi Aquilam in capite, atq; illi Regnum portendisse testatur. Cui ergo sacrificare potuit Iupiter, nisi Cælo auo? quem dicit Euhemerus in Oceano mortuum, & in Oppido Aulatia sepultum.

a Herm. Trismegist. Pimand. c. 10.

CAPVT XII.

QVONIAM reuelauimus mysteria Poetarum, & Saturni parentes inuenimus, ad virtutes eius, & facta redeamus. Iustus in Regno fuit. Primum ex hoc ipso iam Deus non est, quòd fuit. Deinde quod ne iustus quidem fuit, sed impius non modò in filios, quos necauit, verùm etiam in patrem, cui dicitur abscidisse genitalia, quod forsitan verè acciderit: sed hominis respectu elementi,

quod

quod dicitur Cælum, totam fabulam explodunt tanquam ineptissimè fictam, quã tamen Stoici (vt solent) ad rationem Physicam conantur traducere, quorum sen-
a Cic. 2. de nat. Deorũ. tentiam Cicero de natura Deorum *a* dissferens posuit. COELESTEM (inquit) altissimam, ætheriamque naturam, idest igneam, quæ per se omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quæ coniunctione alterius egeret ad procreandum.] Quæ ratio in Vestam potuit conuenire, si mas diceretur. Icciro enim virginem putant Vestam, quia ignis inuiolabile sit elemẽtum, nihilque nasci possit ex eo, quippequi omnia, quæ arripue-
b Ouid. 6. Fastorum. rit, absumat. Ouidius *b* in Fastis.

Nec tu aliud Vestam quàm viuam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Vulcanoque id potuit ascribi, qui quidem putatur ignis, & tamen eum Poetæ non absciderunt: potuit & Soli, in quo est natura, & causa gignentium, nam sine Solis igneo calore, neque nasci quicquam, neq; augeri potest, vt nulli elemento magis opus sit genitalibus, quam calori, cuius fœtu concipiuntur, nascuntur, sustentantur omnia, postremo, etiam si ita sit (vt volunt) qui magis abscissum esse Cælum putemus, quam omninò sine genitalibus natum? Nam si per se gignit, non idigebat vtique genitalibus, cum Saturnum ipsum procrearet: Si verò habuit, & à filio abscissa sunt, ortus rerum, & natura omnis interisset. Quid, quod ipsi Saturno nõ diuinum modò sensum, sed humanum quoque adimunt, cum affirmant ESSE eum Saturnum, qui cursum, & conuersionem spaciorum, & temporum continet; eumque græcè idipsum nomen habere. κρόνος enim dicitur, quod est idem, quod χρόνος, idest spacium temporis; Saturnus enim est appellatus, quòd saturetur
c Cic. 2. de nat. Deor. annis.] Hæc Ciceronis *c* verba sunt exponentis sententiam Stoicorum, quæ quã vana sit, cuiuis intelligere promptissimum est. Si enim Saturnus Cæli est filius, quo modo potuit aut tempus è Cælo gigni, aut Cælum à tempore abscidi, aut postea tempus imperio spoliari à filio Ioue? aut quo modo Iupiter natus est ex tempore? aut quibus annis saturari possit æternitas, cui nullus est finis?

CAPVT XIII.

SI ergo vanæ sunt istæ rationes Philosophorum, quid superest nisi vt verè factum esse credamus, idest hominem ab homine abscissum? nisi fortè aliquis existimet Deũ fuisse, qui timuit cohæredem, cum, si quid diuinitatis habuisset, non patris genitalia debuerit amputare, sed propria, ne Iupiter nasceretur, qui eum Regni possessione priuauit. Idem sororem suam Rheam, quam latinè Opem dicimus, cum haberet vxorem, responso vetitus esse dicitur mares liberos educare, quòd futurum esset, vt à filio pelleretur; quam rem metuens, natos sibi filios non vtique deuorabat (vt ferunt fabulæ) sed necabat: quamquam scriptum sit in historia sacra, Saturnum, & Opem, cæterosque tunc homines humanam carnem solitos esitare. Verùm primum Iouem leges hominibus, moresq: condentem edicto prohibuisse, ne liceret eo cibo vesci: quòd si verum est, quæ potest in eo fuisse iustitia? Sed fictum sanè putemus, Saturnum filios deuorasse, modò cum aliqua ratione: num iccirco, quod ait vulgus, comedisse filios suos eum, qui extulerit, sepulturæq; mandauerit? Ops autem cum Iouem peperisset, subtraxit infantem, eumq; nutriendum furtim misit in Cretam. Rursum imprudentiam reprehendam necesse est. Cur enim responsum ab alio potius accepit? cur in Cælo constitutus quæ gerebãtur in terra non videbat? Cur eum Corybantes cymbalis fefellerunt? Postremò cur extitit aliqua vis potentior, aut maior, quæ illius vinceret potestatem? Nimirum senex à iuuene facilè victus est, ac spoliatus imperio. Fugit igitur expulsus, & in Italiam Nauigio venit, cum errasset diu, sicut Ouidius in Fastorum libris refert. *a* *a Ouid. primo fastorũ.*

Causa ratis superest. Tuscum rate venit ad Amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Hunc errantem, atque inopem Ianus excepit, cuius rei argumenta sunt [93] nummi 93
veteres, in quibus est cum duplici fronte Ianus, & in altera parte nauis, sicut idem Poeta subiecit. *b* *b Ouid. ibid.*

At bona posteritas puppim formauit in ære
Hospitis aduentum testificata Dei.

Omnes ergo non tantum Poetæ, sed hi-

ſtoriarum quoque, ac rerum antiquarum Scriptores, hominem fuiſſe conſentiunt, qui res eius in Italia geſtas memoriæ prodiderunt, Græci Diodorus, & Thallus, Latini Nepos, & Caſſius, & Varro: nam cum agreſti quodam more in Italia viueretur.

Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque vocari
94 *Maluit, his quoniam* [94] *tutus latuiſſet in oris.* a

a Virgil. 8. Æneid. Cenſet ne aliquis Deum eſſe, qui pulſus eſt, qui fugit, qui latuit? Nemo tam ſtultus eſt: qui enim fugit, aut latet, & vim, & mortem timeat neceſſe eſt. Orpheus, qui temporibus eius recentior fuit, apertè Saturnum in terra, & apud homines regnaſſe commemorat.

Πρώτιστος μὲν ἄναξ ἐξ ἐπιχθονίων κρόνος ἀνδρῶν
Ἐκ δὲ κρόνου γένετ' αὐτὸς ἄναξ μέγας εὐρύοπα Ζεύς.

b Virgil. 2. Georg. Item Maro noſter. b

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

c Virgil. 8. Æneid. & alio loco c

Aureaque (vt perhibent) illo ſub Rege fuere
Secula, ſic placida populos in pace regebat.

Neque ſuperius dixit, in Cælo egiſſe vitam, neque inferius ſuperos in pace vexiſſe: vnde apparet, illum Regem fuiſſe terrenum; quod alibi d apertius declarat.

d Virgil. 6. Æneid.

——————— *aurea condet*
95 *Secula* [95] *qui rurſus Latio regnata per arua*
Saturno quondam. ———

Ennius quidem in Euhemero non primum dicit regnaſſe Saturnum, ſed Vranum patrem. INITIO (inquit) primus in terris imperium ſummum Vranus habuit: is id Regnum vna cum fratribus ſuis inſtituit, atque parauit.] Non magna diſſenſio: ſi quidem maximorum authorum de filio, patreque dubitatio eſt: ſed tamen vtrumq; fieri poteſt, vt & primus Vranus eminere inter cæteros potentia cœperit, & principatum habere non Regnum; poſtea Saturnus maiores ſibi opes comparauerit, ac regium nomen aſciuerit.

CAPVT XIIII.

96 NVNC, quoniam ab ijs, quæ retulimus aliquantulum [96] ſacra hiſtoria diſſentit, aperiamus ea, quæ veris literis continentur, ne Poetarum ineptias in accuſandis religionibus ſequi, ac probare videamur. [97] Hæc Ennij verba ſunt. 97

EXIN Saturnus vxorem duxit opem. Titan, qui maior natu erat, poſtulat, vt ipſe regnaret: ibi Veſta mater eorum, & ſorores Ceres, atque Ops ſuadent Saturno, vt de Regno non concedat fratri. Ibi Titan, qui facilè deterior eſſet, quam Saturnus, iccirco & quod videbat matrem, atque ſorores ſuas operam dare, vt Saturnus regnaret, conceſſit ei, vt is regnaret. Itaque pactus eſt cum Saturno, vti ſi quid liberum virilis ſexus ei natum eſſet ne educaret. Id eius rei cauſa fecit, vti ad ſuos gnatos Regnum rediret. Tum Saturno [98] 98
filius, qui primus natus eſt eum necauerunt. Deinde poſterius nati ſunt gemini Iupiter, atque Iuno. Tum Iunonem Saturno in conſpectum dedere, atq; Iouem clam abſcondunt, dantque eum Veſtæ educandum, cælantes Saturnum. Item Neptunum clam Saturno Ops parit, eumque clanculum abſcondit: ad eundem modum tertio partu Ops parit geminos Plutonem, & Glaucam [99] Pluton latinè eſt 99
* Dieſpiter, alij Orcum dicunt. Ibi Glaucā filiam Saturno oſtendunt, ac filiū Plutonē cælant, atque abſcondunt. Deinde Glauca parua emoritur.] Hæc * (vt ſcripta ſunt) Iouis, fratrumque eius ſtirps, atque cognatio in hunc modum nobis ex ſacra ſcripione tradita eſt. Item paulò poſt hęc refert. DEINDE Titan, poſtquam reſciuit Saturno filios procreatos, atque educatos eſſe clam; ſeducit ſecum filios ſuos, qui Titani vocantur, fratremque ſuum Saturnum, atque Opem comprehendit, [100] eoſque * muro circumegit, & 100
cuſtodiam his apponit.] Hæc hiſtoria quam vera ſit docet Sibylla Erythræa, a eadem ferè dicens, niſi quòd in paucis, quæ ad rem non pertinent, diſcrepat. Iupiter ergo liberatur ſummi ſceleris crimine, quòd patrē vinxiſſe compedibus perhibetur: id enim Titan patruus fecit, quod ille contra pactionem, iuſque iurandum mares liberos ſuſtuliſſet. Reliqua Hiſtoria ſic contexitur. Iouem adultum cum audiuiſſet patrem, atque matrem cuſtodijs circumſeptos, atque in vincula coniectos veniſſe cum magna Cretenſium multitudine, Titanumque, ac filios eius pugnando viciſſe, parentes vinculis exemiſſe, patri Regnum reddidiſſe, atque ita in Cretam remeaſſe. Poſt hæc deinde Saturno datam ſortem, vt caueret, ne filius eum Regno

* for. Dis pater.
* parentheſi inluſa, & ab aliquo fortè addita plane abūdāt.
* fort. murū circumegit, uel muro circumdedit.
a In carminib. Sibyll. ſer. 3.

Regno expelleret: illum eleuandæ fortis,
atque effugiendi periculi gratia insidia-
tum Ioui, vt eum necaret; Iouem cogni-
tis insidijs Regnum sibi denuo vendicasse,
ac fugasse Saturnum, qui cum iactatus
esset per omnes terras, persequentibus ar-
matis, quos ad eum comprehendendum,
vel necandum Iupiter miserat, vix in Ita-
lia locum, in quo lateret inuenit.

CAPVT XV.

QVIBVS ex rebus, cum constet,
illos homines fuisse, non est obscu-
rum, qua ratione Dij cæperint
nominari. Si enim nulli Reges ante Sa-
turnum, vel Vranum fuerunt propter ho-
minum raritatem, qui agrestem vitam si-
ne vllo rectore viuebant, non est dubium,
quin illis temporibus, homines Regem
ipsum, totamque gentem summis laudi-
bus, ac nouis honoribus iactare cæperint,
vt etiam Deos appellarent, siue ob mira-
culum virtutis ho verè putabant rudes
adhuc, & simplices, siue (vt fieri solet)
in adulationem præsentis potentiæ, siue
ob beneficia, quibus erant ad humanita-
tem compositi. Deinde ipsi Reges, cum
cari fuissent ijs, quorum vitam compo-
suerant, magnum sui desiderium mortui
reliquerunt. Itaque homines eorum si-
mulachra finxerunt, vt haberent aliquod
ex imaginum contemplatione solatium;
101 progressique longius per amorem me-
moriam defunctorum colere cœperunt, vt
& gratiam referre benemeritis videren-
tur, & successores eorum allicerent ad be-
nè imperandi cupiditatem; quod Cicero
a Cic. l. 2. de Nat. Deor. De Natura Deorum docet, dicens a SV-
SCEPIT autem vita hominum, con-
suetudoque communis, vt beneficijs ex-
cellentes viros in Cœlum fama, ac volun-
102 tate tolleret. Hinc Hercules, hinc Ca-
stor, hinc Pollux, hinc Æsculapius, hinc Li-
103 ber.] Et alio loco b ATQVE adeo in ple-
b Cic. 3. de Nat Deor. risq; Ciuitatibus intelligi potest, acuēdę vir-
tutis gratia, aut quo libentius Reipublicę
causa periculum adiret optimus quisque,
virorum fortium memoriā honore Deo-
rum immortalium consecratam.] Hac
scilicet ratione Romani Cæsares suos cō-
secrauerunt, & Mauri Reges suos. Sic
paulatim religiones esse cæpere, dum illi
primi qui eos nouerant eo ritu suos libe-
ros, ac nepotes, deinde omnes posteros
imbuerunt. Et hi tamen summi Reges ob
celebritatem nominis in prouincijs omni-
bus colebantur. Priuatim verò singuli
Populi gentis, aut Vrbis suæ conditores,
seu viri fortitudine insignes erant, seu fœ-
minæ castitate mirabiles summa venera-
tione coluerunt, vt Ægyptij Isidem, Mau-
ri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni
Vranum, Latini Faunum, Sabini San- 104
ctum, Romani Quirinum. Eodem vtique
modo Athenæ Mineruam, Samos Iuno-
nem, Paphos Venerem, Lemnos Vulca-
num, Naxos Liberum, Apollinem Delphi.
Sic per Populos, atque Regiones varia
sacra suscepta sunt, dum grati homines
esse in suos Principes cupiunt, & quos
alios honores vitā carentibus deferant,
inuenire non possunt. Præterea pietas
eorum, qui successerant, plurimum con-
tulit ad errorem, qui, vt diuina stirpe na-
ti viderentur, diuinos honores parentibus
detulerunt, deferrique iusserunt. An ne
potest aliquis dubitare, quo modo Reli-
giones Deorum sint institutæ? cum apud
Maronem a legat Æneæ verba socijs im- *a Virgil. 7. Æneid.*
perantis.

Nunc pateras libate Ioui, precibusq; vocate
Anchisen genitorem——

Cui non tantum immortalitatem, verum *b Virgil. 5. Æneid.*
etiam ventorum tribuit potestatem. b

Poscamus ventos atq; hæc mea sacra quotānis 105
Vrbe velit posita templis sibi ferre dicatis.

Idem scilicet de Ioue Liber, & Pan, & Mer-
curius, & Apollo fecerunt, ac postea de
his ipsis successores eorum. Accesserunt
etiam Poetæ, & compositis ad volupta-
tem carminibus in Cælum eos sustulerunt,
sicut faciunt qui apud Reges etiam malos
panegyricis mendacibus adulantur; quod
malum a Græcis ortum est, quorum leui-
tas instructa dicendi facultate, & copia
incredibile est, quantas mendaciorum ne-
bulas excitauerit. Itaque admirati eos
& susceperunt primi sacra illorum, & vni-
uersis gentibus tradiderunt. Ob hanc va-
nitatem Sibylla sic eos increpat. c *c In carmin. Sibyll. serm. 3.*

[illegible]

M. Tullius, qui non tantum perfectus Ora-
tor, sed etiam Philosophus fuit, siquidem
107 solus extitit [107] Platonis imitator, in eo
libro, quo seipsum de morte filiæ conso-
latus est, non dubitauit dicere, Deos, qui
publicè colerentur, homines fuisse. Quod
ipsius testimonium eo debet grauissimum
iudicari, quòd & augurale habuit Sacer-
dotium, & eosdem se colere, venerariq;
testatur. Itaque intra paucos versiculos
duas res nobis dedit. Nam dum imaginem
filiæ eodem se modo consecraturum esse
profiteretur, quo illi à veteribus sunt con-
secrati; & illos mortuos esse docuit, &
originem vanæ superstitionis ostendit.
CVM verò (inquit) & mares, & femi-
nas complures ex hominibus in Deorum
numero esse videamus, & eorum incubi-
bus, atque agris angustissima delubra ve-
neremur, assentiamur eorum sapientiæ,
quorum ingenijs, & inuentis omnem vi-
tam legibus, & institutis excultam, con-
stitutamque habemus. Quòd si vllum vn-
108 quam animal consecrandum fuit, [108] illud
109 profectò fuit. Si Cadmi, aut [109] Amphi-
tryonis progenies, aut Tyndari in Cœlū tol-
lēda fama fuit, huic idem honos certè dicā-
dus est, quod quidem faciam, teque om-
nium optimam, doctissimamque appro-
bantibus Dijs immortalibus ipsis in eorum
cœtu locatam ad opinionem omnium
mortalium consecrabo.] Fortasse dicat
aliquis præ nimio luctu delirasse Cicero-
nem. At qui ominis illa oratio & doctri-
na, & exemplis, & ipso loquendi genere
perfecta non ægri, sed constantis animi,
ac iudicij fuit. Et hæc ipsa sententia nul-
lum præfert iudicium doloris. Neque enim
puto, illum tam variè, tam copiosè, tam
ornatè scribere potuisse, nisi luctum eius
& ratio ipsa, & consolatio amicorum, &
temporis longitudo mitigasset. Quid, quòd
idem dicit in libris de Republica? idem de
gloria? Nam De Legibus, quo in opere
Platonem secutus, leges voluit ponere,
quibus putaret, viuram esse iustam, & sa-
pientem Ciuitatem, de Religione ita san-
xit. a DIVOS, & eos, qui cælestes semper
110 habiti sunt colunto: [110] & illos, quos in
Cælum merita locauerunt, Herculem,
Liberum, Æsculapium, Pollucem, Casto-
rem, Quirinum.] Item in Tusculanis cum
diceret, totum penè Cælum humano ge-
nere completum. SI voluero (inquit)
b scrutari vetera, & ex illis ea, quæ Scri-

a Cic. 2. de Legib.

b Cic. Tuscul. lib. primo.

ptores Græciæ prodiderunt, eruere coner,
ipsi illi maiorum gentium Dij, qui haben-
tur, hinc à nobis profecti in Cælum repe-
rirentur. Quære quorum demonstrantur
sepulchra in Græcia, reminiscere, quo-
niam es initiatus, quæ traduntur, myste-
rijs: tum denique quàm hoc latè pateat in-
telliges.] Testatus est [111] Attia conscien- 111
tia ex ipsis mysterijs intelligi posse, quod
omnes illi homines fuerunt, qui coluntur:
& cum de Hercule, Libero, Æsculapio,
Castore, Polluce incunctanter fateretur,
de Apolline, ac Ioue patribus eorum, item
de Neptuno, Vulcano, Marte, Mercurio,
quos maiorum gentium Deos appellauit,
timuit apertè confiteri. Et iccirco ait,
latè hoc patere, vt idem de Ioue, cæte-
risque antiquioribus Dijs intelligamus,
quorum memoriam si eadem ratione ve-
teres consecrauerunt, qua se imaginem,
nomenque filiæ consecraturum esse dicit,
ignosci mœrentibus potest, credentibus
non potest. Quis enim tam demens, qui
consensu, & placito innumerabilium stul-
torum aperiri Cælum mortuis arbitretur?
aut aliquem, quod ipse non habeat dare
alteri posse? Apud Romanos Deus Iulius,
[112] quia hoc scelerato homini placuit An- 112
tonio: Deus Quirinus, quia hoc Pasto-
ribus visum est, cum alter [113] germani fra- 113
tris extiterit alter [114] patriæ parricida, quod 114
si Consul non fuisset Antonius, C. Cæsar
pro suis in Rempublicam meritis etiam
defuncti hominis honore caruisset; & qui-
dem consilio Pisonis Soceri, & L. Cæsaris,
propinqui, qui vetabant funus fieri, &
Dolabellæ Consulis, qui columnam in fo-
ro, idest titulum eius euertit, ac forum
expiauit. Nam Romulum desiderio suis
fuisse declarat Ennius, apud quem Popu-
lus amissum Regem dolens hæc loquitur. a
——— o Romule Romule diu ò
Qualem te Patriæ custodem Dij genuerunt?
Tu produxisti nos intra luminis oras
O Pater, ò Genitor, ò sanguen Dijs oriundum!
Ob hoc desiderium facilius creditum est
Iulio Proculo mentienti, qui subornatus
à patribus est, vt nunciaret plebi suæ, vi-
disse se Regem humano habitu augustio-
rem, cumque mandasse ad Populum, vt si-
bi delubrum fieret, se Deum esse, & Qui-
rinum vocari. Quo facto & ipsi Populo
persuasit, Romulum ad Deos abijsse, &
Senatum suspicione cædis regiæ liberauit.

a *Ennius 2. annal. teste Prisciano.*

CAPVT XVI.

POTERAM ijs, quæ retuli esse contentus; sed superiunt adhuc multa suscepto operi necessaria. Nam quamuis ipso Religionum capite destructo vniuersa sustulerim, libet tamen prosequi cætera, & redarguere plenius inueteratam persuasionem, vt tandem homines pudeat suorum, ac pœniteat errorum. Magnum
115 hoc opus, & homine dignum. "' Religionum animos nodis exoluere pergo. vt ait Lucretius, a qui quidem hoc efficere non poterat, quia nihil veri afferebat. Nostrum est hoc officium, qui & verum Deum asserimus, & falsos refutamus. Illi ergo, qui Poetas finxisse de Dijs fabulas opinantur, & Deas fœminas esse credunt, & colunt, reuoluuntur imprudentes ad id, quod negauerant, coire illos, ac parere: nec enim fieri potest, quin duo sexus generandi causa sint instituti. Recepta verò sexuum diuersitate, non intelligunt, consequens esse, vt concipiant, quod in Deum cadere non potest, vt isti putant: nam & Iouis esse filios dicunt, & cæterorum Deorum: Nascuntur ergo, & quotidie quidem Dij noui; nec enim vincuntur ab hominibus fæcunditate. Igitur Deorum innumerabilium plena sunt omnia, nullo scilicet moriente. Nam cum hominum vis incredibilis, numerus sit inæstimabilis, quos tamen, sicuti nascuntur, mori necesse est, quid Deorum esse tandem putemus, qui tot seculis nati sunt, immortalesque manserunt? Cur ergo tam pauci coluntur, nisi fortè arbitramur, non generandi causa, sed tantummodo capiendæ voluptatis duos esse sexus Deorum, & ea exercere, quæ homunculos & facere, & pati pudet. Cum verò dicantur aliqui ex aliquibus nati, consequens est, vt semper nascantur, siquidem aliquando sunt nati; vel si aliquando nasci desierunt, scire nos conuenit, cur, aut quando desierint. Non illepidè Seneca in libris moralibus Philosophiæ. QVID ergo est (inquit) quare apud Poetas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? Vtrum sexagenarius
116 factus est, "' & illi lex Papia fibulam imposuit? an impetrauit "' ius trium libero-
117 rum? An tandem illi venit in mentem, b
Ab alio expectes alteri quod feceris?

a Lucretius initio 4. de nat. rerum.

b Publius Syrus ē collect.

& timet, ne quis sibi faciat quod ipse Saturno?] At isti, qui Deos asserunt, videant, quomodo respondeant huic argumento, quod inferemus. Si duo sunt sexus Deorum, sequitur concubitus; & si coeunt, & domos habeant necesse est; nec enim carent virtute, ac pudore, vt hoc promiscuè, aut in propatulo faciant, sicut muta videmus facere animalia: Si domos habent, consequens est, vt & Vrbes habeant, & quidem authore Nasone, qui ait. a

Plebs habitat diuersa locis: à fronte potentes
Cælicolæ, clarique suos posuere penates.

a Ovid. initio pr. Metamorph.

Si habēt Vrbes, & agros igitur habebunt. Iam quis non videat quæ sequantur? arare illos, & colere, quod quidem victus causa fit; ergo mortales sunt: quod argumentum retrouersum idem valet. Si enim agros non habent, ne Vrbes quidem. Si Vrbes non habent, ne domos quidem. Si domibus carent, ergo & concubitu. Si concubitus ab his abest, & sexus igitur fœmineus. In Dijs autem videmus & fœminas esse, ergo Dij non sunt. Dissoluat hoc argumentum si quis potest: ita enim res rem sequitur, vt hæc vltima necesse sit confiteri. Sed ne illud quidem dissoluet aliquis. Ex duobus sexibus alter fortior, alter infirmior est; robustiores enim mares sunt, fœminæ imbecilliores; imbecillitas autem non cadit in Deum, ergo nec fœmineus sexus. Huic additur superioris argumenti extrema illa conclusio, vt Dij non sint, quoniam in Dijs & fœminæ sunt.

CAPVT XVII.

OB has rationes Stoici alio versus Deos interpretantur: & quia non peruident, quid sit in vero, conantur eos cum rerum naturalium ratione coniungere, quos Cicero secutus de Dijs, ac Religionibus eorum hanc sententiam tulit b "' 118
VIDETIS ne igitur, vt à physicis rebus bene, atque vtiliter inuentis tracta ratio sit ad commentitios, ac fictos Deos? quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos, superstitiones penè aniles: & formæ enim Deorum nobis, & ætates, & vestitus, ornatusque noti sunt; genera præterea, coniugia, cognationes omnes, omniaq;

b Cic. 2. de nat. Deorū.

omniaq; traducta ad similitudinem imbe-
cillitatis humanæ.] Quid planius, quid
verius dici potest? Romanæ philosophiæ
princeps, & amplissimo Sacerdotio præ-
ditus commentitios, ac fictos Deos redar-
guit, quorum cultus superstitiones penè
aniles esse testatur; falsis opinionibus, er-
roribusque turbulentis implicatos esse ho-
mines queritur. Nam totus liber tertius
De Natura Deorum omnes funditus Reli-
giones euertit, ac delet. Quid ergo à no-
bis expectatur amplius? Num eloquentia
superare possumus Ciceronem? minimè
id quidem, sed fiducia illi defuit ignoranti
veritatem: quod ipse simpliciter in eodem
opere confitetur. Ait enim, facilius se
posse dicere, quid non sit, quàm quid sit,
119 a hoc est falsa se intelligere, vera nesci-
a Cic. 1. de re. b Clarum est igitur, homines fuisse il-
nat. Deor. los, qui Dij putantur, & eorum memoriā
b Cic. eod. l. post mortem consecratam esse. Ideo etiā
non ita pro- ætates diuersæ sunt, & certæ imagines sin
cul à fine. gulorum, quòd in eo habitu, & ætate sin-
gulorum simulachra configurata sunt, in
qua quemque mors deprehendit. Consi-
deremus (si placet) ærumnas infelicium
Deorum. Isis filium perdidit, Ceres filiā;
expulsa, & per orbem Terræ iactata La-
tona vix Insulam paruam, in qua pareret,
inuenit. Deum mater, & amauit formo-
sum adolescentem, & eundem cum pellice
deprehensum exectis virilibus semiuirum
reddidit: & ideo nunc à Gallis Sacerdoti-
bus sacra eius celebrantur. Iuno Pellices
acerrimè persecuta est, quia parere ipsa
non potuit ex fratre. Insulam Samum
scribit Varro prius Partheniam nomina-
tam, quòd ibi Iuno adoleuerit, ibique etiā
Ioui nupserit: Itaque nobilissimum, & an-
tiquissimum Templum eius est Sami, & si-
mulachrum in habitu nubentis figura-
tum, & sacra eius anniuersaria nuptiarum
ritu celebrantur. Si ergo adoleuit, si vir-
go fuit primo, postea mulier, hominem
fuisse qui non intelligit, pecudem se fate-
tur. Quid loquar obscenitatem Veneris
omnium prostitutæ libidinibus non Deo-
rum tantùm, sed & hominum? Hæc enim
ex famoso Martis stupro genuit Harmo-
niam, ex Mercurio Hermaphroditum,
qui est natus Androgynus, ex Ioue Cupi-
dinem, ex Anchise Æneam, ex Bute Ery-
cem: ex Adone quidem nullum potuit,
quod etiam tum puer ab Apro ictus, & oc-
120 cisus est: quæ prima (vt in historia sacra
continetur, artem meretriciam instituit,
authorque mulieribus in Cypro fuit, vti
vulgo corporum quæstum facerent; quod
icirco imperauit, ne sola præter alias mu
lieres impudica, & virorum appetens vi-
deretur. Etiam ne habet hæc aliquid Nu-
minis, cuius plura numerantur adulteria,
quàm partus? Sed ne illæ quidem virgines
illibatam castitatem seruare potuerunt.
Vnde enim putemus Erichthonium esse
natum? An ex Terra, vt Poetæ a videri *a Homer. 2.*
volunt? At res ipsa clamat. Nam cum *Iliad. Eurip.*
Vulcanus Dijs arma fecisset, eique Iupiter *Ouid. 2. Me*
optionem dedisset præmij quod vellet po- *tamor.*
stulandi, iurassetque, vt solebat, per in-
fernam paludem, se nihil negaturum: tum
Faber claudus Mineruę nuptias postulauit.
Hic Iupiter optimus, maximus tanta reli-
gione constrictus abnuere non potuit; Mi-
neruā tamen monuit repugnare, pudiciti-
āq; defendere: tū in illa colluctatione Vul-
canum in terram profudisse aiunt semèn,
vnde sit Erichthonius natus, idque illi no-
men impositum ἀπὸ τῆς ἔριδος, καὶ χθονός.
idest ex certamine, atque humo. Cur igi-
tur virgo eū puerum cū Dracone conclu-
sum, & obsignatum tribus virginibus Ce-
cropidis commendauit? euidens (vt opi-
nor) incestum, quod nullo modo possit co-
lorari. Altera, cum penè amatorem su-
um perdidisset, qui erat. *b Virgil. 7.*
Turbatis distractus equis. b ——— *Æneid.*
Pręstantissimum medicum Æsculapium 121
curando iuueni aduocauit, eumque sana-
tum.

——— secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Egeriæ nemorique relegat,
Solus vbi in syluis Italis ignobilis æuum
Exigeret, versoque vbi nomine Virbius esset. c *c Virg. ibid.*
Quid sibi vult hæc tam diligens, tam soli-
cita curatio? quid secretæ sedes? quid re-
legatio vel tam longe, vel ad mulierem,
vel in solitudinem? quid deinde nominis
commutatio? Postremo quid equorum
tam pertinax abominatio? Quid signifi-
cant hæc omnia, nisi conscientiam stupri,
& amorem minimè virginalem? Erat
planè, cur tantum laborem pro tam fideli
iuuene susciperet, qui amanti Nouercæ
obsequium pernegaret.

CA-

CAPVT XVIII.

HOc in loco refellendi sunt etiam ij, qui Deos ex hominibus esse factos non tantum fatentur, sed, vt eos laudent, etiam gloriantur, aut virtutis gratia, vt Herculem, aut munerum, vt Cererem, ac Liberum, aut artium repertarum, vt Æsculapium, vel Mineruam. Hæc verò quàm inepta sint, quamque non digna, propter quæ homines inexpiabili se scelere contaminent, hostesq; Deo vero fiant, quo contempto mortuorum sacra suscipiunt, ex singulis rebus ostendam. Virtutem esse dicunt; quæ hominem tollat in Cælum, non illam, de qua Philosophi disserunt, quæ posita est in bonis animi, sed hanc corporalem, quæ dicitur fortitudo; quæ quoniam præcipua in Herculem fuit, immortalitatem meruisse creditur. Quis tam stultè ineptus est, vt corporis vires diuinum, vel etiam humanum bonum iudicet, cum sint & maiores pecudibus attributæ, & vno morbo sæpe frangantur, vel ipsa senectute minuantur, & corruant? Itaque idem ille, cum deformari vlceribus toros suos cerneret, nec sanum se voluit, nec senem fieri, ne quando se ipso minor, aut deformior videretur. Hunc à rogo, quo viuum seipsum combusserat, ascendisse in Cælum putauerunt; eaque ipsa, quæ stultissimè admirati sunt, simulachris, & imaginibus expressa, & consecrata posuerunt, vt in perpetuum vanitatis eorum monumenta perstarent, qui ob necem bestiarum Deos fieri credidissent. Sed hæc Græcorum fortasse culpa sit, qui res leuissimas pro maximis semper habuerunt. Quid nostri? num sapientiores? qui athleticam quidem virtutem cõtemnunt, quia nihil obest, sed regiam, quia latè potest nocere, sic admirantur, vt fortes, & bellicosos Duces in Deorum cætum locari arbitrentur; nec esse vllam aliam ad immortalitatem viam, quam Exercitus ducere, aliena vastare, Vrbes delere, Oppida excidere, liberos populos aut trucidare, aut subijcere seruituti; videlicet quò plures homines afflixerint, spoliauerint, occiderint, eò se nobiliores, & clariores putant, & inanis gloriæ specie capti sceleribus suis nomen virtutis imponunt. Iam mallem, vt à ferarum cædibus Deos sibi fingerent, quàm immortalitatem tam cruentam probarent. Si quis vnum hominem iugulauerit, pro contaminato, ac nefario habetur, nec ad terrenum hoc domicilium Deorum admitti eum fas putant: ille autem, qui infinita hominum millia trucidauerit, cruore campos inundauerit, Flumina infecerit, non modò in templum, sed etiam in Cælum admittitur. Apud Ennium *a* sic loquitur Africanus. 122 *a Ennius Epigramat. & apud Cic. de Rep. teste Senec. Ep. 109*

Si fas cædendo cælestia scandere cuiquam est,
Mi soli Cæli maxima porta patet.

Scilicet, quia magnam partem generis humani extinxit, ac perdidit. O' quantis in tenebris Africane versatus es, vel potius ò Poeta, qui per cædes, & sanguinem patere hominibus in Cælum ascensum putaueris. Cui vanitati & Cicero assensit. EST verò (inquit) *b* Africane, nam & 123 *b Cic. de Repub.*
Herculi eadem ipsa porta patuit.] tanquam ipse planè, cum id fieret, ianitor fuerit in Cælo. Equidem statuere non possum, dolendumne potius, an ridendum putem, cum videam & graues, & doctos, &, vt sibi videntur, sapientes viros in tam miserandis errorum fluctibus volutari. Si hæc est virtus, quæ nos immortales facit, mori equidem mallim, quàm exitio esse plurimis. Si aliter parari immortalitas nõ potest, nisi per sanguinem, quid fiet, si omnes in concordiam consenserint? quod certè fieri poterit, si pernicioso, & impio furore proiecto innocentes esse, ac iusti velint. Num igitur nemo erit Cælo dignus? num peribit virtus, quia hominibus in homines sæuire non dabitur? Sed isti, qui euersiones Vrbium, Populorumque summam gloriam computant, ocium publicum non ferent, rapient, sæuient, & iniurijs insolenter illatis humanæ societatis fœdus irrumpent, vt habere hostem possint, quem sceleratius deleant, quàm lacesserint. Nunc ad reliqua pergamus: Nomen Deorum Cereri, ac Libero tradition munerum fecit. Possum diuinis do- 124
cere literis, *c* vinum, atque fruges ante progeniem Cæli, atque Saturni fuisse in vsum hominum: Sed ab his sanè inuenta esse fingamus. Num potest plus, aut maius videri, collegisse fruges, hisque fractis panem facere docuisse, aut vuas de vitibus lectas expressisse, vinumque fecisse, quàm fruges ipsas, aut vites generasse, aut protulisse de terra? Reliquerit hæc sanè Deus humanis ingenijs eruenda, tamen *c Genes. 4.*

fieri

fieri non potest, quin ipsius sint omnia,
qui & sapientiam tribuit homini, vt inue-
niret, & ipsa illa quæ possent inueniri.
125 Artes quoque suis inuentoribus immorta-
litatem peperisse dicuntur, vt Æscula-
pio medicina, Vulcano fabrica. Colamus
igitur & illos, qui fullonicam, sutrinamq;
126 docuerunt. Cur autem figulinæ reper-
tori honos non habetur? An quia isti di-
127 uites vasa Samia contemnunt? Sunt
& aliæ artes, quarum repertores humanę
vitæ plurimum profuerunt. Cur non etiã
illis attributa sunt Templa? Sed nimirum
Minerua est, quæ omnes reperit; ideoq;
illi opifices supplicant. Ergo ab his sordi-
128 bus Minerua ascendit in Cælum. Est
verò, cur quisquam derelinquat eum, qui
Terram cum animantibus, Cælum cum
astris, & luminibus exorsus est, vt eam ve-
neretur, quæ telam docuit ordiri? Quid
ille, qui vulnera in corporibus sanare do-
cuit? Num potest esse præstantior, quam
qui corpora ipsa formauit, sentiendi, ac
viuendi rationem dedit? herbas denique
ipsas, & cætera, quibus medendi ars con-
stat, excogitauit, ac protulit?

CAPVT XIX.

AT enim (dicet aliquis) & huic sum-
mo, qui fecit omnia; & illis, qui par-
tim profuerunt, suam venerationem esse
tribuendam. Primùm nec factum est vn-
quam, vt qui hos coluit, etiam Deum co-
luerit, neque fieri potest, quoniam si ho-
nos idem tribuitur alijs, ipse omnino non
colitur, cuius religio est, illum esse vnum,
ac solum Deum credere. Clamat summus
a Virg. 6. Æneid. Poeta a eos,
Qui inuentas vitam excoluere per artes.
Apud inferos esse, ipsumque illum medi-
cinæ artis repertorem ad Stygias vndas
b Virg. in fine 7. l. fulmine esse detrusum, b Vt intelligamus
quantum valeat Pater Omnipotens, qui
& Deos fulminibus extinguat. Sed ho-
mines ingeniosi hanc secum habebant for-
tasse rationem. Quia Deus fulminari nõ
potest, apparet, non esse factum: immò
verò, quia factum est, apparet, hominem
fuisse, non Deum. Mendacium Poeta-
129 rum non in facto est, sed in nomine.
Metuebant enim malum, si contra publi-
cam persuasionem faterentur, quod erat
verum. Quòd si hoc constat inter ipsos,
ex hominibus Deos factos cur ergo non
credunt Poetis, si quando illorum fugas,
& vulnera, & mortes, & bella, & adul-
teria describunt? Quibus ex rebus intelli-
gi datur, non potuisse vllo pacto fieri De-
os, quia ne homines quidem probi fue-
runt, eaque in vita sua gesserant, quæ
mortem pariunt sempiternam.

CAPVT XX.

VENIO nunc ad proprias Romano-
rum Religiones, quoniam de com-
munibus dixi. Romuli Nutrix Lupa ho-
noribus est affecta diuinis. Et ferrem, 130
si animal ipsum fuisset, cuius figuram ge-
rit. Author est Liuius a Larentinæ esse 131
simulachrum, & quidem non corporis, sed *a Liu. lib. 1.*
mentis, ac morũ: fuit enim Faustuli vxor, *1. Decad.*
& propter vulgati corporis vilitatem Lu-
pa inter Pastores, idest meretrix nuncu-
pata est; vnde etiam Lupanar dicitur. 132
Exemplum scilicet Atheniensium in ea fi-
guranda Romani secuti sunt, apud quos
meretrix quædam nomine Leæna, cum
Tyrannum occidisset, quia nefas erat si-
mulachrum constitui meretricis in Tem-
plo animalis effigiem posuerunt, cuius
nomen gerebat. Itaque vt illi monimen-
tum ex nomine, sic isti ex professione fe-
cerunt. Huius nominis etiam dies festus
dicatus est, & Larentinalia constituta. 133
Nec hanc solam Romani meretricem co-
lunt, sed Faulam quoque, quam Her- 134
culis scortum fuisse Verrius scribit. Iam
quanta ista immortalitas putanda sit, quæ
etiam meretrices assequantur? Flora
(cum magnas opes ex arte meretricia
quæsiuisset) Populum scripsit heredem,
certamque pecuniam reliquit, cuius ex
annuo fænore suus natalis dies celebrare-
tur editione ludorum, quos appellant 135
Floralia: quod quia Senatui flagitiosum
videbatur, ab ipso nomine argumentum
sumi placuit, vt pudendæ rei quædam di-
gnitas adderetur. Deam finxerunt esse,
quæ floribus præsit, eamq; oportere pla-
cari, vt fruges cum arboribus, aut vitibus
benè, prosperèque florescerent. Eum
colorem secutus in Fastis Poeta b nõ igno- *b Ouid. 5.*
bilem Nympham fuisse narrauit, quæ sit *Fastor.*
Chloris vocitata, eamque Zephiro nuptã

quasi

quaſi dotis loco id accepiſſe muneris à marito, vt haberet omnium florum poteſtatem. Honeſtè quidem iſta dicuntur, ſed inhoneſtè, turpiterque creduntur: nec debent (cum veritas quæritur) huiuſmodi
136 nos velamenta decipere. Celebrantur ergo illi ludi cum omni laſciuia conuenientes memoriæ meretricis Nam præter verborum licentiam, quibus obſcœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam veſtibus populo flagitante Meretrices, quæ tunc Mimorum funguntur officiò, & in conſpectu populi uſque ad ſatietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur. Cloacinæ ſimulachrum in Cloaca maxima repertum Tatius conſecrauit: &, quia cuius eſset effigies igno-
137 rabat, ex loco illi nomen impoſuit Pauorem, Palloremque Tullus Hoſtilius figurauit, & coluit. Quid de hoc dicam, niſi dignum fuiſse, qui ſemper Deos ſuos
138 (ſicut optari ſolet) præſentes haberet? Ab hoc illud M. Marcelli de conſecration: Honoris, atque Virtutis honeſtate nominum differt, re congruit. Eadem vani-
139 tate Mentem quoque inter Deos collocauit Senatus, quam profectò ſi habuiſſet, eiuſmodi ſacra nunquam ſuſcepiſſet.
140 Magnum Cicero audaxque conſilium ſuſcepiſſe Græciam dicit, quod Cupidinum, & Amorum ſimulachra in gymnaſijs conſecraſſet. Adulatus eſt videlicet Attico, & irriſit hominem familiarem. Non enim illud magnum, aut omnino cōſilium dicendum fuit, ſed impudicorum hominum perdita, & deplorata nequitia, qui liberos ſuos, quos erudire ad honeſta debuerunt, proſtituerunt libidini iuuentutis; a quibus flagitiorum Deos & in illis potiſſimum locis, vbi nuda corpora corruptorum luminibus patent, & in illa coli ætate voluerunt, quæ ſimplex, & improuida prius irretiri, & in laqueos poteſt cadere, quam cauere. Quid mirum, ſi ab hac gente vniuerſa flagitia manarunt? apud quam ipſa vitia religioſa ſunt, eaque non modò non vitantur, verùm etiam coluntur: Et ideo huic ſententiæ, tanquam
141 Græcos prudentia vinceret, adiecit a VIRTVTES enim oportet non vitia consecrari.] Quod ſi recipis ò M. Tulle, non vides fore, vt irrumpant vitia cum virtutibus, quia mala bonis adhærent, & in animis hominum potentiora ſunt; Quę ſi vetas conſecrari, reſpondebit tibi illa

a Cic. 2. de Leg. b.

eadem Græcia ſe alios Deos colere, vt proſint, alios ne noceant. Hæc enim ſemper excuſatio eſt eorum, qui mala ſua pro Dijs habent, vt Romani Rubiginem, ac
Febrem. Si ergo vitia conſecranda nō 142
ſunt, in quo tibi aſſentior, ne virtutes quidem. Non enim per ſe ſapiunt, aut ſentiunt, neque intra parietes, aut ædiculas luto factas, ſed intra pectus collocandæ ſunt, & interius comprehendendæ, ne ſint falſę, ſi extra hominem fuerint collocatæ. Itaque pręclaram illam legem tuā
derideo, quam ponis his verbis a. AST 143
illa, propter quę datur homini aſcenſus in Cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra ſunto.] At qui hæc ſeparari ab homine non poſſunt. Si enim colenda ſunt, in homine ipſo ſint neceſſe eſt. Si autem ſunt extra hominem, quid opus eſt ea colere, quibus careamus? Virtus colenda eſt, non imago virtutis, & colenda non ſacrificio aliquo, aut thure, aut precatione ſolenni, ſed voluntate ſola, atque propoſito. Nam quid eſt aliud colere virtutem, niſi eam comprehendere animo, & tenere? Quod vnus quiſque ſimul ac cœpit velle, conſequitur. Hic ſolus virtutis eſt cultus, nam Religio, & veneratio nulla alia niſi vnius Dei tenenda eſt. Quid igitur opus eſt (ò
vir ſapientiſſime) ſuperuacuis extru- 144
ctionibus loca occupare, quę poſſint humanis vſibus cedere? Quid Sacerdotes cōſtituere vana, & inſenſibilia culturos? Quid immolare victimas? Quid tantos ſumptus,
vel fingendis, vel colendis imaginibus 145
impendere? Firmius, & incorruptius templum eſt pectus humanum; hoc potius ornetur, hoc veris illis Numinibus impleatur. Has ergo falſas conſecrationes eſſe ſequitur: quod neceſſe eſt. Qui enim virtutes ſic colunt, ideſt qui vmbras, atque imagines virtutum conſectantur, ea ipſa, quæ vera ſunt, tenere non poſſunt. Itaque nulla in quòquam virtus eſt, vitijs vbique dominantibus, nulla fides, omnia pro ſe vno quoque rapiente, nulla pietas, nec conſanguineis, nec parentibus parcente auaritia, & cupiditate in venenum, & ferrum ruente, nulla pax, nulla concordia, publicè bellis ſæuientibus, priuatim verò inimicitijs vſque ad ſanguinem ferentibus, nulla pudicitia, libidinibus effrenatis omnem ſexum, & omnes corporis partes contaminantibus; nec tamen

deſinunt

definunt ea colere, quæ fugiunt, & ode-
146 runt. Colunt enim thure, ac [146] ſumis di-
147 gitis, quæ ſenſibus intimis [147] horrere de-
buerunt; qui error omnis ex illius princi-
palis, ac ſummi boni ignoratione deſcen-
dit. Vrbe a Gallis occupata obſeſſi in Ca-
148 pitolio Romani, [148] cum ex mulierum ca-
pillis tormenta feciſſent, ædem Veneri
Caluæ conſecrarunt. Non igitur intelli-
gunt, quàm vanæ ſint religiones vel ex eo
ipſo, quòd eas his ineptijs cauillantur. A
Lacedæmonijs fortaſſe didicerant, Deos
ſibi ex euentis fingere: qui cum Meſſenios
obſiderent, & illi furtim deceptis obſeſſo-
ribus egreſſi ad diripiendam Lacedæmo-
nem cucurriſſent, à Spartanis mulieribus
fuſi, fugatiquè ſunt. Cognitis autem ho-
ſtium inſidijs Lacedæmonij ſequebantur.
His armatæ mulieres obuiam longius exie
runt; quæ cum viros ſuos cernerent para-
re ſe ad pugnam, quòd putarent, Meſſe-
nios eſſe, corpora ſua nudauerunt. At il-
li vxoribus cognitis, & aſpectu in libidinem
concitati, ſicut erant armati, permiſti
ſunt vtiquè promiſcuè (nec enim vacabat
149 diſcernere) [149] Sicut iuuenes ab ijſdem an-
150 tea miſſi cum virginibus, ex quibus ſunt [150]
Parthenij nati. Propter huius facti memo-
151 riam ædem [151] Veneri Armatæ, ſimula-
chrumquè poſuerunt; quod tametſi ex
cauſa turpi venit, tamen honeſtius videtur
Armatam Venerem conſecraſſe, quàm
152 Caluam. Eodem tempore [152] Ioui quo-
que piſtori ara appoſita eſt, quòd eos in
quiete monuiſſet, vt ex omni frumento,
quod haberent, panem facerent, & in
hoſtium caſtra iactarent: eoquè facto ſo-
luta eſt obſidio, deſperantibus Gallis ino-
pia ſubigi poſſe Romanos. Quæ iſta reli-
gionum deriſio eſt? Si earum defenſor eſ-
ſem, quid tam grauiter queri poſſem, quã
Deorum numen in tantum veniſſe con-
temptum, vt turpiſſimis nominibus ludi-
brio habeatur? Quis non rideat Fornacẽ
Deam? vel potius doctos viros celebran-
dis fornacalibus operari? Quis cum au-
153 diat Deam [153] Mutam tenere riſum queat?
Hanc eſſe dicunt, ex qua ſint nati Lares,
& ipſam Laram nominant, vel Larundã.
Quid præſtare colenti poteſt, quæ loqui
non poteſt? Colitur & Caca, quæ Hercu-
li fecit indicium de furto Boum, diuinita-
tem conſecuta, quia prodidit fratrem: &
154 [154] Cunina, quæ infantes in cunis tuetur,
155 ac faſcinum ſummouet; & 155 Sterculius,
qui ſtercorandi agri rationem primus in-
duxit: & [156] Mutinus, in cuius ſinu puden- 156
do nubentes præſident, vt illarum pudici-
tiam prior Deus delibaſſe videatur. Et
mille alia portenta, vt iam vaniores, qui
hæc colenda ſuſceperint, quàm Ægyptios
eſſe dicamus, qui monſtruoſa, & ridicula
quædam ſimulachra venerantur. Et hæc
tamen habent aliquam imaginem. Quid,
quòd lapidem colunt informem, atque
rudem, cui nomen eſt [157] Terminus? Hic 157
eſt, quem pro Ioue Saturnus dicitur deuo-
raſſe: nec immeritò illi honos tribuitur. 158 158
Nam cum Tarquinius Capitolium facere
vellet, eòque in loco multorum Deorum
ſacella eſſent, conſuluit eos per auguria;
vtrum Ioui cederent: & cedentibus cæte-
ris ſolus Terminus manſit: vnde illum
Poeta. . *a* *a Virgil. 9. Æneid.*

——————*Capitoli immobile ſaxum*

vocat. Iam ex hoc ipſo quam magnus Iu-
piter inuenitur, cui non ceſſit lapis, ea for
taſſe fiducia, quòd illum de paternis fau-
cibus liberauerat. Facto itaque Capitolio,
ſupra ipſum Terminum foramen eſt in
tecto relictum, vt quia non ceſſerat, libe-
ro Cælo frueretur, quo ne ipſi quidem
fruebantur, qui lapidem frui putauerunt.
Et huic ergo publicè ſupplicatur quaſi cu-
ſtodi finium Deo, qui non tantum lapis,
ſed etiam ſtipes interdum eſt. Quid de ijs
dicam, qui colunt talia, niſi ipſos potiſſi-
mum lapides, ac ſtipites eſſe?

CAPVT XXI.

DIXIMVS de Dijs ipſis, qui colun-
tur: nunc de ſacris, ac myſterijs eo-
rum pauca dicenda ſunt. Apud Cypri Sa-
laminem 159 humanam hoſtiam Ioui Teu 159
crus immolauit; idque ſacrificium poſteris
tradidit, quod eſt nuper Hadriano impe-
rante ſublatum. Erat lex apud Tauros,
inhumanam, & feram gentem, vti Dianę
hoſpites immolarentur; & id ſacrificium
multis temporibus celebratum eſt. Galli
[160] Eſum, atque Teutatem humano cruo- 160
re placabant. Nec Latini quidem huius
immanitatis expertes fuerunt. Siquidem
[161] Latialis Iupiter etiam nunc ſanguine 161
colitur humano. Quid ab his boni preca-
tur, qui ſic ſacrificant? aut quid tales Dij
hominibus præſtare poſſunt, quorum

pœnis propitiantur? Sed de Barbaris non
est adeo mirandum, quorum religio cum
moribus congruit. Nostri verò, qui sem-
per mansuetudinis, & humanitatis gloriã
sibi vendicarunt, nonne sacrilegis his sa-
cris immaniores reperiuntur? Hi enim
potius scelerati sunt habendi, qui, cum sint
liberalium disciplinarum studijs expoliti,
ab humanitate desciscunt, quàm qui ru-
des, & imperiti ad mala facinora bono-
rum ignoratione labuntur. Apparet ta-
men, antiquum esse hunc immolandorũ
hominum ritum. Si quidem Saturnus in
Latio eodem genere sacrificij cultus est,
non quidem vt homo ad aram immolare-
162 tur, sed vt in Tyberim [162] de ponte Miluio
mitteretur. Quod ex responso quodam
factitatum Varro author est, cuius respon
si vltimus versus est talis.
163 164 [163] Καὶ κεφαλὰς ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε [164] φῶτα.
Quod quia videtur ambiguum, & fax illi,
& homo iaci solet. Verùm id genus sacri-
ficij ab Hercule, cum ex Hispania rediret,
dicitur esse sublatum, ritu tamen perma-
nente, vt pro viris hominibus imagines
iacerentur ex scirpo, vt Ouidius in Fastis
a Ouid. lib. docet. a
5. Fastor. *Donec in hac venit Tirynthius arua quotannis*
Tristia Leucadio sacra peracta modo:
Illum stramineos in aquam misisse Quirites:
165 *Herculis exemplo corpora falsa [165] iaci.*
Hæc sacra Vestales Virgines faciunt, vt ait
b Ouid. ibid. *idem.* b
Tũ quoque priscorum virgo simulachra virorũ
Mittere roboreo scirpea ponte solet.
Nam de infantibus, qui eidem Saturno im
molabantur propter odium Iouis quid di-
cam non inuenio. Tam barbaros, tam
immanes fuisse homines, vt parricidium
suum, idest tetrum, atque execrabile hu-
mano generi facinus sacrificiũ vocarent:
cum teneras, atque innocentes animas,
quæ maximè est ætas parentibus dulcior,
sine vllo respectu pietatis extinguerent,
immanitatemquè omnium bestiarum, quę
tamen fœtus suos amant, feritate supera-
rent. O dementiam insanabilem: quid il-
lis isti Dij amplius facere possent, si essent
iratissimi, quam faciunt propitij? cum
suos cultores parricidijs inquinant, orbi-
tatibus mactant, humanis sensibus spo-
liant? Quid potest esse his hominibus san-
cti? aut quid in profanis locis facient, qui
inter aras Deorum summa scelera com-
mittunt? Pescenius festus in libris histo-
riarum per Satyram refert, Carthaginen-
ses Saturno humanas hostias solitos immo
lare, & cum victi essent ab Agathocle
Rege Siculorum, iratum sibi Deum puta-
uisse. Itaque, vt diligentius piaculum so-
luerent, ducentos nobilium filios immo-
lasse. [166] 166
Tantum religio potuit suadere malorum,
Quæ peperit sæpe scelerosa, atque impia facta. a a Lucretius
Cui ergo dementissimi homines illo sacri- initio pr. de
ficio consulebant, cum tantam partem nat. rerum.
Ciuitatis occiderent, quantam fortasse
ne Agathocles quidem victor occiderat?
Ab isto genere sacrorum non minoris in-
saniæ iudicanda sunt publica illa sacra,
quorum alia sunt matris Deum, in quibus
homines suis ipsis virilibus litant: ampu-
tato enim sexu, nec viros se nec fœminas
faciunt, alia Virtutis, quam eandem Bel-
lonam vocant; in quibus ipsi Sacerdotes
non alieno, sed suo cruore sacrificant. Se-
ctis namque humeris, & vtraque manu
districtos gladios exerentes currunt, effe-
runtur, insaniunt. Optimè igitur Quin-
tilianus in Fanatico. ISTVD (inquit)
si Deus cogit, iratus est.] Etiamne hæc
sacra sur[...] nonne satius est pecudum mo
re viuere, quam Deos tam impios, tam
profanos, tam sanguinarios colere? Sed
vnde isti errores, & hæc tanta flagitia
manauerunt, suo loco discemus. Inte-
rim videamus & cætera, quæ carent sce-
lere, ne studio insectandi videamur elige-
re peiora. [167] Isidis Ægyptia sacra sunt, 167
quatenus filium paruulum vel perdiderit,
vel inuenerit. Nam primo Sacerdotes
eius deglabrato corpore sua pectora tun-
dunt, lamentantur sicut ipsa, cum perdi-
dit, fecerat. Deinde puer producitur qua-
si inuentus, & in lætitiam luctus ille muta-
tur. ideo [168] Lucanus. b 168
——— *numquamque satis quæsitus Osiris.* b Ouid. 9.
Semper enim quærunt, & semper inueniunt. Metamor.
Refertur ergo in sacris imago rei, quæ ve-
rè gesta est; quæ profectò, si quid sapimus,
declarat, mortalem mulierem fuisse, ac
penè orbam, nisi vnicum reperisset: quod
illum ipsum Poetam minime fugit, apud
quem Pompeius addelcens, morte patris
audita, hęc loquitur. c c Lucan. ini
Euolnam busto iam numen gentibus Isim, tio 9. lib.
[169] *Et sectum ligno spargam per vulgus Osirim.* 169
Hic est [170] Osiris, quem Serapim, & Sera- 170
pidem vulgus appellat: solent enim mor-

tuis

tuis consecratis nomina immutari, credo, ne quis putet, eos homines fuisse. Nam & Romolus post mortem Quirinus dictus est, & Leda Nemesis, & Circe Marica, & Ino, postquam se precipitauit, Leucothea, materque Matuta. Et melicertes filius eius Palæmon, atque Portunnus. Sacra verò Cereris Eleusinę non sunt his dissimilia. Nam sicut ibi Osiris puer planctum matris inquiritur, ita hic ad incestum patrui matrimonium rapta Proserpina: quam quia facibus ex Ætnæ vertice accensis quæsisse in Sicilia Ceres dicitur, idcirco sacra eius ardentium tedarum iactatione celebrantur. Apud Lampsacum Priapo litabilis victima est asellus. Cuius sacrificij ratio in Fastis *a* hæc redditur. Cũ dij omnes ad festum matris magnæ conuenissent, epulisque satiati noctem lusibus ducerent, quieuisse humi Vestam, somnumq; cepisse: ibi Priapum somno eius, ac pudicitiæ insidiatum, sed illam intempestiuo clamore aselli, quo Silenus vehebatur, excitatam, libidinem verò insidiatoris esse detectam. Hac de causa Lampsacenos asellum Priapo quasi in vltionem mactare consueuisse: apud Romanos verò eundem Vestalibus sacris in honorem pudicitiæ conseruatæ panibus coronari. Quid turpius? quid flagitiosus, quã si Vesta beneficio Asini virgo est? At Poeta fabulã finxit. Nũ ergo illud est verius, quod referunt ij, qui φαινόμενα cõscripserunt? cũ de duabus Cancri stellis loquuntur, quas Greci ὄνους vocant: asellos fuisse, qui Liberũ patrem transuexerint, cum amnem transire non posset, quorum alteri hoc præmium dederit, vt humana voce loqueretur. Itaque inter eum, Priapumquè ortum esse certamen de obscœni magnitudine: Priapum victum, & iratum interemisse victorem. Hoc verò multo magis ineptum est, sed Poetis licet quicquid velint. Non excutio tam deforme mysterium, nec Priapum denudo, ne quid appareat risu dignum. Finxerunt hæc sanè Poetæ, sed necesse est alicuius maioris turpitudinis tegendæ gratia ficta sint. Quæ sit ergo quæramus. At ea profectò manifesta est; nam sicut Lunæ taurus mactatur, quia similiter habet cornua; Et

Placat equo Persis radijs Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo. *b*

Ita in hoc quia magnitudo membri virilis enormis est, non potuit ei monstro aptior victima reperiri, quàm quæ ipsum, cui mactatur, posset imitari. Apud Lindum, quod est Oppidum Rhodi, Herculis sacra sunt, quorum a cæteris longe diuersus est ritus. Siquidem non εὐφημίᾳ, vt Græci appellant, sed maledictis, execratione celebrantur, eaque pro violatis habent, si quando inter solemnes ritus vel imprudent alicui exciderit bonum verbum. Cuius rei hæc ratio redditur, si tamen vlla esse ratio in rebus vanissimis potest. Hercules, cum eo delatus esset, famemque pateretur, aratorem quendam aspexit operantem, ab eoque petere cœpit, vt sibi vnum bouem venderet. Ille negauit fieri posse, quia spes sua omnis colendæ terræ duobus illis iumentis niteretur. Hercules solita violentia vsus, quia vnum accipere non potuit, vtrunque sustulit. At ille infelix, cum boues suos mactari videret, iniuriã suam maledictis vltus est, quod homini eleganti, & vrbano gratissimum fuit. Nam dum comitibus suis epulas apparat, dumque alienos boues deuorat, illum sibi amarissimè conuiciantem, cum risu, & cachinnis audiebat. Sed postquam Herculi diuinos honores ob admirationem virtutis deferri placuit, a ciuibus ei ara posita est, quam de facto βούζυγον, id est bouis iugum nominauit; ad quam duo iuncti boues immolarentur, sicut illi, quos abstulerat aratori, eumquè ipsum sibi cõstituit Sacerdotem, ac præcepit, vt ijsdem maledictis semper in celebrandis sacrificijs vteretur; quòd negaret, se vnquam epulatum esse iucundius. Hæc iam non sacra sunt, sed sacrilegia, in quibus id sanctum ducitur, quod, in alijs si fiat, etiam seuerissimè vindicatur. Ipsius autem Cretici Iouis sacra quid aliud, quàm quomodo sit aut subtractus patri, aut nutritos ostendunt? capella est Amaltheæ, nymphæ, quę vberibus suis aluit infantẽ, de qua Germanicus Cęsar in Aratęo carmine sic ait *a*

——— *illa putatur*
Nutrix esse Iouis, si verò Iupiter infans
Vbera Cretea mulsit fidissima capra.
Sidere quæ claro gratum testatur alumnum.

Huius capellæ corio vsum esse pro scuto Iouem contra Titanas dimicantem Musæus author est. Vnde a Poetis *b* αἰγίοχος nominatur. Ita quicquid est gestum in abscondendo puero, id ipsum per imaginem geritur in sacris; sed & matris eius mysterium idem continet: quod Ouidius

a Ouid. pr. Fastorum.
b Ouid. pr. Fastor.
a Germanicus Cęs. i Arat. carm. vbi de Ericht.
b Pindar. ? Nicãd. in Theriac. Homer. Iliad. primo.

 exponit

exponit in Fastis *a*
171 [171] *Arduaiam dudum resonat tinnitibus Ida,*
a Ouid. 4. Fastor. *Tutus vt infanti vagiat ore puer.*
Pars clypeos sudibus, galeas pars tũdit inanes;
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus:
Res latuit, priscique manent imitamina facti,
Aera Dea, comites raucaque terga mouent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsãt,
Tibia dat phrygios, vt dedit ante, modos.
Hanc totam opinionem quasi à Poetis fi-
ctam Salustius respuit, voluitq; ingeniosè
interpretari, cur altores Iouis dicantur
172 Curetes fuisse, & sic ait. [172] Quia principes
173 intelligendi diuina fuerunt, [173] vetustatem,
vt cætera, in maius componentem, alto-
res Iouis celebrauisse. Quantum errauе-
rit homo eruditus, iam res ipsa declarat:
si enim princeps est Iupiter, & Deorum,
& religionum, si ante illum Dij nulli cole-
bantur vulgo, quia nondum nati fuerant,
qui coluntur, apparet, Curetes ex diuer-
so principes fuisse diuina non intelligendi,
per quos error omnis inductus est, & Dei
veri memoria sublata. Ex ipsis itaque my-
sterijs, & cæremonijs intelligere debue-
runt, hominibus se mortuis supplicare.
Non igitur exigo, vt aliquis Poetarum fi-
ctionibus credat. Qui hos mentiri putat,
Pontificum ipsorum scripta consideret, &
quicquid est literarũ ad sacra pertinentiũ
reuoluat: plura fortasse, quàm nos asseri-
mus, inueniet, ex quibus intelligat, ina-
nia, inepta, commentitia esse omnia, quę
pro sanctis habentur. Si quis autem per-
cepta sapientia, deposuerit errorem, pro-
fectò ridebit ineptias hominum penè de-
174 mentium, [174] illos dico, qui vel inhonesto
175 saltatu tripudiant, [175] vel qui nudi, vncti,
coronati, personati, aut luto obliti cur-
176 runt. [176] Quid de scutis iam vetustate pu-
tridis dicam? quæ cum portant, Deos ip-
sos se gestare humeris suis arbitrantur.
Nam Furius Bibaculus inter præcipua pie
tatis exempla numeratur, qui cum Prætor
esset, tamen, lictoribus præeuntibus, an-
cyle portauit, cum haberet magistratus
beneficio muneris eius vacationem. Non
ergo ille Furius, sed planè furiosus fuit,
qui Præturam hoc ministerio se putauit
ornare. Meritò igitur, cum hæc a viris
non imperitis, ac rudibus fiant, Lucretius
exclamat. *b*
177 [177] *O Stultas hominum mentes, ò pectora cæca,*
b Lucret. 2. de nat. rer. *Quamlibet in tenebris vita, quantisq; periclis*
Degitur hoc aui quodcunque est.

Quis hæc ludibria non deridat, qui habeat
aliquid sanitatis? cum videat homines ve-
lut mente captos ea seriò facere, quæ si
quis faciat in lusu, mi nus sanus, & ine- 178
ptus esse videatur.

CAPVT XXII.

HARVM vanitatum apud Romanos
author, & constitutor [179] Sabinus 179
ille Rex fuit, qui maximè animos homi-
num rudes, atque imperitos nouis super-
stitionibus implicauit; quod vt faceret ali-
qua cum authoritate, simulauit cum Dea
Egeria nocturnos se habere congressus.
erat quædam spelunca peropaca in nemo-
re Aricino, vnde riuus perenni fonte ma-
nabat: huc remotis arbitris se inferre con-
sueuerat, vt mentiri posset, monitu Deæ
coniugis ea sacra populo se tradere, quæ
acceptissima Dijs essent: Videlicet astu-
tiam Minois voluit imitari, qui se in an-
trum Iouis recondebat, & ibi diù mora-
tus, leges tanquam sibi à Ioue traditas af-
ferebat, vt homines ad parendum non
modò imperio, sed etiam religione con-
stringeret. Nec difficile sane fuit persua-
dere pastoribus. Itaque Pontifices, Fla-
mines, Salios, Augures creauit, Deos
per familias descripsit: sic noui populi fe-
roces animos mitigauit, & ad studia pacis
à rebus bellicis auocauit. Sed cum alios
falleret, se ipsum tamen non fefellit. Nam
post annos plurimos Cornelio, & Bebio
Coss. in agro scribæ Petilij sub Ianiculo
arcæ duæ lapideæ sunt repertæ à fossori-
bus, quarum in altera corpus Numæ fuit,
in altera septem latini libri De iure pon-
tificio: Item græci totidem De disciplina
sapientiæ scripti, quibus religiones, non
eas modò, quas ipse instituerat, sed om-
nes præterea dissoluit. Qua re ad Sena-
tum delata, decretum est, vt hi libri abo-
lerentur. Ita eos Q. Petilius Prætor Vrbis
in concione populi concremauit. Insi-
pienter id quidem. Quid enim profuit,
libros esse combustos, cum hoc ipsum,
quòd sunt ideo combusti, quia religioni-
bus derogabant, memoriæ sit traditum?
Nemo ergo tunc in Senatu non stultissi-
mus: potuerunt enim & libri aboleri, &
res tamen in memoriam non exire. Ita
dum volunt etiam posteris approbare,
quanta

quanta pietate defenderint religiones,
authoritatem religionum ipsarum testan-
do minuerunt. Sed vt Pompilius apud Ro
manos institutor ineptarum religionum
fuit, sic ante Pompilium Faunus in Latio,
180 qui & Saturno auo [180] nefaria sacra con-
stituit, & Picum patrem inter Deos ho-
181 norauit, & sororem suam [181] Fatuam Fau-
nam, eamque coniugem consecrauit,
quam C. Bassus Fatuam nominatam tra-
dit, quòd mulieribus fata canere consue-
uisset, vt Faunus viris. Eandem Varro
scribit, tantæ pudicitiæ fuisse, vt nemo
eam quoad vixerit, præter virum suum,
mas viderit, nec nomen eius audierit.
182 Idcirco illi mulieres [182] in operto sacrifi-
183 cant, & Bonam Deam nominant: [183] &
Sex. Clodius in eo libro, quem græcè scri-
psit, refert, Fauni hanc vxorem fuisse,
quæ quia contra morem, decusque regiũ
184 clam viri [184] ollam ebiberat, & ebria facta
erat, virgis myrtheis à viro vsque ad mor
tem cæsa. Postea verò cum facti sui pœ-
niteret, & desiderium eius ferre non pos-
set, diuinum illi honorem detulisse. Ic-
circo in sacris eius obuolutam vini am-
phoram poni. Reliquit ergo posterius
Faunus quoque non parum erroris, quem
tamen prudentes quique perspiciunt. Nã
Lucilius eorum stultitiam, qui simulachra
Deos putant esse, deridet his versibus.
185 [185] *Terricolas Lamias Fauni quas Pompiliíque*
Instituere Numæ; tremit has, hic omnia ponit:
Vt pueri infantes credunt signa omnia ahena
186 [186] *Viuere, & esse homines, sic isti omnia ficta*
187 *Vera putãt, credũt signis cor inesse [187] ahenis.*
Pergula Pictorum veri nihil: omnia ficta.
Poeta quidem stultos homines infantibus
comparauit: at ego multo imprudentio-
res esse dico. Illi enim simulachra homi-
nes putant esse, hi Deos; illos ætas facit
putare quod non est, hos stultitia: Illi
vtique breui desinunt falli; horum vani-
tas & durat, & semper crescit. Sacra
Liberi patris primus Orpheus induxit in
Græciam, primusque celebrauit in mon-
te Bœotiæ Thebis, vbi Liber natus est
proximo, qui, cum frequenter citharæ
cantu personaret, Citheron appellatus
est. Ea sacra etiam nunc Orphica nomi-
nantur: in quibus ipse postea dilaceratus,
& carptus est; & fuit per eadem ferè tem-
pora, quibus Faunus; sed quis ætate præ-
cesserit, dubitari potest; siquidem per eos-
dem annos Latinus, Priamusq; regnaue-
runt: 188 Item patres eorum Faunus, 188
& Lœmedon, quo regnante Orpheus cum
Argonautis ad Iliensium litus accessit.
Procedamus igitur vlterius, & quæramus,
quis omnino colendorum Deorum pri-
mus author extitit. Didymus in libris ἐξη-
γήσεως πινδαρικῆς ait, Melissea Creten-
sium Regem primum Dijs sacrificasse, ac
ritus nouos, sacrorumque pompas intro-
duxisse. Huius duas fuisse filias, Amal-
thæam, & Melissam, quæ Iouem puerum
caprino lacte, ac melle nutrierunt; Vnde
poetica illa fabula originem sumpsit, ad-
uolasse apes, atque os pueri melle com-
plesse, Melissam verò à patre primam Sa
cerdotem matri magnæ constitutam. Vn
de adhuc eiusdem matris antistites Melis-
sæ nuncupantur. [189] Historia verò sacra 189
testatur, ipsum Iouem, postquam rerum
potitus est, in tantam insolentiam venis-
se, vt ipse sibi fana multis in locis consti-
tueret. Nam, cum terras circuiret, [190] vt 190
in quamque regionem venerat, Reges,
Principesue populorum hospitio sibi, &
amicitia copulabat, & cum à quoque di-
grederetur, iubebat sibi fanum creari ho-
spitis sui nomine, quasi ita posset amici-
ciæ, & fœderis memoria conseruari. Sic
constituta sunt templa Ioui [191] Atabyrio, 191
Ioui [192] Labradeo; Atabyrius enim, & La- 192
bradeus hospites eius, atque adiutores in
bello fuerunt. Item Ioui Laprio, Ioui
Molioni, Ioui [193] Cassio, & quæ sunt in 193
eundem modum; quod ille astutissimè ex-
cogitauit, vt & sibi honorem diuinum, &
hospitibus suis perpetuum nomen acqui-
reret cum religione coniunctum. Gau-
debant ergo illi; & huic imperio eius liben
ter obsequebantur, & nominis sui gratia
vitus, annuos, & festa celebrabant. Si-
mile quiddam in Sicilia fecit Æneas, cum
conditæ vrbi Acestæ hospitis nomen im-
posuit, vt eam postmodum lætus, ac li-
bens Acestes diligeret, augeret, ornaret.
Hoc modo religionem cultus sui per or-
bem terræ Iupiter seminauit, & exemplũ
cæteris ad imitandum dedit. Siue igitur à
Melisseo, sicut Didymus, colendorum
Deorum ritus effluxit, siue ab ipso quoque
Ioue, vt Euhemerus tradit, de tempore
tamen constat, quando Dij coli cœpe-
rint. Melisseus quidem multum antece-
sit ætate, quippe qui educauerit Iouem
[194] nepotem: & iccirco fieri potest, vel vt 194
ante, vel adhuc puero Ioue Deos colere
iusti-

instituerit, idest alumni sui matrem, &
auiam Tellurem, quę fuit Vrani coniux;
& patrem Saturnum; & ipse hoc exem-
plo, atque instituto Iouem ad tantam su-
perbiam prouexerit, vt postea sibi diuinos
honores auderet assumere.

CAPVT XXIII.

HVNC quoniam vanarum supersti-
tionum originem deprehendimus,
superest, vt etiam tempora colligamus,
per quæ fuerint illi, quorum memoria
195 colitur. [195] Theophilus in libro de tempo-
ribus ad Autolycum scripto ait, a in histo-
196 ria sua [196] Thallum dicere, quòd Belus,
quem Babylonij, & Assyrij colunt, anti-
197 quior Troiano bello fuisse inuenitur [197]
a Thophil. 3 con. gent. ad Autolyc. CCCXXII. annis. Belum autem Saturno
æqualem fuisse, & vtrumque vno tempo-
re adoleuisse. Quod adeo verum est, vt
ratione ipsa colligi possit. Nam & Aga-
memnon, qui gessit bellum Troicum, Io-
uis abnepos fuit, & Achilles, Aiaxq; pro-
nepotes, & Vlysses eodem gradu proxi-
mus. Priamus quidem longa serie. Sed
authores quidam tradunt, Dardanum, &
Iasium Coriti filios fuisse, non Iouis; nec
enim (si ita fuisset) ad vsus impudicos Ga-
nymedem pronepotem suum habere po-
tuisset. Ita parentibus illorum, quos su-
pra nominaui, si congruenter annos di-
uidas, numerus consentiet. Ab excidio
autem Troianæ Vrbis colliguntur anni [198] 198
mille quadringenti septuaginta. Ex hac
temporum ratione manifestum est [199] an- 199
te annos non amplius, quàm mille octin-
gentos natum esse Saturnum, qui & sator
omnium Deorum fuit. Non ergo isti glo-
rientur sacrorum vetustate, quorum &
origo, & ratio, & tempora deprehensa
sunt. Restant adhuc aliqua, quæ ad ar-
guendas religiones falsas plurimum va-
lent. Sed iam finem facere libro decreui,
ne modum excedat. Ea enim plenius sunt
exequenda, vt omnibus refutatis, quæ ve-
ritati videntur obstare, homines, qui
bonorum ignorantia vagantur incerti, ad
religionem veram possimus imbuere. Pri-
mus autem sapientiæ gradus est falsa in-
telligere, Secundus vera cognoscere. Er-
go apud quem hęc prima institutio nostra
profecerit, qua falsa deteximus; excita-
bitur ad veri cognitionem, qua nulla est
homini iucundior voluptas, & erit iam
sapientia cælestis disciplinæ dignus, qui
ad cognoscenda cætera libens, ac para-
tus accesserit.

FINIS PRIMI LIBRI.



LVCII



LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS GENTES.

Liber Secundus.

I DE ORIGINE ERRORIS.

CAPVT PRIMVM.



VAMQVAM primo libro religiones Deorum falsas esse monstrauerim, quòd ij, quorum varios, dissimilesquè cultus per vniuersam terram consensus hominum stulta persuasione suscepit; mortales fuerint, functiq; vita diuinæ necessitati morte cõcesserint, tamen ne qua dubitatio relinquatur, hic secundus liber fontem ipsum patefaciet errorum, causasq; omnes explicabit, quibus decepti homines, & primitus Deos esse crediderunt, & postmodum inueterata persuasione in susceptis 2 prauissimè religionibus perseuerarunt: gestio enim conuictis inanibus, & hominum impia vanitate detecta, singularis Dei asserere maiestatem, suscipiens vtilius, & maius officium, reuocandi homines a prauis itineribus, & in gratiam secũ ipsos reducendi, ne se (vt quidam Philosophi faciunt) tantopere despiciant, nève se infirmos, & superuacuos, & frustra omninò natos putent, quæ opinio plerosq; ad vitia compellit. Nam dum existimant, nulli Deo nos esse curæ, aut post mortem nihil futuros, totos se libidinibus addicunt, & dum dicere sibi putant, hauriendis voluptatibus sitienter incumbunt, per quas imprudentes in laqueos mortis incurrunt; ignorant enim, quæ sit hominis ratio, quam si tenere vellent; in primis Deum suum agnoscerent, virtutem, iustitiamq; sequerentur; terrenis figmentis animas suas non substernerẽt, mortiferas libidinorũ voluptates non appeterẽt; deniq; se ipsos magni æstimarent, atq; intelligerent, plus esse in homine, quã videtur, cuius vim, cõditionémq; nõ aliter posse retineri, nisi cultum veri parentis sui, deposita prauitate susceperint. Equidem (sicut oportet) de summa rerum sæpenumero cogitans, admirari soleo, maiestatem Dei singularis, quæ continet, regitq; omnia, in tantam venisse obliuionem, vt quæ sola coli debeat, sola potissimum negligatur: homines autem ipsos ad tantam cæcitatem esse deductos, vt vero, ac viuo Deo mortuos præferant; terrenos autem,

tem,

tem, in terraq; sepultos ei præponant, qui fundator ipsius terræ fuit: & tamen huic impietati hominum posset venia concedi, si omnino ab ignorantia diuini nominis veniret hic error. Cum verò ipsos Deorum cultores sæpe videamus Deum summum & confiteri, & prædicare, quam sibi veniam sperare possunt impietatis suę? qui non agnoscunt cultum eius, quē prorsus ignorari ab homine fas non est. Nam & cum iurant, & cum optant, & cū gratias agunt, non Iouem, aut Deos multos, sed Deum nominant: adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab inuictis pectoribus erumpit, quod quidem non faciunt in prosperis rebus, nam tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficijs eius fruentes honorem dare diuinę indulgentię deberent. At verò si qua necessitas grauis presserit, tunc Deum recordantur; si belli terror infremuerit; si morborum pestifera vis incubuerit; si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit; si sæua tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugiunt, a Deo petitur auxilium, Deus vt subueniat, oratur: si quis in mari vento sęuiente iactatur, hunc inuocat; si quis aliqua inaflictatur, hunc protinus implorat: si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per eius diuinum, atq; vnicum numen hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt: postquam metus deseruit, & pericula recesserunt, tum verò alacres ad Deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant. Deo autem, quem in ipsa necessitate implorauerunt, ne verbo quidem gratias agunt, adeo ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria verò, vt vitia omnia, sic impietas aduersus Deum nascitur. Quanam istud ex causa fieri putemus? nisi

2 ¹esse aliquam peruersam potestatem, quæ veritatis sit semper inimica, quæ humanis erroribus gaudeat; cui vnicum, ac perpetuum sit opus offundere tenebras, & hominum cæcare mentes, ne lucem videant, ne deniq; in Cœlum aspiciant, ac naturæ corporis sui seruent,

3 ¹cuius originem suo loco narrabimus, nunc fallacias arguamus: nam cum cæteræ animantes pronis corporibus in humū spectent, quia rationem, ac sapientiam non acceperunt, nobis autem status rectus, sublimis vultus ab artifice Deo datus sit, apparet, istas religiones Deorum non esse rationis humanæ, quia curuant cæleste animal ad veneranda terrena. Parens enim noster ille vnus, & solus cum fingeret hominem, idest animal intelligens, & rationis capax, eum verò ex humo subleuatum ad contemplationem sui artificis erexit, quod optimè ingeniosus Poeta *a* signauit.

a Ouid. initio p. Metamorph.

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumq; videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

b Plato in Cratyl.

Hinc vtiquè *ἄνθρωπον* Græci *b* appellarunt, quò sursum spectet. Ipsi ergo sibi renunciant, seq; hominum nomine abdicant, qui non sursum aspiciunt, sed deorsum, nisi fortè idipsum, quod recti sumus sine causa homini attributu putant.

4 ¹Spectare nos cœlum Deus voluit: vtique non frustra; nam & aues, & ex mutis penè omnia cœlum vident, sed nobis propriè datum est cælum rigidis, ac stantibus intueri, vt religionem ibi quæramus, vt Deum, cuius sedes illa est, quem oculis non possumus, animo contemplemur; quod profectò non facit, qui æs, aut lapidem, quæ sunt terrena, veneratur. Est autem prauissimum, cum ratio corporis recta sit, quod est temporale, ipsum verò animum, qui est æternus, humilem fieri; cum figura, & status nihil aliud significent, nisi mentem hominis eò spectare oportere, quò vultum: & animum tam rectum esse debere, quam corpus,

5 ¹vt id cui dominari debet, imitetur. Verum homines & nominis sui, & rationis obliti, oculos suos ab alto deijciunt, soloq; defigunt, atque timent opera digitorum suorum, quasi quicquam esse possit artifice suo maius.

CAPVT II.

QVÆ igitur amentia est aut ea fingere, quæ ipsi postmodum timeant, aut timere, quæ finxerint? Non ipsa (inquiunt) timemus, sed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. Nempe ideo timetis, quòd eos esse in Cælo arbitramini; neque enim, si Dij sunt, aliter fieri potest.

test. Cur igitur oculos in Cœlum non tollitis, & aduocatis Deorum nominibus in aperto sacrificia celebratis? Cur ad parietes, & ligna, & lapides potissimum, quàm illò spectatis, vbi eos esse creditis?
6 7 8 [6] Quid sibi templa? [7] quid aræ volunt? [8]
quid deniq; ipsa simulachra, quæ aut mortuorum, aut absentium monumenta sunt? Nam omnino fingẽdarum similitudinum ratio iccirco ab hominibus inuenta est, vt posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerant separati. Deos igitur in quorum numero reponemus? Si in mortuorum, quis tam stultus, vt colat? si in absentium, colendi ergo non sunt, si nec vident, quæ facimus, nec audiunt, quæ precamur. Si autem Dij absentes esse non possunt, qui quoniam diuini sunt, in quacunque mundi parte fuerint, vident, & audiunt vniuersa, superuacua ergo sunt simulachra illis vbique præsentibus, cum satis sit audientium nomina precibus aduocare. At enim præsentes non nisi ad imagines suas adsunt. Ita planè, quem ad modum vulgus existimat, mortuorum animas circa tumulos, & corporum suorum reliquias oberrare. Sed tamen, postquam Deus ille præstò esse cœpit, iam simulachro eius opus non est. Quæro enim, si quis imaginem hominis peregre constituti contempletur sæpius, vt ex ea solatium capiat absentis, num idem sanus esse videatur, si eo reuerso, atque præsente in contemplanda imagine perseueret, eaq; potius quam ipsius hominis aspectu frui velit? minimè profectò. Etenim hominis imago necessaria tum videtur, cum procul abest, superuacua futura, cum præsto est. Dej autem, cuius spiritus, ac numen vbique diffusum abesse nunquam potest, semper vtique imago superuacua est; sed verentur, ne omnis eorum religio inanis sit, & vana, si nihil in præsenti uideant, quod adorent, & ideo simulachra constituunt, quæ, quia mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt; omni enim sensu carent. Dei autem in æternum viuentis viuum, & sensibile debet esse simulachrum: quod si a similitudine id nomen accepit, quomodo possunt ista simulachra Deo similia iudicari, quæ nec sentiunt, nec mouentur? Itaque simulachrũ Dei non illud est, quod digitis hominis ex lapide, aut ære, aliaue materia fabricatur, sed ipse homo, quoniam & sentit, & mouetur, & multas, magnasq; actiones habet. Nec intelligunt homines ineptissimi, quòd si sentire simulachra, & moueri possent, vltro adoratura homines fuissent, à quibus sunt expolita, quæ essent aut incultus, & horridus lapis, aut materia informis, & rudis, nisi fuissent ab homine formata. Homo igitur illorum quasi parens putandus est, per cuius manus nata sunt, per quem speciem, figuram, pulchritudinem habere cæperunt: & ideo melior est, qui fecit, quam illa, quæ facta sunt. Et tamen factorem ipsum nemo suspicit, aut veretur: quæ fecit, timet, tanquam plus possit esse in opere, quàm in opifice. Rectè igitur Seneca
[9] in libris moralibus. SIMVLACHRA 9
(inquit) Deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem, aut astant; illis stipem iaciunt, victimas cædunt, & cum hæc tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecere, contemnunt. Quid inter se tam contrarium, quam statuarium despicere, statuam adorare? & eum ne in conuictum quidem admittere, qui tibi Deos faciat?] Quam ergo vim, quam potestatem habere possunt, cum ipse, qui fecit, illa non habeat? Sed ne hæc quidem dare ijs potuit, quæ habebat, videre, audire, loqui, moueri. Quisquàm ne igitur tam ineptus est, vt putet, aliquid esse in simulachro Dei, in quo ne hominis quidem quicquam est præter vmbram? Sed hæc nemo considerat; infecti sunt enim persuasione, ac
mentes eorum penitus [10] fucum stultitiæ 10
perbiberunt. Adorant ergo insensibilia, qui sentiunt; irrationabilia, qui sapiunt; exanima, qui viuunt; terrena, qui oriuntur è Cœlo. Iuuat ergo, velut in aliqua sublimi specula constitutum, vnde vniuersi exaudire possint Persianum illud proclamare. [a]

O curua in terras animæ, & cœlestium inanes. [a] Pers. satyr. prima.

Cœlum potius intuemini, ad cujus spectaculũ vos excitauit ille artifex, verus Deus. Ille vobis sublimem vultum dedit, vos in terram curuamini, vos altas mentes, & ad patrem suum cum corporibus suis erectas ad inferiora deprimitis, tanquam vos pœniteat, non quadrupedes esse natos. Fas non est, cæleste animal cum terrenis, in terraque vergentibus coæquari: quid vos beneficijs cœlestibus orbatus, proniq;

in humum vestra sponte procumbitis? humi enim miseri volutamini, cum deorsum queritis, quod in sublimi quęrere debuistis. Nam ista mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta ex quolibet materię genere formata, quid? quid aliud sunt nisi terra, ex qua nata sunt? quid ergo rebus inferioribus subiacetis? quid capitibus vestris terram superponitis? Cum enim vos terrę submittitis, humilioresq; facitis, ipsi vos vltro ad inferos mergitis, ad mortéq; damnatis, quia nihil terra inferius, & humilius, nisi mors, & inferi, quę si effugere vellitis, subiectam pedibus vestris terram contemneritis, corporis statu saluo, quod iccirco rectum accepistis, quò oculos, atquè mentem cum eo, qui fecit, conferre possetis. Contemnere autem, & calcare terram nihil aliud est, quàm simulachra non adorare, quia de terra ficta sunt: item diuitias non concupiscere, voluptates corporis spernere, quia opes, & corpus ipsum, cuius hospitio vtimur, terra est. Viuum colite, vt viuatis. Moriatur enim necesse est, qui se suamq; animam mortuis adiudicauit.

CAPVT III.

SED quid prodest ad vulgus, & ad homines imperitos hoc modo concionari? cum videamus etiam doctos, & prudentes viros, cum religionum intelligant vanitatem, nihilominus tamen in ijs ipsis, quę damnant, colendis (nescio qua prauitate, perstare. Intelligebat Cicero falsa esse, quę homines adorarent; nam, cū multa dixisset, quę ad euersionem religio-
11 num valerent, "ait tamen, non esse illa vulgo disputanda, ne susceptas publicè religiones disputatio talis extinguat. Quid ei facies, qui cum errare se sentiat, vltro ipse in lapides impingat, vt populus omnis offendat? ipse sibi oculos eruat, vt omnes cæci sint? qui nec de alijs bene mereatur, quos patitur errare, nec de se ipso, qui alienis accedit erroribus, nec vtitur tandem sapientiæ suæ bono, vt factis impleat, quod mente percepit, sed prudens, & sciens pedem laqueo inserit, vt simul cum cæteris, quos liberare, vt prudentior debuit, & ipse capiatur? Quin potius, si quid sibi Cicero virtutis est, experire populum facere sapientem: digna res est, vbi omnes eloquentiæ tuæ vires exeras; non enim verendum est, ne te in tam bona causa deficiat oratio, qui sæpe etiam malas copiosè, ac fortiter defendisti. Sed nimirum Socratis carcerem times; ideoq; patrocinium veritatis suscipere nō audes. At mortem vt sapiens contemnere debuisti: & erat quidem multo pulchrius, vt ob benè dicta potius, quàm ob male dicta morereris; nec tibi laudis plus Philippicæ afferre potuerunt, quàm discussus error humani generis, & mentes hominum ad sanitatem tua disputatione reuocatæ. Sed concedamus timiditati; quæ in sapiente esse non debet. Quid ergo ipse in eodem versaris errore? Video te terrena, & manufacta venerari. Vana esse intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipsi, quos ipse stultissimos confiteris. Quid igitur profuit vidisse te veritatem, quam nec defensurus esses, nec secuturus? Sed si libenter errant etiam ij, qui errare se sentiunt, quanto magis vulgus indoctum? quod pompis inanibus gaudet, animisq; puerilibus spectat omnia, oblectatur friuolis, & specie simulachrorum capitur, nec ponderare secum vnamquamq; rem potest, vt intelligat, nihil colendum esse, quod oculis mortalibus cernitur; quia necesse est, mortale sit: nec mirandum esse, si Deum non videant, cum ipsi ne hominem quidem videant, quem videre se cre-
dunt. "Hoc enim, quod oculis subiectum 12
est, non homo, sed hominis receptaculum est, cuius qualitas, & figura non ex lineamentis vasculi, quo continetur, sed ex factis, & moribus peruidetur. Qui er-
go colunt simulachra, "corpora sunt ho- 13
minibus carentia, quia se corporalibus dediderunt, nec vident plus aliquid mente, quam corpore, cum sit animi officium ea subtilius cernere, quæ acies corporalis non potest intueri. Quos homines idem ille philosophus, ac poeta grauiter accusat tanquam humiles, & abiectos, qui cōtra naturæ suę rationem ad veneranda terrena se prosternant; ait enim. a
"*Et faciunt animos humiles formidine Diuum,* 14
Depressosq; depremunt ad terram.
Aliud quidem ille, cum hoc diceret, sentiebat, nihil vtiq; esse colendum, quia Dij humana non curent. Deniq; alio loco religiones Deorum, & cultus inane esse officium confitetur.

a Lucr. initio 6. de na ter. rer.

Nec

Nec pietas vlla est, velatum sæpe videri a
15 " *Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras;*
Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas
Ante Deum delubra, nec aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota.

a Lucretius ad finem 5.

Quæ profectò si cassa sunt, non oportet sublimes, & excelsos animos aduocari, atque in terram premi, sed nihil aliud, quàm cœlestia cogitare. Impugnatæ sunt ergo à prudentioribus falsæ religiones, quia sentiebant esse falsas, sed non est inducta vera, quia qualis, aut vbi esset ignorabant. Itaque sic habuerunt tanquam nulla esset omnino, quia veram non poterant inuenire: & eo modo inciderunt in errorem multo maiorem, quàm illi, qui falsam tenebant. Nam isti fragilium cultores, quamuis sint inepti, quia cœlestia constituunt in rebus corruptibilibus, atq; terrenis; aliquid tamen sapientiæ retinent, & habere veniam possunt, quia summum hominis officium & si non reipsa,
16 tamen proposito tenent: " siquidem hominum, atq; mutorum vel solum, vel certè maximum in religione discrimen est. Hi vero quanto fuerunt sapientiores, quòd intellexerunt falsæ religionis errorem, tanto facti sunt stultiores, quòd esse aliquam veram non putauerunt. Itaque quoniam facilius est de alienis iudicare, quàm de suis, dum aliorum precipitium vident, non prospexerunt, quid ante suos pedes essent. In vtraq; igitur parte & summa stultitia inuenitur, & odor quidam sapientiæ, vt possis dubitare, quos dicas potissimum stultiores, illosne qui falsam religionem suscipiunt, an eos, qui nullam. Sed (vt dixi) venia concedi potest imperitis, & qui se sapientes non esse fatentur; his verò non potest, qui sapientiam professi stultitiam potius exhibent. Non sum equidem tam iniquus, vt eos putem diuinare potuisse, vt veritatem per se ipsos inuenirent, quod fieri ego non posse confiteor, sed hoc ab his exigo, quod ratione ipsa præstare potuerũt: facerent enim prudentius, si & intelligerent esse aliquam religionem, & falsis impugnatis apertè pronunciarent, eam, quæ vera esset, ab hominibus non teneri. Sed mouit eos fortasse illud, quod si qua vera esset religio, exereret se, ac vindicaret, nec pateretur esse aliud quicquam. Videre enim nullo modo poterant, quare, aut à quo, & quemadmodum religio vera opprimeretur, quod est diuini sacramenti, & cœlestis arcani, Id verò nisi doceatur, aliquis scire nullo pacto potest. Summa rei hæc est. Imperiti, & insipientes falsas religiones pro veris habent, quia neque veram sciunt, neque falsam intelligunt: prudentiores verò quia veram nesciunt, aut in ijs, quas falsas esse intelligunt perseuerant, vt aliquid tenere videantur, aut omnino nihil colunt, ne incidant in errorem, cum idipsum maximi sit erroris, vitam pecudum sub figura hominis imitari: Falsum verò intelligere est quidem sapientiæ, sed humanæ. Vltra hunc gradum procedi ab homine non potest. Itaq; multi philosophorum religiones, vt docui, sustulerunt. verum autem scire diuinæ est sapientiæ. Homo autem per se ipsum peruenire ad hanc scientiam non potest nisi doceatur à Deo. Ita philosophi, quod summum fuit humanæ sapientiæ assecuti sunt, vt intelligerent, quid non sit: illud assequi nequiuerunt, ut dicerent, quid sit. Nota Ciceronis uox est. a VTINAM tam facile uera inuenire possem, quam falsa conuincere. } Quod quia uires humanæ conditionis excedit, eius officij facultas nobis est attributa, quibus tradidit Deus scientiam ueritatis, cui explicandæ quatuor posteriores libri seruient. Nunc interim falsa, ut cæpimus, detegamus.

a Cic. pr. de nat. Deor.

CAPVT IV.

QVID igitur maiestatis possunt habere simulachra, quæ fuerunt in homunculi potestate, uel ut aliud fierent, uel ut omnino non fierent? Idcirco apud Horatium Priapus ita loquitur. b

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum; Deus inde ego furum, auiumq;
Maxima formido ———

b Horat. pr. serm. Satyr. 8.

" Quis non sit tanto hoc custode securus? 17
fures enim tam stulti sunt, ut Priapi tentiginem timeant; cum aues ipsæ, quas terrore falcis, aut inguinis abigi existimãt, simulachris fabrefactis, idest hominum planè

planè similibus insideant, nidificent, inquinent. Sed Flaccus, ut Satyrici carminis scriptor derisit hominum uanitatem. Verùm ij qui faciunt, seriam se facere rem opinatur. Denique Poeta maximus homo in cæteris prudens, in hoc solùm non poeticè, sed aniliter desipuit, cum in illis emēdatissimis libris etiam fieri hoc iubet. a

a Virgil. 4. Georg. *Et custos furum, atq; auium cum falce saligna Hellespontiaci seruet tutela Priapi.*

Adorant ergo mortalia, ut à mortalibus facta; frangi enim, cremari possunt, ac perire. Nam & tectis uetustate labentibus sæpe comminui solent, & consumpta incendio dilabuntur in cinerem, & plerunq; (nisi sua illis magnitudo subuenerit, aut custodia diligens sepserit) in prædam furibus cedunt. Quæ igitur insania est ea timere, pro quibus aut ruinæ, aut ignes, aut furta timeantur? Quæ uanitas aliquā ab his spectare tutelam, quæ tueri semetipsa non possunt? Quæ peruersitas ad eorum præsidia decurrere, quæ ipsa, cum uiolantur, inulta sunt, nisi à colentibus uindicentur? Vbi ergo ueritas est? Vbi nulla uis adhiberi potest religioni, ubi nihil, quod uiolari possit, apparet, ubi sacrilegium fieri non potest. Quicquid autem oculis, manibusq; subiectum est, id uerò, quia fragile est, ab omni ratione immortalitatis est alienum. Frustra igitur homines auro, ebore, gemmis Deos excolunt, & exornant, quasi uerò ex his rebus ullam possint capere uoluptatem. Quis usus est pretiosorum munerum nihil sentientibus? an ille, qui mortuis? pari enim ratione defunctorum corpora odoribus, ac pretiosis uestibus illita, & conuoluta humi condunt, qua Deos honorant, qui neque cum fierent, sentiebant, neq; cum coluntur, sciunt; nec enim sensum consecratione sumpserunt. Non place-
18 bat Persio " quòd aurea uasa templis inferantur superuacuum putanti esse inter religiones, quod non sanctitatis, sed auaritiæ sit instrumentum. Illa enim satius est Deo, quem rectè colas, inferre pro munere:

b Pers. Satyr. 2. *Compositum ius, fasq; animi, sanctosq; recessus Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.* b

Egregiè, sapienterq; sensit. Verùm illud ridiculum subdidit; c hoc esse aurum in templis, quod sint

c Pers. ibid. *——— Veneri donatæ à virgine pupæ,*

quas ille ob minutiem fortasse contempserit. Non uidebat enim simulachra ipsa, & effigies Deorum Polycleti, & Euphranoris, & Phidiæ manu ex auro, atq; ebore perfectas nihil aliud esse, quàm grādes pupas, non à uirginibus, quarum lusibus uenia dari potest, sed à barbatis hominibus consecratas. Meritò igitur etiam
senum stultitiā Senecam deridet. " NON 19
(inquit) bis pueri, sumus, ut vulgò dicitur, sed semper. Verùm hoc interest, quòd maiora nos ludimus.] Ergo his ludicris, & ornatis, & grandibus pupis & vnguenta, & thura, & hodores inferunt; his opimas, & pingues hostias immolant, quibus est quidem os, sed carnes officio dentium; his peplos, & indumenta preciosa, quibus vsus velaminis nullus est; his aurum, & argentum consecrant, quæ tam non habent, qui accipiunt, quàm qui illa donarunt. Nec
immeritò " Dionysius Siciliæ tyrannus post 20
victoriam Græcia potitus Deos tales contempsit, spoliauit, illusit: siquidem sacrilegia sua iocularibus etiam dictis prosequebatur. Nam cum Ioui Olympio aureū 21
amictum detraxisset, laneum iussit imponi, dicens, æstate esse grauem aureum, hyeme frigidum, laneum verò utriq; tempori aptum. Idem auream barbam detrahens Æsculapio, incongruuens, & iniquum esse ait, cum Apollo pater eius imberbis esset, ac leuis, priorem filium, quā patrem barbatum uideri. Item pateras, & exuuias, & parua quædam sigilla, quę simulachrorum protentis manibus tenebantur, detrahebat, & accipere se illa, non auferre dicebat: perquam enim stultum esse, & ingratum nolle accipere ab his vltro porrigentibus, a quibus bona sibi homines precarentur. Hęc ille fecit impune, quia Rex, & uictor fuit. Quin etiam secuta est eum solita felicitas; uixit enim usque ad senectutem, regnumq; per manus filio tradidit. In eo igitur, quia homines sacrilegia uindicare non poterant, oportuit, Deos ipsos sui uindices esse. At si humilis quispiam tale quid commiserit, huic pręsto sunt flagella, ignes, eculei, cruces, & quicquid excogitare iratis, & furentibus licet. Sed cum puniunt deprehensos in sacrilegio, ipsi de Deorum suorum potestate diffidunt. Cur enim illis potissimum non relinquant ulciscendi sui locum, si eos posse aliquid arbitrantur? quinetiam putant illorum nu-

mine

mine accidiſſe, vt prędones rerum ſa-
crarum deprehenſi tenerentur, & ſeuiunt
non tam ira, quàm metu, ne ſi Deorum
21 iniuriam non vindicauerint," ipſos expe-
tant Pœnæ; incredibili ſcilicet vanitate,
qui nocituros ſibi Deos putent ob aliena
ſcelera, qui ipſis à quibus violati, ſpolia-
tiq; ſunt, per ſe ipſos nihil nocere potue-
runt. At enim ſæpe ipſi quoque in ſacri-
legos vindicauerunt: poteſt id vel caſu ac-
cidiſſe, quòd aliquando, non ſemper: ſed
tamen paulò poſt, quo modo id acciderit,
oſtendam. Nunc interim quæro, cur illi
tot, & tanta ſacrilegia in Dionyſio non
vindicauerunt, qui non furtim, ſed palam
22 Deos ludibrio habuit?" Cur hunc tam po
tentem ſacrilegium à templis, à ceremo-
nijs, ab imaginibus ſuis non arcuerunt?
Cur etiam ſacris rebus ablatis proſperè
nauigauit? quod ioco ipſe teſtatus eſt, vt
23 ſolebat. *a* "VIDETISNE (inquit comiti-
a apud Cic. bus ſuis naufragium timentibus) quàm
in calce 3. l. proſpera ſacrilegis nauigatio ab ipſis Dijs
de na. Deor. immortalibus tribuatur?] Sed hic fortaſſe
b à Platone didicerat, Deos nihil eſſe. Quid
Cic. 1 Verr. Caius Verres, quem Tullius *b* accuſator
act. 6. in fin. eius eidem Dionyſio, & Phalaridi, & ty-
rannis omnibus comparat? nonne omnē
Siciliam compilauit, ſublatis Deorum ſi-
mulachris, ornamentiſq; fanorum? otio-
ſum eſt perſequi ſingula: vnum libet com-
memorare, in quo accuſator omnibus elo
quentiæ viribus, omni deniq; conatu vo-
24 cis, & corporis deplorauit, de Cerere "
Catanenſi, vel Ennenſi, quarum alterius
tanta fuit religio, vt adire templi eius ſe-
creta penetralia viris nefas eſſet, alterius
antiquitas tanta, vt omnes hiſtoriæ lo-
quantur, ipſam Deam fruges in Ennæ ſo-
lo primum reperiſſe, filiamq; eius virgi-
nem ex eodem loco raptam. Deniquè
Gracchanis temporibus turbata re publi-
ca, & ſeditionibus, & oſtentis, cum reper-
tum eſſet in carminibus Sibyllinis, anti-
quiſſimam Cererem debere placari, lega-
ti ſunt Ennam miſſi. Hæc igitur Ceres
vel religioſiſſima, quam videre maribus
ne adorandi quidem gratia licebat, vel
antiquiſſima, quam S. P. Q. R. ſacrificijs,
doniſq; placauerat, ex arcanis, & vetu-
ſtis penetralibus a C. Verre immiſſis latro-
nibus ſeruis impune ſublata eſt. Idem ve-
rò, cum affirmaret, ſe à Siculis, vt cauſam
prouinciæ ſuſciperet; oratum, his verbis
vſus eſt; ſe ſe iam ne Deos quidem in ſuis
vrbibus ad quos confugerēt, habere quod
eorū ſimulachra ſanctiſſima C. Verres ex
delubris religioſiſſimis ſuſtuliſſet; quaſi ve-
rò ſi Verres ex vrbibus, delubriſq; ſuſtule-
rat, de Cœlo quoq; ſuſtuliſſet. Vnde appa
ret, iſtos Deos, nihil habere in ſe amplius,
quā materiā, de qua ſunt fabricati: nec im-
meritò ad te M. Tulli, hoc eſt ad homi-
nem Siculi confugerunt, quoniam trien-
nio ſunt experti, Deos illos nihil valere;
eſſent enim ſtultiſſimi, ſi ad eos ob defen-
dendas iniurias hominum confugiſſent,
qui C. Verri nec pro ſe ipſis irati eſſe po-
tuerant. At enim Verres ob hæc facinora
damnatus eſt. Non ergo Dij vindicaue-
runt, ſed Ciceronis induſtria, qua vel de-
fenſores eius oppreſſit, vel gratiæ reſtitit.
Quid quòd apud ipſum Verrem non fuit
illa damnatio, ſed vacatio? vt quemad-
modum Dionyſio Deorum ſpolia geſtanti
Dij immortales bonam dederant nauiga-
tionem, ſic etiam Verri bonam quietem
tribuiſſe videantur, in qua ſacrilegijs ſuis
tranquillè frui poſſet. Nam frementibus
poſtea ciuilibus bellis ſub obtentu damna-
tionis ab omni periculo, & metu remotus
aliorum graues caſus, & miſerabiles exi-
tus audiebat, & qui cecidiſſe ſolus omni-
bus ſtantibus videbatur, is verò vniuerſis
cadentibus ſolus ſtetit, donec illum & opi-
bus ſacrilegio partis, & vita ſatiatum, ac
ſenectute confectum proſcriptio triumui-
ralis auferret, eadem ſcilicet, quæ Tul-
lium violatę Deorum maieſtatis vltorem.
Quin etiam felix in eo ipſo fuit, quòd ante
ſuam mortem crudeliſſimum exitum ſui
accuſatoris audiuit, Dijs videlicet proui-
dentibus, vt ſacrilegus, ac prædo ille reli-
gionum ſuarum non ante moreretur, quā
ſolatium de vltione cepiſſet.

CAPVT. V.

QVANTO igitur rectius eſt, omiſſis inſenſibilibus, & vanis oculos eò tendere, vbi ſedes, vbi habitatio eſt Dei veri, qui terram ſtabili firmitate ſuſpendit, qui Cœlum diſtinxit aſtris fulgentibus, qui Solem rebus humanis clariſſimum, ac ſingulare lumen in argumētum ſuæ vnicæ maieſtatis accendit. Terris autem maria circumfudit, flumina ſempiterno lapſu fluere præcepit,

Iuſſit

a *Iussit & extendi campos, subsidere valles,*
Ouid. initio Metamor. *Fronde tegi syluas, lapidosos surgere montes.* a
Quæ vtiq; omnia non Iupiter fecit, qui ante annos mille septingentos natus est, sed idem
b Ouid. ibid. paulo post. *Ille opifex rerum, mundi melioris origo,* b
qui vocatur Deus, cuius principium, quoniam non potest comprehendi, ne quæri debet quidem. Satis est homini ad plenã, perfectamq; prudentiam, si Deum esse intelligat, cuius intelligentię vis, & summa hæc est, vt suscipiat, & honorificet communem parentem generis humani, & rerum mirabilium fabricatorem. Vnde quidam hebetis, obtusiq; cordis elementa, quæ & facta sunt, & carent sensu, tanquam Deos adorant, qui cum Dei opera mirarentur, idest Cœlum cum luminibus varijs, terram cum campis, & montibus, maria cum fluminibus, & stagnis, & fontibus, earum rerum admiratione obstupefacti, & ipsius artificis obliti, quem videre non poterant, eius opera venerari, & colere cæperunt, nec vnquã intelligere quiuerunt, quanto maior, quantòque mirabilior sit qui illa fecit ex nihilo, quæ cum videant diuinis legibus obsequentia, commodis; atque vsibus hominum perpetua necessitate famulari, tamen illa Deos existimant esse, ingrati aduersus beneficia diuina, qui Deo, & patri indulgentissimo sua sibi opera prætulerunt. Sed quid mirum, si aut barbari, aut imperiti homines errant, cum etiam philosophi Stoicæ disciplinę in eadem sint opinione, vt omnia cęlestia, quæ mouentur, in Deorum numero habenda esse censeant. Siquidem Lucilius Stoicus apud Ciceronem sic loquitur. c HANC igitur
c Cic. 2. de nat. Deor. in stellis constantiam, hanc tantam tam varijs cursibus in omni æternitate conuenientiam temporum, non possum intelligere sine mente, ratione, consilio; quæ cum in sideribus esse videamus, non possumus ea ipsa non in Deorum numero reponere.] Item paulò superius. RESTAT (inquit) vt motus astrorum sit volũtarius; quæ qui videat, non indoctè solum, verũ etiam impiè faciat, si Deos esse neget.] Nos verò & quidem constanter negamus, ac vos ò philosophi non solum, indoctos, & impios, verum etiam cæcos, & ineptos, deliros probamus, qui ignorantiam imperitorum vanitate vicistis; illi enim Solem, & Lunam, vos etiam sidera Deos putatis: tradite igitur nobis stellarum mysteria, vt aras, & templa singulis erigamus, vt sciamus quo quamque ritu: quo die colamus, quibus nominibus, quibus precibus aduocemus, nisi fortè nullo discrimine tam innumerabiles, tam minutos Deos aceruatim colere debemus. Quid, quod argumentum illud, quo colligunt, vniuersa cælestia Deos esse, in contrarium valet? nam si Deos esse iccirco, opinantur, quia certos, & rationabiles cursus habent, errant. Ex hoc enim apparet, Deos non esse, quòd exorbitare illis à præstitutis itineribus non licet. Cæterùm si Dij essent, huc, atque illuc passim sine vlla necessitate ferrentur, sicut animantes in terra, quarum quia liberæ sunt voluntates, huc atque illuc vagantur, vt libuit, & quò quamque mens duxerit, eò fertur. Non est igitur astrorum motus voluntarius, sed necessarius, quia præstitutis legibus, officijsque deseruiunt. Sed cum disputaret de cursibus siderum, quos ex ipsa rerum, ac temporum congruentia intelligebat non esse fortuitos, existimauit, voluntarios esse, tanquam non possent tam dispositè, tam ordinatè moueri, nisi sensus illis inesset officijs sui sciens. O quàm difficilis est ignorantibus veritas, & quàm facilis scientibus. Si motus (inquit) astrorum fortuiti non sunt, nihil aliud restat, nisi vt voluntarij sint, immo verò, vt non esse fortuitos manifestum est, ita nec voluntarios. Quo modo igitur in conficiendis itineribus constantiam suam seruant? Nimirum Deus vniuersi artifex sic illa disposuit, sic machinatus est, vt per spacia Cœli diuina, & admirabili ratione decurrerent ad efficiendas succedentium sibi temporum varietates. An Archimedes Siculus[25] concauo 25
ære similitudinem mundi, ac figuram potuit machinari, in quo ita Solem, ac Lunam composuit, vt inæquales motus, & cœlestibus similes conuersionibus singulis quasi diebus efficerent; & non modo accessus Solis, & recessus, uel incrementa, diminutionesq; Lunæ, verùm etiam stellarum[26] vel inerrantium, uel uagarum 26
dispares cursus orbis ille dum uertitur exhiberet? Deus ergo illa uera non potuit machinari, & efficere, quæ potuit solertia hominis imitatione simulare? Vtrum ne igitur Stoicus, si astrorum figuras in illo ære pictas, effictasq; uidisset, suo

suo illa consilio moueri diceret, ac non potius artificis ingenio? Inest ergo sideribus ratio ad peragendos meatus suos apta, sed Dei est illa ratio, qui & fecit, & regit omnia, non ipsorum siderum, quæ mouentur: nam si Solem stare voluisset, perpetuus dies vtiq; esset. Item si motus astra non haberent, quis dubitet, sempiternā noctem fuisse futuram? Sed vt diei, ac nocti vices essent, moueri ea voluit, & tam variè moueri, vt non modò lucis, ac tenebrarum mutuæ vicissitudines fierent, quibus laboris, & quietis alterna spacia constarent, sed etiam frigoris, & caloris, vt diuersorum temporum vis, ac potestas vel generandis, vel maturandis frugibus conueniret. Quam solertiam diuinæ potestatis in machinandis itineribus astrorū quia philosophi non videbant, animalia esse sidera putauerunt, tanquam pedibus, & sponte nō diuina ratione procederent. Cur autem excogitauerit illa Deus, quis non intelligit? scilicet ne Solis lumine decedente nimium cæca nox tetris, atquè horrentibus tenebris ingraueſceret, noceretq; viuentibus. Itaq; & Cœlum simul mira varietate distinxit, & tenebras ipsas multis, minutiq; luminibus temperauit. Quanto igitur Naso sapientius, quam illi, qui sapientiæ studere se putant, qui sensit, à Deo lumina illa, vt horrorem tenebrarum depellerent, instituta. Is eum librum, quo φαινόμενα breuiter comprehendit, his tribus versibus terminauit.

Tot numero, taliq; Deus simulachra figura
Imposuit Cælo, perq; atras sparsa tenebras
Clara pruinosæ iussit dare lumina nocti.

Quòd si fieri non potest, vt stellæ Dij sint, ergo nec Sol quidem, nec Luna Dij esse possunt, quoniam luminibus astrorum non ratione differunt, sed magnitudine. Quòd si hi Dij non sunt, ergo nec Cœlum quidem, in quo illa omnia continentur.

CAPVT VI.

SIMILI modo, si terra, quam calcamus, quam subigimus, & colimus ad victum, Deus non est, nec campi quidem, ac montes Dij erunt. Sed si hi non sunt, ergo ne tellus quidem vniuersa Deus videri potest. Item si aqua, quæ seruit animantibus ad vsum bibendi, aut lauandi Deus non est, nec fontes quidem, ex quibus acqua profluit: si fontes non sunt, nec flumina quidem, quæ de fontibus colliguntur. Si flumina quoq; Dij non sunt, ergo, & mare, quod ex fluminibus constat, Deus haberi non potest. Quòd si nequè Cœlum, nequè terra, nequè mare, quæ mundi partes sunt, Dij esse possunt, ergo ne mundus quidem totus Deus est, quem iidem ipsi Stoici & animantem, & sapientem esse contendunt, & propterea Deum; in quo tam inconstantes fuerunt, vt nihil dictum sit ab his, quod non ab iisdem fuerit euersum. Sic enim argumentantur, fieri non posse, vt sensu careat, quod sensibilia ex se generat; Mundus autem generat hominem, qui est sensu præditus, ergo & ipsum sensibilem esse. Item sine sensu esse non posse, cuius pars habeat sensum; igitur quia homo sensibilis est, etiam mundo, cuius pars homo est, inesse sensum. [27]Propositiones quidem 27
veræ sunt & sensibile esse, quod sensu præditum gignat, & habere sensum, cuius pars sensu aucta sit; sed [28]assumptiones 28
falsæ, quibus argumenta concludunt: quia neq; mundus generat hominem, neq; mundi homo pars est; nam hominem à principio idem Deus fecit qui & mūdum, & non est mundi pars homo, sicut corporis membrum; potest enim mundus esse sine homine, sicut Vrbs, & domus. At qui vt domus vnius hominis habitaculum est, & Vrbs vnius populi, sic & mundus domicilium totius generis humani: & aliud est, quod incolitur, aliud quod incolit. Sed illi dum student id quod falsò susceperant confirmare, & sensibilem esse mundum, & Deum; argumentorum suorum consequentia non viderunt. Nam si mundi pars est homo, & sensibilis est mundus, quia homo sentit, ergo quia mortalis est homo, mortalis sit & mundus necesse est, nec tantum mortalis, sed etiam omnibus morbis, & passionibus subiectus, & e contrario, si Deus est mundus; & partes eius vtiq; immortales sunt, ergò & homo Deus est, quia pars est (vt dicitis) mundi; si homo; ergo iumenta, & pecudes, & cætera genera bestiarum, & auium, & piscium, quoniam & illa eodem modo sentiunt, & mundi partes sunt. At hoc tolerabile est. Nam & hæc colunt Ægyptij. Sed res eò peruenit, vt ranæ, & culices, & formicæ Dij esse videantur, quia & ipsis

inest sensus, & partes mundi sunt. Ita semper argumeta ex falso petita ineptos, & absurdos exitus habent. Quid, quod ijdem ipsi aiunt, Deorum, & hominum causa mundum esse constructum quasi communem domum? Ergo nec mundus Deus est, nec animans, si constructus est; animans enim non construitur, sed nascitur. Et si est ædificatus sic vtiq; tanquam domus, tanquam nauis, est ergo aliquis artifex mundi Deus; & seorsum erit mundus, qui factus est, seorsum ille, qui fecit. Iam illud quàm repugnans, & absurdum? quòd cum cælestes ignes, cętaraq; mundi elementa Deos esse affirmant, item ipsũ Deum mundum ducunt. Quomodo potest ex Deorum multorum aceruo vnus Deus confici? Si astra Dij sunt, mundus ergo non Deus, sed domicilium Deorum est: si verò Deus mundus est, ergo omnia illa, quæ sunt in eo Dij non sunt, sed Dei membra, quæ vtiq; solius Dei nomen accipere non possunt: nec enim rectè quis dixerit, membra hominis vnius multos homines esse; sed tamen non est similis comparatio animalis, & mundi. Animal enim quia sensu præditum est, etiam membra eius habent sensum, nec nisi a corpore diuulsa putrescunt. Cuius igitur rei similitudinem gerit mundus? Nimirum ipsi docent, cum factum esse non diffitentur, vt esset Dijs, & hominibus quasi communis domus. Si ergo est constructus vt domus, nec ipse Deus est, nec elementa, quæ sunt partes eius, quia neq; domus habere dominium sui potest, neq: illa, de quibus domus constat. Non tantum igitur veritate, sed etiam verbis suis reuincuntur. Sicut enim domus in vsum habitandi facta per se nihil sentit, dominoq; subiecta est, qui eam fecit, aut incolit, ita mundus per se nihil sentiens factori Deo subiacet, qui eum in vsum sui fecit.

CAPVT VII.

DVPLICI ergo ratione peccatur ab insipientibus: primum, quòd elementa, idest Dei opera Deo præferunt; deinde quod elementorum ipsorum figuras humana specie comprehensas colunt; nam Solis, Lunæq; simulachra humanu in modum formant; Item ignis, & terræ, & maris, quæ illi Vulcanum, Vestam, Neptunum vocant, nec elementis ipsis in aperto litant. Tanta homines imaginum cupiditas tenet, vt iam cidiora ducatur illa, quæ vera sunt: auro scilicet, gemmis, & ebore delectantur. Horum pulchritudo, ac nitor præstringit oculos, nec vllam religionem putant vbicunq; illa non fulserint. Itaque sub obtentu Deorum auaritia, & cupiditas colitur. Credunt enim Deos amare quicquid ipsi concupiscunt, quicquid est, propter quod furta, & latrocinia, & homicidia quotidie sæuiunt, propter quod bella per totũ orbem populos, vrbesq; subuertunt. Consecrant ergo Dijs manubias, & rapinas suas, quos certè necesse est imbecilles esse, ac summæ virtutis expertes, si subiecti sunt cupiditatibus. Cur enim cælestes eos putemus, si desiderant aliquid de terra? vel beatos, si aliqua re indigent? vel incorruptos, si voluptati habent ea, in quibus appetendis cupiditas hominum non immeritò damnatur? Veniunt igitur ad Deos non tam religionis gratia, quæ nulla potest esse in rebus malè partis, & corruptibilibus, quam vt aurum oculis hauriant, nitorem leuigati marmoris, aut eboris aspiciant, vt insignes lapillis, & coloribus vestes, vel distincta gemmis fulgẽtibus pocula insatiabili contemplatione contrectent. Et quanto fuerint ornatiora templa, & pulchriora simulachra, tanto plus maiestatis habere creduntur, adeò religio Deorũ nihil aliud est, quàm quod cupiditas humana miratur. Hæ sunt religiones, quas sibi à maioribus suis traditas pertinacissimè tueri, ac defendere perseuerant; nec considerant, quales sint, sed ex hoc probatas, atq; veras esse confidunt, quòd eas veteres tradiderunt, tãtaq; est authoritas vetustatis, vt inquirere in eã scelus esse dicatur. Itaq; creditur ei passim tanquam cognitę veritati. Denique apud Ciceronem sic dicit Cotta Lucilio [a] HABES Balbe quid Cotta, quid Pontifex sentiat; fac nunc ego intelligam quid tu sentias; à te enim philosopho rationem religionis accipere debeo. Maioribus autem nostris etiam nulla ratione reddita, rationis est credere.] Si credis, cur ergo rationem requiris, quę potest efficere, ne credas? si uerò rationẽ requiris, & quærẽdã putas, ergo nõ credis; ideo enim quęris, vt eã sequaris, cum inueneris. Docet ecce te ratio

29 a Cic. 3. de nat. Deorũ.

te ratio, non esse veras religiones Deorũ; quid facies? maioresne potius, an rationem sequeris? quæ quidem tibi ab alio nõ insinuata, sed a te ipso inuenta, & electa est, cum omnes religiones radicitus eruisti. Si rationem mauis, discedre te necesse est ab institutis, authoritate maiorum, quoniã id solũ rectum est, quod ratio præscribit. Sin autem pietas maiores sequi suadet, fateris igitur & stultos illos fuisse, qui excogitatis contra rationem religionibus seruierint, & te ineptum, qui id colas, quod falsum esse conuinceris. Sed tamen quoniam nobis tantopere maiorum nomen opponitur, videamus tandem, qui fuerint maiores illi, à quorum authoritate discedi nefas ducitur. Romulus Vrbem conditurus pastores, inter quos adoleuerat, conuocauit: cumq; is numerus condendæ vrbi parum idoneus videretur, constituit asylum. Eò passim cõfugerunt ex finitimis locis pessimi quiq; sine ullo conditionis discrimine. Ita conflauit ex his omnibus populum, legitq; in Senatum eos, qui ætate anteibant, & Patres appellauit, quorum consilio gereret omnia; de quo Senatu Propertius Elegiarum scriptor hæc loquitur: a

a Propert. 4. Elegiar. pr. Eleg.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu
Pellitos habuit rustica corda patres:
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
Centum illi in prato sæpe Senatus erat.

Hi sunt Patres, quorum decretis eruditi, ac prudentes viri deuotissimè seruiunt; idq; verum, ac immutabile omnis posteritas iudicet, quod centum pelliti senes statutum esse voluerunt, quos tamen (vt primo libro b dictum est) Pompilius illexit, vt vera crederent esse sacra; quæ ipse tradebat. Est verò, cur illorum authoritas tanti habeatur à posteris, quos nemo, cum viuerent, neq; summus, neq; infimus affinitate dignos iudicauit.

b cap. 22.

CAPVT VIII.

QVARE oportet in ea re maximè, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemq; confidere, suoq; iudicio, ac proprijs sensibus niti ad inuestigandam, & perpendendam veritatem, quàm credentem alienis erroribus decipi
30 tanquam ipsum rationis expertem. [30] Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, vt & inaudita inuestigare possent, & audita perpendere; nec quia vos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoq; antecesserunt; quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est tanquam lux, & claritas Solis, quia vt Sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere: idest veritatem quærere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine vllo iudicio inuenta maiorum probant, & ab alijs pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quòd maiorum nomine posito non putant fieri posse, vt aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia maiores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipsis sumamus exemplum; vt quomodo illi, qui falsa inuenerant posteris tradiderunt, sic nos, qui verum inuenimus posteris meliora tradamus? Superest ingens quæstio, cuius disputatio non ab ingenio, sed a scientia venit, quæ pluribus explicanda erit, ne quid dubium omninò relinquatur. Nam fortasse aliquis ad illa confugiat, quæ a multis, & non dubijs traduntur authoribus; eos ipsos, quos docuimus Deos non esse, maiestatem suam persæpe ostendisse & prodigijs, & somnijs, & augurijs, & oraculis. Et sane multa enumerari possunt digna miraculo. In primis illud quod [31] Accius Na- 31
uius summus Augur, cum Tarquinium priscum commoneret, vt nihil noui facere inciperet, nisi prius esset inauguratus, eiq; Rex artis eius eleuans fidem diceret, vt consultis auibus renunciaret sibi, vtrumnè fieri posset in quod ipse animo concepisset, affirmaretq; Nauius posse: cape igitur hanc (inquit) cotem, camq; nouacula disijce, at ille incunctanter accepit, ac
secuit. Deinde illud, quòd [32] Castor, & 32
Pollux bello Latino apud Lacum Iuturnæ visi sunt equorum sudorem abluentes, cum ædes eorum, quæ iuncta fonti erat,
sua sponte patuisset. [33] Idem bello Mace- 33
donico equis albis insidentes P. Vatinio Romam nocte venienti se obtulisse dicuntur, nunciantes, eo die Regem Persen victum, atq; captum, quod paucis post diebus literæ Pauli verum fuisse docuerunt.
Illud etiam mirabile, quòd [34] simulachrũ 34
Fortunæ muliebris non semel locutum es-
se traditur. [35] Item Iunonis Monetæ, cum 35

captis Veijs vnus ex militibus ad eam tran
sferendam missus iocabundus, ac ludens
interrogaret, vtrùmne Romam migrare
36 vellet: respondit, velle. [36] Claudia quoq;
proponitur in exemplo miraculi. Nam
cum ex libris Sibyllinis Idæa mater esset
accita, & in vado Tiberini fluminis nauis,
qua vehebatur, hæsisset, nec vlla vi com-
moueretur, Claudiam ferunt, quæ semper
impudica esset habita ob nimios corporis
cultus, Deam submissis genibus orasse,
vt si se castam iudicaret, suum cingulum
sequeretur. Ita nauim, quæ ab omni iu-
uentute non valuit commoueri, ab vna
muliere esse commotam. Illud æquè mi-
37 rum, quòd lue seuiente [37] Æsculapius Epi-
dauro accitus, Vrbem Romam diuturna
pestilentia liberasse perhibetur. Sacrile-
gi quoq; numerari possunt, quorum præ-
sentibus pœnis iniuriam suam Dij vindi-
38 casse creduntur. [38] Appius Claudius Cen-
sor cum aduersus responsum ad seruos pu
blicos sacra Herculis transtulisset, lumi-
nibus orbatus est, & Potitiorum gens,
quæ prodidit, intra vnius anni tempus
extincta est. Item Censor Fuluius, cum
39 ex [39] Iunonis Laciniæ templo marmoreas
tegulas abstulisset, quibus ædem Fortunę
equestris, quam Romæ fecerat, tegeret
& mente captus est, & amissis duobus fi-
lijs in Illyrico militantibus, summo animi
mœrore consumptus est. Præfectus etiam
40 M. Antonij [40] Turullius, cum apud Coos
euerso Æsculapij luco classem fecisset,
eodem postea luco a militibus Cæsaris est
interfectus. His exemplis adiungitur Pyr-
rus, qui sublata è thesauro Proserpinę Lo-
crentis pecunia naufragium fecit, ac vi-
cinis Deę litoribus illisus est, vt nihil (prę-
ter eam pecuniam, incolume reperiretur.
41 [41] Ceres quoq; Milesia multum sibi apud
homines venerationis adiecit. Nam cum
ab Alexandro capta Ciuitas esset, ac mi-
lites ad eam spoliandam irrupissent, om-
nium oculos repente obiectus fulgor ignis
extinxit. Reperiuntur etiam somnia, quę
42 vim Deorum videantur ostendere. [42] Ti-
berio nanq; Attinio homini plebeio per
quietem obuersatus esse Iupiter dicitur, &
præcepisse, vt Coss. & Senatui nunciaret,
ludis Circensibus proximis præsultorem
sibi displicuisse, quòd Antronius Maxi-
mus quidā diuerberatum seruum sub furca
medio circo ad suppliciū duxerat? ideoq;
ludos instaurari oportere: quod cum illę
neglexisset, eodem die filium perdidisse;
ipsum autem graui morbo esse correptū;
& cum rursus eamdem imaginem cerne-
ret quærentem, satisne pœnarum pro ne-
glecto imperio pependisset, lectica dela-
tus ad Coss. & omni re in Senatu exposi-
ta, recepisse corporis firmitatem, suisq;
pedibus domum redijsse. [43] Illud quoq; so- 43
mnium nō minoris fuit admirationis, quo
Cæsar Augustus dicitur esse seruatus. Nā
cum bello ciuili Brutiano implicitus graui
morbo abstinere prælio statuisset, medico
eius Artorio Mineruæ species obuersata
est, monens ne propter corporis imbecil-
litatem castris se contineret Cęsar. Itaq;
in aciem lectica perlatus est: & eodem die
à Bruto castra capta sunt. Multa prætc-
rea exempla similia possunt proferri, sed
vereor, ne si fuero in propositione rerum
contrariarum diutius immoratus, aut ob-
litus esse propositi videar, aut crimen lo-
quacitatis incurram.

CAPVT IX.

EXPONAM igitur omnium istorum
rationem, quò facilius res difficiles,
& obscuræ intelligantur, & has omnes si-
mulati numinis præstigias reuelabo, qui-
bus inducti homines a veritatis uia lon-
gius recesserunt. Sed repetam longè al-
tius, vt si quis ad legendum expers ueri,
& ignarus accesserit, instituatur, atq; in-
telligat; quod tandem sit
——*caput borum, & causa malorum.* a a *Virg. 11. Æneid.*
& lumine accepto suos, ac totius generis
humani 44 perspiciat errores. Cum esset 44
Deus [45] ad excogitandum prudentissimus, 45
ad faciendum solertissimus, [46] antequam 46
ordiretur hoc opus mundi, quoniam ple-
ni, & consumati boni fons in ipso erat,
sicut est semper, ut ab eo bonum [47] tan- 47
quam riuus oriretur, longeq; profluerer,
produxit [48] similem sui [49] Spiritum, qui es- 48 49
set uirtutibus Dei patris præditus. [50] Quo 50
modo autem id uoluerit, in quarto doce- *b 6. & seqq.*
re libro *b* conabimur. [51] Deinde fecit al- 51
terum, in quo [52] indoles diuinæ stirpis non 52
permansit. Itaq; [53] suapte inuidia tanquā 53
ueneno infectus est, 54 & ex bono ad malū 54
transcendit, suoq; arbitrio, quod a Deo
illi liberum datum fuerat, contrarium si-
bi nomen asciuit. Vnde apparet cuncto-
rum

55 rum malorum fontem esse liuorem.[55] In-
56 cidit enim illi antecessori suo, [56] qui Deo
patri perseuerando tum probatus, tum
etiam carus est. Hunc ergo ex bono per
57 se malum effectum [57] Graeci διάβολον ap-
pellant, nos criminatorē vocamus, quòd
58 crimina, in quæ ipse illicit, [58] ad Deum
deferat. Exorsus igitur Deus fabricam
59 mundi, [59] illum primum, & maximum fi-
60 lium præfecit operi vniuerso, [60] eoq; si-
mul & consiliatore vsus est, & artifice in
excogitandis, ornandis, perficiendisq;
rebus, quoniam is & prouidentia, & ra-
tione, & potestate perfectus est, de quo
a inf. l. 4. c. 6. & seqq. nunc parcius, quòd alio loco *a* & virtus;
& nomen eius, & ratio enarranda nobis
erit. Nemo quærat, ex quibus ista mate-
rijs tam magna, tam mirifica opera Deus
61 fecerit. Omnia enim fecit ex nihilo. [61] Nec
b Hesiod. Ouid. init. 1. metam. & pr. Fastor. audiendi sunt Poetæ, qui aiunt *b* Chaos in
principio fuisse, idest confusionem rerum,
atq; elementorum; postea verò Deum di-
remisse omnem illam congeriem, singu-
lisq; rebus ex confuso aceruo separatis, in
ordinemq; digestis, instruxisse mundum
pariter, & ornaise, quibus facile est re-
spondere potestatem Dei non intelligen-
tibus, quem credant, nihil efficere posse,
nisi ex materia subiacente, ac parata, in
quo errore etiam philosophi fuerunt. Nā
Cicero de Natura Deorum disputans sic
62 ait: [62] PRIMVM igitur non est proba-
bile, eam materiam rerum, vnde orta
sunt omnia, esse diuina prouidentia effe-
ctam, sed habere, & habuisse vim, & na-
turam suam. Vt igitur faber, cum quid
ędificaturus est, non ipse facit materiam,
sed ea vtitur, quę sit parata, fictorq; item
cera, sic isti prouidentiæ diuinæ materiam
**leg. ipsa se cerit.* præsto esse oportuit, non quam * ipse fa-
ceret, sed quam haberet paratam. Quòd
si non est a Deo materia facta, ne terra
quidem, & aqua, & aer, & ignis à Deo
factus est.] O quam multa sunt vitia in
his decem versibus. Primum quòd is, qui
in alijs disputationibus, & libris ferè om-
nibus prouidentię fuerit assertor, & qui
acerrimis argumentis impugnauerit eos,
qui prouidentiam non esse dixerunt, idem
nunc quasi proditor aliquis, aut transfu-
ga prouidentiam conatus est tollere; in
quo si contradicere velis, nec cogitatione
opus est, nec labore: sua illi dicta recitan-
da sunt. Nec enim ab ullo poterit Cice-
ro, quàm à Cicerone uehementius refu-
tari. Sed concedamus hoc [63] mori, & in- 63
stituto Academicorum, ut liceat homini-
bus ualde liberis dicere, ac sentire, quæ
uelint; sententias ipsius consideremus.
NON est (inquit) probabile materiam
rerum à Deo factam.] Quibus hoc argu-
mentis probas? nihil enim dixisti, quare
hoc non sit probabile. Itaq; mihi è con-
trario uel maxime probabile uidetur, nec
tamen temerè uidetur cogitanti plus esse
aliquid in Deo, quem profectò ad imbecil-
litatem hominis redigis, cui nihil aliud,
quàm opificium concedis. Quo igitur ab
homine diuina illa uis differet, si ut homo,
sic etiam Deus ope indigeat aliena? indi-
get autem, si nihil moliri potest, nisi ab al-
tero illi materia ministretur. Quod si fit,
imperfectæ vtiq; virtutis est, & erit iam
potentior iudicandus materiæ institutor.
Quo igitur nomine appellabitur, qui po-
tentia Deum vincit? siquidem maius est
propria facere, quàm aliena disponere.
Si autem fieri non potest, vt sit potentius
Deo quicquam, quem necesse est perfectę
esse virtutis, potestatis, rationis, idem
igitur materiæ fictor est, qui & rerum ex
materia constantium; neq; enim Deo nō
faciente, & inuito esse aliquid aut potuit,
aut debuit. SED probabile est (inquit)
materiam rerum habere & habuisse [64] 64
semper naturam suam, & vim.] Quam
vim potuit habere nullo dante? quam na-
turam nullo generante? si habuit vim, ab
aliquo eam assumpsit, a quo autem sume-
re nisi à Deo potuit. Porrò si habuit na-
turam, quæ vtiq; a nascendo dicitur, na-
ta est; à quo autem nisi à Deo potuit pro-
creari. Natura enim, qua dicitur orta
esse omnia, si consilium non habet, effi-
cere nihil potest. Si autem generandi,
aut faciendi potens est, habet ergo con-
silium, & propterea Deus sit necesse est.
Nec alio nomine appellari potest ea vis,
in qua inest & prouidentia excogitandi,
& solertia, potestasq; faciendi. Melius
igitur [65] Seneca omnium Stoicorum acu- 65
tissimus, qui vidit, nil aliud esse naturam,
quàm Deum. [66] ERGO (inquit) Deum nō 66
laudabimus, cui naturalis est virtus? nec
enim illam didicit ex vllo: immo laudabi-
mus, quamuis enim naturalis illa ei sit,
sibi illam dedit, quoniam Deus ipse natu- *a Terē. Phormion. act. 5. scen. 2.*
ra est.] Cum igitur ortum rerum tribuis
naturæ, ac detrahis Deo. *a*
—[67] *In eodem luto hæsitas, versuram soluis.* 67

à quo enim fieri mundum negas, ab eodem planè fieri mutato nomine cõfiteris. Sequitur ineptissima comparatio. VT faber (inquit) cum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed vtitur ea, quæ sit parata, fictorq; item cera, sic isti prouidentiæ diuinæ materiam esse præsto oportuit, non quam ipse faceret, sed quã haberet paratam.] Immo verò non oportuit; erit enim Deus minoris potestatis, si ex parato facit; quod est hominis: faber enim sine ligno nihil ædificat, quia lignũ ipsum facere non potest: non posse autem imbecillitatis est humanæ. Deus verò facit sibi ipse materiam, quia potest: posse enim Dei est; nam si non potest, Deus nõ est. Homo facit ex eo, quod est, quia per mortalitatem imbecillis est, per imbecillitatem definitæ, ac modicæ potestatis. Deus autem facit ex eo, quod non est, quia per æternitatem fortis est, per fortitudinem potestatis immensæ, quæ fine, ac modo caret, sicut vita factoris. Quid ergo mirum, si facturus mundum Deus, prius materiam de qua faceret præparauit, & præparauit ex eo, quod non erat? quia nefas esset Deum aliunde aliquid mutuari, cum in ipso, vel ex ipso sint omnia. Nam si est aliquid ante illum, si factum est aliquid non ab ipso, iam potestatem Dei, & nomen amittet. At enim materia nunquam facta est, sicut Deus, qui ex materia fecit hunc mundum. Duo igitur constituuntur æterna, & quidem inter se contraria, quod fieri sine discordia, & pernicie non potest: collidant enim necesse est ea, quorum vis, & ratio diuersa est: sic vtraq; æterna esse non poterunt, si repugnant, quia superare alterum necesse est. Ergo fieri non potest, quin æterni natura sit simplex, vt inde omnia velut ex fonte descenderint. Itaq; aut Deus ex materia ortus est, aut matera ex Deo. Quid horum sit verius, facile est intelligi. Ex his enim duobus alterum sensibile est, alterũ caret sensu. Potestas faciendi aliquid non potest esse, nisi in eo, quod sentit, quod sapit, quod cogitat, quod mouetur; nec incipi, aut fieri, aut consũmari quicquã potest, nisi fuerit ratione prouisũ, & quemadmdũ fiat, antequam est, & quomadmodũ constet, postquam fuerit effectum. Deniq; is facit aliquid, qui habet voluntatem ad faciendum, & manus ad id, quod voluit, implendum: quod autem insensibile est, iners, & torpidum semper iacet; & nihil inde oriri potest, vbi nullus est motus voluntarius; nam si omne animal ratione constat, certè nasci ex eo non potest, quod ratione præditum non est, nec aliunde accipi potest id, quod ibi, vnde petitur, non est. Nec tamen commoueat aliquem, quod animalia quædam de terra nasci videntur; hæc enim non terra per se gignit, sed spiritus Dei, sine quo nihil gignitur. Non ergo Deus ex materia, quia sensu præditum ex insensibili, sapiens ex bruto, impatibile de pasibili, expers corporis de corporali nunquam potest oriri, sed materia potius ex Deo est; quicquid enim est solido, & contrastabili corpore, accipit externam vim, quod accipit vim dissolubile est, quod dissoluitur interit, quod interit ortum sit necesse est, quod ortum est, habuit fontem, vnde oriretur, idest factorem aliquem sentientem, prouidum, peritum faciendi. Is est profectò, nec vllus alius quàm Deus, qui quoniam sensu, ratione, prouidentia, potestate, virtute præditus est, & animantia, & inanima creare, & efficere potest, quia tenet quo modo quidq; sit faciendum: Materia vero semper fuisse non potest, quia mutationem non caperet, si fuisset: quod enim semper fuit, semper esse non desinit, & vnde abfuit principium, abesse hic etiam finem necesse est: quin etiam facilius est, vt id quod habuit initium fine careat, quã vt habeat finem, quod initio caruit. Materia ergo si facta non est, nec fieri ex ea quicquam potest: si fieri ex ea non potest, nec materia quidem erit: materia enim est, ex qua fit aliquid. Omne autem, ex quo fit, quia recepit opificis manum, destruitur, & aliud esse incipit. Ergo quoniam finem habuit materia tum cum factus est ex ea mundus, & initium quoquè habuit. Nam quod destruitur ędificatum est, quod soluitur alligatum, quod finitur inceptum est. Si ergo ex commutatione, ac fine materia colligitur habuisse principium, à quo alio fieri nisi à Deo potuit? Solus igitur Deus est, qui factus nõ est, & iccirco destruere alia potest, ipse destrui non potest. permanebit semper in eo quod fuit, quia non est aliunde generatus, nec ortus, nec natiuitas eius ex aliqua alia re pendet, quæ illum mutatã dissoluat. Ex se ipso est, vt in primo diximus libro. a Et ideo talis est, qualem se a Cap. 7.

esse

esse voluit, impassibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus. Iam verò illa conclusio, qua sententiam terminauit Tullius multo absurdior. QVOD si materia (inquit) à Deo non est facta, nec terra quidē, & aqua, & aer, & ignis à Deo factus est.] Quàm callidè periculum prætervolauit. Sic enim superius illud assumpsit, tanquam probatione non indigeret, cum id multo esset incertius, quàm illud, propter quod assumptum est. SI non est (inquit) à Deo facta materia, non mundus à Deo factus est.] Ex falso maluit colligere, quod falsum est, quàm ex vero quod verum. Et cum debeant incerta de certis probari, hic probationem sumpsit ex incerto ad euertendum quod erat certum. Nam diuina prouidentia effectum esse mundum, vt taceam de Trismegisto, qui hoc prædicat, *a* taceam de carminibus Sibyllarum, quæ idem nuntiāt, *b* taceam de Prophetis, qui opus mundi, ac opificium Dei vno spiritu, ac pari voce testantur; *c* etiam inter philosophos pene vniuersos conuenit. Idem enim Pythagorici, Stoici, Peripatetici, qui sunt principes omnis disciplinæ. Denique à primis illis septem sapientibus à Socrate, vsq; ad Platonem pro confesso, & indubitato habitum est, donec vnus multis post seculis extitit delirus Epicurus, qui auderet negare id, quod est euidentissimum, studio scilicet inueniendi noua, vt nomine suo constitueret disciplinam, & quia nihil noui potuit reperire, vt tamen dissentire à cæteris videretur, cætera voluit euertere, in quo illum circumlatrantes philosophi omnes coarguerunt. Certius est igitur, mundum prouidentia instructum, quàm materiæ prouidentia conglobatum. Quare non oportuit putare, iccircò mundum nō esse diuina prouidentia factum, quia materia eius diuina prouidentia facta non sit, sed quia mundus diuina prouidentia sit effectus, & materiam esse factam diuinitus. Credibilius est enim materiā potius à Deo factam, quia Deus omnia potest, quàm mundum a Deo nòn esse factum, quia sine mente, ratione, consilio nihil fieri potest. Verum hæc non Ciceronis est culpa, sed sectæ. Cum enim suscepisset disputationem, qua Deorum naturam tolleret, de qua philosophi garriebant, omnem diuinitatem ignorantia veri putauit esse tollendam. Itaque Deos potuit tollere, quia non erant. Cum autem prouidentiam diuinam, quæ est in vno Deo conaretur euertere, quia contra veritatem niti cœperat, deficientibus argumentis, in hanc foueam necessariò decidit, vnde se extricare non posset. Hic ergo illum teneo hærentem, teneo defixum, quo Lucilius, qui contra disserebat, obmutuit. Hic est ergo cardo rerum, hic vertuntur omnia. Explicet se Cotta, si potest, ex hac voragine, proferat argumenta, quibus doceat semper fuisse materiam, quā nulla prouidentia effecerit: ostendat, quomodo quicquam ponderosum, & graue aut esse potuerit sine authore, aut immutari valuerit, ac desierit esse quod semper fuit, vt inciperet esse quod nunquam fuit. Quæ si docuerit, tum demum assentiar, ne mundum quidem diuina prouidentia constitutum, & tamen sic assentiar, vt alijs illum laqueis teneam. Eodem enim, quo nollet reuoluetur, vt dicat, & materiam, de qua mundus est, & mundum, qui de materia est, natura extitisse, cum ego ipsam naturam Deum esse contendam. Nec enim potest facere mirabilia, idest maxima ratione constantia, nisi qui habet mentem, prouidentiam, potestatem. Ita fiet, vt Deus fecerit omnia, nec quicqnam esse possit omnino, quod non originem à Deo traxerit. At idem quoties Epicureus est, & non vult à Deo factum esse mundum quęrere solet, *a* quibus manibus, quibus machinis, quibus vectibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit. Videret fortasse, si eo tempore potuisset esse quo Deus fecit: sed ne perspiceret homo Dei opera, noluit eum inducere in hunc mundum, nisi perfectis omnibus: sed ne induci quidem poterat; quo modo enim substitueret, cum fabricaretur desuper Cælum, terra subterfundaretur, cum fortasse humida vel nimijs rigoribus torporata, concrescerent, vel igneis caloribus incocta, & solidata duresserent. Aut
quo modo viueret [68] Sole non dum insti- 68
tuto, nec frugibus, nec animalibus natis?
[69] Itaque necesse fuit hominem postremo 69
fieri, cum iam mundo, cæterisq; rebus manus summa esset imposita. Deniq; sanctæ literæ *b* docent, hominem fuisse vltimum Dei opus, & sic inductum fuisse in hunc mundum, quasi in domum iam paratam, & instructam; illius enim causa facta sunt omnia. Idem etiam Poetæ fatentur.

a Herm. Trismeg. Pim. c. p. Asclep. c. 2. & 6.
b In Carm. Sibyll. fer. p.
c Gen. p. Ps. 32. & 135. Ecclesiast. 18.
a Cic. pr. de nat. Deor.
b Genes. 2.

tentur. Ouidius perfecto iam mundo, & vniuersis animalibus figuratis hoc addidit. *a*

a Ouid. initio pr. Metam.

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset:
Natus homo est ———————

Adeo nefas existimandum est ea scrutari, quæ Deus voluit esse cælata. Verùm ille non audiendi, aut discendi studio requirebat, sed refellendi, quia confidebat, neminem id posse dicere. Quasi verò ex hoc putandum sit, non esse hæc diuinitus facta, quia quo modo facta sint, non potest peruideri. An tu si educatus in domo fabrefacta, & ornata nullam vnquam fabricam vidisses, domum illam putasses nó ab homine esse ædificatam, quia quomodo ædificetur, ignorares? Idem profectò de domo quæreres, quod nunc de mundo requiris, quibus manibus, quibus ferramentis homo tanta esset opera molitus, maximè si saxa ingentia, immensa cementa, vastas columnas, opus totum sublime, & excelsum videres, nonne hæc tibi humanarum virium modum viderentur excedere, quia illa non tam viribus, quàm ratione, atq; artificio facta esse nescires? Quòd si homo, in quo nihil perfectum est, tamen plus efficit ratione, quàm vires eius exiguæ patiantur, quid est, cur incredibile tibi esse videatur, cum mundus dicitur factus a Deo? in quo, quia perfectus est, nec sapientia potest habere terminũ, nec fortitudo mensuram. Opera ipsius videntur oculis; quo modo autem illa fecerit, ne mente quidem videtur, quia (vt Hermes ait *b*) mortale immortali, temporale ppetuo, corruptibile incorrupto propinquare nó potest, idest propius accedere, & intelligẽtia subsequi; & ideo terrenũ adhuc animal rerum cœlestiũ perfectionẽ non capit, quia corpore quasi custodia septum tenetur, quo minus soluto, ac libero sẽsu cernat omnia. Sciat igitur quã ineptè Hoc est faciat, qui res innenarrabiles quęrit: enim modũ códitionis suæ transgredi, nec intelligere quo vsq; homini liceat accedere. Deniq; cum aperiret homini veritatem Deus, ea sola scire nos voluit, quę interfuit hominem scire ad vitam consequendam; quæ verò ad curiosam, & profanam cupiditatem pertinebant, reticuit, vt arcana essent. Quid ergo quæris, quæ nec potes scire, nec, si scias beatior fias? Perfecta est in homine sapientia, si & Deum esse vnum, & ab ipso esse facta vniuersa cognoscat.

b Herm. Trismeg. ap. Stobæ. in collectan. ser. 80 de Dijs.

CAPVT X.

NVNC quoniam refutauimus eos, qui de mundo, & factore eius Deo aliter sentiunt, quàm veritas habet, ad diuinam mundi fabricam reuertamur, de qua in arcanis sanctæ religionis literis traditur. *a* Fecit igitur Deus primum omniũ Cœlum, & in sublime suspendit, quod esset ipsius Dei conditoris; deinde terram fundauit, ac Cœlo subdidit, quam homo cum cæteris animalium generibus incoleret; eam voluit humore circumflui, & contineri: '' Suum verò habitaculum di- 70
stinxit claris luminibus, & impleuit, Sole scilicet, Lunæq; orbe fulgenti, & astrorũ micantium splendentibus signis adornauit; tenebras autem, quod est his contrarium, constituit in terra; nihil enim per se continet luminis, nisi accipiat a Cœlo, in quo posuit lucem perennem, & superos, & vitam perpetuam: & contra in terra tenebras, inferos, & mortem. Tanto enim hæc ab illis superioribus distant, quantum mala a bonis, & vitia a virtutibus. Ipsius quoq; terræ binas partes contrarias inter se, diuersasq; constituit, scilicet Orientem, Occidentemq; '' ex qui- 71
bus Oriens Deo adcensetur, quia ipse luminis fons, & illustrator est rerũ, & quod oriri nos faciat ad vitam sempiternam. Occidens autem conturbatæ illi, prauęq; menti ascribitur, quòd lumen abscondat, quòd tenebras semper inducat, & quòd homines faciat occidere, atq; interire peccatis. Nam sicut lux Orientis est, in luce autem vitæ ratio versatur, sic Occidentis tenebræ sunt: in tenebris autem & mors, & interitus continetur. Deinde alteras partes eadem ratione dimensus est, Meridiem, ac Septentrionem, quæ partes illis duabus societate iunguntur. Ea enim, quæ est Solis calore flagrantior, proxima est, & cohæret Orienti; at illa, quæ frigoribus, & perpetuo gelu torpet eiusdem est, cuius extremus occasus. Nam sicut contrariæ sunt homini tenebræ, ita frigus calori; Vt igitur calor lumini est proximus, sic Meridies Orienti; vt frigus tenebris,

a Genes. pr.

tenebris, ita plaga est Septentrionis Occasui: quibus singulis partibus suum tempus attribuit, ver scilicet Orienti; æstas meridionali plagæ, occidenti autumnus est, Septentrioni hyems. In his quoquè duabus partibus meridionali, & septentrionali figura vitæ, & mortis continetur, quia vita in calore est, mors in frigore. sicut autem calor ex igne est, ita frigus ex aqua. Secundum harum partium dimensionem diem quoq; fecit, ac noctem, quę spatia, & orbes temporum perpetuos ac volubiles, quos vocamus annos, alterna per vices successione conficiant. Dies, quem primus Oriens subministrat, Dei sit necesse est, vt omnia quecunq; meliora sunt; nox autem, quam Occidens extremus inducit, eius scilicet, quem Dei esse

a 3. hoc l. c. 9. sub initiũ

æmulum diximus; a quæ duo etiam in hoc præscius futurorum Deus fecit, vt ex ijs, & veræ religionis, & falsarum superstitionum imago quædam ostenderetur, nam sicut Sol, qui oritur in die, licet sit vnus,
72 [72] vnde Solem esse appellatum Cicero b

b Cic. 2. de nat. Deor.

vult videri, quòd obscuratis, sideribus solus appareat, tamen, quia verum, ac perfectæ plenitudinis lumen est, & calore potissimo, & fulgore clarissimo illustrat omnia, ita in Deo, licet sit vnus & maiestas, & virtus, & claritudo perfecta est. Nox autem, quam prauo illi antitheo dicimus attributam, eius ipsius multas, & varias religiones per similitudinem demõstrat. Quamuis enim stellæ innumerabiles micare, ac radiare videantur, tamen
73 [73] quia non sunt plena, ac solida lumina, ne caloris præferunt quicquam, nec tenebras multitudine sua vincunt. Duo igitur illa principalia inueniuntur, quæ diuersam, & contrariam sibi habent potestatem, calor, & humor, quæ mirabiliter Deus ad sustentanda, & gignenda omnia excogitauit. Nam eum virtus Dei sit in calore, & igni, nisi ardorem, cumq; eius admista humoris, ac frigoris materia temperasset, nec nasci quicquam, nec cohærere potuisset; quin statim conflagratione interiret quicquid esse cæpisset. Vnde &
74 Philosophi quidam, & Poetæ [74] discordi concordia mundum constare dixerunt, sed rationem penitus non viderunt. Heraclitus ex igne nata esse omnia dixit. Thales Milesius ex aqua. Vterq; vidit aliquid, sed errauit tamen vterq; quòd alterutrum si solum fuisset neq; aqua nasci ex igne potuisset, neq; rursus ignis ex aqua. Sed est verius simul ex vtroq; permixto generari. Ignis quidem permisceri cum aqua non potest, quia sunt vtraq; inimica, & si comixus venerint, alterutrum quod superauerit, conficiat alterum necesse est; sed eorum substantiæ permisceri possunt. Substantia ignis calor est, aquæ humor, rectè igitur Ouidius. a

a Ouid. pr. Metamor.

Quippe vbi temperiẽ sumpsere humorq; calorq;
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus;
Cũq; sit ignis aquæ pugnax, vapor humidus oẽs
Res creat, & discors cõcordia fœtibus apta est.

Alterum enim quasi masculinum elementum est, alterum quasi fœmininum, alterum actiuum, alterum pasibile: ideoq; à
veteribus institutum est, 75 vt sacramento 75
ignis, & aquæ nuptiarum fœdera sanciantur, quòd fœtus animantium calore, & humore corporentur, atq; animentur ad vitam. Cum enim constet omne animal
ex anima, & corpore, [76] materia corpo- 76
ris in humore est 77 animę ĩ calore. Quod 77
ex auium fœtibus datur scire, quos crassi humoris plenos nisi opifex calor fouerit,
[78] nec humor potest corporari, nec corpus 78
animari. [79] Exulibus quoq; ignis, & aqua 79
interdici solebat; adhuc enim videbatur nefas, quamuis malos, tamen homines suplicio capitis afficere. Interdicto igitur vsu earum rerum, quibus vita constat hominum, perinde habebatur, ac si esset, qui eam sententiam acceperat, morte multatus. Adeo ista duo elementa prima sunt habita, vt nec ortum hominis, nec sine his vitam crediderint posse constare. Horum alterum nobis commune est cum cæteris animantibus, alterum soli homini datum: nos enim quoniam cœleste, atq; immortale animal sumus, igne vtimur, qui nobis in argumentum immortalitatis datus est; quoniam ignis è Cœlo est, cuius natura, quia mobilis est, & sursum nititur, vitæ continet rationem. Cætera verò animalia, quoniam tota sunt mortalia, tantummodo aqua vtuntur, quod est elementum corporale, atq; terrenum,
cuius natura, quia [80] immobilis est, ac 80
deorsum vergens, figuram mortis osten-
dit. [81] Ideo pecudes neq; in Cœlum suspi- 81
ciunt, neq; religiones sentiunt, quoniam ab his vsus ignis alienus est. Vnde autem vel quomodo Deus hæc duo principalia, igneam, & aquam vel accenderit, vel eliquauerit, solus scire potest, qui fecit.

Cæl.

CAPVT XI.

CONSVMATO igitur mundo, animalia varij generis dissimilibus formis & magna, & minora vt fierent imperauit.
a Gene. pr. a Et facta sunt bina, idest diuersi sexus singula, & quorum fœtibus & aer, & terra, & maria completa sunt. Deditq; his omnibus generatim Deus alimenta de terra, vt vsui hominibus esse possent, alia nimirum ad cibos, alia verò ad vestimentum. Quę autem magnarum sunt virium,
82 "vt in excolenda terra iuuarent; vnde dicta sunt iumenta. Ita rebus omnibus mirabili descriptione compositis, regnum
83 sibi æternum parare constituit," & innumerabiles animas procreare, quibus immortalitatem daret. Tum fecit ipse sibi simulachrum sensibile, atq; intelligens, idest ad imaginis suæ formam, qua nihil potest esse perfectius. Hominem figurauit
84 ex limo terræ, " vnde homo nuncupatus est, quòd sit factus ex humo. Deniq; Pla-
b 85 to humanam formam " θεοειδῆ esse ait b
Pl.6.de rep. Sibylla, quæ dicit c
c In carmi. Sibyll.ser.8. Εἰκὼν ἔστ' ἄνθρωπος ἐμὴ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.

De hac hominis fictione poetæ quoque, quamuis corruptè, tamen non aliter tradiderunt. Namque hominem de luto à
d Ouid.init. Metam. Horat. Ode 16. Propert. 3. Eleg. Eleg. 3. Prometheo factum esse dixerunt. d Res eos non fefellit, sed nomen artificis; nullas enim literas veritatis attingerant, sed quæ Prophetarum vaticinio tradita in sacrario Dei continebantur, ea de fabulis, & obscura opinione collecta, & deprauata, vt veritas à vulgo solet varijs sermonibus dissipata corrumpi nullo non addente aliquid ad id, quod audierant, carminibus suis comprehenderunt. Et hoc quidem ineptè; quòd tam mirabile, tàq; diuinum opificium homini dederunt. Quid enim opus fuit, hominem de luto fingi, cù posset eadem ratione generari, qua ipse Prometheus ex Iapeto natus est? qui si fuit homo, generare hominem potuit, facere non potuit. De Dijs autem illum non fuisse, pœna eius in caucaso monte declarat. Sed neque patrem ipsius Iapetum, patruumq; Titana quisquam Deos nuncupauit, quia regni sublimitas penes Saturnum solum fuit, per quam diuinos honores cùm omnibus suis posteris consecutus est. Multis argumentis hoc figmentum poetarum coargui potest. Factum esse diluuium ad perdendam, tollendamq; ex orbe terræ malitiam constat inter omnes; idem enim & philosophi, poetæ, a scriptoresq; rerum antiquarum loquuntur, in eoq; maximè cum Prophetarum b sermone consentiunt. a Ouid. pr. Metamor. b Genes. 6.

Si ergo cataclysmus à Deo ideo factus est, vt malita, quę per nimiam multitudinem increuerat, perderetur, quomodo fictor hominis Prometheus fuit? cuius filium Deucalionem ijdem ipsi ob iustitiam solum esse dicunt seruatum: quomodo vnus gradus, & vna progenies orbem terræ tam celeriter potuit hominibus implere? Sed videlicet hoc quoq; sic corruperunt, vt illud superius, cum ignorarent, in quo tempore cataclysmus sit factus in terra, & quis ob iustitiam meruerit genere humano pereunte saluari, & quo modo, aut cum quibus seruatus sit, quæ omnia propheticæ literæ c docent. c Gen. 6. & seqq.

Apparet ergo falsum esse quod de opificio itidem Promethei narrant. verum quia Poetas dixeram d non omninò mêtiri solere, " sed figuris inuoluere, d scil. l. p. c. 11.
& obscurare quæ dicant, non dico esse mentitos; sed primum omnium Prometheum simulachrum hominis formasse de pingui, & molli luto; ab eoq; natam primo artem, & statuas, & simulachra fingendi. Siquidem Iouis temporibus fuit, quibus primùm templa constitui, & noui Deorum cultus esse cœperunt. Sic veritas fucata mendacio est, & illud, quod a Deo factum ferebatur, homini qui opus diuinum imitatus est, etiam cœpit ascribi. Cæterum fictio veri, ac viui hominis è limo Dei est. Quod Hermes quoq; tradit, qui non tantum hominem ad imaginem Dei factum esse dixit e à Deo, sed etiam illud explanare tentauit f quàm subtili ratione singula quæq; in corpore hominis membra formauerit, cum eorum nihil sit, quod non tantundem ad vsus necessitatem, quantum ad pulchritudinem valeat. e Herm. Trismeg. Pimandr. c. pr. f Herm. Trismeg. p. c. 5.

Id verò etiam Stoici, cum de prouidentia disserunt, facere conantur, & secutus eos Cicero pluribus quidem locis. g Sed tamen materiam tam copiosam, & vberem strictim contigit, quam ego nunc icirco prætereo, quia nuper proprium de ea re librum h ad Demetrianum auditorem meum scripsi. Illud hoc loco præterire g Cic. 2. de nat. Deor. & p. de legib. h de opificio Dei.

non

non possum, quod errantes philosophi
quidam aiunt, homines, cæteraq: anima-
lia sine vllo artifice orta esse de terra: Vn-
de illud Virgilianum est. *a*
86 [86] *Terrea progenies duris caput extulit aruis.*
a Virgil. 2. Georg. Et ij maximè fuerunt in ea sententia, qui
esse prouidentiam negant. Nam Stoici
animantium fabricam diuinæ solertię tri-
buunt. Aristoteles autem labore se, ac
b Arist. pr. Cal. tex. 101 & seq. molestia liberauit, dicens *b* semper mun-
dum fuisse. Itaq: & humanum genus, &
cætera, quę in eo sunt initium non habe-
re, sed fuisse semper, ac semper fore. Sed
cum videamus singula quæq: animalia,
quæ ante non fuerant, incipere esse, &
esse desinere, necesse est totum genus ali-
quando esse cæpisse, & aliquando desitu-
rum esse, quia cæperit. Omnia enim tri-
bus temporibus contineri necesse est, prę-
terito, pręsenti, futuro. Pręteriti est ori-
87 go, [87] pręsentis substantia, futuri dissolu-
tio: quæ omnia in singulis hominibus ap-
parent: & incipimus enim cum nascimur,
& sumus, cum viuimus, & desinimus cum
c interimus. Vnde etiam tres Parcas esse
Plat. ad fin. 10. de Rep voluerunt, *c* vnam quæ vitam hominibus
ordiatur, alteram, quæ contexat, tertiā,
Arist. in fine libell. de Mundo. quæ rumpat, ac finiat. In toto autem ge
nere hominum, quia solum præsens tem-
pus apparet, ex eo tamen & preteritum,
idest origo colligitur, & futurum, idest dis-
solutio. Nam quoniam est, apparet, ali-
quando cœpisse. Esse enim nulla res sine
exordio potest, & quia cæpit, apparet
quandoq; desitura; nec enim potest id to-
tum esse immortale, quod ex mortalibus
constat; Nam sicut vniuersi per singulos
interimus, fieri potest, vt aliquo casu om-
nes simul vel sterilitate terrarum, quæ ac-
cidere particulatim solet, vel pestilentia
vbiq; diffusa, quæ singulas vrbes, atquè
regiones plerunq; populatur, vel incen-
dio in orbem misso, quale iam fuisse sub
Phætonte dicitur, vel diluuio aquarum,
quale sub Deucalione traditur, cum præ-
ter hominem genus omne deletum est.
Quod diluuium, si casu accidit, profectò
potuit accidere, vt & vnus ille, qui super-
fuit, interiret, si autem diuinę prouiden-
tiæ nutu, quod negari non potest, ad re-
parandos homines reseruatus est, appa-
ret, in Dei potestate esse vel vitam, vel
interitum generis humani. Quòd si potest
occidere in totum, quia per partes occi-
dit, apparet aliquando esse ortum, & vt
fragilitas initium, sic declarat & terminū.
Quæ si vera sunt, non potuit defendere
Aristoteles, quo minus habuerit & Mun-
dus ipse principium. Quod si Aristoteli
Plato, & Epicurus extorquent, & Plato-
ni, & Aristoteli, qui semper fore mundum
putauerunt, licet sint eloquentes, [88] ingra 88
tis tamen idem Epicurus eripiet, quia se-
quitur, vt habeat & finem. Sed hæc in
vltimo libro pluribus exequemur. Nunc
ad hominis originem recuramus.

CAPVT XII.

[89] AIVNT *a* certis conuersionibus cœ- 89
li, & astrorum motibus maturita- *a Cic. 1. de legib.*
tem quandam extitisse animalium seren-
dorum. Itaq; terram nouam semen ge-
nitale retinentem folliculos ex se quoddā
in vterorum similitudinem protulisse, de
quibus Lucretius. *b* *b Lucret. 5. de nat. rer.*
Crescebant vteri terræ radicibus apti.
Eosq; cum maturassent, natura cogente
ruptos, animalia tenera profudisse. Dein-
de terram ipsam humore quodam, qui es-
set lacti similis, exuberasse, eoq; alimento
animantes esse nutritos. Quo modo au-
tem vim frigoris, aut caloris ferre, aut vi-
tare potuerunt, aut omnino nasci, cum
Sol exureret, frigus astringeret? Non
erat, [90] (inquiūt *c*) in principio mundi hy- 90
ems, & æstas, sed perpetua temperies, & *c Lucr. ibid.*
ver æquabile. Cur ergo nihil horum fieri
etiam nunc videmus? Quia semel (aiunt)
d fieri necessarium fuit, vt animalia na- *d Lucr. ibid.*
scerentur; postquam verò esse cæperunt,
concessa his facultate generandi, & terra
parere desijt, & temporis conditio muta-
ta est. O quam facile est mendacia redar-
guere! Primùm quòd nihil potest esse in
hoc mundo, quod non sic permaneat vt
cæpit; nec enim Sol, & Luna, & astra
tunc non erant, aut, cum essent, meatus
non habebant, aut non diuina mode-ra-
tio, quæ cursus eorum temperat, & gu-
bernat, cum ipsis simul cæperit. Deinde,
quòd si ita fit, vt dicunt, prouidentiam
esse necesse est, & in id ipsum incidunt,
quod maximè fugiunt; nondum enim na-
tis animalibus aliquis vtiq; prouidit, vt na
scerentur, ne orbis terræ desertus, atq;
incultus horreret. Vt autem de terra sine
officio parentum nasci possent, necesse
G est

est magna ratione esse prouisum: Deinde vt humor ille concretus de terra in varias imagines corporum fingeretur: Item, vt è folliculis, quibus tegebantur, accepta videndi, sentiendiq; ratione, tanquam ex aluo matrum profunderentur, mira, inexplicabilisq; prouisio est. Sed putemus in quoq: casu accidisse, illa certè, quæ sequuntur, fortuita esse non possunt, vt terra continuo lacte manaret, vt aeris temperies esset æqualis. Quæ si constat, idcirco esse facta, vt animalia recens edita vel haberent alimentum, vel non haberent periculum, necesse est, vt aliquis diuina nescio qua ratione prouiderit. Quis autem potest prouidere nisi Deus? Videamus tamen, an idipsum, quod dictitant, fieri potuerit, vt homines nascerentur è terra. Si consideret aliquis quamdiu, & quibus modis educetur infans, intelliget profectò non potuisse terrigenas illos pueros sine vllo educatore nutriri. Fuit enim necesse quampluribus mensibus iacere proiectos, donec confirmatis neruis mouere se, locumq; mutare possent, quòd vix intra vnius anni spacium fieri potest. Iam vide, vtrùmne infans eodem modo, & eodem loco, quo est effusus, iacere per multos menses valuerit. An non humore illo terræ, quod alimenti gratia ministrabat, & sui corporis purgamentis in vnum mistis obrutus, corruptusq; moreretur? Itaq: nullo modo fieri potest, quin ab aliquo fuerit educatus, nisi fortè animalia omnia non tenera nata sunt, sed ex creta, quod vt dicerent, nunquam venit illis in mentem. Omnis ergo illa ratio impossibilis, & vana est, si tamen ratio dici potest, qua id agitur, vt nulla sit ratio. Qui enim dicit, omnia sua sponte esse nata, nihilq; diuinæ prouidentiæ tribuit, hic profectò rationem non asserit, sed euertit. Quòd si neq: quicquam fieri sine ratione, neq: nasci potest, apparet, diuinam esse prouidentiam, cuius est proprium, quod dicitur ratio. Deus igitur rerũ omnium machinator fecit hominẽ, quod Cicero, quamuis expers cœlestium literarum vidit tamen: qui libro de legibus primo hoc idem tradidit quod Prophetæ, cuius verba subieci. *a* HOC animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, quem vocamus hominem, præclara quadam

92 conditione generatũ esse [92] a summo Deo:

a Cic. pr. de legib.

solum est enim ex tot animantium generibus, atq: naturis particeps rationis, & cogitationis, çum cætera sint omnia expertia.] Videsnè hominem quamuis longè à veritatis notitia remotum, tamen quoniam imaginem sapientiæ tuebatur, intellexisse non nisi à Deo hominem potuisse generari? Sed tamen diuinis opus est testimonijs, ne minus humana sufficiant. Sibylla hominem Dei opus esse testatur. *a*

a In carminib. Sibyll. ĩ principio.

Ὅς μόνος ἐστὶ θεὸς κτίστης ἀκράτητος ὑπάρχων,
Αὐτὸς δ' ἐστήριξε τύπον μορφῆς μερόπων τε,
[92] *Αὐτὸς ἔμιξε φύσιν πάντων γενέτης βιότοιο.* 92

Eadem sanctæ literæ continent. *b* Deus ergo veri patris officio functus est. Ipse corpus effinxit, ipse animam, qua spiramus, infudit. Illius est totum quicquid sumus. Quomodo id fecerit, si nos oporteret scire, docuisset, sicut docuit cætera, quę cognitionem nobis & pristini erroris, & veri luminis attulerunt.

b Genes. pri.

CAPVT XIII.

CVM ergo marem ad similitudinem suam primùm finxisset, tum etiam fœminam configurauit ad ipsius hominis effigiem, vt duo inter se permisti sexus propagare sobolem possent, & omnem terram multitudine opplere. In ipsius autem hominis fictione illarum duarum materierum, quas inter se diximus esse contrarias, ignis, & aquæ conclusit, perfecitq; rationem. Ficto enim corpore [93] 93
spirauit ei animam de vitali fonte spiritus sui, qui est perennis, vt ipsius mundi ex contrarijs constantis elementis similitudinem gereret. Constat enim ex anima, & corpore, idest quasi è cælo, & terra; quandoquidem anima, qua viuimus, velut è cœlo oritur a Deo, corpus è terra,
cuius è limo diximus esse formatũ. [94] Em- 94
pedocles, quem nescias, vtrumne inter poetas, an inter philosophos numeres, quòd de rerum natura versibus scripsit, vt apud Romanos Lucretius, & Varro, quatuor elementa constituit, idest ignem, aerem, aquam, & terram fortasse Trismegistum secutus, qui nostra corpora ex his quatuor elementis çonstituta esse dixit

a Herm. Trismegist. ap. Stob. in Coll. ser. 11. qui est de veritate.

xit *a* à Deo; habere nãq; in se aliquid ignis,
aliquid aeris, aliquid aquæ, aliquid terrę,
& neq; ignem esse, neq; aerem, neq; aquã,
neq; terram; quæ quidem falsa non sunt.
Nam terræ ratio in carne est, humoris in
sanguine, aeris in spiritu, ignis in calore
vitali. Sed neq; sanguis à corpore secerni
potest, sicut humor a terra, neq; calor
vitalis à spiritu, sicut ignis ab aere; adeò
rerum omnium duo sola reperiuntur elę-
menta, quorum omnis ratio in nostri cor-
poris fictione conclusa est. Ex rebus igi-
tur diuersis, ac repugnantibus homo fa-
ctus est, sicut ipse mundus, ex luce, ac te-
nebris, ex vita, & morte, quæ duo inter
se pugnare in homine præcepit, vt si ani-
ma superauerit, quæ ex Deo oritur sit
immortalis, & in perpetua luce versetur.
Si autem corpus vicerit animam, ditioniq;
subiecerit, sit in tenebris sempiternis, &
in morte. Cuius non ea vis est, vt iniustas
animas extinguat omnino, sed vt puniat
in æternum. Eam pœnam secundã mor-
tem nominamus, *b* quæ est ipsa perpetua,
sicut & immortalitas. primã sic definimus.
Mors est naturæ animantium dissolutio,
vel ita. Mors est corporis, animæq; se-
95 ductio. Secundam verò sic. Mors est
æterni doloris perpessio. vel ita. Mors
est animarum pro meritis ad æterna sup-
plicia damnatio. Hæc mutas pecudes nõ
attingit, quarum animę non ex Deo con-
stantes, sed ex communi aere, morte sol-
uuntur. In hac igitur societate cœli, atq;
terræ, quorum effigies in homine expres-
sa est, superiorem partem tenent ea, quæ
sunt Dei, anima scilicet, quæ dominium
corporis habet, inferiorem autem ea, quę
sunt Diaboli, corpus vtiq; quod, quia
terrenum est, animę debet esse subiectũ,
96 sicut terra cælo. Est enim quasi vascu-
lum, quo tanquam domicilio temporali
spiritus cælestis vtatur. Vtriusq; officia
sunt vt hoc quod est ex cœlo, & Deo im-
peret, illud verò, quod ex terra est, Dia-
bolo seruiat. Quod quidem non fugit ho-
minem nequam Salustium, qui ait. *c* SED
omnis nostra vis in animo, & corpore sita
est; animi imperio, corporis seruitio ma-
gis vtimur. Rectè, si ita vixisset, vt lo-
97 cutus est: seruiuit enim fœdissimis volu-
ptatibus, suamq; ipse sententiam vitę pra-
uitate dissoluit. Quod si anima ignis est,
vt ostendimus, in cœlum debet eniti, si-
cuti ignis, ne extinguatur, hoc est ad im-

b Apocalyp. 20. & 21.

c Salust. in præf. histor. de coniur. Catil.

mortalitatem, quæ in cœlo est. Et sicut
ardere, ac viuere non potest ignis, nisi
aliqua pingui materia teneatur, in qua
habeat alimentum, sic animæ materia,
& cibus est sola iustitia, qua tenetur ad vi-
tam. Post hæc Deus hominem, qua ex-
posui ratione generatum, posuit in Para-
diso, *a* idest in horto fœcundissimo, & *a Genes. 2.*
amœnissimo, quem in partibus Orientis
omni genere ligni, arborumq; conseuit, 98
vt ex earum varijs fructibus aleretur, ex-
persq; omnium laborum Deo patri sum-
ma deuotione seruiret. Tum dedit ei cer-
ta mandata, quæ si obseruasset, immor- 99
talis maneret, si transcendisset, morte af-
ficeretur. Id autem præceptum fuit, vt
ex arbore vna, quæ fuit in medio Paradi-
si, non gustaret, in qua posuerat intel- 100
ligentiam boni, & mali. Tum crimina-
tor ille inuidens operibus Dei omnes fal-
lacias, & calliditates suas ad decipiendũ
hominem intendit, vt ei adimeret immor
talitatem. Et primò mulierem dolo ille-
xit, *b* vt vetitum cibum sumeret, & per *b Genes. 3.*
eam ipsi quoq; homini persuasit, vt tran-
scenderet Dei legem. Percepta igitur
scientia boni, & mali, pudere eum nudi-
tatis suæ cæpit, absconditq; se a facie Dei,
quod antea non solebat. Tum Deus eie-
cit hominem de Paradiso sententia in 101
peccatorem lata, vt victum sibi labore
conquireret: ipsumq; Paradisum igni 102
circumuallauit, ne homo posset accedere,
donec summum iudicium faciat in ter- 103
ra, & iustos viros cultores suos in eundem *c Sibyl. Erithr. ap. Theophil. ad Autolyc. lib. 2.*
locum reuocet, morte sublata, sicut sa-
cræ literæ docent, & Sibylla Erithræa,
cum dicit *c*
Οἱ δὲ θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν ἀέναόν τε, 104
Ζωὴν κληρονομοῦσι, τὸν ἀέναον χρόνον αὐ-
τοί,
Οἰκοῦντες παραδείσου ὁμοῦ ἐριθηλέα κῆ-
πον.
Verùm, quoniam hæc extrema sunt, in
extrema operis huius parte tractabimus. *d In carm. Sibyll. serm. p. sub initiũ & ser. 8. circa med.*
Nunc ea, quæ prima sunt explicemus.
Mors itaq; secuta est hominem secundum
Dei sententiam; quod etiam Sibylla in
carmine suo docet, dicens. *d*
[illegible] 105
[illegible]
[illegible]
[illegible] 106
[illegible]

Sic facta hominis vita est temporaria, sed
107 tamen longa, [107] quæ in mille annos pro-
a Gen. 6. & 9. pagaretur, quod diuinis literis proditum, a & per omnium scientiam publicatum cũ Varro non ignoraret, argumentari nixus est, cur putarentur antiqui mille annos vixisse.
108 [108] Ait enim apud Ægyptios pro annis menses haberi, vt non Solis per xij. signa circuitus faciat annum, sed Luna,
*leg. lustrat quæ orbem illum signiferum xxx. dierum
109 spatio * illustrat, [109] quod argumentum perspicuè falsum est. Nemo enim tunc millesimum annum transgressus est. Nunc verò, qui ad centesimum perueniunt, quod fit sæpissimè, mille certè ac ducentis mensibus viuunt. Et authores idonei tradunt,
b Philo. de Gigant. Ioseph. pr. antiquit. c. 5. b ad cxx. annos peruenire solere. Sed quia ignorabat Varro, cur, aut quando vita hominis esset diminuta, ipse diminuit, cũ sciret, mille, & quadringentis mensibus posse viuere hominem.

CAPVT XIV.

DEVS autem postea cum videret orbem terræ malitia, & sceleribus oppletum, statuit humanum genus diluuio
c Genes. 6. & 7. perdere, c sed tamen ad multitudinem reparandam delegit vnum, quod corruptis omnibus singulare iustitiæ supererat exemplum. Hic cum sexcentorum esset annorum fabricauit arcam, sicut præceperat ei Deus, in qua ipse cum coniuge, ac tribus filiis, totidemq; nuribus seruatus est, cum aqua vniuersos montes altissimos operuisset. Deinde orbe siccato, execratus iniustitiam prioris seculi Deus ne rursus longitudo vitæ causa esset excogitandorum malorum, paulatim per singulas progenies diminuit hominis ætatem;
110 atq; [110] in centum & xx. annis metam collocauit, quam transgredi non liceret. Ille verò, cum egressus esset ex arca, vt san-
d Genes. 9. ctæ literæ docent, d terram studiosè coluit, atq; vineam sua manu seuit. Vnde arguuntur, qui authorem vini Liberum putant. Ille enim non modò liberum, sed etiam Saturnum, atq; Vranum multis antecessit ætatibus, qua ex vinea, cum primum fructum cepisset, lætus factus bibit vsq; ad ebrietatem, iacuitq; nudus. Quod cum vidisset vnus ex filijs, cui nomen fuit Cham, non texit patris nuditatem, sed egressus etiam fratribus indicauit. At illi sumpto pallio intrauerunt auersis vultibus, patremq; texerunt. Quæ cum facta recognouisset pater, abdicauit, atq; expulit filium. At ille profugus a in eius ter- a Genes. 9.
ræ parte consedit, quæ nunc Arabia nominatur. [111] Eaq; terra de nomine suo Chanaam dicta est, & posteri eius Chananæi. 111
Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignorauit, quoniam princeps eius, & conditor cultum Dei à patre non accepit maledictus ab eo. Itaq; ignorantiam diuinitatis minoribus suis reliquit. Ab hac gente proximi quiq; populi multitudine increscente fluxerunt. Ipsius autem patris posteri Hebræi dicti, penes quos religio Dei resedit. Sed & ab his postea, multiplicato in immensum numero, cum eos angustiæ locorum suorum capere non possent, tum adolescentes vel missi à parentibus, vel sua sponte, cum rerum penuria cogeret, profugi ad quærendas sibi nouas sedes huc, a q; illuc dispersi, omnes insulas, & orbem totum repleurunt, & a stirpe sanctæ radicis auulsi nouos sibi mores, ac instituta pro arbitrio condiderunt. Sed omnium primi, qui Ægyptum occupauerunt, cœlestia suspicere, atq; adorare cœperunt. Et quia neq; domicilijs tegebantur propter aeris qualitatem ([112] nec enim 112
vllis in ea regione nubibus subtexitur cælum) cursus siderum, & defectus notauerunt, dum ea sæpe venerantes curiosius, atq; liberius intuerentur. Postea deinde [113] portentificas animalium figuras, quas 113
colerent, commentiti sunt quibusdam prodigijs inducti, quorum mox authores aperiemus. Cæteri autem, qui per terram dispersi fuerunt, admirantes elementa mundi, cœlum, Solem, terram, mare sine vllis imaginibus, ac templis venerabantur, & his sacrificia in aperto celebrabant, donec processu temporum potentissimis Regibus templa, & simulachra fecerunt, eaq; victimis, & odoribus colere instituerunt. Sic aberrantes a notitia Dei gentes esse cœperunt. Errant igitur qui Deorum cultus ab exordio rerum fuisse contendunt, & priorem esse gentilitatem, quàm Dei religionem, quam putant posterius inuentam, quia fontem, atque originem veritatis ignorant. Nunc ad principium mundi reuertamur.

CAPVT XV.

114 CVM ergo numerus hominum cœ
pisset increscere, prouidens Deus
ne fraudibus suis Diabolus, cui ab initio
terræ dederat potestatem vel corrumpe-
ret, vel disperderet homines, quod in
exordio rerum fecerat, misit Angelos ad
115 tutelam, cultumq; generis humani, [115]
quibus quia liberum arbitrium erat datū,
præcepit ante omnia, ne terræ contagio-
ne maculati, substantiæ cœlestis amitte-
rent dignitatē: scilicet id eos facere pro-
hibuit, quod sciebat esse facturos, vt ve-
niam sperare non possent. Itaq; illos cum
hominibus commorantes dominator ille
terræ fallacissimus consuetudine ipsa pa-
116 117 ulatim [116] ad vitia pellexit, [117] & mulierum
118 congressibus inquinauit. [118] Tum in cœlū
ob peccata, quibus se immerserant, non
recepti, ceciderunt in terram. Sic eos
Diabolus ex Angelis Dei suos fecit satel-
119 lites, ac ministros. [119] Qui autem sunt ex
his procreati, quia neque Angeli, neque
homines fuerunt, sed mediam quandam
naturam gerentes, non sunt ad inferos
recepti, sicut in cœlum parentes eorum.
120 [120] Ita duo genera Dæmonum facta sunt,
vnum cœleste, alterum terrenum. Hi sunt
immundi spiritus malorum, quæ gerun-
tur authores, quorum idem Diabolus est
121 princeps. Vnde Trismegistus illum [121] δαιμονιάρχην vocat. Dæmonas autem Gram-
122 matici dictos aiunt quasi [122] δαήμονας, idest
peritos, ac rerum scios: hos autem putāt
123 Deos esse. [123] Sciunt illi quidem futura
multa, sed non omnia, quippe quibus pe-
nitus consilium Dei scire non licet, & ideo
124 solent [124] responsa in ambiguos exitus tem
perare. Eos poetæ & sciunt esse Dæmo-
nas, & loquuntur. Hesiodus ita tradit. a
τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώ-
πων.

a Hesiod in operib. & dieb. vbi de aur. secul.

Quod iccirco dictum est, quoniam custo-
des eos humano generi Deus miserat; sed
ipsi, cum sint perditores hominum, cu-
stodes tamen se videri volunt, vt ipsi co-
lantur, & Deus non colatur. Philosophi
quoq; de his dixerunt. Nam Plato etiam
naturas eorum in Sympofio exprimere co
natus est. b Et Socrates esse circa se assi-
duum Dæmona loquebatur, a qui sibi pue
ro adhæsisset, cuius arbitrio, & nutu sua
vita gereretur. Magorum quoq; ars om-
nis, ac potentia horum aspirationibus
constat, à quibus inuocati visus hominum
prestigijs obcæcantibus fallunt, vt non
videant ea, quæ sunt, & videre se putent
ea, quæ non sunt. Hi (vt dico) spiritus
contaminati, ac perditi per omnem ter-
ram vagantur, [125] & solatium perditionis 125
suę perdendis hominibus operantur. Itaq;
omnia insidijs, fraudibus, dolis, errori-
bus complent. Adhærent enim singuli
hominibus, & omnes hostiatim domos oc-
cupant, ac sibi Geniorum nomen assu-
munt, sic enim latino sermone dæmonas
interpretantur. Hos in suis penetralibus
consecrant; [126] his quotidie merum pro- 126
fudunt, & scientes dæmonas veneran-
tur, quasi terrestres Deos, & quasi depul-
sores malorum, quæ ipsi faciunt, & irro-
gant. Qui quoniam [127] sunt spiritus tenues, 127
& incomprehensibiles, insinuant se cor-
poribus hominum, & occultè in visceri-
bus [128] operati [129] valetudinem vitiant, 128 129
morbos citant, somnijs animos terrent,
mentes furoribus quatiunt, vt homines
his malis cogant ad eorum auxilia decur-
rere.

b Plat. in Conuiu. post med.

a ap. Plat. in fin. Theag. Xenof. init. p. de mem. Socrat. & in fin. 4. Item init. Apol. & ap. Laer. in Socrat.

CAPVT XVI.

QVARVM omnium fallaciarū ratio
expertibus veritatis obscura est.
Prodesse enim eos putant, cum
nocere desinunt, qui nihil aliud possunt,
quam nocere. Nocent illi quidem, sed
ijs, à quibus timentur, quos manus Dei
potens, & excelsa non protegit, qui pro-
fani sunt a sacramento veritatis; iustos au
tem, idest cultores Dei metuunt, [130] cuius 130
nomine adiurati de corporibus excedunt,
quorum verbis, tanquam flagris verbera-
ti non modo Dæmonas se esse confiten- 131
tur, sed etiam nomina sua edunt, illa, *
quę in templis adorantur,* [131] & quod ple-
runq; coram cultoribus suis faciunt non
vtiq; in opprobrium religionis, sed hono-
ris sui, quia nec Deo, per quem adiuran-
tur, nec iustis, quorum voce torquentur,
mentiri possunt. Itaq; maximis sępè vlu-
latibns editis verberari se, & ardere, &
jam iamq; exire proclamant. Tantum

** fort. q. etiā plerūq; corā cultorib' suis faciūt, nō vtiq; in opprobriū religionis, & honoris sui, sed quia nec Deorum*

habet Dei cognitio, ac iustitia potestatis. Cui ergo nocere possunt, nisi ijs, quos habent in sua potestate? Deniq; affirmat eos Hermes, qui cognouerint Deum non tantùm ab incursionibus Dæmonum tutos esse, verùm etiam ne fato quidem te-
132 neri. μία (inquit) φυλακὴ εὐσέβεια, εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὐ δαίμων κακὸς, οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ. θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. τὸ γὰρ ἓν, καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἐστὶν ἀγαθὸν εὐσέβεια.] Quid sit autem εὐσέβεια alio loco his verbis testatur dicens. a ἡ γὰρ εὐσέβεια γνῶσίς ἐστι τοῦ θεοῦ.] Asclepius quoq; auditor eius eandem sententiam latius explicauit in illo sermone perfecto, quem scripsit ad Regem. Vterq; verò dæmonas esse affirmat inimicos, & vexatores hominum, quos ideo Trismegistus ἀγγέλους πονηροὺς appellat: adeò nō ignorauit, ex cęlestibus deprauatos terrenos esse cæpisse.

a Herm. Tris. Pimād. c. 9

CAPVT XVII.

133 EORVM inuenta sunt Astrologia, & aruspicina, & auguratio, & ipsa, quæ dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica, & quicquid præter ea malorum exercent homines, vel palam, vel occultè, quæ omnia per se falsa sunt, vt Sibylla Erythræa testatur.

134 —— ὡς πλάνη πάντα τάδ' ἐστὶν, ἅπερ ἄφρονες ἄνδρες ἐρευνῶσι κατ' ἦμαρ,

Sed ijdem ipsi authores præsentia sua faciunt, vt vera esse credantur. Ita hominum credulitatem mentita diuinitate deludunt, quòd illis verum aperire non expedit. Hi sunt, qui imagines, & simulachra fingere docuerunt, qui vt hominum mentes a cultu veri Dei auerterent & fictos mortuorum Regum vultus, & ornatos exquisita pulchritudine statui, consecrariq; fecerunt, & illorum sibi nomina
135 quasi personas aliquas induerunt. Sed eos magi, & ij, quos verè maleficos vulgus appellat, cum artes suas execrabiles exercent, veris suis nominibus cient, illis cælestibus, quæ in literis sanctis leguntur. Hi porrò incesti, ac vagi spiritus, vt turbent omnia, & errores humanis pectoribus infundant, serunt, ac miscent falsa cum veris. Ipsi enim cœlestes multos finxerunt esse, & vnum Regem omnium Iouem, eo quòd multi sunt spiritus Angelorum in Cœlo, & vnus parens, ac dominus omnium Deus. Sed veritatem mentitis nominibus inuolutam ex oculis abstulerunt. Nam Deus (vt principio docui a) neq; nomine, cum solus sit, eget, neque Angeli, cum sint immortales, dici se Deos aut patiuntur, aut volunt, quorum vnum, solumq; officium est seruire nutibus Dei, nec omninò quicquam nisi iussu facere. Sic enim mundum regi à Deo 136
dicimus, vt à rectore prouinciam, cuius apparitores nemo socios esse in regenda prouincia dixerit, quamuis illorum ministerio res geratur. Et hi tamen possunt aliquid præter iussa rectoris per ipsius ignorantiam, quæ est conditionis humanæ. Ille autem præses mundi, & rector vniuersi, qui scit omnia, cuius diuinis oculis nihil septum est solus habet rerum omnium cum filio potestatem, nec est in Angelis quicquam nisi parendi necessitas. Itaq; nullum sibi honorem tribui volunt, quorum omnis honor in Deo est. Illi autem, qui desciuerunt à Dei ministerio, quia sunt veritatis inimici, & præuaricatores Dei, nomen sibi, & cultum Deorum vendicare conantur; non quòd vllum 137
honorem desiderent (quis enim honor perditis est?) nec vt Deo noceant, cui noceri non potest, sed vt hominibus, quos nituntur a cultura, & notitia veræ maiestatis auertere, ne immortalitatem adipisci possint, quam ipsi sua nequitia perdiderunt. Offundunt itaq; tenebras, & veritatem caligine obducunt, ne dominum, ne patrem suum norint; & vt illiciant, facilè in templis se occulunt, & sacrificijs omnibus præsto adsunt; eduntq; sępè prodigia, quibus obstupefacti homines fidem commodent simulachris diuinitatis, ac numinis. Inde est quòd ab augure lapis 138
nouacula incisus est; & quòd Iuno Veiensis migrare se Romam velle respondit; quòd Fortuna muliebris periculum denunciauit; quòd Claudiæ manum nauis secuta est; quòd in sacrilegos & Iuno nudata, & Locrensis Proserpina, & Ceres Milesia vindicauit, & Hercules de Appio, & Iupiter de Atinio, & Minerua de Cæsare Hinc quòd serpens Vrbem Romam pestilentia liberauit Epidauro accersitus. Nam illuc δαίμων ἀρχηγὸς ipse in figura sua sine vlla dissimulatione perductus est; siquidem legati ad eam rem missi draconem secum

miræ magnitudinis attulerunt. In oraculis autem vel maximè fallunt, quorum præstigias profani à veritate intelligere non possunt. Ideòq; ab illis attribui pu-
139 tant & imperia, [139] & victorias, & opes, & euentus prosperos rerum. Deniq; ipsorum nutu sæpè rem publicam periculis imminentibus liberatam: quæ pericula & responsis denunciauerunt, & sacrificijs placati auerterunt. Sed omnia ista fallaciæ sunt: nam cum dispositiones Dei præsentiant, quippe qui ministri eius fuerunt, interponunt se in his rebus, vt quæcunq; à Deo vel facta sunt, vel fiunt, ipsi potissimùm facere, aut fecisse videantur. Et quoties alicui populo, vel Vrbi secundum Dei statutum boni quid impendet, illi se id facturos vel prodigijs, vel somnijs, vel oraculis pollicentur, si sibi templa, si honores, si sacrificia tribuantur. Quibus datis, cum illud acciderit, quod necesse est, summam sibi pariunt venerationem. Hinc templa deuouentur, & nouæ imagines consecrantur, mactantur greges hostiarum. Sed cum hæc facta sunt, nihilominus tamen & vita, & salus eorum, qui hæc fecerint, immolantur. Quoties autē pericula impendent, ob aliquam se ineptam, & leuem causam profitentur iratos:
140 sicut Iuno Varroni, [140] quòd formosum puerum in templo Iouis ad exuuias tenendas collocarat, & ob hanc causam Romanum nomen apud Cannas penè deletū est. Quòd si Iuno alterum Ganymedem verebatur, cur iuuentus Romana luit pœnas? Vel si Dij tantumodo duces curant, cæteram multitudinem negligunt, cur Varro solus euasit, qui hoc fecit, & Paulus, qui nihil meruit, occisus est? Videlicet nil tunc Romanis accidit
141 ——— [141] *fatis Iunonis iniqua. a*
142 [142] Annibal duos exercitus populi Romani
a Virgil 8. Æneid. & astu, & virtute confecit. Nam Iuno audere non poterat, aut Carthaginem defendere, vbi [arma] eius, & [currus
b Vir. initio pr. Æneid. fuit,] b aut Romanis nocere, quia
——— *progeniem Troiano à sanguine duci*
c Vir. ibid. *Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces. c*
Sed illorum sunt isti lusus, qui sub nominibus mortuorum delitescentes viuentibus plagas tendunt: itaq; siue illud periculum, quod imminet, vitari potest, videri volunt id placati auertisse, siue non potest, id agunt, vt propter illorum contemptum accidisse videatur. Itaq: sibi apud homines, qui eos nesciunt, authoritatem, ac timorem pariunt. Hac versutia, & his artibus notitiam veri, ac singularis Dei apud omnes gentes inueterauerunt. Suis enim vitijs perditi sæuiunt, & crassantur, vt perdant. Iccircò etiam humanas hostias excogitauerunt ipsi hostes humani generis, vt quammultas deuorarent animas.

CAPVT XVIII.

Dicet aliquis, cur ergo Deus hæc fieri patitur, nec tam malis succurrit erroribus. [143] Vt mala cū bonis pugnēt, 143
vt vitia sint aduersa virtutibus, vt habeat alios, quos puniat, alios, quos honoret. Vltimis .n. temporib⁹ statuit de viuis, ac mortuis iudicare, de quo iudicio mihi erit in vltimo libro disputatio. Differt ergo, donec veniat temporum finis, quo effundat iram suam in potestate, ac virtute cælesti, sicut
——— *vatum prædicta priorum*
Terribili monitu horrificant a ——— *a Vir. ad finē 4. Æneid.*
Nunc autem patitur homines errare, & aduersum se quoq: impios esse ipse iustus, & mitis, & patiens. Nec enim fieri potest, vt non is quo perfecta sit virtus, sit etiam perfecta patientia. Vnde quidam putant, ne irasci quidem Deum omninò, quòd affectibus, qui sunt perturbationes animi subiectus non sit, quia fragile est omne animal, quod afficitur, & cōmouetur. [144] Quę 144
persuasio veritatem, atq: religionem funditus tollit. Sed seponatur interim locus hic nobis de ira Dei differēdi, quòd & vberior est materia, & opere proprio latius exequenda. Illos ergo nequissimos spiritus quisquis veneratus fuerit, & secutus, nec cælo, nec luce potietur, quæ sunt Dei, sed in illa decidet, quæ in distributione rerum attributa esse ipsi malorum principi disputauimus, in tenebras scilicet, & inferos, & supplicium sempiternū. Docui religiones Deorum triplici ratione vanas esse. Vna quòd simulachra ista, quæ coluntur, effigies sint hominum mortuorum: est autem peruersum, & incongruens, vt simulachrū hominis a simulachro Dei colatur, colit enim quod est deterius, & imbecillius. Tum inexpiabile facinus esse deserere viuētē, vt defunctorum monumentis seruias, qui nec vitam, nec lucem dare cuiquā possunt, qua ipsi carent: nec esse alium quemquā Deum, præter vnum, cuius iudicio, ac potestati

testate omnis anima subiecta sit. Altera, quòd ipsæ imagines sacræ, quibus inanissimi homines seruiunt, omni sensu carent, quoniam terra sint. Quis autem non intelligat, nefas esse, rectum animal curuari, vt adoret terram? quæ iccirco pedibus nostris subiecta est, vt calcanda nobis, non adorãda sit, qui sumus ideo excitati, ex eaq: statum sublimẽ præter cæteras animantes accepimus, vt non reuoluamur deorsum, ne hunc cælestem cultum proijciamus ad terram, sed occulos eò dirigamus, quò illos naturæ suæ conditio direxit: nihilq: aliud adoremus, nihil colamus, nisi solius artificis, parentisq: nostri vnicum numen, qui propterea hominem rigidum figurauit, vt sciamus, nos ad superna, & cælestia prouocari. Tertia, quòd spiritus, qui presunt ipsis religionibus cõdemnati, & abiecti a Deo, per terram volutentur, qui non tantum nihil præstare cultoribus suis possint, quoniam rerum potestas penes vnum est, verũ etiam mortiferis eos illecebris, & erroribus perdant. Quoniam hoc illis quotidianum est opus, tenebras hominibus obducere, ne quæratur ab illis verus Deus. Non igitur colendi sunt, quia sententię Dei subiacent: est enim piaculum maximum addicere se potestati eorum, quibus si iustitiã sequare, potentior esse possis, & eos adiuratione diuini nominis expellere, ac fugare. Quòd si apparet, religiones istas tot modis esse vanas, quibus docui, manifestũ est, eos, qui vel mortuis supplicant, vel terram venerantur, vel spiritibus impuris animas suas mancipant, rationem hominum non tenere, eosq: impietatis, ac sceleris sui supplicia pensuros, qui rebelles aduersus parẽtem generis humani Deum, susceptis inexpiabilibus sacris fas omne violarunt.

CAPVT XIX.

QVICVNQVE igitur sacramentum hominis tueri, rationemq: naturę suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cœlũ: non sub pedibus quærat Deũ, nec a vestigijs suis eruat quod adoret (quia quicquid homini subiacet, infra hominem sit necesse est) sed quęrat in sublimi, quęrat in summo, quia nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominem. Deus autem maior est homine, supra ergo, non infra est, nec in ima potius, sed in summa regione quęrendus est. Quare non est dubium, quin religio nulla sit vbicunq: simulachrum est. Nam si religio ex diuinis rebus est, diuini autem nihil est nisi in cœlestibus rebus, carent ergo religione simulachra, quia nihil potest esse cæleste in ea re, quæ fit ex terra, quod quidem de nomine ipso sapienti apparere potest: quicquid enim simulatur, id falsũ sit necesse est, nec potest
vnquam veri nomen accipere, [145] quod ve 145
ritatem fuco, & imitatione mentitur. Si au
tem omnis imitatio nõ res potissimu seria,
sed quasi ludus, ac iocus est, nõ religio in si-
mulachris, [146] sed minus religionis est. Præ- 146
ferendũ est igitur verũ omnibus falsis: cal-
canda terrena, vt cælestia consequamur.
Ita enim res se habet, vt quisquis animam
suã, [147] cuius origo de cœlo est, ad inferna, 147
& ima prostrauerit, eò cadat quò se ipse deiecerit. Ideoq: oportet rationis, ac status sui memorem non nisi ad superna niti semper, ac tẽdere. Quod qui fecerit, hic planè sapiens, hic iustus, hic homo, hic deniq: cœlo dignus iudicabitur, quẽ suus parens non humilem, nec ad terram more quadrupedum abiectum, sest stantem potius, ac rectum, sicut eum fecit, agnouerit.

CAPVT XX.

PERACTA est igitur, ni fallor magna, & difficilis suscepti operis portio, & maiestate cælesti suggerente nobis dicendi facultatem inueteratos depulimus errores. Nunc verò maior nobis, ac difficilior cum Philosophis proposita luctatio est, quorũ summa doctrina, & eloquẽtia quasi moles aliqua mihi opponitur. Nam vt illic multitudine, ac propè consensu omnium gentiũ premebamur, ita hic authoritate præstantium omni genere laudis virorũ. Quis autẽ nesciat, plus esse momenti in paucioribus doctis, quam in pluribus imperitis? Sed non est desperandum, istos quoq; de sententia, Deo, ac veritate ducibus, posse depelli. Nec tã pertinaces fore arbitror, vt clarissimũ Solem sanis, ac patentibus oculis videre se negent. Modò illud verum sit, quod ipsi solent profiteri, studio inuestigandę veritatis se teneri, efficiam profectò, vt quæsitã veritatem diu & aliqnando inuentam esse credant, & humanis ingenijs inueniri non potuisse fateantur.

Libri Secundi Diuinarum institutionum finis.



LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS GENTES,

Liber Tertius.

DE FALSA SAPIENTIA.

CAPVT PRIMVM.

VELLEM mihi, quoniam veritas in obscuro latere adhuc existimatur vel errore, atq; imperitia vulgi varijs, & ineptis superstitionibus seruientis, vel philosophis prauitate ingeniorum turbantibus eam potius quàm illustrantibus, & si non qualis in M. Tullio fuit, quia præcipua, & admirabilis fuit, aliquam tamen proximam eloquentiæ contingere facultatem, vt quantum veritas vi sua propria valeat, tantum ingenij quoq; viribus nixa exereret se aliquandò, & discussis, conuictisq; tam publicis, quàm eorum, qui sapientes putantur, erroribus, humano generi clarissimum Lumen inferret. Quod quidem duabus ex causis fieri vellem, vel quòd magis possent credere homines ornatæ veritati, qui etiam mendacio credunt captio orationis ornatu, lenociniòq; verborum, vel certè vt ipsi philosophi suis armis potissimùm, quibus placere sibi, & confidere solent, opprimerentur a nobis. Sed quoniam Deus hanc voluit rei esse naturam, vt simplex, & nuda veritas esset luculentior, quia satis ornata per se est, ideòq; ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur, mendacium verò specie placet aliena, quia per se corruptũ vanescit, ac diffluit, nisi aliunde ornatu quæsito circumlitum fuerit, ac politum, æquo animo fero, ingenium mihi mediocre fuisse concessum. Verùm ego non eloquentiæ, sed veritatis fiducia suscepi hoc opus fortasse maius, quam possit meis viribus sustineri, quod tamen etiam si ego defecerim, Deo, cuius est hoc munus adiuuante, veritas ipsa complebit. Etenim; cum sciam maximos quoq; Oratores à causidicis mediocribus sæpè victos, quòd tanta est potentia veritatis, vt se ipsam quamuis in rebus exiguis sua claritate defendat; cur hanc ego in maxima causa ab ingeniosis quidem illis, ac disertis viris, sed tamen falsa dicentibus oppressum iri putem, ac non illa, si minus oratione nostra, quæ de tenui fonte ad modum exilis emanat, lumine tamen suo clara, & illu-

 stris

ſtris appareat? Nec ſi philoſophi doctrina literarum mirabiles extiterint, ego etiam illis ſcientiam veri, cognitionemq; conceſſerim, quam nemo cogitando, aut diſputando aſſequi poteſt. Nequè ego nunc reprehendo eorum ſtudium, qui veritatem ſcire voluerunt, quia naturam hominis Deus veri adipiſcendi cupientiſſimam fecit, ſed id arguo, id reuinco, quòd honeſtam illorum, & optimam voluntatem non ſit ſecutus effectus, quia nequè quid eſſet verum ipſum ſciebant, nequè quomodo, aut vbi, aut qua mente quærendum. Ita dum ſuccurrere humanis erroribus cupiunt ipſi ſe in plagas, & errores maximos induxerunt. Ad hoc igitur me opus coarguendi philoſophiam ſuſceptæ materiæ ordo ipſe deduxit. Nam cum error omnis aut ex religione falſa oriatur, aut ex ſapientia, in eo conuincendo neceſſe eſt vtrunq; ſubuertere. Cum enim ſit nobis diuinis literis traditũ, a cogitationes Philoſophorũ ſtultas eſſe, id ipſum re, & argumentis docendum eſt, ne quis honeſto ſapientiæ nomine inductus, aut inanis eloquentiæ ſplendore deceptus humanis malit quàm diuinis credere, quæ quidem tradita ſunt breuiter, ac nudè. Nec enim decebat aliter, vt cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis aſſereret ſuas voces, tanquam fides ei non haberetur: ſed vt oportuit eſt locutus, quaſi rerum omnium maximus iudex, cuius non eſt argumentari, ſed pronunciare. Verùm ipſe vt Deus; Nos autem, cum ad res ſingulas teſtimonia diuinæ vocis habeamus, profectò monſtrauimus, quantò certioribus argumẽtis poſſint vera defendi, cum etiam falſa ſic defendãtur, vt vera ſoleant videri; qua re non eſt, quod philoſophis tantum honoris habeamus, aut eorum eloquen iam pertimeſcamus: Loqui enim benè potuerunt vt homines eruditi, verè autem loqui nullo modo, quia veritatem non didicerant ab eo, qui eius potens eſſet. Nec ſanè magnum aliquid efficiemus, quòd illos ignorantiæ redarguemus, quam ipſi ſæpiſſimè confitentur in eo ſolo, quoniam non eis creditur, in quo ſolo credi debuit. Conabor oſtendere, nunquam illos tam veridicos fuiſſe, quam cum ſententiam de ſua ignoratione dixerunt.

a ad Coloſſ. 2. ad Tit. 3. p. ad Corinth. pr.

CAPVT II.

NVNC quoniam duobus ſuperioribus libris religionum falſitas demõſtrata eſt, nec non origo ipſa totius erroris expoſita, huius libri munus eſt philoſophiam quoq; oſtendere, quàm inanis, & falſa ſit, vt omni errore ſublato veritas patefacta clareſcat. Ordiamur itaq; à cõmuni philoſophiæ nomine, vt ipſo capite deſtructo, facilior nobis aditus pateat ad excindendum omne corpus, ſi tamen poteſt corpus vocari, cuius partes, ac membra diſcordent, nec vlla compage inter ſe cohæreant, ſed quaſi diſiecta, & diſſipata palpitare potius, quam viuere videantur. Philoſophia eſt (vt nomen indicat, ipſiq; definiunt a) ſtudium ſapientiæ. Vnde igitur probent magis philoſophiam non eſſe ſapientiam, quàm ex ipſius nominis ſignificatione? Qui enim ſapientiæ ſtudet, vtiq; nundum ſapit, ſed, vt ſapere poſſit, ſtudet. In cæteris artibus ſtudium quid efficiat, & quò tendat, apparet, quas, cum diſcendo aliquis aſſecutus eſt, iam non ſtudioſus artificij, ſed artifex nominatur. At enim verecundiæ cauſa ſtudioſos ſe ſapientiæ, non ſapientes vocauerunt. Immo verò Pythagoras, qui hoc primus nomen inuenit, cum paulo plus ſaperet, quam illi priores, qui ſe ſapientes putauerunt, intellexit nullo humano ſtudio poſſe ad ſapientiam perueniri; & ideo non oportere incomprehenſæ, atq; imperfectæ rei perfectum nomen imponi. Itaq; cum ab eo quæreretur, quemnam ſe profiteretur; reſpondit, philoſophum, ideſt quæſitorem ſapientiæ. Si ergo philoſophia ſapientiam quærit, nec ipſa ſapientia eſt, quia neceſſe eſt aliud eſſe quod quærit, aliud quod quæritur, nec quæſitio ipſa recta eſt, quia nihil poteſt inuenire, ego verò ne ſtudioſos quidẽ ſapientiæ philoſophos eſſe conceſſerim, quia illo ſtudio ad ſapientiam non peruenitur. Nam ſi facultas inueniendæ veritatis huic ſtudio ſubiaceret, & ſi eſſet id ſtudium tanquam iter ad ſapientiam, aliquando eſſet inuenta. Cum verò tot temporibus, tot ingenijs in eius inquiſitione contritis non ſit comprehenſa, apparet, nullam eſſe ibi ſapientiam. Non ergo ſapientiæ ſtudent, qui philoſophantur, ſed

a Cic. 2. off. in principio.

ipsi studere se putant, quia illud, quod quærunt, vbi, aut quale sit nesciunt. Siue ergo sapientiæ student, siue non student, sapientes non sunt, quia nunquam reperiri potest quod aut non rectè quæritur, aut omnino non quæritur.

CAPVT III.

VIDEAMVS tamen id ipsum, possitnè hoc studio reperiri aliquid, an nihil. Duabus rebus videtur philosophia constare, scientia, & opinatione, nec vlla alia re. Scientia ab ingenio venire non potest, nec cogitatione comprehendi, quia in se ipso habere propriam scientiam non hominis, sed Dei est. Mortalis autem natura non capit scientiam, nisi quæ veniat extrinsecus. Icci rco enim oculos, & aures, & cæteros sensus patefecit in corpore diuina solertia, vt per eos aditus scië
1 tia perueniret ad mentem.[1] Nam causas
naturalium rerum disquirere, aut scire
2 velle; [2]Sol vtrumnè tantus, quantus videtur, an multis partibus maior sit, quàm
3 omnis hæc terra. Item [3]Luna glo-
4 bosa sit, an concaua; [4]& Stellæ vtrumnè
5 cohæreant Cælo, [5]an per aerem libero
cursu ferantur. Cælum ipsum qua magni-
6 tudine, qua materia constet: [6]Vtrum
quietum sit, an mobile, an incredibili ce-
7 leritate voluatur. [7]Quanta sit terræ cras-
8 situdo, aut [8]quibus fundamentis librata,
& suspensa sit. Hęc inquam disputando, & coniecturis velle comprehendere, tale est profectò, quale si differere velimus, qualem esse arbitramur cuiuspiam remotissimæ gentis vrbem, quam nunquam vidimus, cuiusq; nihil aliud, quàm nomen audiuimus. Si nobis in ea re scientiam vendicemus, quæ non potest sciri, nonnè insanire videamur, qui id affirmare audeamus, in quo reuinci possimus? Quanto magis qui naturalia, quæ sciri ab homine non possunt, scire se putant, furiosi, dementesq; sunt iudicandi. Rectè ergo Socrates, & eum secuti Academici scientiam sustulerunt, quæ non disputantis, sed diuinantis est. Superest, vt opinatio in philosophia sola sit. Nam vndè abest scië tia, id totum possedit opinatio: id enim opinatur quisq; quod nescit. Illi autem, qui de rebus naturalibus disputant, opinitur ita esse, vt disputant. Nesciunt igitur veritatem, quoniã scientia certi est, opinatio incerti. Redeamus ad illud superius exemplum. Age, opinemur de statu, & qualitate vrbis illius, quæ nobis rebus omnibus præter nomen ignota est. Verisimile est in plano sitam, lapideis mænibus, ædificijs sublimibus, vijs pluribus, magnificis, ornatisq; delubris. Describamus, si placet mores, habitumq; Ciuium. Sed cum hæc dixerimus, alius contraria disputabit, & cum hic quoq; peroraucrit, surget & tertius, & alij deinceps, & opinabuntur multò dispatia, quàm non sumus opinati. Quid ergo erit ex omnibus certius? Fortasse nihil. At omnia sunt dicta, quæ in rerum natura cadunt, vt necesse sit aliquid eorum esse verum. At nescietur, quis verum dixerit. Potest fieri, vt omnes ex parte aliqua errauerint, ex parte attigerint veritatem. Stulti ergo sumus, si hoc disputatione quæramus. Potest enim superuenire aliquis qui opiniones nostras derideat, nosq; pro insanis habeat, qui velimus id quod nescimus, quale sit opinari. Verùm non opus est longè posita conquirere, vndè nemo fortasse veniat, qui nos redarguat. Age opinemur, quid nunc in foro geratur, quid in curia. Longum est id quoq;. Dicamus interposito vno pariete, quid fiat: nemo potest id scire, nisi qui audiuerit, aut viderit. Nullus enim audet id dicere, quia statim non verbis, sed re ipsa præsenti refutabitur. Atqui hoc idem faciunt philosophi, qui disputant, in cælo quid agatur; sed eò se id impunè facere arbitrantur, quia nullus existit, qui errores eorum coarguat. Quòd si existimarent, descensurum esse aliquem, qui eos delirare, ac mentiri doceret, nunquam quicquam de ijs rebus, quas scire non possunt, disputarent. Nec tamen ideo felicior putanda est eorum impudentia, & audacia, quia non redarguuntur; redarguit enim Deus, cui soli veritas nota
est,[9] licet conniuere videatur, atq; hominũ
sapiẽtiam pro summa stultitia computat. 9

CAPVT IV.

RECTE igitur Zeno, ac Stoici opinationẽ repudiarunt, opinari enim te scire, quod nescias non est sapientis, sed

temerarij potius, ac stulti. Ergo si neq; sciri quicquam potest, vt Socrates docuit, nec opinari oportet, vt Zeno, tota philosophia sublata est. Quid, quod non tantum ab his duobus euertitur, qui philosophiæ principes fuerunt, sed ab omnibus? vt iam videatur iampridem suis armis esse confecta. In multas sectas philosophia diuisa est, & omnes varia sentiunt. In qua ponimus veritatem? in omnibus certè non potest. designemus quamlibet, nempè in cæteris omnibus sapientia non erit. Transeamus ad singulas. Eodem modo quicquid vni dabimus, cæteris auferemus. Vnaquæq; enim secta omnes alias euertit, vt se, suaq; confirmet, nec vlli alteri sapere concedit, ne se decipere fateatur. Sed sicut alias tollit, sic ipsa quoq; ab alijs tollitur omnibus. Nihilominus enim Philosophi sunt, qui eam stultitiæ accusant. Quamcunq; laudaueris, veramq; dixeris, à philosophis vituperatur, vt falsa. Credemusne igitur vni se, suamq; doctrinam laudanti, an multis vnius alterius ignorãtiam culpantibus? Rectius sit necesse est, quod plurimi sentiunt, quam quod vnus: nemo enim potest de se rectè iudicare; quod nobilis Poeta testatur. a

a Teren. Heauton. act. 3. scæna pr.

Ita enim comparatam esse hominum naturam
omnium,
Aliena melius vt videant, & iudicent,
Quàm sua ——————

Cum igitur omnia incerta sint, aut omnibus credendum est, aut nemini. Si nemini, sapientes ergo non sunt, quia singuli sapientes esse se putant. Si omnibus, æquè non sunt sapientes, quia singuli ab omnibus esse negantur sapientes. Pereunt igi-
10 tur vniuersi hoc modo, & tanquã [10] Sparti illi poetarum b sic se inuicem iugulant, vt nemo ex omnibus restet. Quod eo fit, quia gladiũ habent, scutum non habent.

b Eurip. Phoenis. Ouid. 3. Metamorph.

Si ergo singulæ sectæ multarum sectarum iudicio stultitiæ conuincuntur, omnes igitur vanæ, atq; inanes reperiuntur. Ita se ipsam philosophia consumit, & confi-
11 cit. Quod cum intelligeret [11] Arcesilas Academiæ conditor, reprehensiones omnium inter se collegit, confessionẽq; ignorantiæ clarorum philosophorum, armauitq; se aduersus omnes. Ita constituit nouam non philosophandi philosophiam. Eo igitur authore duo philosophiæ genera esse cœperunt. Vnum illud vetus, quod scientiam sibi vendicat, alterum nouum repugnans, quod eam distrahit. In his duobus generibus video dissidium, & quasi ciuile bellum. Sapientiam, quæ distrahi non potest, in qua parte ponemus? Si natura rerum sciri potest, hæc tyronum caterua interibit, si non potest, veterani conficientur. Si pares fuerint, nihilominus peribit dux omnium philosophia, quia distracta est; nihil enim potest sine interitu sibi esse contrarium. Si autem (vt docui) nulla potest esse in homine interna, & propria scientia ob fragilitatem conditionis humanæ, Arcesilae manus vicit. Sed nec ipsa quidem stabit, quia non potest omnino nihil sciri.

CAPVT V.

SVNT enim multa, quæ natura ipsa nos scire, & vsus frequens, & vitæ necessitas cogit. Itaq; pereundum est nisi scias quæ ad vitam sunt vtilia, vt appetas, quæ periculosa, vt fugias, & vites. Præterea multa sunt, quę vsus inuenit. Nam Solis, ac Lunę varij cursus, & meatus siderum, & ratio temporum deprehensa est, & natura corporum a medicis, herbarumq; vires, & ab agricolis natura terrarum, nec non imbrium futurorum, ac tempestatum signa collecta sunt. Nulla deniq; ars est, quæ non scientia constet. Debuit ergo Arcesilas, si quid saperet, distinguere, quæ sciri possent, quævè nesciri. Sed si id fecisset, ipse se in populum redegisset. Nam vulgus interdum plus sapit, quia tantum, quantum opus est sapit, a quo si quæras vtrum sciat aliquid, an nihil, dicet se scire quæ sciat, fatebitur se nescire, quæ nesciat. Rectè ergo aliorum sustulit disciplinas, sed non rectè fundauit suam: ignoratio enim rerum omniũ non potest esse sapientia, cuius est scire proprium. Ita cum philosophos expugnauerit, ac docuerit, eos nihil scire, ipse quoque nomen philosophi perdidit, quia doctrina eius est nihil scire. Nam qui alios reprehendit, quòd nesciant, ipse debet sciens esse. Cum autem nihil sciat; quæ peruersitas, quæue insolentia est ob id ipsum se philosophum constituere, propter quod cæteros tollat? possunt enim sic respondere. Si nihil nos scire conuinceris, & ideo non esse sapientes, quia nihil scia-

mus,

mus, ergo ne tu quidem es sapiens, quia te quoq; confiteris nihil scire. Quid ergo promouit Arcesilas, nisi quòd confectis omnibus philosophis, se ipsum quoq; eodem mucrone transfixit?

CAPVT VI.

NVSQVAMNE igitur sapientia est? Immo verò inter ipsos philosophos fuit, sed nemo vidit. Alij putauerunt, sciri posse omnia. Hi sapientes vtiq; non fuerunt. Alij nihil; ne hi quidem sapientes fuerunt. Illi quia plus homini dederūt, hi quia minus. Vtrisq: in vtramq: partem modus defuit. Vbi ergo sapientia est? Vt neq: te omnia scire putes, quod Dei est, neque omnia nescire, quod pecudis. Est enim aliquid medium, quod sit hominis, idest scientia cum ignoratione coniuncta, & temperata. Scientia in nobis ab anima est, quæ oritur è Cœlo, ignoratio à corpore, quod est è terra. Vnde nobis & cum Deo, & cum animalibus est aliqua communitas. Ita quoniam ex his duobus constamus elementis, quorum alterum luce præditum est, alterum tenebris, pars nobis data est scientiæ, pars ignorantiæ: per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet, nam illi omnes, qui in alteram partem inclinauerunt, aut dextrò, aut sinistrò versus ceciderunt. Vtraq: autem pars quomodo errauerit dicam. Academici contra Physicos ex rebus obscuris argumentati sunt, nullam esse scientiam, & exemplis paucarum rerum incomprehensibilium contenti amplexi sunt ignorātiam, tanquam scientiam totam sustulissent, quia in parte sustulerant. Physici contra, ex ijs, quæ aperta sunt, argumētum trahebant, omnia sciri posse, contentiq: perspicuis retinebant scientiam, tanquam totam defendissent, quia ex parte defenderant. Itaq: neque hi clara, neque illi obscura viderunt, sed vtriq: dum solam scientiam confertis manibus vel retinent, vel eripiunt, non viderunt, in medio constitutam fore, quæ illos ad sapientiam transmitteret. Verùm Arcesilas ignorantiæ magister, cum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, vt totam philosophiam euerteret, authore Socrate suscepit hanc sententiam, vt affirmaret, nihil sciri posse. Itaquè coarguit æstimationem philosophorum, qui putassent, ingenijs suis erutam esse, atq: inuentam veritatem, videlicet quia mortalis fuerat illa sapientia, paucisq: ante temporibus instituta, ad summum iam incrementum peruenerat, vt iam necessariò consenesceret, ac periret: repentè existit Academia tanquam senectus philosophiæ, quæ illam conficeret iam deflorescentem. Rectèq: vidit Arcesilas, arrogantes, vel potius stultos esse, qui putent scientiam veritatis coniectura posse comprehendi. Sed tamen falsa dicentem redarguere non potest, nisi qui scierit ante, quid sit verum. Quod Arcesilas veritate non cognita facere conatus introduxit genus philosophiæ ἀσύστατον, quod latinè instabile, siuè inconstans pos-
sumus dicere. Vt enim nihil sciri posse 12
sciendum sit, aliquid sciri necesse est, nam si omnino nihil scias, idipsum nihil sciri posse tolletur. Itaque qui velut sententiæ loco pronunciat nihil sciri, tanquam præceptum profitetur, & cognitum, ergo aliquid sciri potest. Huic simile est illud, quod in scholis proponi solet in asystati generis exemplum, somniasse quendam, ne somnijs crederet: Si enim crediderit, tum sequitur, vt credendum non sit, si autem non crediderit, tum sequitur, vt credendum sit. Ita si nihil sciri potest, necesse est, id ipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autem scitur, posse nihil sciri, falsum est ergo quod dicitur, nihil sciri posse. Sic inducitur dogma sibi ipsi repugnans, sèq: dissoluens. Sed homo versutus cæteris philosophis voluit scientiam eripere, vt eam domi absconderet: nam sibi illam profectò non adimit, qui aliquid affirmat, vt cæteris adimat: sed nihil agit: apparet enim, ac furtum suum prodit. Quantò faceret sapientius, ac verius, si exceptione facta, diceret causas, rationesq; duntaxat rerum cælestium, seu naturalium, quia sunt abditæ nesciri posse, quia nullus doceat, nec quæri oportere, quia inueniri quærendo non possunt. Qua exceptione interposita & physicos admonuisset, ne quærerent ea, quæ modum excederent cogitationis humanæ, & se ipsum calumniæ inuidia liberasset, & nobis certè dedisset aliquid, quod sequeremur. Nunc autem cum ab his sequendis nos retraxerit, ne velimus plus scire, quam possumus, non minus à se quoq; ipso retraxit. Quis

enim

enim velit laborare, ne quicquam sciat? aut eiusmodi suscipere doctrinã, vt etiam communem scientiam perdat? quæ si doctrina est, scientia constet necesse est. Si non est, quis tam stultus est, vt discendum id putet, in quo aut nihil discitur, aut omnino dediscitur? Quare si neque omnia sciri possunt, quod Physici putauerunt, neque nihil, quod Academici, Philosophia omnis extincta est.

CAPVT VII.

TRANSEAMVS nunc ad alteram philosophiæ partem, quam ipsi moralem vocant, in qua totius philosophiæ ratio continetur. Siquidem in illa physica sola oblectatio est, in hac etiam vtilitas. Et quoniam in disponendo vitæ statu, formandisq; moribus periculo maiori peccatur, maiorem diligentiam necesse est adhiberi, vt sciamus, quomodo nos oporteat viuere. Illic enim potest venia concedi, quia siue aliquid dicunt, nihil prosunt, siue delirant, nihil nocent. Hic verò nullus dissidio, nullus errori est locus. Omnes vnum sentire oportet, ipsamq; philosophiam vno quasi ore præcipere, quia si quid fuerit erratum, vita omnis euertitur: in illa priori parte, vt periculi minus, ita plus difficultatis est, quòd obscura rerum ratio cogit diuersa, & varia sentire; hic vt periculi plus, ita minus difficultatis, quòd ipse vsus rerum, & quotidiana experimenta possunt docere, quid sit verius, & & melius. Videamus ergo, vtrumnè consentiant, aut quid nobis afferant, quo rectius vita degatur. Non necesse est omnia circuire; vnum eligamus, ac potissimum, quod est summum, ac principale, in quo
13 totius sapientiæ cardo versatur. [13] Epicurus summum bonum in voluptate animi esse censet. Aristippus in voluptate
14 corporis. [14] Calliphon, & Dinomachus Cyrenaici honestatem cum voluptate
15 iunxerunt, [15] Diodorus cum priuatione doloris. Summum bonum posuit Hyeronymus in non dolendo. Peripatetici autem in bonis animi, & corporis, & fortunæ. Herilli summum bonum est scientia. Zenonis cum natura congruenter viuere. Quorundam Stoicorum virtutem sequi. Aristoteles in honestate, ac virtute summum bonum collocauit. Hæ sunt ferè omnium sententiæ. In tanta diuersitate quem sequimur? Cui credimus? Par est in omnibus authoritas. Si eligere possumus quod est melius, iam non est philosophia nobis necessaria, quia sapientes iam sumus, qui de sapientum sententijs iudicemus. Cum verò discendæ sapientiæ causa veniamus, qui possumus iudicare, qui nondum sapere cœperimus? Maximè cũ præsto adsit Academicus, qui nos pallio retrahat, ac vetet cuiquam credere, nec tamen afferat ipse quod sequamur.

CAPVT VIII.

QVID ergo superest, nisi vt omissis litigatoribus furiosis, ac pertinacibus, veniamus ad iudicem illum, scilicet datorem simplicis, & quietæ sapientiæ? qui non tantùm formare nos, ac inducere in viam possit, verùm etiam de controuersijs istorum ferre sententiam. Hic nos docet, quid sit hominis verum, ac summum bonum, de quo priusquam dicere incipio, illæ omnes sententiæ sunt refellendæ, vt appareat, neminem illorum fuisse sapientem. Cum de officio hominis agatur, oportet summum summi animalis bonum in eo constitui, quod commune cum cæteris animalibus esse non possit. Sed vt feris dentes, armentis cornua, volucribus pennæ propria sunt, sic homini aliquid suum debet ascribi, sine quo rationem suę conditionis amittat. Nam quod viuendi, aut generandi causa datum est omnibus, est quidem bonum naturale, summum tamen non est, nisi quod est vnicuiq; generi proprium. Sapiens ergo non fuit, qui summum bonum credidit animi voluptatem, quoniam siue illa securitas, siue gaudium est, communis est omnibus. Aristippo ne respondẽdum quidem duco, quem in corporis semper voluptates ruentem, nihilq; aliud, quam ventri, & veneri seruientem, nemini dubium est, hominem non fuisse. Sic enim vixit, vt nihil inter eum, pecudemq; distaret, nisi vnum, quòd loquebatur. quod si Asino, aut Cani, aut Sui facultas loquendi tribuatur, quærasq; ab his, quid sibi velint, cum fœminas tam rabidè consectantur, vt vix diuelli queant, cibos etiam, potumq; negligãt,

cur

cur aut alios mares violenter abigant, aut
ne victi quidem absistant, sed a fortioribus sæpè contriti, eò magis insectentur:
cur nec imbres, nec frigora pertimescant,
laborem suscipiant, periculum non recusent: quid aliud respondebunt, nisi summum bonum esse corporis voluptatem?
eam se appetere, vt afficiantur suauissimis sensibus, eosq; esse tanti, vt assequẽdorũ causa nec laborẽ sibi vllũ, nec vulnera,
nec mortem ipsam recusandã putent. Ab
hisnè igitur præcepta viuendi petemus,
qui hoc idem sentiunt, quod animæ ratio-
16 nis expertes? [16] Aiunt Cyrenaici *a* virtu-
tem ipsam ex eo esse laudandam, quòd sit *a apud Cic.*
efficiens voluptatis: verum ergo inquit *in fine 3. de*
obscœnus canis, aut sus ille lutulentus; nã *Offic.*
ideò cum aduersario summa virium contentione depugno, vt virtus mea pariat
mihi voluptatem, cuius expers sim necesse
est, si victus abscessero. Ab his ergo sapere discemus, quos a pecudibus, ac belluis
non sententia, sed lingua discernit? Priuationem doloris summum bonum puta-
17 re [17] non planè Peripateticorum, ac Sto-
18 icorum, [18] sed Cynicorum philosophorum
est. Quis enim non intelligat ab ægrotis,
& in aliquo dolore positis esse hoc disputatum? Quid tam ridiculum, quàm id habere pro summo bono, quod medicus possit dare? Dolendum est ergo, vt fruamur
bono, & quidem grauiter, ac sæpè, vt sit
postea non dolere iucundius. Miserrimus
est igitur, qui nunquam doluit, quia bono
caret, quem nos fœlicissimum putabamus,
quia malo caruit. Ab hac vanitate non
longè abfuit, qui omnino nihil dolere
summum bonum dixit. Nam præter quod
omne animal doloris est fugiens, quis potest sibi hoc bonum præstare, quod nobis
vt eueniat nihil aliud possumus, quam optare? Summum autem bonum non potest
efficere quenquam beatum, nisi semper
fuerit in ipsius potestate. Hoc autem non
virtus homini, non doctrina, non labor,
sed natura ipsa cunctis animantibus præstat. Qui voluptatem cum honestate iunxerunt, communionem hanc effugere voluerunt; sed effecerunt repugnans bonum,
quoniam qui voluptati deditus est, honestate careat necesse est, qui honestati studet, voluptate caret. Peripateticorum
bonum nimium multiplex (exceptis animi bonis, quæ ipsa quæ sint, magna contentio est) commune cum belluis potest
videri. Nam corporis bona, idest incolumitas, indolentia, valetudo non minus
sunt mutis, quàm homini necessaria: ac
nescio, an etiam magis, quia homo &
medelis, & ministerijs subleuari potest,
muta non possunt. Item quæ appellant
fortunæ bona? Nam sicut homini opibus
ad vitam tuendam, sic illis præda, & pabulis est opus. Ita inducendo bonum,
quod non sit in hominis potestate totum
hominem alienę ditioni subiugarunt. Audiamus etiam Zenonem. Nam is interdũ
virtutem somniat. SVMMVM (inquit)
a est bonum cum natura consentanee vi- *a apud Cic.*
uere.] Belluarum igitur nobis more vi- *4. de finib.*
uendum est. Nam quæ abesse debent ab *Laert. in Ze*
homine, in his omnibus deprehenduntur, *non. Cittic.*
voluptates appetunt, metuunt, fallunt,
insidiantur, occidunt; & quod ad rem
maximè attinet, Deum nesciunt. Quid
ergo me docet, vt viuam secundum naturam, quæ ipsa in deterius prona est, &
quibusdam blandimentis lenioribus in vitia præcipitat? Sed si aliam mutorum,
aliam hominis dicit esse naturam, quòd
homo ad virtutem sit genitus, non nihil
dicit; Sed tamen non erit definitio summi
boni, quia nullum est animal, quod non
secundum naturam suam viuat. Qui scientiam summum bonum fecit, aliquid homini proprium dedit, sed scientiam alterius rei gratia homines appetunt, non
propter ipsam. Quis enim scire contentus est non expetens aliquem fructum
scientiæ? Artes ideò discuntur, vt exerceantur, exercentur autem vel ad subsidia vitæ, vel ad voluptatem, vel ad gloriam. Non est igitur summum bonum,
quod non propter se expetitur. Quid ergo interest, vtrùm scientiam summum
bonum putemus, an illa ipsa, quæ scientia ex se parit, idest victum, gloriam, voluptatem? quæ non sunt homini propria,
& ideò ne summa quidem bona. Nam
voluptatis, & victus appetentia non homini solùm, sed etiam mutis inest. Quid
cupiditas gloriæ? nonnè in equis depræhenditur, cum victores exultant, victi
dolent?

Tantus amor laudũ, tantæ est victoria curæ. *b* *b*
Nec immeritò summus Poeta experien- *Virg. initio*
dum esse ait. *c* *3. Georgic.*

Et quos cuiq; dolor victo, quæ gloria palmæ. *c Virg ibid.*
Quòd si ea, quæ parit scientia, commu- *paulò supra*
nia sunt cum alijs animalibus, nõ est ergo

sum-

ſummum bonum ſcientia. Præterea non mediocre huius diſputationis eſt vitium, quòd ſcientia nuda ponitur. Incipient enim beati omnes videri, qui artem aliquam ſcierint, immo verò qui & res malas ſcierint, vt tam beatus ſit, qui venena didicerit temperare, quàm qui mederi. Quæro igitur ad quam rem ſcientia referenda ſit. Si ad cauſas rerum naturalium, quæ beatitudo erit mihi propoſita, ſi ſciero, vndè Nilus oriatur, vel quicquid de Cœlo Phyſici delirant? Quid, quòd earũ rerum non eſt ſcientia, ſed opinio, quæ pro ingenijs varia eſt? Reſtat, vt ſcientia bonorum, ac malorum ſummum bonum ſit. Cur ergo ſcientiam maluit, quàm ipſam ſapientiam ſummum bonum dicere, cum ſit vtriuſq; ſignificatio, & vis eadem? Nemo tamen vſq; adhuc ſummum bonum dixit eſſe ſapientiam, quod melius dici potuit. Nam ſcientia parum eſt ad bonum ſuſcipiendum, malumq; fugiendum, niſi accedat & virtus. Multi enim Philoſophorum, cum de bonis, maliſq; differerent, aliter tamen, quàm loquebantur natura cogente vixerunt, quia virtute caruerunt. Virtus autem cum ſcientia coniuncta, eſt ſapientia. Supereſt, vt eos etiam refellamus, qui virtutem ſummum bonum putauerunt, in qua opinione etiã M. Tullius fuit, a in quo multum inconſiderati fuerunt. Non enim virtus ipſa eſt ſummum bonum, ſed effectrix, & mater eſt ſummi boni, quoniam perueniri ad illud ſine virtute non poteſt. Vtrumq; intellectu eſt facile. Quæro enim, vtrumnè ad præclarum illud bonum facilè perueniri putent, an cum difficultate, ac labore. Expediant acumen ſuum, erroréq; defendant. Si facilè ad illud, ac ſine labore perueniri poteſt, ſummum bonum non eſt. Quid enim nos cruciemus, quid conficiamus enitendo diebus, & noctibus? Quandoquidem tam in promptu id quod quærimus iacet, vt illud quilibet ſine vlla contentione animi comprehendat. Sed ſi commune quoq; ac mediocre quodlibet bonum nõ niſi labore aſſequimur, quoniã bonrorũ natura in arduo poſita eſt, malorum in præcipiti; ſummo igitur labore ſummum bonũ aſſequi neceſſe eſt. Quod ſi veriſſimum eſt, ergo altera virtute opus eſt, vt perueniamus ad eam virtutem, quę dicitur ſummum bonum, quod eſt incongruens, & abſurdum, vt virtus per ſe ipſam perueniat ad ſe ipſam. Si non poteſt ad vllum bonum niſi per laborem perueniri, apparet virtutem eſſe, per quam perueniatur, quoniam in ſuſcipiendis, perferendiſq; laboribus vis, officiumq; virtutis eſt. Ergo ſummum bonum non poteſt eſſe id, [19] per quod neceſſe eſt ad aliud perueniri. 19 Sed illi, cum ignorarent, quid efficeret virtus, aut quò tenderet, honeſtius autem nihil reperirent, ſubſtiterunt in ipſius virtutis nomine, quam nullo propoſito emolumento appetendam eſſe dixerunt, & bonum ſibi conſtituerunt, quod bono indigeret. Ariſtoteles ab his non longè receſſit, qui virtutem cum honeſtate ſummum bonum putauit, quaſi vlla virtus poſſit eſſe inhoneſta, ac non ſi quid habuerit turpitudinis, virtus eſſe deſinat. Sed vidit fieri poſſe, vt de virtute prauo iudicio ſentiatur malè, & ideò exiſtimationi hominum ſeruiendum putauit. Quod qui facit, à recto, bonóq; diſcedit, quia non eſt in noſtra poteſtate, vt virtus pro ſuis meritis honeſtetur. Nam quid eſt honeſtas, niſi honor perpetuus ad aliquem ſecundo populi rumore delatus? Quid ergo fiet, ſi errore, ac prauitate hominum mala exiſtimatio ſubſequatur? Abijciemuſnè virtutem, quia flagitioſa, & turpis ab inſipientibus iudicetur? Quæ quoniam inuidia premi, ac vexari poteſt, vt ſit ipſum proprium, ac perpetuum bonum, nullo extrinſecus adiumento indigere debet, quin ſuis per ſe viribus nitatur, & conſtet. Itaq; nec vllum ei ab homine bonum ſperandum eſt, nec vllum malum recuſandum.

a Cic. 7. Tuſcul. & 4. & 5. de finib.

CAPVT IX.

VENIO nunc ad veræ ſapientiæ ſummum bonum, cuius natura hoc modo determinanda eſt. Primum vt ſolius hominis ſit, nec cadat in vllum aliud animal. Deinde vt ſolius ſit animi, nec communicari poſſit cum corpore. Poſtremò vt non poſſit cuiquam ſinè ſcientia, & virtute contingere, quæ circumſcriptio illas omnes ſententias excludit, ac ſoluit: eorum enim, [20] quæ dixerunt, nihil tale eſt. 20 Dicam nunc quid ſit, vt doceam, quod inſtitui, Philoſophos omnes cæcos, atq; inſipientes fuiſſe, qui quod eſt homini

nec

summum bonum constitutum nec videre, nec intelligere, nec suspicari aliquando potuerunt. Anaxagoras cùm ab eo quæreretur, cuius rei causa natus esset, respondit, *a* Cæli, ac Solis videndi. Hanc vocem admirantur omnes, ac Philosopho dignã iudicant. At ego hunc puto non inuenientem quid responderet, effudisse hoc passim, ne taceret. Quod quidem secum, si sapiens fuisset, commentatum, & meditatum habere debuit; quia si quis rationẽ sui nesciat, non homo sit quidem. Sed putemus non ex tempore dictum illud effusum. Videamus in tribus verbis, quot, & quanta peccauerit. Primum quod omne hominis officium in Solis oculis posuit, nihil ad mentem referens, sed ad corpus omnia. Quid si cæcus fuisset? officiumne hominis amitteret, quod fieri sine occasu animæ non potest? Quid cæteræ corporis partes? num carebunt suis quæq; muneribus? Quid quod plus est in auribus, quàm in oculis situm, quoniam & doctrina, & sapientia percipi auribus solis potest, oculis solis non potest? Cœli, ac solis videndi causa natus es? Quis te in hoc spectaculum induxit? aut quid Cœlo, rerumq; naturæ visio tua confert? Nimirũ vt hoc immensum, & admirabile opus laudes. Confitere ergo rerum omnium esse constitutorem Deum, qui te in hunc mundum quasi testem, laudatoremq; tanti sui operis induxit. Magnum esse credis videre Cœlum, ac Solem. Cur ergo gratias non agis ei, qui huius beneficij author est? Cur non ipsius virtutem, prouidentiam, potestatem metiris animo, cuius opera miraris? etenim necesse est, vt multò mirabilior sit, qui mirabilia perficit. Si te quispiam vocasset ad cænam, in eaq; optimè acceptus esses, num sanus viderere, si pluris faceres ipsam voluptatem, quàm voluptatis authorem? Adeò Philosophi ad corpus omnia referunt, nihil prorsus ad mentem, nec vident amplius, quàm quod sub oculis venit. Atqui remotis omnibus officijs corporis, in sola mente ponenda est hominis ratio; non ergo ideò nascimur, vt ea, quæ sunt facta, videamus, sed vt ipsum factorem rerum omnium contemplemur, idest mente cernamus. Quare si quis hominem, qui verè sapit, interroget, cuius rei gratia natus sit, respondebit intrepidus, ac paratus, colendi se Dei gratia natum, qui nos ideò generauit, vt ei seruiamus: seruire autem Deo nihil aliud est, quàm bonis operibus tueri, & conseruare iustitiam. Sed ille, vt homo diuinarũ rerum imperitus rem maximam redegit ad minimum, duo sola deligens, quæ sibi diceret intuenda. Quòd si natum se esse dixisset, vt mundum intueretur, quamquam omnia comprehenderet, ac maiori vteretur sono, tamen non implesset hominis officium, quia quantò pluris est anima, quam corpus, tantò pluris est Deus, quàm mundus, quia mundum Deus fecit, & regit. Non ergo mundus oculis, quia vtrumq; est corpus, sed Deus anima contemplandus est, quia Deus, vt est ipse immortalis, sic animum voluit esse sempiternum. Dei autem contemplatio est venerari, & colere communem parentem generis humani. Quod si à philosophis abfuit, proiectiq; in terram fuerunt diuina ignorando, existimandus est Anaxagoras ad ea, quæ videnda natum se esse dixit, nec Cœlum vidisse, nec Solem. Expedita est igitur hominis ratio, si sapiat, cuius propria est humanitas, nam ipsa humanitas quid est nisi iustitia? Quid est iustitia nisi pietas? pietas autem nihil aliud est, quam Dei parentis agnitio. *a*

a Laert. in Anaxag.

a Herm. Trismeg. pimãdr c. 9. cuius hanc eandẽ sententiã refert sup. l. 2. c. 16. inf. l. 5. c. 15.

CAPVT X.

SVMMVM igitur bonum hominis in sola religione est; nam cætera, etiam quæ putantur esse homini propria in cæteris quoq; animalibus reperiuntur; cum enim suas voces proprijs inter se notis discernunt, atq; dignoscunt, colloqui videntur; ridendiq; ratio apparet in his aliqua, cum demulsis auribus, contractoq; rictu, & oculis in lasciuia resolutis, aut homini alludunt, aut suis quisq; coniugibus, ac fætibus proprijs, nonnè aliquid amori mutuo, & indulgentiæ simile impartiunt? Iam illa, quæ sibi prospiciunt in futurum, & cibos reponunt, habent vtiq; prouidentiam. Rationis quoq; signa in multis deprehenduntur: nam quando vtilia sibi appetunt, mala cauent, pericula vitant, latibula sibi parant in plures exitus dispatentia, profectò aliquid intelligunt. Potest aliquis negare illis inesse rationem, cum hominem ipsum sæpè deludant? Nam quibus generandi mellis officium est, cum assi-

assignatas incolunt sedes, castra muniunt,
domicilia inenarrabili arte componunt,
regi suo seruiunt, nescio an in his perfecta
sit prudentia. Incertū est igitur, vtrumnè
illa, quæ homini tribuuntur, communia
sint cum alijs viuentibus. Religionis certè
sunt expertia. Equidem sic arbitror,
vniuersis animalibus esse datā rationem,
sed mutis tantummodo ad vitam tuendam,
homini autem ad propagandam.
Et quia in homine ipsa ratio perfecta est,
sapientia nominatur, quia in hoc eximiū
facit hominem, quòd soli datum est intelligere
diuina. Qua de re Ciceronis vera
est sententia. EX tot (inquit *a*) generibus
nullum est animal præter hominem,
quod habeat notitiam aliquā Dei; ipsisq;
21 in hominibus nulla gens est [21] neq; tam immansueta,
neq; tam fera, quæ non, etiam
si ignoret, qualem Deum haberi deceat,
tamen habendum sciat. Ex quo efficitur,
vt is agnoscat Deum, qui vnde ortus sit,
quasi recordetur.] Qui ergo philosophi
volunt animos omni metu liberare, tollunt
etiam religionem, & orbant hominē
suo proprio, ac singulari bono, quod est
à rectè viuendo, atq; ab omni humanitate
disiunctum; quia Deus, vt cuncta viuentia
subiecit homini, sic ipsum hominem
sibi. Nam quid est, cur ijdem ipsi disputent,
eò dirigendam esse mentem, quò
vultus erectus est? Si enim nobis in Cœlū
spectandum est, ad nihil aliud vtiq; quam
ob religionem. Si religio tollitur, nulla
nobis ratio cum Cœlo est. Itaq; aut eò est
spectandum, aut in terram procumbendum.
In terram procumbere, ne si velimus
quidem possumus, quorum status rectus
est. In Cœlum igitur spectandum
est, quò natura corporis prouocat: quod
si constat esse faciendum, aut ideo est faciendum,
vt religioni seruiamus, aut ideo,
vt rationem rerum cœlestium cognoscamus.
Sed rationem rerum cœlestium cognoscere
nullo modo possumus, quia nihil
eiusmodi potest cogitando inueniri, sicut
supra docui. Religioni ergo seruiendum
est, quam qui non suscipit, ipse se
prosternit in terram, & vitam pecudum
secutus humanitate se abdicat. Sapientiores
ergo imperiti, qui etiam si errant
in religione deligenda, tamen naturæ suæ,
conditionisq; meminerunt.

a Cic. p. de legib. & pr. Tuscul.

CAPVT XI.

CONSTAT igitur totius humani generis
consensu, religionem suscipi
oportere, sed quomodo in ea erretur explicandum
est. Naturam hominis hanc
Deus esse voluit, vt duarum rerum cupidus,
& appetens esset, religionis, & sapientiæ.
Sed homines ideo falluntur, quod
aut religionem suscipiunt, omissa sapientia,
aut sapientiæ soli student omissa religione,
cum alterum sine altero esse non
possit verum. Cadunt ergo ad multiplices
religiones, sed ideo falsas, quia sapientiam
reliquerunt, quæ illos docere poterat,
Deos multos esse non posse, aut student
sapientiæ, sed ideo falsæ, quia religionem
summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiam
potuit erudire. Sic homines, qui alterutrum
suscipiunt, vitam deuiam, maximisq;
erroribus plenam sequuntur, quoniam
in his duobus inseparabiliter connexis
& officium hominis, & veritas omnis
inclusa est. Miror itaq; [22] nullum omnino 22
philosophorum extitisse, qui sedem, ac
domicilium summi boni reperiret. Potuerunt
enim sic quærere. Quodcunquè est
summum bonum, necesse est omnibus esse
propositum. Voluptas est, quæ appetitur
a cunctis, sed hæc & communis est
cum belluis, & honesti vim non habet, &
satietatem affert, & nimia nocet, & processu
minuitur ætatis, & multis non contingit,
nam qui opibus carent, quorum
maior est numerus, etiam voluptate careant
necesse est. Non est igitur summum
bonum; sed ne bonum quidem voluptas.
Quid diuitiæ? multo magis: nam & paucioribus,
& plerunq; casu, & inertibus sæpè,
& nonnunquam scelere contingunt,
[23] & optantur ab ijs, qui eas iam tenent. 23
Quid Regnum ipsum? ne id quidem. Nō
enim cuncti homines regnare possunt, &
necesse est, vniuersos summi boni capaces
esse. Quæramus igitur aliquid, quod propositum
sit omnibus. Num virtus? Negari
non potest, quin & bonum sit, & omnium
certè bonum: sed si beata esse non
potest, quia vis, & natura eius in malorū
perferentia posita est, non est profectò
summum bonum. Quæramus aliud. At
nihil virtute pulchrius, nihil sapientia dignius
inueniri potest. Si enim vitia ob tur-

pitu-

pitudinem fugienda sunt, virtus igitur appetenda est ob decorem. Quid ergo? potest ne fieri, vt quod bonum, quod honestum esse constat, mercede, ac præmio careat, sitq; tam sterile, vt nihil ex se commodi pariat? Labor ille magnus, & difficultas, & eluctatio aduersus mala, quibus hæc vita plena est aliquid magni boni pariat necesse est. Id verò quid esse dicimus? Num voluptatem? at nihil turpe ex honesto nasci potest. Num diuitias? num potestates? at ea quidem fragilia sunt, & caduca. Num gloriam? num honorem? num memoriam nominis? at hęc omnia non sunt in ipsa virtute, sed in aliorum existimatione, atq; arbitrio posita. Nam sæpè virtus & inuisa est, & malo afficitur. Debet autem id bonum, quod ex eo nascitur, ita cohærere, vt diuelli, atq; distrahi nequeat, nec aliter summum bonum videri potest, quam si & proprium sit virtutis, & tale vt neque adijci quicquam, nec detrahi possit. Quid quod in his omnibus contemnendis virtutis officia consistunt? Nam voluptates, opes, potentias, honores, atq; omnia, quæ pro bonis habentur, non concupiscere, non appetere, non amare, quod cæteri faciunt victi cupiditate, id est profectò virtutis. Aliud ergo sublimius, atq; præclarius efficit, nec frustra his præsentibus bonis reluctatur; nisi quòd maiora, & veriora desiderat. Non desperemus inueniri posse, modò veriet se cogitatio in omnia Præmia a neque enim leuia, aut ludicra petuntur.

a Virgil. ad fin. 12.

CAPVT XII.

SED quæritur quid sit propter quod nascimur, quid efficiat virtus. Possumus sic inuestigare. Duo sunt, ex quibus homo constat, animus, & corpus. Multa sunt propria animi, multa propria corporis, multa vtriq; communia; sicut est ipsa virtus, quæ quoties ad corpus refertur, discernendi gratia fortitudo nominatur. Quoniam igitur vtriq; subiacet fortitudo, vtriq; proposita dimicatio est, & vtriq; ex dimicatione victoria. Corpus, quia solidum est, & comprehensibile, cum solidis, & comprehensibilibus confligat necesse est. Animus autem, quia tenuis, & inuisibilis est, cum his congreditur hostibus, qui videri, tangiq; non possunt. Qui sunt autem hostes animi, nisi cupiditates, vitia, peccata? quæ si vicerit virtus, ac fugauerit, immaculatus erit animus, ac purus. Vnde ergo colligi potest, quid efficiat animi fortitudo? nimirum ex coniuncto, & pari, hoc est ex corporis fortitudine. Quod cum in aliquam congressionem, certamenq; venerit, quid aliud ex victoria, quã vitam petit? Siue enim cum homine, siue cum bestia dimices, pro salute certatur. Ergo vt corpus vincendo id assequitur, vt non intereat, sic etiam animus, vt permaneat: & sicut corpus ab hostibus suis victum morte multatur, ita superatus à vitijs animus moriatur necesse est. Quid ergo intererit inter animi, corporisq; dimicationem, nisi quòd corpus temporalem vitam expetit, animus sempiternam? Si ergo virtus per se ipsam beata non est, quoniam in perferendis (vt dixi) malis tota vis eius est, si omnia, quæ pro bonis concupiscuntur, negligit, si summus eius gradus ad mortem patet, quando quidem vitam, quæ optatur a cæteris, sæpè respuit, mortemq; quam cæteri timent, fortiter suscipit, si necesse est, aliquid ex se magni boni pariat, quia suscepti, & superati vsq; ad mortem labores sine præmio esse non possunt: si nullum præmium, quod ea dignum sit, in terra reperitur, quandoquidem cuncta, quæ fragilia sunt, & caduca spernit, quid aliud restat, nisi vt cæleste aliquid efficiat, quia terrena vniuersa contemnit? & ad altiora nitatur, quia humilia despicit? Id verò nihil aliud potest esse, quam immortalitas. Meritò ergo philosophorum nõ obscurus Euclides, qui fuit conditor Megaricorum disciplinę, dissentiens a cæteris, id esse summum bonum dixit, quod simile sit, & idem semper. Intellexit profectò, quæ sit natura summi boni, licet id non explicauerit, quid sit; id est autem immortalitas, nec aliud omnino quicquam, quia sola nec imminui, nec augeri, nec immutari potest. Seneca quoq; imprudens incidit, vt fateretur, nullum esse aliud virtutis præmium, quam immortalitatem. Laudans enim virtutem in eo libro, quem de immatura morte conscripsit. VNA (inquit) res est virtus, quæ nos immortalitate donare possit, & pares Dijs facere. Sed & Stoici, a quos secutus est, negant sine virtute effici quẽquam beatum posse. Ergo virtutis præ-

a apud Cic. 5. Tusc.

miũm beata vita eſt, ſi virtus (vt rectè di-
ctum eſt) beatam vitam facit. Non eſt
igitur (vt aiunt) propter ſe ipſam virtus
expetenda, ſed propter vitam beatam,
quæ virtutem neceſſariò ſequitur. Quod
argumentum docere eos potuit, quod eſ-
ſet ſummum bonum. Hæc autem vita,
præſens, & corporalis beata eſſe non po-
teſt, quia malis eſt ſubiecta per corpus.
Epicurus Deum beatum, & incorruptum
vocat, quia ſempiternus eſt. Beatitudo
enim perfecta eſſe debet, vt nihil ſit, quod
eam vexare, ac imminuere, aut immuta-
re poſſit. Nec aliter quicquam exiſtimari
beatum poteſt, niſi fuerit incorruptum:
incorruptum autem nihil eſt, niſi quod eſt
immortale. Sola ergo immortalitas bea-
ta eſt, quia corrumpi, ac diſſolui non po-
teſt. Quòd ſi cadit in hominem virtus,
quod negare nullus poteſt, cadit & beati-
tudo: non poteſt enim fieri, vt ſit miſer,
qui virtute eſt præditus. Si cadit beatitu-
do, ergo & immortalitas cadit in hominẽ,
quæ beata eſt. Summum igitur bonum ſo-
la immortalitas inuenitur, quia nec aliud
animal, nec corpus attingit, nec poteſt
cuiquam ſine ſcientiæ virtute, ideſt ſine
Dei cognitione, ac iuſtitia peruenire; cuius
appetitio quam vera, quam recta ſit, ipſa
vitæ huiuſcæ cupiditas indicat, quæ licet
ſit temporalis, & labore pleniſſima, expe-
titur tamen ab omnibus, & optatur: hanc
enim tam ſenes, quam pueri, tam Reges,
quam infimi, tam denique ſapientes, quam
ſtulti cupiunt. Tanti eſt (vt Anaxagoræ
viſum eſt) contemplatio Cœli, ac lucis ip-
ſius, vt quaſcunq; miſerias libeat ſuſtinere.
Cum igitur laborioſa hæc, & breuis vita,
non tantum hominum, ſed etiam cætero-
rum animantium conſenſu magnum bo-
num eſſe ducatur, manifeſtum eſt, ean-
dem ſummum, ac perfectum fieri bonum,
ſi & fine careat, & omni malo. Denique
nemo vnquam extitiſſet, qui hanc ipſam
breuem contemneret, aut ſubiret mor-
tem, niſi ſpe vitæ longioris; nam illi, qui
pro ſalute ciuium voluntariæ ſe neci obtu-
24 lerunt, ſicut Thebis [24] Menoeceus, Athe-
25 26 27 nis [25] Codrus, Romæ [26] Curtius, [27] & Mu-
res duo, nunquam mortem vitæ commo-
dis prætuliſſent, niſi ſe immortalitatem,
opinione ciuium conſequi putauiſſent; qui
tametſi neſcierunt immortalitatis viam,
res tamen eos non fefellit. Si enim virtus
diuitias, & opes ideò contemnit, quia fra-
giles ſunt, voluptates ideò, quia breues,
ergo & vitam fragilem, breuemq; ideò
contemnit, vt ſolidam, & perpetuam cõ-
ſequatur. Ipſa ergo cogitatio per ordi-
nem gradiens, & vniuerſa conſiderans
perducit nos ad eximium illud, & ſingula-
re, cuius cauſa naſcimur, bonum. Quod
ſi feciſſent philoſophi, ſi non quod ſenes
apprehenderant, tueri pertinaciter ma-
luiſſent, profectò perueniſſent ad verum
hoc, vt oſtendi modò. Quod ſi non fuit
eorum, qui cœleſtes animas vna cum cor-
poribus extinguunt, illi tamen qui de im-
mortalitate diſputant animi intelligere,
debuerunt, ideò propoſitam nobis eſſe,
virtutem, vt perdomitis libidinibus, rerũq;
terreſtrium cupiditate ſuperata, puræ, ac
victrices animæ ad Deum, ideſt ad origi-
nem ſuam reuertantur. Iccircò enim ſoli
animantium ad aſpectum cœli erecti ſu-
mus, vt ſummum bonum noſtrum in ſum-
mo eſſe credamus: ideò religionem ſoli
capimus, vt ex hoc ſciamus, humanum
ſpiritum non eſſe mortalem, quòd Deum,
qui eſt immortalis & deſiderat, & agno-
ſcit. Igitur ex omnibus philoſophis, qui
aut pro ſummo bono ſcientiam, aut vir-
tutem ſunt amplexi, tenuerunt quidem
viam veritatis, ſed non peruenerunt ad
ſummum. Hæc enim duo ſunt, quę ſimul
efficiant illud, quod quæritur. Scientia,
id præſtat, vt quomodo, & quo perueniẽ-
dum ſit, nouerimus: virtus, vt peruenia-
mus. Alterum ſine altero nihil valet. Ex
ſcientia enim virtus, ex virtute ſummum
bonum naſcitur. Beata igitur vita, quam
philoſophi quæſiuerunt ſemper, & quæ-
runt, ſiue in cultu Deorum, ſiue in philo-
ſophia nulla eſt. Et ideò ab his non potuit
reperiri, quia ſummum bonum non in,
ſummo quæſiuerunt, ſed in imo. Summũ
autem quid eſt, niſi Cœlum, & Deus, vn-
de animus oritur? Imum quid eſt, niſi ter-
ra, vnde corpus eſt? Itaq; licet quidam
Philoſophi ſummum bonum non corpori,
ſed animo dederint, tamen [28] quoniam il- 28
lud ad hanc vitam retulerunt, quæ cum
corpore terminatur, ad corpus reuoluti
ſunt, cuius eſt omne hoc tempus, quod
tranſigitur in terra. Quare non immeritò
ſummum bonum non comprehenderunt,
quia quicquid ad corpus ſpectat, & im-
mortalitatis eſt expers, vanum ſit neceſſe
eſt. Non cadit ergo in hominem beatitu-
do illo modo, quo philoſophi putauerunt,
ſed

sed ita cadit, non vt tunc beatus fit, cum viuit in corpore, quod vtique vt dissoluatur, necesse est corrumpi, sed tunc cum anima societate corporis liberata in solo
29 spiritu viuit. [29] Hoc vno beati esse in hac vita possumus, si minimè beati esse videamur; si fugientes illecebras voluptatum, soliq; virtuti seruientes, in omnibus laboribus, miserijsq; viuamus, quæ sunt exercitia, & corroboramenta virtutis; si deniq; asperam illam viam, difficilemq; teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta est. Summum igitur bonum, quod beatum facit, non potest esse nisi in ea religione, atq; doctrina, cui spes immortalitatis adiuncta est.

CAPVT XIII.

RES exigere videtur hoc loco, vt, quoniam docuimus, immortalitatem esse summum bonum, immortalem esse animam comprobemus. Qua de re ingens inter philosophos disceptatio est; nec quicquam tamen explicare, aut probare potuerunt ij, qui verum de anima sentiebant; expertes enim huius diuinæ eruditionis nec argumenta vera, quibus vincerent, attulerunt, nec testimonia, quibus probarent. Sed oportuniùs hanc quæstionem tractabimus in vltimo libro, cum de vita beata nobis erit disserendum. Superest illa pars tertia philosophiæ, quã vocant λογικὴν, in qua tota dialectica, & omnis loquendi ratio continetur. Hanc diuina eruditio non desiderat, quia non in lingua, sed in corde sapientia est, nec interest, quali vtare sermone. Res enim, non verba quæruntur, & nos non de grãmatico, aut oratore, quorum scientia est, quo modo loqui deceat, sed de sapiente disserimus, cuius doctrina est, quo modo viuere oporteat. Quòd si neq; physica illa ratio necessaria est, neq; hæc logica, quia beatos facere non possunt, restat, vt in sola ethica totius philosophiæ vis con-
30 tineatur, [30] ad quam se abiectis omnibus Socrates contulisse dicitur. In qua etiam parte quoniam philosophos errasse docui, qui summum bonum, cuius capiendi gratia generati sumus, non comprehenderunt, apparet falsam, & inanem esse philosophiam, quia nec instruit ad iustitiæ munera, nec officium hominis, rationéq; confirmat. Sciant igitur errare se, qui philosophiam putant esse sapientiam: nõ trahantur authoritate cuiusquam, sed veritati potius faueant, & accedant. Nullus hic temeritati locus est: in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Homo autem, qualiscunq; est, si sibi credit, hoc est si homini credit (vt non dicam stultus, qui suum non videat errorem) certè arrogans est, qui sibi audeat vendicare, quod humana conditio non recipit. Ille ipse Romanæ linguæ summus author, quantum fallatur, licet ex illa sententia peruidere. Qui cum in libris Officiorum philosophiam nihil aliud esse dixisset, *a* quàm studium sapientiæ; ipsam autem sapientiam, rerum diuinarum, & humanarum scientiam, tum adiecit. [31] CVIVS studium qui vituperat, haud sanè intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. Nã si oblectatio quæritur animi, requiesq; curarum, quæ conferri cum eorum studijs potest, qui semper aliquid inquirunt, quod spectet, & valeat ad benè, beatèq; viuendum? Si verò ratio constantiæ, virtutisq; ducitur, aut hæc ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur. Nullam dicere maximarum rerum artem esse, cũ minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium, atq; in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis, vbi ea quæretur, cum ab isto genere discendi discesseris?] Equidem tametsi operam dederim, vt quantulamcunq; dicendi assequerer facultatem propter studium docendi, tamen eloquens nunquam fui, quippè qui forum ne attigerim quidem, sed necesse est ipsa me faciat causæ bonitas eloquentem, ad quam dissertè, copiosèq; defendendam scientia diuinitatis, & ipsa veritas sufficit. Vellem igitur Ciceronem paulisper ab inferis surgere, vt vir eloquentissimus ab homunculo non diserto doceretur. Primùm quidnam sit, quod laudãdum putet, qui vituperat id studium, quod vocatur philosophia. Deinde neque illam esse artem, qua virtus, & iustitia discatur, nec aliam vllam, sicut putauit. Postremò quoniam est virtutis disciplina vbi quærẽda sit, cum ab illo discendi genere discesseris, quod ille non audiendi, discendiq; gratia quærebat. A quo enim posset audire

a Cic initio 2. Officior.

31

dire, cum sciret id nemo? Sed vt in cau-
sis facere solebat, interrogatione voluit
vrgere, ad confessionemq; deducere, tan-
quam consideret, responderi prorsus nihil
posse, quo minus philosophia esset magi-
stra virtutis. Quod quidem in Tusculanis
disputationibus apertè professus est, ad
eam ipsam conuersa oratione, tanquam
se declamatorio dicendi genere iactaret.
a init. 5. Tusculanar. O' VITÆ philosophia dux (inquit *a*) ò
virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum
quid non modò nos, sed omnino vita ho-
minum sine te esse potuisset? Tu inuen-
trix legum, tu magistra morum, ac disci-
plinæ fuisti.] Quasi verò aliquid per se ip-
sa sentiret, ac non potius ille laudandus
esset, qui eam tribuit. Potuit eodem mo-
do gratias agere cibo, & potui, quia sine
his rebus vita constare non possit, in qui-
bus vt sensus, ita beneficij nihil est. Atqui
vt illa corporis alimenta sunt, sic animæ
sapientia.

CAPVT XIV.

RECTIVS itaq; Lucretius, cum eum
laudat, qui sapientiam primus in-
uenit. Sed hoc ineptè, quod ab homine
inuentam putauit. Quasi verò illam ali-
cubi iacentem homo ille, quem laudabat,
inuenerit, tanquam TIBI VAS AD
FONTEM, vt Poetæ aiunt; quòd sic
b Lucr. init. 5. de nat. rerum. repertorem sapientiæ, vt Deum laudauit,
ita enim dicit. *b*

Nemo (vt opinor) erit mortali corpore cretus
Nam si vt ipsa petit maiestas cognita rerum,
Dicendum est, Deus ille fuit, Deus inclyte,
Memmi.

Tamen non erit sic laudandus Deus, quòd
sapientiam inuenerit, sed quod hominem
fecerit, qui posset capere sapientiam.
Minuit enim laudem, qui partem laudat
ex toto. Sed ille vt hominem laudauit,
qui tamen ob id ipsum deberet pro Deo
haberi, quòd sapere inuenerit, nā sic ait. *c*

c Lucretius ibid. paulò inf. *—— —— nonne decebit*
Hunc hominem numero Diuum dignarier esse?

Vnde apparet, aut Pythagoram voluisse
laudare, qui se primus (vt dixi) Philoso-
phum nominauit, aut Milesium Thalem,
qui de rerum natura primus traditur dispu-
tasse. Sed dum hominem quærit extolle-
re, rem ipsam depressit. Non est enim ma-
gna, si ab homine potuit inueniri Verùm
potest vt Poetæ dari venia. At ille idem
perfectus Orator, idem summus philoso-
phus (ne Græcos reprehendam, quorum
leuitatem semper accusat, & tamen se-
quitur) ipsam sapientiam, quam aliàs do-
num, aliàs inuentum Deorum poeticè vo-
cat *a* figuratam laudat in faciem. Graui- *a Cic. p. Tusc. circa med.*
ter etiam queritur extitisse aliquos, qui
eam vituperarent. QVISQVAMNE (in-
quit *b*) vituperare vitæ parentem, & hoc
parricidio se inquinare audeat, & tam *b Cic. 4. Tuscul. sub init.*
impiè ingratus esse?] Nos ergo M. Tullij
parricidæ sumus, & insuendi, te iudice,
in culeum, qui philosophiam negamus pa-
rentē esse vitæ? an tu, qui aduersus Deū
tam impiè ingratus es? non hunc, cuius
effigiem veneraris in Capitolio sedētem;
sed illum, qui mundum fecit, hominēq: 33
figurauit, qui sapientiam quoq; ipsam in-
ter cætera cœlestia beneficia largitus est.
Magistram tu virtutis, aut parentem vitæ
vocas, ad quam si quis accesserit, multò
fit incertior necesse est, quàm prius fuerit?
Cuius enim virtutis? quæ ipsa vbi sita sit,
adhuc philosophi non expediunt. Cuius
vitæ? cum ipsi doctores ante fuerunt se-
nectute, ac morte confecti, quam consti-
tuerint, quo modo viui deceat. Cuius ve-
ritatis indagatricem profiteri potes, qui
sæpè testaris, cum tanta multitudo fuerit
philosophorum, sapientem tamen exti-
tisse adhuc neminem? Quid ergo te ma-
gistra illa vitæ docuit? An vt potentissi-
mum Cōsulem maledictis incesseres, eúq;
hostem patriæ venenatis orationibus fa-
ceres? Sed omittamus illa, quæ possunt
excusari fortunæ nomine. Studuisti nem-
pe philosophiæ, & quidem sic, vt nullus
vnquam diligentiùs, quippe qui omnes
cognoueris disciplinas, sicut ipse gloriari
soles, *c* eamq; ipsam latiùs literis illustra- *c Cic. 1 præf. Tusculan.*
ueris, imitatoremq; te Platonis ostende-
ris. Cædo igitur quid didiceris, aut in
qua secta veritatem deprehenderis. In
Academia, scilicet, quam secutus es, quā
probasti: at hæc nihil docet, nisi vt scias,
te nihil scire. Tui ergo te libri arguunt,
quàm nihil à philosophia disci possit ad vi-
tam. Hæc tua verba sunt. MIHI autē 34
non modò ad sapientiam cæci videmur,
sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni
videantur, hebetes, & obtusi.] Si ergo
philosophia est magistra vitæ, cur tibi cæ-
cus, & hebes, & obtusus videbare, quem

opor-

* forte illa docente — oportuit * illa docentem & sentire, & sa-
pere, & in clarissima luce versari? At quã
confessus fueris philosophiæ veritatem,
docent ad filium composita præcepta,
35 quibus mones, [11] philosophiæ quidem præ-
cepta noscenda, viuendum autem esse
ciuiliter. Quid tam repugnans dici po-
test? Si noscenda sunt præcepta philoso-
phiæ, vtiq; noscenda sunt, vt rectè, & sa-
pienterq; viuamus. Vel si ciuiliter viuen-
dum est, non est igitur philosophia sapiẽ-
tia, siquidem melius est ciuiliter, quàm
philosophicè viuere. Nam si sapientia
est, quæ dicitur philosophia, stultè profe-
ctò viuit, qui non secundum philosophiam
viuit. Si autem non stultè viuit, qui ciui-
liter viuit, sequitur vt stultè viuat, qui
philosophicè viuit. Tuo itaq; iudicio phi-
losophia stultitiæ inanitatiq; damnata
est. Idem in consolatione, idest in opere
non ioculari hanc de philosophia senten-
tiam tulisti. SED nescio quis nos teneat
error, aut miserabilis ignoratio veri.] vbi
est ergo philosophiæ magisterium? aut
quid te docuit illa vitæ parens, si verum
miserabiliter ignoras? Quòd si hæc erro-
ris, ignorationisq; confessio penè inuito
sibi ab intimo pectore expressa est, cur nõ
tibi aliquando verum fatebaris, philoso-
phiam, quam tu nihil docentem in Cœlũ
laudibus extulisti, magistram virtutis esse
non posse?

CAPVT XV.

EODEM ductus errore Seneca (quis
enim veram viam teneret errante
36 Cicerone?) [12] PHILOSOPHIA (inquit)
nihil aliud est, quàm recta viuendi ratio,
vel honestè viuendi scientia, vel ars vitæ
agendæ. Non errabimus, si dixerimus,
philosophiam esse legem benè, honestèq;
viuendi. Et qui dixerit illam regulam vi-
tæ, suum illi reddidit.] Hic planè non
respexit ad commune philosophiæ no-
men, quæ cum sit in plures sectas, discipli-
nasq; diffusa, nihilq; habeat certi, nihil
deniq; de quo vniuersi vna mente, ac vo-
ce consentiant, quid potest esse tam fal-
sum, quàm regulam vitæ philosophiam
vocari, in qua diuersitas præceptorum
rectum iter impediat, ac turbet? aut legem
benè viuendi, cuius capita longè disso-
nant? aut scientiam vitæ agendæ, in quã
nihil aliud efficitur contraria sæpè dicen-
do, quàm vt nemo quicquam sciat? Quæ-
ro enim vtrumnè Academiam philosophiã
putet esse an non? Negaturum non arbi-
tror. Quòd si est, nihil ergo illorum ca-
dit in philosophiam, quæ, vt omnia red-
dat incerta, legem abrogat, artem nul-
lam putat, rationem subuertit, regulam
deprauat, scientiam funditùs tollit. Falsa
igitur illa omnia, quia in rem semper in-
certam; & adhuc nihil explicantem cade-
re non possunt. Nulla itaq; ratio, vel
scientia, vel lex benè viuendi, nisi in hac
vnica, & vera, & cælesti sapientia con-
stituta est, quæ philosophis fuit ignota.
Nam illa terrena, quoniam fallax est;
varia, & multiplex, sibiq; tota contraria
est: & sicut vnus est huius mundi constitu-
tor, & rector Deus, vna veritas, ita vnã
esse, ac simplicem sapientiam necesse est,
quia quicquid est verum, ac bonum, id
perfectum esse non potest, nisi fuerit sin-
gulare. Quòd si philosophia vitam posset
instruere, nulli alij nisi philosophi essent
boni; & qui eam non didicissent, essent
omnes semper mali. Cum verò innume-
rabiles existant, & semper extiterint, qui
sint, aut fuerint sine vlla doctrina boni,
ex philosophis autem perrarò fuerit, qui
aliquid in vita fecerit laudi dignum, quis
est tandem, qui non videat, eos homines
virtutis, qua ipsi egent, non esse doctores?
Nam si quis mores eorum diligenter in-
quirat, inueniet iracundos, cupidos, libi-
dinosos, arrogantes, proteruos, & sub
obtentu sapientiæ sua vitia cælantes, do-
mi facientes ea, quæ in scholis arguissent.
Fortasse mentior accusandi gratia. Nõne
idipsum Tullius & fatetur, & quæritur?
[13] QVOTVS quisq; (inquit a) philoso- 37
phorum inuenitur, qui sit ita moratus, — a Cic. 2. Tusc. ul. sub init.
ita animo, & vita constitutus, vt ratio po-
stulat? qui disciplinam veram non osten-
tationem scientiæ, sed legem vitæ putet?
qui obtemperet ipse sibi, & decretis pare-
at suis? Videre liceat alios tanta leuita-
te, & iactatione, vt ijs fuerit non didicis-
se melius, alios pecuniæ cupidos, alios
gloriæ, multos libidinum seruos, vt cum
eorum vita, & vitijs mirabiliter pugnet
oratio.] Nepósq; Cornelius ad eundem
Ciceronem ita scribit. TANTVM abest,
vt ego magistram esse putem vitæ philo-
sophiam, beatæq; vitæ perfectricem, vt

nullis mag's existimem opus esse magistris viuendi, quàm plerisq;, qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum qui in schola de pudore, & continentia præcipiant argutissimè, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere.] Item Seneca in exhortationibus. PLERIQVE (inquit) philosophorum tales sunt, diserti in conuicium suum, quos si audias in auaritiam, in libidinem, in
38 ambitionem perorantes, [38] indicium professos putes; adeo redundat ad ipsos maledicta in publicum missa, quos non aliter intueri decet, quam medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena: quosdam verò nec pudor vitiorum tenet, sed patrocinia turpitudini suæ fingunt, vt etiam honestè peccare videantur.] FACIET sapiens (inquit idem Seneca) etiam quæ non probabit, vt etiam ad maiora transitum inueniat, nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit, vt quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptatem, vtatur agendæ rei causa.] Deinde paulò post. OMNIA, quæ luxuriosi faciunt, quæq; imperiti, faciet & sapiens, sed non eodem modo, eodemq; proposito.] Atqui nihil interest quo animo facias quod fecisse vitiosum est, quia facta cernuntur,
39 animus non videtur. [39] Aristippo Cyrenaicorum magistro cum Laide nobili scorto fuit consuetudo, quod flagitium grauis ille philosophiæ doctor sic defendebat, vt diceret, multum inter se, & cæteros Laidis amatores interesse, quòd ipse haberet Laidem, alij verò a Laide haberentur. O' pręclara, & imitanda bonis sapientia: huic verò liberos in disciplinam dares, vt discerent habere meretricem. Aliquid inter se, ac perditos interesse dicebat, scilicet, quod illi bona sua perderent, ipse gratis luxuriaretur. In quo tamen sapientior meretrix fuit, quæ philosophum habuit pro lenone, vt ad se omnis iuuentus doctoris exemplo, & authoritate corrupta, sine vllo pudore concurreret. Quid ergo interfuit, quo animo philosophus ad meretricem famosissimam commearet, cum eum populus, & riuales sui viderent omnibus perditis nequiorem? Nec satis fuit ita viuere, sed docere etiam libidines cæpit, ac mores suos de lupanari ad scho-
40 lam transtulit, [40] differens, voluptatem corporis esse summum bonum. Quæ doctrina execrabilis, & pudenda non in corde philosophi, sed in sinu meretricis est nata. Nam quid ego de Cynicis loquar? quibus in propatulo coire cum coniugibus mos fuit: quid mirum, si à canibus, quorum vitam imitantur, etiam vocabulum, nomenq; traxerunt? Nullum igitur in hac disciplina magisterium uirtutis est, cũ etiam illi, qui honestiora præcipiunt, aut non faciant ipsi quæ suadent, aut (quod rarò accidit) non disciplina eos ad rectũ, sed natura perducat, quæ sæpius etiam indoctos impellit ad laudem.

CAPVT XVI.

VERVM enim cum se perpetuæ desidiæ tradant, nullamq; uirtutem capessant, & omnem suam uitam nihil aliud, quàm in eloquendo peragant, quid aliud, quam inertes putari debent? Sapientia autem nisi in aliquo actu fuerit, quo vim suam exerceat, inanis, & falsa est. Re-
ctèq; Tullius [41] ciuiles viros, qui rem publi- 41
cam gubernant, qui vrbes aut nouas constituant, aut constitutas æquitate tueantur, qui salutem, libertatemq; ciuium vel bonis legibus, vel salubribus consilijs, vel iudicijs grauibus conseruent, philosophiæ doctoribus præfert. Bonos enim facere oportet, potius quam inclusos in angulis facienda præcipere, quæ ne ipsi quidem faciunt, qui loquuntur; & quoniam se à veris actibus remouerunt, apparet, eos exercendæ linguæ causa, vel aduocandi gratia, artem ipsam philosophiæ repperisse. Qui autem docent tantùm, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus. Quis enim obtemperet, cum ipsi præceptores doceant non obtemperare? Bonum est autem recta, & honesta præcipere: sed nisi & facias, mendacium est: & est incongruens, atq; ineptum non in pectore, sed in labijs habere bonitatem. Non ergo utilitatem ex philosophia, sed oblectationem petunt: Quod quidem Ci-
cero testatus est. [42] PROFECTO (inquit) 42
omnis istorum disputatio, quanquam uberrimos fontes uirtutis, & scientiæ contineat, tamen collata cum horum actis, perfectisq; rebus, uereor ne non tantum uideatur attulisse negocijs hominum quandam oblectationem ocij.] Vereri quidem non debuit, cum uerum diceret; sed quasi timeret,

timeret, ne proditi mysterij reus à philosophis citaretur, non est ausus confidenter pronunciare quod fuit verum, illos nô ideò disputare, vt doceant, sed vt se oblectent in ocio; qui quoniam authores sunt rerum gerendarum, nec ipsi quicquam gerunt, pro loquacibus sunt habendi. Sed profectò quia nihil boni ad vitam afferebant, nec ipsi decretis suis obtemperauerunt, nec quisquam per tot secula inuentus est, qui eorum legibus viueret. Abijcienda est igitur omnis philosophia, quia non studendum est sapientiæ, quòd fine, ac modo careat, sed sapiendum est, & quidem maturè. Non enim nobis altera vita conceditur, vt cum in hac sapientiam quæramus, in illa sapere possimus: In hac vtrunq; fieri necesse est. Cito inueniri debet, vt cito suscipi possit, ne quid pereat ex vita, cuius finis incertus est. Ciceronis Hortensius contra philosophiam disserens, circumuenitur arguta conclusione, qui, cum diceret philosophandum non esse, nihilominus philosop hari videbatur, quoniam philosophi est, quid in vita faciendum, vel non faciendum sit disputare. Nos ab hac calumnia immunes, ac liberi sumus, qui philosophiam tollimus, quia humanæ cogitationis inuentio est; sophiam defendimus, quia diuina traditio est, eamq; ab omnibus suscipi oportere testamur. Ille cum philosophiam tolleret, nec melius aliquid afferret, sapientiam tollere putabatur, eoq; facilius de sententia pulsus est, quia constat, hominem non ad stultitiam, sed ad sapientiam nasci. Præterea illud quoq; argumentum contra philosophiam valet plurimum, quo idem est vsus Hortensius, ex eo posse intelligi, philosophiam non esse sapientiam, quòd principium, & origo eius appareat. QVANDO (inquit) philosophi esse cæperunt? Thales, vt opinor, primus: recens hæc quidem ætas.] Vbi ergo apud antiquiores latuit amor iste inuestigandæ virtutis? Idem Lucretius ait. a

a Lucr. sub init. 5. l. de nat. Deor.

Denique natura hac rerum, ratioquè reperta est

Nuper, & hanc primus cum primis ipse repertus.

Num ego sum, in patrias qui possum vertere voces.

43 Et Seneca. [43] NONDVM sunt (inquit) mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt.] Multis ergo seculis humanum genus sine ratione vixit.] Quod irridens Persius.

——— *Postquam* (inquit a) *sapere vrbi Cum pipere, & palmis venit* ———

a Pers. Satyr. vlt.

tanquam sapientia [44] cum saporis mercibus fuerit inuecta, quæ si secundum hominis naturam est, cum homine esse cæperit necesse est. Si verò non est, nec capere quidem illam posset humana natura. Sed quia recepit, igitur à principio fuisse sapientiam necesse est: ergo philosophia, quia non a principio fuit, non est eadem vera sapientia. Sed videlicet Græci, qui sacras veritatis literas non attigerant, quemadmodum deprauata esset sapientia, nesciuerunt. Et ideo cum vacare sapientia humanam vitam putarent, philosophiam commenti sunt, id est latentem, atque ignotam sibi veritatem differendo eruere voluerunt, quod studium per ignorantiam veri sapientiam putauerunt. 44

CAPVT XVII.

DIXI de philosophia ipsa quàm breuiter potui, nunc ad Philosophos veniamus, non vt cum his decertemus, qui stare non possunt, sed vt eos fugientes, atq; deiectos nostro campo insequamur, Epicuri disciplina multò celebrior semper fuit, quàm cæterorum, non quia veri aliquid afferat, [45] sed quia multos populare nomen voluptatis inuitat. Nemo enim non in vitia pronus est. Præterea vt ad se multitudinem contrahat, apposita singulis quibusq; moribus loquitur. Desidiosū vetat literas discere; auarum populari largitione liberat; ignauum prohibet accedere ad Rempublicam, pigrum exercere, timidum militare; irreligiosus audit Deos nihil curare; inhumanus, & suis commodis seruiens iubetur nihil cuiquam tribuere; omnia enim sui causa facere sapientem; fugienti turbam solitudo laudatur. Qui nimium parcus est, discit aqua, & polenta vitam posse tolerare. Qui odit vxorem, huic enumerantur cælibatus bona. Habenti malos liberos orbitas prædicatur. Aduersus impios parentes nullum esse vinculum naturæ; impatienti, ac delicato dolorem esse omnium malorum maximum dicitur; forti, etiam in tormen- 45

tis beatum esse sapientem. Qui claritati,
ac potentiæ studet, huic præcipitur Reges
colere. Qui molestiam ferre non potest,
huic regiam fugere. Ita homo astutus ex
varijs, diuersisq; modis circulum cogit, &
dum studet placere omnibus, maiore dis-
cordia secum ipse pugnauit, quàm inter
se vniuersi. Vnde autem disciplina eius
tota descendat, quam originem habeat,
explicandum est. Videbat Epicurus bonis
aduersa semper accidere, paupertatem,
labores, exilia, carorum amissiones; ma-
los contrà beatos esse, augeri potentia,
honoribus affici, videbat innocentiam
minus tutam, scelera impune committi,
videbat sine delictu morum, sine ordine,
ac discrimine annorum sæuire mortem,
sed alios ad senectutem peruenire, alios
infantes rapi, alios iam robustos interire,
alios in primo adolescentiæ flore immatu-
ris funeribus extingui, in bellis potius me-
liores & vinci, & perire. Maximè autem
commouebat, homines in primis religio-
sos grauioribus malis affici, ijs autem, qui
aut Deos omnino negligerent, aut non
piè colerent, vel minora incommoda
euenire, vel nulla. Ipsa etiam templa
fulminibus conflagrare, quod Lucretius
a Lucr. in fi. queritur, *a* cum dicit de Deo
2. de nat. re. ——— *Tum fulmina mittat, & ædes*
46 [46] *Ipse suas disturbet, & in deserta recedens*
Sæuiat, exercens telum quod sæpe nocentes
Præterit, exanimatq; indignos, inquè me-
rentes.
Quòd si vel exiguam veritatis auram col-
ligere potuisset, nunquam diceret, ædes
illum suas disturbare, cum ideo disturbet,
quòd non sunt suæ. Capitolium, quod est
Romanæ vrbis, & religionis caput sum-
mum non semel, sed sæpius fulmine ictum
conflagrauit. Homines autem ingeniosi
quid de hoc existimauerint ex dicto Cice-
b Cic. 6. Ver. ronis apparet, qui ait, *b* diuinitus extitisse
illam flammam, non quæ terrestre illud
domicilium Iouis deleret, sed quæ subli-
mius, magnificentiusq; deposceret. Qua
47 de re etiam [47] in libris Consulatus sui ea-
c 2. de Diu. dem dixit, *c* quæ Lucretius
Nam Pater altitonans stellanti nixus Olym-
po
Ipse suas arces, atq; inclyta templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.
Pertinaci ergo stultia non modò vim, ma-
iestatemq; veri Dei non intellexerunt, sed
etiam impietatem sui erroris auxerunt,
qui templum cælesti iudicio sæpe damna-
tum restituere contra fas omne contende-
rint. Cum hæc igitur cogitaret Epicu-
rus, earum rerum velut iniquitate indu-
ctus (sic enim causam, rationemq; igno-
ranti videbatur) existimauit, nullam esse
prouidentiam. Quod cum sibi persuasis-
set, suscepit etiam defendendum. Sic in
errores inextricabiles se ipse coniecit. Si
enim prouidentia nulla est, quo modo tam
ordinatè, tam dispositè mundus effectus
est, ? [48] Nulla (inquit *a*) dispositio est, mul- 48
ta enim facta sunt aliter, quàm fieri debue- *a Lucr. 2. &*
runt. Et inuenit homo diuinus, quæ re- *5. sub init.*
prehenderet. Quæ singula si vacaret re-
fellere facilè ostenderem nec sapientem
hunc fuisse, nec sanum. Item si nulla
prouidentia est, quo modo animalium cor
pora tam prouidenter ordinata sunt, vt
singula quæq; membra mirabili ratione
disposita, sua officia conseruent? [49] Ni- 49
hil (inquit *b*) in procreandis animalibus *b Lucr.*
prouidentiæ ratio molita est; nam neque
oculi facti sunt ad videndum, neq; aures ad
audiēdū, neq; lingua ad loquendo, neq; pes
ad ambulēdū, quoniā prius hęc nata sunt,
quā esset loqui, audire, videre, ambulare.
Itaq; nō hæc ad vsu nata sunt, sed vsus ex
illis natus est. Si nulla prouidentia est, cur
imbres cadunt, fruges oriuntur, arbusta
frondescunt? Non (inquit) semper ani-
mantium causa ista fiunt, quoniam pro-
uidentiæ nihil poscunt, [50] sed omnia sua 50
sponte fieri necesse est. *c* Vnde ergo nas- *c Lucr. l. 2.*
cuntur, aut quo modo fiunt omnia, quæ
geruntur? [51] Non est (inquit) prouiden- 51
tiæ opus; sunt enim semina per inane vo-
litantia, quibus inter se temerè conglo-
batis vniuersa gignuntur, atq; concres-
cunt. *d* Cur igitur illa non sentimus, aut *d Lucr. 2.*
cernimus? [52] Quia nec colorem habent 52
(inquit *e*) nec calorem vllū, nec odorem: *e Lucr. p. &*
saporis quoq;, & humoris expertia sunt, *2.*
& tam minuta, vt secari, ac diuidi neque-
ant. Sic eum, quia in principio talium
susceperat, consequentium rerum neces-
sitas ad deliramenta perduxit. Vbi enim
sunt, aut vnde [53] ista corpuscula? Cur 53
illa nemo præter vnum Leucippum *inf. l. de Ira*
somniauit? A quo Democritus eru- *Dei c. 10.*
ditus hæreditatem stultitiæ reliquit
Epicuro. Quæ si sint corpuscula, &
quidem solida, vt dicunt, sub oculos cer-
te venire possunt. Si eadem est natura
omnium, quo modo res varias efficiunt?
Vario

54 "Vario (inquit *a*) ordine, ac positione conueniunt, sicut literæ, quæ cum sint paucæ, variè tamen colocatæ innumerabilia verba conficiunt. At literæ varias

a Lucr. 2.

55 formas habent. "ita (inquit *b*) & hæc ipsa primordia; nam sunt aspera, sunt hamata, sunt leuia. Secari ergo, & diuidi possunt, si aliquid inest illis, quod emineat. Si autem leuia sunt, & hamis indigent, cohærere non possunt. Hamata igitur esse oportet, vt possint inuicem concatenari. Cum verò tam minuta esse dicantur, vt nulla ferri acie disijci valeant, quo modo hamos, aut angulos habent? quos quia extant, necesse est posse diuelli. Deinde quo fœdere inter se, qua mente conueniunt, vt ex his aliquid constituatur? Si sensu careant, nec coire tam dispositè possunt, quia non potest quicquam rationale perficere nisi ratio. Quàm multis coargui hæc vanitas potest, sed properat oratio. Hic est ille

b Lucr. 2.

Qui genus humanũ ingenio superauit, & omnes
56 "*Præstrinxit stellas exortus vti ætherius Sol. c*

Quos equidem versus nunquam sine risu legere possum, non enim de Socrate, aut Platone hoc saltem dicebat, qui velut reges habentur philosophorum, sed de homine, quo sano, & vigente nullus æger ineptius delirauit. Itaq; Poeta vanissimus leonis laudibus murem non ornauit, sed obruit, & obtriuit. At idem nos metu liberat mortis, *d* de qua hæc ipsius verba sunt expressa. *e* QVANDO nos sumus

c Lucr. in fine 3.

d ap. Lucr. 3

57 mors non est, "quando mors est, nos nó sumus. Mors ergo nihil ad nos.] Quam argutè nos fefellit, quasi verò transacta mors timeatur, quia iam sensus ereptus est, ac non ipsum mori, quo sensus eripi-

e ap. Laert. in Epicur.

58 tur. Est enim tempus aliquod, "* quo & nos iam non sumus, & mors tamen nondum est: idq; ipsum videtur miserum esse, quòd & mors esse incipit, & nos esse desinimus. Nec frustra dictum est, mors misera non est; aditus ad mortem est miser, hoc est morbo tabescere, ictum perpeti; ferrum corpore excipere, ardere igni, dentibus bestiarum laniari. Hæc sunt, quæ timentur, non quia mortem afferunt, sed quia dolorem magnum. Quæ res potius efficit, vt dolor malum sit. Omnium (inquit) malorum maximum est. Qui ergo possum non timere, si id, quod mortem antecedit, aut efficit, malum est? Quid quòd totum illud argumentum falsum est?

* leg. quo nos etiam nũ sumus. vid. not.

quia non intererunt animæ. Verè (inquit) Nam quod cum corpore nascitur, cũ corpore intereat necesse est *a*. Iam superius dixi, differre me hunc locũ melius, & operi vltimo *b* reseruare, vt hanc Epicuri persuasionẽ, siue illa Democriti, siue Dicæarchi fuit, argumentis, & diuinis testimonijs redarguam. Verùm ille fortasse impunitatẽ vitijs suis spopondit. Fuit enim turpissimę voluptatis assertor, cuius capiendæ causa nasci hominem putauit. Quis cum hoc affirmari audiat, vitijs, & sceleribus abstineat? Nam si periture sunt animæ, appetamus diuitias, vt omnes suauitates capere possimus; quę si nobis desunt, ab ijs, qui habent, auferamus clam, dolo, vi; eo magis, si humanas res Deus nullus curat. Quandocũq; spes impunitatis arriserit rapiamus necemus. Sapientis est enim malè facere, si & vtile sit, & tutũ; quoniam si quis in cælo Deus est, nó irascitur cuiquã. Æquè stulti est & bene facere, quia sicut ira nó cómouetur, ita nec gratia tãgitur. Voluptatibus igitur quo modo possimus, seruiamus; breui enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum deniq; temporis punctũ fluere nobis sine voluptate patiamur, ne, quia ipsi quandoq; perituri sumus, id ipsum quod viximus pereat. Hoc ille tametsi non dicit verbo, re tamen ipsa docet. Nam cum disputat, omnia sapientem sua causa facere, ad vtilitatem suã refert omnia, quæ agit. Itaq; qui audit hæc flagitia, nec boni quicquam faciendũ putabit, quoniam benefacere ad vtilitatem spectat alienam, nec à scelere abstinendũ, quia maleficio præda coniuncta est. Archipirata quisquam, vel latronum ductor, si suos ad grassandum cohorsetur, quo alio sermone vti potest, quàm vt eadem dicat, quæ dicit Epicurus? Deos nihil curare. Nó ira, nó gratia tangi. Inferorum pœnas nó esse metuendas. Quòd animæ post mortẽ occidant, nec vlli omninò sint inferi. Voluptatem esse maximum bonum. Nullam esse humanam societatem. Sibi quemq; consulere. Neminem esse, qui alterum diligat, nisi sua causa. Mortem non esse metuendam forti viro, nec vllũ dolorem; quin etiam si torqueatur, si vratur, nihil se curare dicat. Est planè cur quisquam putet, hanc vocem viri esse sapientis, quæ potest latronibus aptissimè commodari?

a Lucr. 3.

b inf l. 7. ca. 8 & seqq. Epit. c. 10.

CAPVT XVIII.

ALII autem contraria his differunt,
superesse animas post mortem, &
hi sunt maximè Pythagorici, ac Stoici,
quibus & si ignoscendum est, quia verum
sentiunt, non possum tamen non repre-
hendere eos, quia non scientia, sed casu
inciderunt in veritatem. Itaq; in eo ipso,
quod rectè sentiebant, aliquid errauerunt.
Nam cum timerent argumentum illud,
quo colligitur, necesse esse, vt occidat ani
mæ cũ corporibus quia cũ corporibus na-
scuntur, dixerunt nõ nasci animas, sed insi-
nuari potius in corpora, & de alijs in alia
migrare. Nõ putauerunt, aliter fieri posse,
vt supersint animę post corpora, nisi videã
tur fuisse ante corpora. Par igitur, ac pro-
pè similis error est partis vtriusque. Sed
hæc in præterito falsa est, illa in futuro.
Nemo enim vidit quod est verissimũ, & na
sci animas, & non occidere, quia cur id fie-
ret, aut quæ ratio esset hominis nescie-
runt. Multi ergo ex his, qui æternas esse
animas suspicabantur, tanquam in Cœlũ
migraturi essent, sibi ipsis manus intule-
59 60 61 runt, [59] vt Cleantes, [60] vt Chrysippus, [61] vt
62 Zeno, [62] vt Empedocles, qui se in arden-
tis Ætnæ specum intempesta nocte deie-
cit, vt, cum repente non apparuisset,
abijsse ad Deos crederetur; & ex Roma-
63 nis [63] Cato, qui fuit in omni sua vita So-
64 craticæ vanitatis imitator. Nam [64] De-
mocritus in alia fuit persuasione. Sed
tamen
Sponte sua leto caput obuius obtulit ipse. a
a Lucret. in fin. 3. de natura rerum.
Quo nihil sceleratius fieri potest. Nam si
homicida nefarius est, qui hominis extin-
ctor est, eidem sceleri obstrictus est, qui
se necat, quia hominem necat. Immo ve
rò maius esse id facinus existimandum est,
65 cuius vltio Deo soli subiacet. [65] Nam sicut
in hanc vitam non nostra spõte venimus,
ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod
tuendum nobis assignatum est, eiusdem
iussu recedendum est, qui nos in hoc cor-
pus induxit tandiu habitaturos, donec iu-
beat emitti. Et si vis aliqua inferatur,
æqua mente patiendum est, cum extincta
innocentis anima inulta esse non possit,
habeamusq; vindicem magnum, cui soli
vindicta integra semper est. Homicidæ
igitur illi omnes philosophi, & ipse Roma-
næ sapientiæ princeps Cato, qui antequã
se occideret perlegisse Platonis librum di-
citur, qui est scriptus de æternitate ani-
marum, [66] & ad summum nefas philoso- 66
phi authoritate compulsus est. Et hic ta-
men aliquam moriendi causam videtur
habuisse, odium seruitutis. Quid [67] Am- 67
braciotes ille, qui, cum eundem librum
perlegisset, precipitem se dedit nullam
aliam ob causam, nisi quòd Platoni cre-
didit? Execrabilis prorsus, ac fugienda
doctrina, si abigit homines à vita. Quòd
si scisset Plato, atq; docuisset, à quo & quo-
modo, & quibus, & quæ ob facta, & quo
tempore immortalitas tribuatur, nec Cle-
ombrotum impegisset in mortem volun-
tariam, nec Catonem; sed eos ad vitam,
& iustitiam potius erudisset. Nam Cato
videtur mihi causam quæsisse moriendi,
non tam vt Cæsarem fugeret, quam vt
Stoicorum decretis obtemperaret, quos
sectabatur, nomenq; suum grandi aliquo
facinore clarificaret, cui quid mali acci-
dere potuerit, si viueret, non inuenio.
Caius enim Cæsar, vt clemens erat, nihil
aliud efficere volebat etiam in ipso belli ci
uilis ardore, quàm vt benè mereri de Re
publica videretur, duobus optimis ciuibus
Cicerone, & Catone seruatis. Sed redea-
mus ad eos, qui mortem pro bono lau-
dant. De vita quereris quasi vixeris, aut
vnquam tibi ratio constiterit, cur omninò
sis natus. Nonne igitur tibi verus ille, &
communis omnium pater Terentianum
illud iure increpauerit.
——prius disce quid sit viuere.
——si displicebit vita, tum istoc vtitor. a a Ter. Heaut. act. 3. sc. 2.
Indignaris te malis esse subiectum, quasi
quicquam merearis boni, qui patrem, qui
dominum, qui Regem tuum nescis, qui
quamuis clarissimam lucem intuearis ocu-
lis, mente tamen cæcus es, & in profun-
dis ignorantiæ tenebris iaces. Quæ igno-
rantia efficit, vt quosdam dicere non pu-
deret, *b* iccirco nos esse natos, vt scelerũ b Cic. in prĩcipio Cons.
pœnas lueremus, quo quid delirius dici vt inf. ĩ fin.
possit non inuenio. Vbi enim, vel quæ huius cap.
scelera potuimus admittere, qui omninò
non fuimus? Nisi fortè credemus [68] inepto 68
illi seni, qui se in priori vita Euphorbum
fuisse mentitus est. Hic credo quod erat
ignobili genere natus, familiam sibi ex
Homeri carminibus adoptauit. O' miram,
& singularem Pythagoræ memoriam:
O' miseram obliuionem nostrũ omnium,
qui

qui nesciamus, qui ante fuerimus; sed fortasse vel errore aliquo, vel gratia sit effectum, vt ille solus lethæum gurgitem non attigerit, nec obliuionis aquam gustauerit. Videlicet senex vanus (sicut otiosæ auiculæ solent) fabulas tanquam infantibus credulis finxit. Quòd si benè sensisset de ijs, quibus hæc locutus est, si homines eos existimassent, nunquam sibi tam petulanter mentiendi licentiam vendicasset. Sed deridenda hominis leuissimi vanitas. Quid Ciceroni faciemus? qui cum in principio Consolationis, suæ dixisset, luendorum scelerum causa nasci homines, iterauit id ipsum postea, quasi obiurgans eum, qui vitam non esse malis plenam putet.
a Cic. ibid. vt supra Rectè ergo profatus est, a errore, ac miserabili veritatis ignorantia se teneri.

CAPVT XIX.

AT illi qui de mortis bono disputant, quia nihil veri sciunt, sic argumentantur. Si nihil est post mortem, non est malum mors; aufert enim sensum mali. Si autem semper sunt animæ, est etiam bonum, quia immortalitas sequitur. Quã sententiam Cicero de legibus sic explica-
69 uit, [69] GRATVLEMVRQVE nobis, quoniam mors aut liuorem, quàm qui est in vita, aut certè non deteriorem est allatura statum. Nam sine corpore animo vigente diuina est vita; sensu carenti nihil profectò est mali.] Argutè vt sibi videtur, quasi nihil aliud esse possit. At qui vtrunq; hoc falsum est. Docent enim diuinæ lite-
b Daniel. 12 ræ, b non extingui animas, sed aut pro
Matth 3.13 iustitia præmio affici, aut pœna pro sce-
25.Io.50. leribus sempiterna. Nec enim fas est, aut eum, qui sceleratus in vita feliciter fuerit effugere, quod meretur, aut eum, qui ob iustitiam miserrimus fuerit, sua mercede fraudari. Quod adeo verum est, vt idem Tullius in Consolatione, non easdem sedes incolere iustos, atq; impios prædicauerit. NEC enim omnibus (inquit) ijdem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in Cælum patere, nam vitijs, & sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atq; in cæno iacere docuerunt, castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studijs, atq; artibus expolitos leui quodam, & facili lapsu ad Deos, idest ad naturam sui similem peruolare.] Quæ sententia superiori illi argumento repugnat. Illud enim sic assumptum est, tanquam necesse sit, omnem hominem natum immortalitate donari. Quod igitur erit discrimen virtutis, ac sceleris, si nihil interest, vtrumne Aristides sit aliquis, an Phalaris? Vtrum Cato, an Catilina? Sed hanc repugnantiam rerum, sententiarumq; non cernit, nisi qui tenet veritatem. Si quis igitur nos roget, vtrumne bonum sit mors, an malum; respondebimus, qualitatem eius ex vitæ ratione pendere. Nam sicut vita ipsa bonum est, si cum virtute viuatur, malum, si cum scelere, sic & mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda est. Ita fit, vt si vita in Dei religione transacta sit, mors malum non sit, quia translatio est ad immortalitatem. Sin aliter, malum sit necesse est, quoniam (vt dixi) ad æterna supplicia transmittit. Quid ergo dicemus, nisi errare illos, qui aut mortem appetunt tanquam bonum, aut vitam fugiunt tanquam malum? nisi quòd sunt iniquissimi, qui pauciora mala non pensant bonis plu ribus? Nam cum omnem vitam per exquisitas, & varias traducant voluptates, mori cupiunt, si quid fortè his amaritudinis superuenerit: & sic habent, tanquam illis nunquam fuerit benè, si aliquando fuerit male. Damnant igitur vitam omnem, plenamq; nihil aliud, quàm malis opinantur. Hinc nata est [70] inepta illa sententia, 70
a hanc esse mortem, quam nos vitam pu- a Eurip. ap.
temus, illam vitam, quam nos pro mor- Plat. in Ge-
te timeamus. Ita primum bonum esse or. & apud
non nasci, secundum, citius mori. Quæ Stob. ser. 121
vt maioris sit authoritatis, Sileno attri- Aristoph. in
buitur. b Cicero in consolatione. NON Ranis, Cic.
(inquit) longe optimum, nec in hos sco- in somn. Sci-
pulos incidere vitæ: proximum autem si pionis, & p.
natus sis, [71] quam primum mori, & tanquã Tuscul.
ex incendio effugere fortunæ.] Credidit 71
se illum vanissimo dicto exinde apparet, b ap. Cic. in
quòd adiecit aliquid de suo, vt ornaret. fine p Tusc.
Quæro igitur, cui esse optimum putet nõ nasci, cum sit nullus omninò, qui sentiat: nam vt bonum sit aliquid, aut malum, sensus efficit. Deinde cur omnem vitam nihil aliud esse, quam scopulos, & incendiũ putauerit; quasi aut in nostra fuerit potestate, ne nasceremur, aut vitam nobis fortuna tribuat, non Deus, aut viuendi ratio quicquam simile incendio habere videa-

videatur. Non diſſimile Platonis illud eſt, quod aiebat, a ſe gratias agere naturæ: primùm, quòd homo natus eſſet, potius quàm mutum animal; deinde, quòd mas potius quàm fœmina, quòd Græcus, quàm Barbarus; poſtremo, quòd Athenienſis, & quòd temporibus Socratis. Dici non poteſt, quantam mentibus cæcitatem, quantoſq; pariat errores ignoratio veritatis. Ego planè contenderim, nunquam quicquam dictum eſſe in rebus humanis delirius; quaſi verò ſi aut Barbarus, aut mulier, aut aſinus denique natus eſſet, idem ipſe Plato eſſet, ac non illud ipſum, quod natus fuiſſet. Sed Pythagoræ videlicet credidit, qui, vt vetaret homines animalibus veſci; dixit, animas de corporibus in aliorum animalium corpora commeare; quod & vanum, & impoſſibile eſt. Vanum, quia neceſſe non fuit, veteres animas in noua corpora inducere, cum idem artifex, qui primas aliquando fecerat, potuerit ſemper nouas facere; impoſſibile, quia rectæ rationis anima tam immutare naturam ſtatus ſui non poteſt, quàm ignis aut deorſum niſi, aut in tranſuerſum fluminis modo flammam ſuam fundere. Exiſtimauit igitur homo ſapiens fieri potuiſſe, vt anima, quæ tunc erat in Platone, in aliquod mutum animal includeretur, eſſetq; humano ſenſu prædita, vt intelligeret, ac doleret, incongruenti ſe corpore oneratam. Quanto ſanius faceret, ſi gratias agere ſe diceret, quòd ingenioſus, quòd docilis natus eſſet, quòd in ijs opibus, vt liberaliter erudiretur. Nam quòd Athenis natus eſt, quid in eo beneficij fuit? An non plurimi extiterunt in alijs Ciuitatibus excellenti ingenio, atque doctrina viri, qui meliores ſinguli, quam omnes Athenienſes fuerunt? Quanta hominum millia fuiſſe credamus, qui & Athenis nati, & temporibus Socratis, indocti tamen, ac ſtulti fuerunt? Non enim aut parietes, aut locus, in quo quiſq; eſt effuſus ex vtero, conciliat homini ſapientiam. Quid verò attinuit, Socratis ſe temporibus natum gloriari? Num Socra-
72 tes ingenia diſcentibus potuit dare? [m] Nõ venit in mentem Platoni, Alcibiadem quoq; & Critiam eiuſdem Socratis aſſiduos auditores fuiſſe, quorum alter hoſtis patriæ acerrimus fuit, alter crudeliſſimus omnium tyrannorum.

a Plat. apud Plut. ad fin. Marij.

CAPVT XX.

VIDEAMVS nunc, quid in Socrate ipſo tam magnum fuerit, vt homo ſapiens meritò gratias ageret, illius ſe temporibus eſſe natum. Non inficior, fuiſſe illum paulò cordatiorem, quàm cæteros, qui naturam rerum putauerunt ingenio poſſe comprehendi, in quo illos nõ excordes tantùm fuiſſe arbitror, ſed etiam impios, quòd in ſecreta cœleſtis illius prouidentiæ curioſos oculos voluerũt immittere. Romæ, & in pleriſq; ciuitatibus ſcimus eſſe quædam ſacra, quæ aſpici à viris nefas habeatur. Abſtinent igitur aſpectu, quibus contaminare illa non licet, & ſi fortè vel errore, vel caſu quippiam vir aſpexerit, primò pœna eius, deinde inſtauratione ſacrificij ſcelus expiatur. Quid his facias, qui in conceſſa ſcrutari volunt? Nimirum multò ſceleratiores, qui arcana mundi, & hoc cœleſte templum profanare impijs diſputationibus quærunt, quam qui ædem Veſtæ, aut Bonæ Deæ, aut Cereris intrauerint: quæ penetralia, quamuis adire viris non liceat, tamen à viris fabricata ſunt. Hi verò non tantùm impietatis crimen effugiunt; ſed (quod eſt multò indignius) eloquentiæ famam, & ingenij gloriam conſequuntur. Quid ſi aliquid inueſtigare poſſent? Sunt enim tam ſtulti in aſſeuerando, quam improbi in quærendo, cum neq; inuenire quicquam poſſint, nec defendere, etiam ſi inuenerint. Nam ſi verum vel fortuitò viderint, quod ſæpius contingit, committunt, vt ab alijs id pro falſo refellatur. Non enim deſcendit aliquis de Cælo, qui ſententiam de ſingulorum opinionibus ferat, qua propter nemo dubitauerit, eos qui iſta conquirant ſtultos, ineptos, inſanos eſſe. Aliquid ergo Socrates habuit cordis humani, qui cum intelligeret hæc non poſſe inueniri, ab eiuſmodi quæſtionibus ſe remouit. Vereorq; ne in eo ſolo. Multa enim ſunt eius non modo laude indigna, ſed etiam reprehenſione digniſſima, in quibus fuit ſuorum ſimillimus. Ex his vnum eligam, quod ab omnibus ſit probatum. Celebre hoc prouerbium Socrates habuit. QVOD ſupra nos, nihil ad nos.] Procumbamus igitur in terram, & manus nobis ad præclara opera datas conuertamus in pedes. Nihil

ad nos Cælum, ad cuius cõtemplationem sumus excitati; nihil deniq; lux ipsa pertineat: certè victus nostri causa de Cœlo est: quòd si hoc sensit, non esse de rebus cœlestibus disputandum, ne illorum quidem rationem poterat comprehendere, quæ sub pedibus habebat. Quid ergo? Num errauit in verbis? Verisimile non
73 est. Sed [73] nimirum id sensit, quod locutus est, religioni minimè seruiendũ: quod si apertè diceret, nemo pateretur. Quis enim non sentiat, hunc mundum tam mirabili ratione perfectum aliqua prouidentia gubernari? quandoquidem nihil est, quod possit sine vllo moderatore consistere. Sic domus ab habitatore deserta dilabitur. Nauis sine gubernatore abit pessum; & corpus relictum ab anima defluit; nedum putemus tãtam illam molem aut construi sine artifice, aut stare sine rectore tamdiu potuisse. Quod si publicas illas religiones voluit euertere, non improbo; quin etiam laudabo, si ipse quod est me-
74 lius inuenerit. Verùm [74] idem per canem, & anserem deierabat. O hominem scurram (vt ait Zeno Epicureus *a*) ineptum, perditum, desperatum, si cauillari voluit religionem; dementem, si hoc seriò fecit, vt animal turpissimum pro Deo haberet. Quis iam superstitiones Ægyptiorum audeat reprehendere, quas Socrates Athenis authoritate confirmauit sua? Illud verò nonne summæ vanitatis, quòd ante mortem familiares suos rogauit, vt Æsculapio gallum, quem vouerat, pro se sacrarent? Timuit videlicet, ne apud Rha-
75 damantum [75] recuperatorem voti reus fieret ab Æsculapio. Dementissimum hominem putarem, si morbo affectus perisset. Cum verò hoc sanus fecerit, est ipse insanus, qui eum putet fuisse sapientem. En cuius temporibus natum esse se homo sapiens gratulatur.

a apud Cic. pr. de nat. Deor.

CAPVT XXI.

VIDEAMVS tamen, quid illum Socrates docuerit, qui cum totã Physicam repudiasset, eò se contulit, vt de virtute, atq; officio quæreret. Itaq; non dubito, quin auditores suos iustitiæ præceptis erudierit. Docente igitur Socrate
76 non fugit Platonẽ, iustitiæ vim [76] in æquitate consistere: si quidem omnes pari conditione nascuntur. Ergo nihil (inquit *a*) priuati, ac proprij habeant, sed, vt pares esse possint, quod iustitiæ ratio desiderat, omnia in commune possideant. Ferri hoc potest quam diù de pecunia dici videtur: quod ipsum quàm impossibile sit, & quàm iniustum, poteram multis rebus ostendere. Concedamus tamen, vt possit fieri. Omnes enim sapientes erunt, & pecuniam contemnent. Quò ergo illum cõmunitas ista perduxit? [77] Matrimonia 77
quoq; (inquit *b*) communia esse debebunt. Scilicet vt ad eandem mulierem multi viri tanquam canes confluant, & is vtiq; obtineat, qui viribus vicerit: aut, si sapientes sunt, vt philosophi, expectent, & vicibus tanquam Lupanar obeant. O miram Platonis æquitatem. Vbi est igitur virtus castitatis? Vbi fides coniugalis? quę si tollas, omnis iustitia sublata est. At idem dixit, *c* beatas ciuitates futuras fuisse, si aut philosophi regnarent, aut Reges philosopharentur. Huic verò tam iusto, tam æquo viro Regnum dares, qui alijs abstulisset sua, alijs condonasset aliena, prostituisset pudicitiam fœminarum; quę nullus vnquam non modò Rex, sed ne Tyrannus quidem fecit. Cum verò intulit rationem turpissimi huius consilij sic inquit. [78] Ciui- 78
tas concors erit & mutui amoris constricta vinculis, si omnes omnium fuerint & mariti, & patres, & vxores, & liberi. Quę ista confusio generis humani est? Quo modo seruari potest caritas, vbi nihil est certum, quod ametur? quis aut vir mulierem, aut mulier virum diliget, nisi habitauerint semper vna? nisi deuota mens, & seruata inuicem fides indiuiduam fecerit caritatem? quæ virtus in illa promiscua voluptate locum non habet. Item si omnes omnium liberi fuerint, quis amare liberos tanquam suos poterit, cum suos esse aut ignoret, aut dubitet? quis honorem tanquam patri deferet, cum vnde natus sit nesciat? Ex quo fit, vt non tantum alienum pro patre habeat, sed etiam patrem pro alieno? Quid, quòd vxor potest esse communis, filius verò non potest? quem concipi non nisi ex vno necesse est. Perit ergo illi vna communitas, ipsa reclamante natura. Superest, vt tantummodo concordiæ causa vxores velint esse communes. At nulla vehementior discordiarum causa est, quàm vnius fœminæ a multis mari-

a Plato de leg. l. 5.
b Plato vbi sup. & 5. de
c Plato 5. de Repub.

maribus appetitio. In quo Plato si ratione non potuit, exemplis certè potuit admoneri, & mutorum animalium, quæ ob hoc vel acerrimè pugnant, & hominum, qui semper ob eam rem grauissima inter se bella gesserunt.

CAPVT XXII.

RESTAT, vt communio ista nihil aliud habeat præter adulteria, & libidines, propter quas funditus euertendas virtus est vel maximè necessaria. Itaq; non inuenit cōcordiam, quam quærebat, quia non videbat, vnde oriatur. Nam iustitia in extra positis nihil momenti habet, ne in corpore quidem, sed tota in hominis mente versatur. Qui ergo vult homines adæquare, non matrimonia, non opes subtrahere debet, sed arrogantiam, superbiam, tumorem, vt illi potentes, & elati pares esse se etiam mendicissimis sciant. Detracta enim diuitibus insolentia, & iniquitate nihil intererit, vtrumnè alij diuites, alij pauperes sint, cum animi pares sint, quod efficere nulla alia res præter religionem Dei potest. Putauit igitur, se inuenisse iustitiam, cum eam prorsus euerterit, quia non rerum fragilium, sed mentium debet esse communitas. Nam si iustitia virtutum omniū mater est, cum illæ singulæ tolluntur, ipsa subuertitur. Tulit autem Plato ante omnia frugalitatem, quæ vtiq; nulla est, vbi proprij nihil habeatur. Tulit abstinen-
79 tiam, [79] siquidem nihil fuerit, quod abstineatur, alienum. Tulit temperantiam, tulit castitatem, quæ virtutes in vtroq; sexu maximæ sunt. Tulit verecundiam, pudorem, modestiam, si honesta, & legitima esse incipiunt, quæ solent flagitiosa, & turpia iudicari. Sic virtutem dum vult omnibus dare, omnibus ademit. Nam rerum proprietas & vitiorum, & virtutum materiam continet; communitas autem nihil aliud, quàm vitiorum licentiam. Nam viri, qui multas mulieres habēnt, nihil aliud dici possunt, quàm luxuriosi, ac nepotes. Item mulieres, quæ à multis habētur, non vtiq; adulteræ, quia certum matrimonium nullum est, sed prostitutæ, ac meretrices sint necesse est. Redegit ergo humanam vitam ad similitudinem non dico mutorum, sed pecudum, ac belluarū. Nam volucres penè omnes faciunt matrimonia, & paria iunguntur, & nidos suos 80
tanquam [80] geniales toros concordi mente defendunt, & fœtus suos, quia certi sunt amant, & si alienos obieceris abigunt. At homo sapiens contra morem hominum, contraq; naturam, stultiora sibi, quæ imitaretur, elegit. Et quoniam videbat in cæteris animalibus officia marium, fœminarumq; nō esse diuisa, existimauit a oportere etiam mulieres militare, & consilijs publicis interesse, & magistratus gerere, & imperia suscipere. Itaq; his arma, & equos assignauit. Consequens est, vt lanam, & telam viris, & infantium gestationes. Nec vidit impossibilia esse quæ diceret ex eo, quòd adhuc [81] in orbe terrę neq; 81
tam stulta, neq; tam sapiens vlla gens extiterit, quæ hoc modo viueret.

a Plato 5. de Repub.

CAPVT XXIII.

CVM igitur in tanta vanitate ipsi philosophorum principes deprehendātur, quid illos minores putabimus, qui nunquam sibi tam sapientes videri solent, quam cum pecuniæ contemptu gloriantur? Fortis animus. Sed expecto, quid faciant, & quò ille contemptus euadat. Tradita sibi à parentibus patrimonia tanquam malum fugiunt, ac deserunt; & ne in tempestate naufragium faciant, in tranquillo se vltrò præcipitant non virtute, sed peruerso metu fortes; sicut illi, qui, cum timent, ne ab hoste iugulentur, ipsi se iugulant, vt mortem morte deuitent; sic isti, vnde possent gloriam liberalitatis acquirere, sine honore, sine gratia perdunt, laudatur Democritus, quòd agros suos reliquerit, eosq; pascua publica fieri passus sit. Probarem [82] si donasset. Nihil autem 82
sapienter fit, quod si ab omnibus fiat, inutile est, ac malum. Sed hæc negligentia tolerabilis. [83] Quid ille, qui patrimonium 83
in nūmos redactum effudit in mare? Ego dubito, vtrumnè sanus, an demens fuerit. Abite (inquit) in profundum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Si tantus pecuniæ contemptus est, fac illam beneficium, fac humanitatem, largire pauperibus. Potest hoc, quod perditurus es multis succurrere, ne fa-

ne fame, aut siti, aut nuditate moriantur. Imitare insaniam saltem, furoremq; Tuditani; sparge populo diripienda. Potes & pecuniam effugere, & tamen benè collocare, quia saluum est quicquid pluribus
84 profuit. [84] Zenonis autem paria peccata
85 quis probat? Sed omittamus id, [85] quod est ab omnibus semper irrisum. Illud satis est ad coarguendum furiosi hominis errorem, quod inter vitia, & morbos misericordiam posuit. Adimit nobis affectum, quo ratio humanæ vitæ penè omnis continetur. Cum enim natura hominis imbecillior sit, quàm cæterorum animalium, quæ vel ad perferendam vim temporum, vel ad incursiones à suis corporibus arcendas naturalibus munimentis prouidentia cœlestis armauit; homini autem, quia nihil istorum datum est, accepit pro illis omnibus miserationis affectum, qui planè vocatur humanitas, qua nosmet inuicem
86 tueremur. Nam si homo [86] ad conspectū alterius hominis efferaretur, quod facere videmus animantes, quarum natura soliuaga est, nulla esset hominum societas, nulla vrbium condendarum vel cura, vel ratio. Sic neq; vita quidem satis tuta, cū & cæteris animalibus exposita esset imbecillitas hominum, & ipsi inter semetipsos belluarum more sæuirent. Non minor in alijs dementia. Quid enim dici potest de
87 illo, [87] qui nigram dixit esse niuem. quam consequens erat, vt etiam picem albam
88 esse diceret? [88] Hic est ille, qui se icircò natum esse dicebat, vt cælum, ac Solem videret, qui in terra nihil videbat, Sole lucente. Xenophanes dicentibus Mathematicis, orbem Lunæ duodeuiginti partibus maiorem esse, quàm terram, stultissimè credidit; &, quod huic leuitati fuit
89 consentaneum, dixit, [a] [89] intra concauum
a apud Cic. Lucull. Lunæ sinum esse aliam terram, & ibi aliud genus hominum simili modo viuere, quo nos in hac terra viuimus. Habent igitur illi lunatici homines alteram Lunam, quæ illis nocturnum lumen exhibeat, sicut hæc exhibet nobis. Et fortasse hic noster orbis
90 alterius inferioris terræ Luna sit. [90] Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui deliberaret, vtrūnè Soli quoq; suos populos daret, ineptè scilicet qui dubitauerit: quid enim perderet si dedisset? sed, credo, calor deterrebat, ne tantā multitudinem periculo cōmitteret, ne si æstu nimio perijssent, ipsius culpa euenisse tanta calamitas diceretur.

CAPVT XXIV.

[91] QVID illi, qui esse contrarios vestigijs nostris Antipodas putant? 91
Num aliquid loquuntur? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines quorum vestigia sint superiora, quàm capita? aut ibi, quæ apud nos iacent, inuersa pendere? fruges, & arbores deorsum versus crescere? pluuias, & niues, & grandinem sursum versus cadere
in terram? Et miratur aliquis [92] hortos 92
pensiles inter septem mira narrari, cum philosophi & agros, & maria, & vrbes, & montes pensiles faciant? Huius quoq; erroris aperienda nobis origo est; nam semper eodem modo falluntur. Cū enim falsum aliquid in principio sumpserint verisimilitudine inducti, necesse est, eos in ea, quæ consequuntur, incurrere. Sic incidunt in multa ridicula, quia necesse est, falsa esse, quæ rebus falsis congruunt. Cum autem primis habuerint fidem, qualia sunt ea, quæ sequuntur, non circumspiciunt, sed defendunt omni modo, cum debeant prima illa, vtrumnè vera sint, an falsa ex consequentibus iudicare. Quæ igitur illos Antipodas ratio perduxit? Videbant syderum cursus in occasum meantium, Solem, atq; Lunam in eandem partem semper occidere, atq; oriri semper ab eadem. Cum autem non perspicerent, quæ machinatio cursus eorum temperaret, nec quomodo ab occasu ad orientem remearent, Cælum autem ipsum in omnes partes putarent esse diuexum (quod sic videri propter immensam latitudinē necesse est) existimauerunt rotundum esse mundū,
sicut pilam, [93] & ex motu syderum opina- 93
ti sunt Cœlum volui; sic astra, Solemq; cum occiderint volubilitate ipsa mundi ad ortum referri. Itaq; & æreos orbes fabricati sunt quasi ad figuram mundi, eosq; cælarunt portentosis quibusdam simula-
chris, quæ astra esse dicerent. [94] Hanc 94
igitur Cœli rotunditatem illud sequebatur, vt terra in medio sinu eius esset inclu-
sa. Quod si ita esset, [95] etiam ipsam ter- 95
ram globo similem. Neq; enim fieri posset, vt non esset rotundum, quod rotundo inclusum teneretur. Si autem rotunda etiam terra esset, necesse esse, vt in omnes Cœli partes eandem faciem gerat;

ideſt montes erigat, campos tendat, maria conſternat. Quod ſi eſſet, etiam ſequebatur illud extremum, vt nulla ſit pars terræ, quæ non ab hominibus, cæteriſq; animalibus incolatur. Sic pendulos iſtos Antipodas Cæli rotunditas adinuenit. Quod ſi quæras ab ijs, qui hæc portenta defendunt, quomodo non cadunt omnia in inferiorem illam Cæli partem? reſpondent, hanc rerum eſſe naturam, vt pondera in medium ferantur, & ad medium connexa ſint omnia, ſicut radios videmus in rota: quæ autem leuia ſunt vt nebula, fumus, ignis, a medio deferantur, vt cælum petant. Quid dicam de ijs neſcio, qui, cum ſemel aberrauerint, conſtanter in ſtultitia perſeuerant, & vanis vana defendunt, niſi quòd eos interdum puto aut ioci cauſa philoſophari aut prudẽtes, & ſcios mendacia defendenda ſuſcipere, quaſi vt ingenia ſua in malis rebus exerceant, vel oſtentent. At ego multis argumentis probare poſſum, nullo modo fieri poſſe, vt Cælum terra ſit inferius, niſi & liber iam concludendus eſſet, & adhuc aliqua reſtarent, quæ magis ſunt præſenti operi neceſſaria; & quoniam ſingulorum errores percurrere non eſt vnius libri opus, ſatis ſit pauca enarraſſe, ex quibus poſſint, qualia ſint cætera intelligi.

CAPVT XXV.

NVNC pauca nobis de philoſophia in communi dicenda ſunt, vt confirmata cauſa peroremus. Summus ille noſter Platonis imitator exiſtimauit, philoſophiam non eſſe vulgarem, quòd eam non niſi docti homines aſſequi poſſent. *a Cic. initio 2. Tuſcul.* EST (inquit *a*) philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens.] Non eſt ergo ſapientia, ſi ab hominum cœtu abhorret; quoniam ſi ſapientia homini data eſt, ſine vllo diſcrimine omnibus data eſt, vt nemo ſit prorſus, qui eam capere non poſſit. At illi virtutem humano generi datam ſic amplexantur, vt ſoli omnium publico bono frui velle videantur, tam inuidi, quam ſi velint deligare oculos, aut effodere cæteris, ne Solem videant. Nam quid eſt aliud hominibus negare ſapientiam, quàm mentibus eorum verum, ac diuinum lumen auferre? Quòd ſi natura hominis ſapientiæ capax eſt, oportuit opifices, & ruſticos, & mulieres, & omnes deniq; qui humanam formam gerunt, doceri vt ſapiant; populumq; ex omni lingua, & conditione, & ſexu, & ætate conflari. Maximum itaq; argumentum eſt, philoſophiã neque ad ſapientiam tendere, neq; ipſam
eſſe ſapientiam; quòd [96] myſterium eius 96
barba tantùm celebratur, & pallio. Senſerunt hoc adeo Stoici, qui & ſeruis, & mulieribus philoſophãdum eſſe dixerunt. Epicurus quoq;, qui rudes omnium literarum ad philoſophiam inuitat. Item Plato, qui ciuitatem de ſapientibus voluit cõponere. Conati quidem ſunt illi facere, quod veritas exigebat, ſed non potuit vltra verba procedi; primum quia multis artibus opus eſt, vt ad philoſophiam poſſit accedi. Diſcendæ literæ iſtæ communes propter vſum legendi, quia in tanta rerum varietate nec diſci audiẽdo poſſunt omnia, nec memoria contineri. Grammaticis quoq; non parum operæ dandum eſt, vt rectam loquendi rationem ſcias. Id multos annos auferat neceſſe eſt. Nec oratoria quidem ignoranda eſt, vt ea quæ didiceris, proferre, atq; eloqui poſſis. Geometria quoq; ac Muſica, & Aſtrologia neceſſaria eſt, quòd hæ artes cum philoſophia habent aliquam ſocietatem; quæ vniuerſa perdiſcere neque fœminæ poſſunt, quibus intra puberes annos officia mox vſibus domeſticis pro futura diſcenda ſunt; neq; ſerui, quibus per eos annos vel maximè ſeruiendum eſt, quibus poſſunt diſcere; neq; pauperes, aut opifices, aut ruſtici, quibus in diem victus labore eſt quærendus. Ob eam cauſam Tullius *a* *a*
ait abhorrere a multitudine philoſophiam. *Cic. vbi ſup.*
At enim rudes Epicurus accipiet. Quo modo ergo illa, quæ de principijs rerum dicuntur, intelligent? quæ perplexa, & inuoluta vix etiam politi homines aſſequuntur. In rebus igitur obſcuritate implicitis, & ingeniorum varietate confuſis, & eloquentium virorum exquiſito ſermone fucatis quis imperito, ac rudi locus eſt. Deniq; nullas vnquam mulieres philoſophari docuerunt præter vnam ex omni memoria Themiſten; neq; ſeruos præter
vnum [97] Phædonem, quem malè ſeruien- 97
tem redemiſſe, ac docuiſſe [98] Cebetem tra- 98
dunt. Enumerant etiam [99] Platonem, ac 99
Diogenem, qui tamen ſerui non fuerunt,

ſed

100 [100] sed his seruitus euenerat; sunt enim capti. Platonem quidem redimisse Aniceris quidam traditur sestertijs octo. Itaq; insectatus est conuitijs redemptorem Seneca, quòd paruo Platonem æstimauerit. Furiosus, vt mihi quidem videtur, qui homini fuerit iratus, quòd non multum pecuniæ perdidit. Scilicet
101 [101] aurum appendere debuit, tanquam pro mortuo Hectore; aut tantum ingerere nũmorum, quantum venditor non popoicit. Ex Barbaris verò nullum præter vnum Anacharsim Scytham, qui philosophiam ne somniasset quidem, nisi & linguam, & græcas literas ante didicisset.

CAPVT XXVI.

QVOD ergo illi poscente natura faciendum esse senserunt, sed tamen neq; ipsi facere potuerunt, neq; à philosophis fieri posse viderunt, sola hæc efficit doctrina cœlestis, quia sola sapientia est. Illi scilicet persuadere cuiquam potuerunt, qui nihil persuadent etiã sibi? aut cuiusquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coercebunt, cum ipsi & cedant vitijs, & fateantur plus valere naturam? Dei autem præcepta quia & simplicia, & vera sunt, quantum valeant in animis hominum quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; paucissimis Dei verbis —— *tam placidum, quàm ouem reddam.* a Da cupidum, auarum, tenacem, iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam proprijs manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis; iam cruces, & ignes, & pericula, & Taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem, iam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem, & sanguinis appetentem; iam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da iniustum, insipientem, peccatorem, continuò & æquus, & prudens, & innocens erit. Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. Tanta diuinæ sapientiæ vis est, vt in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam vno simul impetu expellat: ad quod efficiendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista fiunt, facilè, citò, modò pateant aures, & pectus sapientiam sitiat. Nemo vereatur nos, aquam non vendimus, nec Solem mercede præstamus. Dei fons vberrimus, atq; plenissimus patet cunctis, & hoc cæleste lumen vniuersis oritur, quicunq; oculos habent. Num quis hæc philosophorum aut vnquam præstitit, aut præstare, si velit, potest? Qui, cum ætates suas in studio philosophiæ conterant, neq; alium quenquam, neq; se ipsos (si natura paululum obstitit) possunt facere meliores. Itaq; sapientia eorum, vt plurimum efficiat, non excindit vitia, sed abscondit; pauca verò Dei præcepta sic totum hominem immutant, & exposito vetere nouum reddunt, vt non cognoscas eundem esse.

a Teren. Adelph. act. 4. scen. pr.

CAPVT XXVII.

QVID ergo? Nihilnè illi simile præcipiunt? Immo permulta, & ad verum frequenter accedunt. Sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, & authoritate maiori, idest diuina illa carent. Nemo igitur credit, quia tam si hominem putat esse, qui audit, quam est ille, qui præcipit. Præterea nihil apud eos certi est, nihil quod à scientia veniat. Sed cum omnia coniecturis agantur, multa etiam diuersa, & varia proferantur, stultissimi est hominis præceptis eorum velle parere, quæ vtrum vera sint, an falsa, dubitatur. Et ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare. Virtutem esse Stoici aiunt, a quæ sola efficiat vitam beatam. Nihil potest verius dici. Sed quid si cruciabitur, aut dolore afficietur? poteritne quisquam inter carnifices beatus esse? Immo verò illatus corpori dolor materia virtutis est. Itaq; ne in tormentis quidem miser est. Epicurus multò fortius. Sapiens (inquit b) semper beatus est, & vel inclusus in Phalaridis tauro hanc vocem emittet. Suaue est, & nihil curo. Quis cum non irriserit? Maximè quòd homo voluptarius personam sibi viri fortis imposuit, & quidem supra modum. Non enim fieri potest, vt quisquã cruciatus corporis pro voluptatibus ducat, cum satis sit ad officium virtutis implendum perferre, ac sustinere. Quid di-

a ap. Cic. 5. Tuscul. Senec. ep. 93.

b ap. Cic. sub init. 2. Tusc.

citis Stoici? Quid tu Epicure? Beatus est sapiens etiam cum torquetur. Si propter gloriam patientiæ, non fruetur; in tormentis enim fortasse morietur. Si propter memoriam, aut non sentiet, si occidunt animæ, aut si sentiet, nihil ex ea consequetur. Quis ergo alius fructus est in virtute? quæ beatitudo vitæ, vt æquo animo moriatur? Bonum mihi affertis vnius horæ, aut fortasse momenti, propter quod non expediat in tota vita miserijs, & laboribus confici. Quantum autem temporis mors occupat? quæ cum venit, vtrũ æquo animo, an iniquo eam subieris, iam nihil refert. Ita fit, vt nihil aliud ex virtute capretur nisi gloria; sed hæc aut superuacua, & breuis est, aut prauis hominũ iudicijs nõ sequitur. Nullus igitur ex virtute fructus est, vbi virtus mortalis est, & caduca. Ita qui hæc locuti sunt, vmbram quandam virtutis viderunt, ipsam virtutem non viderunt; defixi enim fuerunt in terram, nec vultus suos in altum erigebant, vt eam possent intueri,

102 [a] *Quæ sese à Cœli regionibus ostendebat.* a

a Lucretius initio pr. Hæc causa est, cur præceptis eorum nullus obtemperet, quoniam aut ad vitia erudiunt, si voluptatem defendunt, aut si virtutem asserunt, neq; peccato pœnam minantur, nisi solius turpitudinis, neque virtuti vllum præmium pollicentur, nisi solius honestatis, & laudis, cum dicant, non propter aliud, sed propter se ipsam expetendam esse virtutem. Beatus est igitur sapiens in tormentis, sed cum torquetur pro fide, pro iustitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimum faciet. Est enim Deus, qui solus potest honorare virtutem, cuius merces immortalitas sola est, quam qui non appetunt, nec religionem tenent, cui æterna subiacet vita, profectò neq; virtutis vim sciunt, cuius præmium ignorant, neq; in Cœlum spectant,

103 quod ipsi se facere putant, [103] cum res nõ vestigabiles quærunt: quia ratio in Cœlum spectandi nulla alia est, nisi aut religionem suscipere, aut animam suam immortalem esse credere. Quisquis enim aut Deum colendum esse, intelligit, aut immortalitatis spem sibi propositam habet, mens eius in Cœlo est. Et licet id non aspiciat oculis, animæ tamen lumine aspicit. Qui autem religionem non suscipiunt, terreni sunt, quia religio de Cœlo est. Et qui animam putant cum corpore interire, æquè in terram spectant, quia vltra corpus, quod est terra, nihil amplius vident, quod sit immortale. Nihil igitur prodest, hominem ita esse fictum, vt rectò corpore spectet in Cœlum, nisi erecta mente Deũ cernat, & cogitatio eius in spe vitæ perpetuæ tota versetur.

CAPVT XXVIII.

QVAPROPTER nihil aliud est in vita, quo ratio, quo conditio nostra nitatur, nisi Dei, qui nos genuit, agnitio, & religiosus, ac pius cultus, vnde quoniam philosophi aberrauerunt, sapientes vtiq; non fuerunt. Quæsierunt illi quidem sapientiam, sed quia nõ ritè quærebant, prolapsi sunt longiùs, & in tantos errores inciderunt, vt etiam cõmunem sapientiam non tenerent; non enim tantùm religionem asserere noluerunt, verùm etiam sustulerunt, dum specie virtutis falsæ inducti conantur animos omni metu liberare; quæ religionis euersio naturæ nomen inuenit. Hi enim, cum aut ignorarent, a quo esset effectus mundus, aut persuadere vellent, nihil esse diuina mente perfectum, naturam esse dixerunt rerum omnium matrem, quasi dicerent, omnia sua sponte esse nata: quo verbo planè imprudentiam suam confitentur. Natura enim, remota prouidentia, & potestate diuina, prorsus nihil est. Quòd si Deum naturam vocant, quæ peruersitas est, naturam potiùs quàm Deum nominare? Si autem natura ratio est, vel necessitas, vel conditio nascendi, non est per se ipsam sensibilis, quia necesse est, mentem esse diuinam, quæ sua prouidentia nascendi principium rebus omnibus præbeat. Aut si natura est Cœlum, atq; terra, & omne quod natum est, non est Deus natura, sed Dei opus. Non dissimili errore credunt, esse Fortunam quasi Deã quandam res humanas varijs casibus illudentem, quia nesciunt, vnde sibi bona, & mala eueniant. Cum hac se compositos ad præliandum putant, nec vllam tamen rationem reddunt, a quo, & quam ob causam; sed tantùm cum fortuna se digladiari momentis omnibus gloriantur. Iam quicunq; aliquos consolati sunt ob interi-

interitum, amissionemq; carorum, For-
tunæ nomen acerrimis accusationibus
prosciderunt, nec omninò vlla eorum dis-
putatio de virtute est, in qua non Fortu-
na vexetur. M. Tullius in sua Consolatio-
ne pugnasse se semper contra fortunam
loquitur, eamq; à se esse superatam, cum
fortiter inimicorum impetus retulisset: ne
tum quidem se ab ea fractum, cum domo
pulsus patria caruit: Tum autem, cum
amiserit carissimam filiam, victum se a For
tuna turpiter confitetur. CEDO (in-
104 quit [104]) & manum tollo.] Quid hoc ho-
mine miserius, qui sic iaceat? Insipienter
(inquis.) Sed qui profitetur se esse sapien-
tem. Quid ergo sibi vult assumptio nomi-
nis? Quid contemptus ille rerum, qui ma-
gnificis verbis prætenditur? Quid dispar
cæteris habitus? Aut cur omnino præce-
pta sapientiæ dantur, si nemo, qui sa-
piat, adhuc inuentus est? Et quisquam
nobis inuidiam facit, quia philosophos
negamus esse sapientes? cum ipsi nec
scire se quicquam, nec sapere fate-
antur. Nam si quando ita defecerint, vt
ne effingere quidem quicquam possint,
quod faciunt in rebus cæteris, tum verò
ignorantiæ admonentur, & quasi furi-
bundi exiliunt, & exclamant, se cæcos es-
se, & excordes. Anaxagoras pronunciat,
circumfusa esse tenebris omnia. Empe-
docles angustas esse sensuum semitas que-
ritur, tanquam illi ad cogitandum rheda,
& quadrigis opus esset. Democritus quasi
in puteo quodam sic alto, vt fundus sit nul
lus, veritatem iacere demersam: nimirū
stultè, vt cætera. Non enim tanquam in
puteo demersa est veritas, quò vel descen-
dere, vel etiam cadere illi licebat, sed tan
quam in summo montis excelsi vertice,
vel potius in Cœlo; quod est verissimum.
Quid enim est, cur eam potius in imum
depressam diceret, quam in summum leua-
tam? nisi fortè mentem quoq; in pedibus,
aut in imis calcibus constituere malebat,
potiùs quam in pectore, aut in capite.
Adeo remotissimi fuerunt ab ipsa verita-
te, vt eos ne status quidem sui corporis ad-
moneret, veritatem in summo illis esse
quærendam. Ex hac desperatione con-
fessio illa Socratis nata est, qua se nihil
scire dixit, *a* nisi hoc vnum, quòd nihil
sciat. Hinc Academiæ disciplina mana-
uit, si tamen disciplina dici potest, in qua
ignoratio & dicitur, & docetur. Sed ne

a ap. Plat. in Apolog. Phædon. Criton. & ap. Cic. p. acad. quæst. sub initum.

illi quidem, qui scientiam sibi assumpse-
runt, idipsum, quod se scire putabant, cō-
stanter defendere potuerunt. Qui, quo-
niam ratio illis non quadrabat, per igno-
rantiam rerum diuinarum tam varij, tam
incerti fuerunt, sibiq; sæpe contraria dis-
serentes, vt quid sentirent, quid vellent,
statuere, ac dijudicare non possis. Quid
igitur pugnes aduersus eos homines, qui
suo sibi gladio pereunt? Quid labores, vt
eos destruas, quos sua ipsos destruit, atq;
affligit oratio. [105] ARISTOTELES (in- 105
quit Cicero *a*) veteres philosophos accu-
sans ait, eos aut stultissimos, aut glorio
sissimos fuisse, qui existimassent, philoso-
phiam suis ingenijs esse perfectam. Sed se
videre (quòd paucis annis magna acces-
sio facta esset) breui tempore philosophiā
planè absolutam fore.] Quod igitur fuit
illud tempus? quando est, aut a quibus ab-
soluta? Nam quod ait, stultissimos fuisse,
qui putassent ingenijs suis perfectam esse
sapientiam, verum est. Sed ne ipse qui-
dem satis prudenter, qui aut a veteribus
cæptam, aut a nouis auctam, aut mox a
posterioribus perfectum iri putauit. Nun-
quam enim potest inuestigari quod non
per viam suam quæritur.

a Cic. 3. Tusculan.

CAPVT XXIX.

SED repetamus id, quod omisimus.
Fortuna ergo per se nihil est; nec sic
habendum est tanquam sit in aliquo sen-
su, si quidem fortuna est accidentium
rerum subitus, atque inopinatus euen-
tus. Verùm Philosophi, ne aliquando
non errent, in re stulta volunt esse
sapientes, qui fortunæ sexum mutant,
eamq; non Deam, sicut vulgus, sed Deum
esse dicunt. Eundem tamen interdum na-
turam, interdum fortunam vocant, [106] 106
QVOD multa (inquit idem Cicero *b*) ef-
ficiat inopinata nobis propter obscurita-
tem, ignorationemq; causarum.] Cum
igitur causas ignorent, propter quas fiat
aliquid; & ipsum, qui facias, ignorent ne-
cesse est. Idem in opere valde serio, in
quo præcepta vitæ deprompta ex philoso-
phia filio dabat. MAGNAM (inquit *c*)
esse fortunæ vim in vtranq; partem quis
nesciat? nam & cum prospero flatu eius
vtimur, ad exitus peruenimus optatos,
& cum

b Cic. p. academ. quæst. ad fin.
c Cic. 2. Officior. c. 2. ad fin.

&cum reflauerit, affligimur.] Primum qui negat sciri posse quicquam, sic hoc dixit, tanquam & ipse, & omnes sciant. Deinde qui etiam quæ clara sunt dubia conatur efficere, hoc putauit esse clarum, quod illi esse debuit vel maximè dubium; nam sapienti omninò falsum est. Quis (inquit) nescit? Ego verò nescio. Doceat me, si potest, quæ sit illa vis, qui flatus iste, & qui reflatus. Turpe igitur est, hominem ingeniosum dicere id, quod si neges probare non possit. Postremò quòd is, qui dicit, assensus esse retinendos, quòd stulti sit hominis rebus incognitis temerè assentiri, is (inquam) planè vulgi, & imperitorũ opinionibus credidit, qui Fortunam putant esse, quæ hominibus tribuat bona, & mala. Nam simulachrum eius cum copia, & gubernaculo fingunt, tanquam hæc & opes tribuat, & humanarum rerũ regionem obtineat. Cui opinioni & Virgilius assentit, qui Fortunam omnipotentem vocat. *a* Et historicus, qui ait, *b* SED profectò Fortuna in omni re dominatur.] Quid ergo cæteris Dijs loci superest? Cur non aut ipsa regnare dicitur, si plus potest, aut sola colitur si omnia? Vel, si tantum mala immittit, aliquid causæ proferant, cur, si Dea sit, hominibus inuideat, eosq; perditos cupiat, cum ab his religiosè colatur; cur æquior sit malis, iniquior autem bonis; cur insidietur, affligat, decipiat, & exterminet; Quis illam generis hominum vexatricem perpetuam constituerit; cur deniq; tam malam sortita sit potestatem, vt *c* RES cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebret, obscuretq;] Hæc (inquam) philosophos inquirere oportuit potius, quam temerè innocentem accusare Fortunam; quæ etiam si sit aliqua, nihil tamen afferri ab his potest, cur hominibus tam inimica sit, quam putatur. Itaq; illæ omnes orationes, quibus iniquitatem Fortunæ lacerant, suasq; virtutes cõtra fortunam superbissimè iactãt, nihil aliud sunt, quam deliramenta inconsideratæ leuitatis. Quare non inuideãt nobis, quibus aperuit veritatem Deus, qui sicut scimus nihil esse Fortunam, ita scimus esse prauum, ac subdolum spiritum, qui sit inimicus bonis, hostisq; iustitiæ, qui contraria faciat, quam Deus, cuius inuidiæ causam in secundo libro *d* explicauimus. Hic ergo insidiatur vniuersis; sed eos, qui nesciunt Deum, errore impedit, stultitia obruit, tenebris circumfundit, ne quis possit ad diuini nominis peruenire notitiã; in quo vno, & sapientia continetur, & vita perpetua. Eos autem, qui Deũ sciunt, dolis, & astu aggreditur, vt cupiditate, ac libidine irretiat, ac peccatis blandientibus deprauatos impellat ad mortem; vel si dolo nihil proficerit, vi, & violentia deijcere conatur [107] Iccirco enim in primordijs transgressionis non statim ad pœnam detrusus à Deo est, vt hominem malitia sua exerceat ad virtutem, quæ nisi agitetur, ni assidua vexatione roboretur, non potest esse perfecta; Si quidem virtus est perferendorum malorum fortis, ac inuicta patientia: ex quo fit, vt virtus nulla sit, si aduersarius desit. Huius itaq; peruersæ potestatis cum vim sentirent virtuti repugnantem, nomenq; ignorarent, fortunæ vocabulum sibi inane finxerunt. Quod quàm lõge à sapientia sit remotum declarat Iuuenalis his versibus. *a*

Nullum numen abest, si sit prudentia, sed nos
Te facimus Fortuna Deam, Cæloq; locamus.

Stultitia igitur, & error, & cæcitas, & (vt Cicero ait *b*) ignoratio rerum, atq; causarum Naturæ, ac Fortunæ nomina induxit. Sed vt aduersarium suum nesciunt, sic nec virtutem quidem sciunt, cuius sciẽtia ab aduersarij notione descendit. Quæ si coniuncta est cum sapientia, vel (vt ipsi dicunt) eadem ipsa sapientia est, ignorent necesse est, in quibus rebus sita sit. Nemo enim potest veris armis instrui, si hostem, contra quem fuerit armandus, ignorat, nec aduersarium vincere, qui in dimicando non hostem verum, sed vmbram petit. Prosternetur enim, qui aliò intentus, venientem vitalibus suis ictum nec præuiderit ante, nec cauerit.

a Virgil. 8. Æneid.
b Sallust. in initio Coniur. Catilin.
c Sallust. ib.
d cap. 9.
a Iuuenal. Satyr. 10.
b Cic. p. Acad. quæst. vbi supra.

CAPVT XXX.

DOcvi, quantum mea mediocritas tulit, longè deuium philosophos iter a veritate tenuisse. Sentio tamen, quam multa prætererim, quia non erat mihi propria contra philosophos disputatio: sed huc necessariò diuertendum fuit, vt ostenderem, tot, & tanta ingenia in rebus falsis esse consumpta, ne quis fortè à prauis religionibus exclusus, ad eos se conferre vellet, tanquam certi aliquid re-

pertu-

perturus. Vna igitur spes homini, vna salus in hac doctrina, quam defendimus, posita est. Omnis sapientia hominis in hoc vno est, vt Deum cognoscat, & colat, hoc nostrum dogma, hæc sententia est. Quanta itaq; voce possum testificor, proclamo, denuncio. Hic hic est illud, quod Philosophi omnes in tota sua vita quæsierunt, nec vnquam tamen inuestigare, comprehendere, tenere valuerunt, quia aut prauam religionem tenuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Facessant igitur illi omnes, qui humanam vitam nõ instruunt, sed turbant. Quid enim docet? aut quem instruunt, qui se ipsos nondum instruxerunt? quem sanare ægroti, quem regere cæci possunt? Huc ergo nos omnes, quibus est cura sapientiæ, conferamus. An expectabimus, donec Socrates aliquid sciat? aut Anaxagoras lumen in tenebris inueniat? aut Democritus veritatem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitas? aut Arcesilas, & Carneades videant, sentiant, percipiant? Ecce vox de Cœlo veritatem docens, & nobis Sole ipso clarius lumen ostendens. Quid nobis iniqui sumus, & sapientiam suscipere conctamur? quam docti homines contritis in quærendo ætatibus suis nunquam reperire potuerunt. Qui vult sapiens, ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat iustitiam, sacramentum natiuitatis suæ norit, humana contemnat, diuina suscipiat, vt summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci. Dissolutis religionibus vniuersis, & omnibus quæcunq; in earum defensionem dici vel solebant, vel poterant, refutatis, deinde conuictis philosophiæ disciplinis, ad veram religionem nobis, sapientiamq; veniendum est; quoniam est (vt docebo) vtrunq; coniunctum, vt eam vel argumentis, vel exemplis, vel idoneis testibus asseramus; & stultitiam, quam nobis isti Deorum cultores obiectare non desinunt, vt nullam penes nos, sic totam penes ipsos esse doceamus. Et quamquam prioribus libris cum falsas arguerem religiones, & hic cum falsam sapientiam tollerem, vbi veritas sit ostenderim, planius tamen, quæ religio, & quæ Sapientia vera sit, liber proximus indicabit.

Libri Tertij Diuinarum Institutionum finis.



LV-



LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS GENTES.

Liber Quartus.

DE VERA SAPIENTIA, ET RELIGIONE.

CAPVT PRIMVM.



OGITANTI mihi, & cum animo meo sæpe reputanti priorem illum generis humani statum, & mirum pariter,& indignum videri solet, quòd vnius seculi stultitia religiones varias suscipientis, Deosq; multos esse credentis, in tantam subito ignorationem sui ventum est, vt ablata ex oculis veritate,neq; religio veri Dei,neq; humanitatis ratio teneretur, hominibus non in Cœlo summum bonum quærentibus, sed in terra. Quam ob causam profectò seculorum veterum mutata fœlicitas est. Cœperunt enim relicto parente, & constitutore omnium Deo, insensibilia digitorum suorum figmenta venerari; quæ prauitas quid effecerit, quid malorum attulerit, res ipsa declarat: auersi nanq; a summo bono, quod ideo beatum, & sempiternum est, quia videri, tangi, comprehendi non potest, & à virtutibus ei bono congruentibus, quæ sunt æquè immortales; ad hos corruptos, & fragiles Deos lapsi, & studentes ijs rebus, quibus solū corpus ornatur, alitur, delectatur, mortē sibi perpetuā cum Dijs, & cum bonis corporalibus quæsierunt, quia morti corpus omne subiectum est. Insecuta est igitur huiusmodi religiones iniustitia, & impietas, sicuti fuerat necesse: desierunt enim vultus suos in Cælum tollere, & deorsum mentes hominum depressæ terrenis vt religionibus, sic etiam bonis inhæserunt. Secutum est dissidium generis humani, & fraus, & nefas omne, quia spretis æternis, atq; incorruptis bonis, quæ sola debent ab homine concupisci, temporalia, & breuia maluerunt; maiorq; ad malum hominibus fides fuit, qui prauum recto, quia præsentius fuerat, prætulerunt. Sic humanam vitam prioribus seculis in clarissima luce versatam caligo, & tenebræ comprehenderunt: &, quod huic prauitati congruens erat, postquam sapientia sublata est, tum demum sibi homines sapientum nomen vendicare cœperunt. Tum autem nemo sapiens vocabatur, cum omnes erant. Vtinamq; nomen illud aliquādo publicū quamuis ad paucos redac-

redactum, tamen vim suam retineret; possent enim fortasse pauci illi vel ingenio, vel authoritate, vel assiduis hortamentis liberare populum vitijs, & erroribus; sed adeo in totum sapientia ceciderat, vt ex ipsa nominis arrogantia, nullum eorum, qui vocarentur, appareat fuisse sapientem. Et tamen priusquam hæc, philosophia quæ dicitur esse, inueniretur, septem fuisse traduntur, qui primi omnium, quia de rebus naturalibus quærere, ac disputare sunt ausi, sapientes haberi; appellariq; meruerunt. O miserum, calamitosumq; seculum, quo per orbem totum septem soli fuerunt, qui hominum vocabulo cierentur. Nemo enim potest iure dici homo, nisi qui sapiens est. Sed si cæteri omnes, præter ipsos, stulti fuerunt, ne illi quidem sapientes, quia nemo sapiens esse verè iudicio stultorum potest. Adeo ab his abfuit sapientia, vt ne postea quidem increscente doctrina, & multis magnisq; ingenijs in idipsum semper intentis, potuerit perspici veritas, & comprehendi, nam post illorū septem sapiētum gloriam incredibile est, quāto studio inquirendæ veritatis Græcia omnis exarserit. Ac primum nomen ipsum Sapientiæ arrogans putauerunt, seq; non sapientes, sed studiosos sapientiæ vocauerunt. Quo facto & illos, qui temerè sapientum sibi nomen asseuerant, erroris, stultitiæq; damnauerunt, & se quoq; ipsos ignorantiæ, quam quidem non diffitebantur. Nam vbicunq; rerum natura ingenijs eorum quasi manus opposuerat, ne rationem possent aliquam reddere, testificari solebant, nihil scire se, nihil cernere. Vnde multo sapientiores inueniuntur, qui se aliqua ex parte viderunt, quàm illi, qui se sapere crediderunt.

CAPVT II.

QVARE si neque illi fuere sapientes, qui sunt appellati, neq; posteriores, qui non dubitauerunt insipientiam confiteri, quid superest, nisi vt alibi sit quærenda sapientia, quando non est, vbi quærebatur, inuenta? Quid autem putemus fuisse causæ, cur tot ingenijs, totq; temporibus summo studio, & labore quæsita non reperiretur, nisi quod eam philosophi extra fines suos quæsierunt? qui quoniam peragratis, & exploratis omnibus, nusquam vllam sapientiam comprehenderunt, & alicubi esse illam necesse est, apparet, illic potissimum esse quærendam, vbi stultitiæ titulus apparet, cuius velamento Deus, ne arcanum summi sui diuini operis in propatulo esset, thesaurum sapientiæ, ac veritatis abscondit. Vnde equidem soleo mirari, quòd cum Pythagoras, & postea Plato amore indagandæ veritatis accensi ad Ægyptios, & Magos, & Persas vsq; penetrassent, vt earum gentium ritus, & sacra cognoscerent (suspicabantur enim sapientiam in
Religione versari)[2] ad Iudæos tantùm nō 2
accesserint, penes quos tunc solos erat, &
quò facilius ire potuissent. [3]Sed auersos 3
esse arbitror diuina prouidentia, ne scire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem Dei veri, iustitiamq; cognoscere. Statuerat enim Deus appropinquante vltimo tempore ducem magnum cœlitus mittere, qui eam perfido, ingratoq; populo ablatam exteris gentibus reuelaret. Qua de re in hoc libro aggrediar disputare, si prius ostendero, sapientiam cum religione sic cohærere, vt diuelli vtrunq; non possit.

CAPVT III.

DEORVM igitur cultus, vt in priore libro docui, non habet sapientiam, non modò quia diuinum animal hominem terrenis, fragilibusq; substernit, sed quia nihil ibi disseritur, quod proficiat ad mores excolendos, vitamq; formandam; nec habet inquisitionem aliquam veritatis, sed tantummodo ritum colendi, qui non officio mentis, sed ministerio corporis constat. Et ideo non est illa vera religio iudicanda, quia nullis iustitiæ, virtutisq; præceptis erudit, efficitq; meliores. Itaq; Philosophia, quia veram religionem, idest summam pietatem non habet, non est vera sapientia: nam si diuinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficientia genus hominum sustentat, & quasi paterna indulgentia fouet, vult profectò gratiam sibi referri, & honorem dari: nec constare homini ratio pietatis potest, si cœlestibus beneficijs extiterit ingratus, quod non est vtiq; sapientis. Quoniam igitur

(vt dixi) philoſophia, & religio Deorum
diſiuncta ſunt, & longè diſcreta, ſiquidem
alij ſunt profeſſores ſapientiæ, per quos
vtiq: ad Deos non aditur, alij religionis
antiſtites, per quos ſapere nō diſcitur, ap-
paret, nec illam eſſe veram ſapientiam,
nec hanc religionem. Icciricò nec philo-
ſophia potuit veritatem comprehendere,
nec religio Deorum rationem ſui, qua
caret, reddere. Vbi autem ſapientia cum
religione inſeparabili nexu cohæret, ve-
rumq: verum eſſe neceſſe eſt, quia & in
colendo ſapere debemus, ideſt ſcire quid
nobis, & quo modo ſit colendum, & in
ſapiendo colere, ideſt re, & actu quod ſcie-
rimus implere. Vbi ergo ſapientia cum
religione coniungitur? Scilicet vbi Deus
colitur vnus, vbi vita, & actus omnis ad
vnum caput, & ad vnam ſummam refer-
tur. Deniq: ijdem ſunt doctores ſapien-
tiæ, qui & Dei Sacerdotes. Nec tamen
moueat quemquam, quia ſæpè factum
eſt, & fieri poteſt, vt philoſophus aliquis
Deorum ſuſcipiat ſacerdotium; quod cum
ſit, non tamen coniungitur philoſophia
cum religione; ſed & philoſophia inter ſa-
cra ceſſabit, & religio, quando philoſo-
phia tractabitur. Illa enim religio muta
4 eſt, non tantùm quia mutorū eſt, ſed [4] quia
ritus eius in manu, & digitis eſt, non in
corde, aut lingua, ſicut noſtra, quæ vera
eſt. Icciricò & in ſapientia religio, & in
religione ſapientia eſt. Ergo non poteſt
ſegregari, quia ſapere nihil aliud eſt, niſi
Deum verum iuſtis, ac pijs cultibus hono-
rare. Multorum autem Deorum cultus
non eſſe ſecundum naturam, etiam hoc
argumento colligi poteſt, & comprehen-
di. Omnem Deum, qui ab homine colitur,
neceſſe eſt, inter ſolemnes ritus, & preca-
tiones patrem nuncupari, non tantùm
honoris gratia, verùm etiā rationis, quòd
& antiquior eſt homine, & quòd vitam,
ſalutem, victum præſtat vt pater. Itaque
& Iupiter a precantibus pater vocatur, &
Saturnus, & Ianus, & Liber, & cæteri
deinceps, quod Lucilius in Deorum con-
cilio irridet.

Vt nemo ſit noſtrum, quin pater optimus diuû:
Vt Neptunus pater, Liber, Saturnus pater,
Mars,
Ianus, Quirinus pater nomen dicatur ad vnû.

Quòd ſi natura non patitur, vt ſint vnius
hominis plures patres (ex vno enim prò-
creatur) ergo Deos etiam multos colere
contra naturam eſt, contraq; pietatem.
Vnus igitur colendus eſt, qui poteſt verus
pater nominari. Idem etiam dominus ſit
neceſſe eſt, quia ſicut poteſt indulgere, ita
etiam coercere. Pater ideo appellandus
eſt, quia nobis multa, & magna largitur;
Dominus ideo, quia caſtigandi, & punien-
di habet maximam poteſtatem. Domi-
num verò eundem eſſe, qui ſit pater, etiam
iuris ciuilis ratio demonſtrat. Quis enim
poterit filios educare, niſi habeat in eos
dominij poteſtatem? Nec immeritò pater
familias dicitur, licet tantū filios habeat.
videlicet nomen patris complectitur etiā
ſeruos, quia familias, ſequitur, & nomen
familiæ complectitur etiam filios, quia
pater antecedit: vnde apparet eundem
ipſum & patrem eſſe ſeruorum, & domi-
num filiorum. Deniq; [5] & filius manumit- 5
titur tanquam ſeruus, [6] & ſeruus libera- 6
tus patroni nomen accipit tanquam filius;
quòd ſi propterea pater familias nomina-
tur, vt appareat, eum duplici poteſtate
præditum, quia & indulgere debet, quia
pater eſt, & coercere, quia dominus; er-
go idem ſeruus eſt, qui & filius, idem do-
minus, qui & pater. Sicut igitur naturæ
neceſſitate non poteſt eſſe niſi vnus pater,
ita nec dominus, niſi vnus, quid enim fa-
ciat ſeruus, ſi multi domini diuerſa impe-
rauerint? Ergo contra rationem, con-
traq; naturam ſunt religiones multorum
Deorum, ſiquidem nec patres multi poſ-
ſunt eſſe, nec domini, Deos autem & pa-
tres, & dominos nuncupari neceſſe eſt.
Teneri ergo veritas non poteſt, vbi homo
idem multis patribus, dominiſq; ſubiectus
eſt, vbi animus in multa diſpertus huc, atq;
illuc diuagatur: nec habere vllam firmi-
tatem religio poteſt, quando certo, & ſta-
bili domicilio caret. Cultus ergo Deorū
veri eſſe non poſſunt, eodem modo, quo
matrimonium dici non poteſt, vbi mulier
vna multos viros habet; ſed hæc aut me-
retrix, aut adultera nominabitur; à
qua enim pudor, caſtitas, fides abeſt, vir-
tute careat neceſſe eſt. Sic & religio Deo-
rum impudica eſt, & inceſta, quia fide
caret, quia honos ille inſtabilis, & incer-
tus caput, atq; originem non habet.

CAPVT IV.

QVIBVS rebus apparet, quàm inter se coniuncta sint sapientia, & religio: sapientia spectat ad filios, quæ exigit amorem, religio ad seruos, quæ exigit timorem. Nam sicut illi patrē diligere debent, & honorare, sic hi dominum colere, ac vereri. Deus autem, qui vnus est, quoniam vtramq; personam sustinet & patris, & domini, & amare eum debemus, quia filij sumus, & timere, quia serui. Non potest igitur nec religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni, quia idem Deus est, qui & intelligi debet, quod est sapientiæ, & honorari, quod est religionis; sed sapientia præcedit, religio sequitur, quia prius est Deū scire, consequens colere. Ita in duobus nominibus vna vis est, quamuis diuersa esse videatur: alterum enim positum est in sensu, alterum in actu: sed tamen similia sunt, duobus riuis ex vno fonte manantibus. Fons autem sapientiæ, & religionis Deus est, a quo hi duo riui, si aberrauerint, arescant necesse est; quem qui nesciunt nec sapientes esse possunt, nec religiosi: sic fit, vt philosophi, & qui Deos colunt, similes sint aut filijs abdicatis, aut seruis fugitiuis, quia neq. illi patrem quærunt, neq; hi dominum; & sicut abdicati hæreditatem patris non assequuntur, & fugitiui impunitatem, ita neq; philosophi immortalitatem accipient, quę est regni cœlestis hæreditas, idest summum bonum, quod illi maximè quærunt, neque cultores Deorum pœnam sempiternæ mortis effugient, quæ est animaduersio veri domini aduersus fugitiuos suę maiestatis, ac nominis. Deum verò esse patrem, eundemq; dominum vtriq; ignorauerunt tam cultores Deorū, quam ipsi sapientiæ professores, quia aut nihil omnino colendum putauerunt, aut religiones falsas approbauerunt, aut etiam si vim potestatemq; summi Dei intellexerunt, vt Plato, *a* qui ait vnum esse fabricatorem mundi Deum: & M. Tullius, *b* qui fatetur hominem præclara quadam conditione a summo Deo esse generatum, tamen ei debitū cultum, tanquam summo patri non reddiderunt, quod erat consequens, ac necessarium. Deos autem neq; patres neq; dominos esse posse non tantum multitudo (vt supra ostendi *a*) sed etiam ratio declarat, quia neq. fictum esse ab his hominem traditur, neq; Deos ipsos antecedere originem hominis inuenitur. Si quidem fuisse in terra homines, antequam Vulcanus, & Liber, & Apollo, & ipse Iupiter nascerentur, apparet. Sed neq; Saturno fictio hominis, neq; Cælo patri eius assignari solet. Quod si nullus eorum, qui coluntur, formasse a principio, atq; instituisse hominem traditur, nullus igitur ex his pater hominis nuncupari potest: ita ne Deus quidem. Ergo fas non est venerari eos, a quibus non sit homo generatus, quia neq; a multis generari potest. Vnus igitur, ac solus coli debet, qui Iouem, qui Saturnum, qui Cœlū ipsum, Terramq; antecessit: is enim necesse est, hominem figurauerit, qui ante hominem Cælum, Terramq; perfecit. Solus pater vocandus est, qui creauit, solus dominus nuncupandus, qui regit, qui habet vitæ, ac necis veram, & perpetuam potestatem; quem qui non adorat, & insipiens seruus est, qui dominum suum aut fugiat, aut nesciat, & impius filius, qui suu verum patrem vel oderit, vel ignoret.

a Plato in Timeo.
b Cic. 1. de Legib.
a c. anteced.

CAPVT V.

NVNC, quoniam docui, sapientiam, & religionem non posse deduci, superest, vt de ipsa religione, ac sapientia disseramus. Sentio quidem, quàm sit difficilis de rebus cœlestibus disputatio, sed tamen audendum est, vt illustrata veritas pateat, multiq; ab errore, atq; interitu liberentur, qui eam sub velamine iustitiæ latentem aspernantur, ac respuunt. Sed priusquam incipiam de Deo, & operibus eius dicere, pauca mihi de Prophetis ante dicenda sunt, quorum testimonijs nunc vti necesse est, quod in prioribus libris ne facerem temperaui. Ante omnia, qui veritatem studet comprehendere non modò intelligēdis Prophetarum vocibus animū debet intendere, sed etiam tempora, per quæ quisq; illorum fuerit, diligentissimè inquirere, vt sciat, & quæ futura prædixerint, & post quot annos prædicta completa sint. Nec difficultas in his colligendis inest vna: testati enim sunt, sub quo quisq; rege diuini spiritus fuerit passus in-

 stin-

ſtinctum; multiq; ſcriptos libros de tem-
poribus ediderunt, initium facientes à Pro
8 pheta Moyſe, qui Troianum bellum [8] ſep-
tingentis ferè annis anteceſſit. Is autem cũ
a Act. 13. per ãnos quadraginta a populum rexiſſet,
9 10 [9]ſucceſſorem habuit Ieſum, b [10] qui ſeptem
b Deuteron. & viginti annis tenuit principatũ. [11] Exin-
c. 34. de ſub Iudicibus fuerunt per annos trecen
11 tos ſeptuaginta. c [12]Tum mutato ſtatu Re-
c in lib. Iud. ges habere cæperunt, d quibus imperium
12 tenentibus [12]per annos quadringentos ſe-
13 xaginta [13] vſq; ad Sedeciæ Regnum, oppu-
d in li. Reg. gnati a Rege Babylonio, e captiq; Iudæi
e 4. Reg. c. diuturnum ſeruitium pertulerunt, [14] donec
25. Hierem. ſeptuageſimo poſt anno eos Cyrus maior
c. 39. & 52. terris, ac ſedibus ſuis redderet, [15] qui per
14 15 idem tempus in Perſas ſuſcepit imperium,
quo Romæ Tarquinius Superbus. Quare
cum omnis temporum ſeries, & ex Iudai-
cis, & ex Græcis, Romaniſq; hiſtorijs colli-
gatur, etiam ſingulorum Prophætarum
tempora colligi poſſunt, quorum ſanè vl-
timus Zacharias fuit, quem conſtat ſub Da
rio Rege ſecundo anno regni eius octauo
f Zachar. menſe ceciniſſe. f Adeo antiquiores eſſe
initio c. 1. Græcis ſcriptoribus Prophætę reperiũtur.
16 Quæ omnia eò profero, [16] vt errorem ſuũ
ſentiant, qui Scripturam Sacram coargue
re nituntur, tanquam nouam, & recens
fictam, ignorantes ex quo fonte Sanctæ
Religionis origo manauerit. Quòd ſi quis
collectis, perſpectiſq; temporibus funda-
mentum doctrinæ ſalubriter iecerit, & ve-
ritatem penitus comprehendet, & erro-
rem cognita veritate deponet.

CAPVT VI.

DEVS igitur machinator, conſtitu-
torq; rerum, ſicuti in ſecundo libro
g cap. 9. g diximus, antequam præclarum hoc opus
mundi adoriretur, ſanctum, & incorrup-
tibilem, & incomprehenſibilem Spiritũ
genuit, quẽ Filiũ nuncuparet. Et quãuis
17 alios poſtea innumerabiles [17] per ipſum
creauiſſet, quos Angelos dicimus, hunc
18 tamen ſolum primogenitum [18] diuini no-
minis appellatione dignatus eſt, patria
ſcilicet virtute, ac maieſtate pollentem.
Eſſe autem ſummi Dei Filium, qui ſit po-
teſtate maxima præditus, non tantum
congruentes in vnum Prophetarũ voces,
ſed etiam Triſmegiſti prædicatio, & Sibyl-
larum vaticinia demonſtrant. Hermes a a Herm. Tri
in eo libro, qui ὁ λόγος τέλειος inſcribitur, ſmeg. in Aſ
his vſus eſt verbis. ὁ κύριος, καὶ τῶν πάν- clep. c. 4.
των ποιητὴς, ὃν θεὸν καλεῖν νενομίκαμεν,
ἐπεὶ τὸν δεύτερον ἐποίησε θεὸν ὁρατὸν, καὶ
αἰσθητὸν (αἰσθητὸν δέ φημι οὐ διὰ τὸ αἰσθέσ-
θαι αὐτὸν, περὶ γὰρ τούτου οὐκ ἔστι πότε-
ρον αὐτὸς αἰσθοιτο, ἀλλ' ὅτι εἰς αἴσθησιν ὑπο-
πέμπει, καὶ εἰς νοῦν) ὅτι οὖν τοῦτον ἐποίησε
πρῶτον, καὶ μόνον, καὶ ἕνα, καλὸς δὲ αὐ-
τῷ ἐφάνη, καὶ πληρέστατος πάντων τῶν
ἀγαθῶν, ἡγίασέ τε καὶ πάνυ ἐφίλησεν ὡς
ἴδιον τέκνον. Sibylla Erythræa in carminis b Sibyl. Ery
ſui principio, quod a ſummo Deo exorſa thr. ap. The
eſt, Filium Dei Ducem, & Imperatorem ophil. l. 2. ad
omnium his verſibus prædicat. b Autolyc.
[19] Παντοτρόφον κτίστην, ὅστις γλυκὺ πνεῦμα 19
ἅπασι
κάτθετο, κ' ἡγητῆρα θεῶν πάντων ἐποίησεν. c In carm.
Et rurſus in fine eiuſdem carminis. c Sibyll ſer. 3.
[20] Αὐτὸν ὅ δῶκε θεὸς πιστοῖς ἀνδράσι γεραί- 20
ρειν.
Et alia Sibylla præcipit hunc oportere d In carm.
cognoſci. d Sibyll ſer. 8.
[21] Αὐτὸν σὸν γίνωσκε θεὸν θεοῦ υἱὸν ἐόντα. 21
Videlicet ipſe eſt Dei Filius, qui per Salo-
monem ſapientiſſimum Regem diuino ſpi
ritu plenum locutus eſt ea, quæ ſubieci- e Prouerb.
mus. e 8.
[22] DEVS condidit me [23] in initio viarum 22 23
ſuarum [24] in opera ſua ante ſecula. Fun- 24
dauit me [25] in principio antequam terram 25
faceret, & antequam abyſſos conſtitue-
ret, priuſquam [26] prodirent fontes aqua- 26
rum, ante omnes colles [27] genuit me Do- 27
minus, [28] fecit regiones, & terras inhabi- 28
tabiles ſub Cœlo. [29] Cum pararet Cœlum 29
aderam illi, [30] & cum ſecerneret ſuam ſe- 30
dem, cum ſuper ventos faceret validas nu
bes, [31] & cum confirmatos poneret mon- 31
tes ſub Cœlo: quando fortia faciebat fun-
damenta terræ, eram penès illum diſpo-
nens. Ego eram, cui adgaudebat; quo-
tidie autem [32] iucundabar ante faciem 32
eius, cum lætaretur orbe perfecto.] Ie-
circò autem Triſmegiſtus δημιουργὸν τοῦ
θεοῦ dixit, f & Sibylla σύμβουλον appellat, f Herm. Tri
quòd tanta ſapientia, & virtute ſit inſtru- ſmegiſt.
ctus à Deo Patre, vt & conſilio eius, & Pimand. c.
manibus vteretur in fabricatione 1. ſub initiũ
mundi.

CA-

CAPVT VII.

FORTASSE quærat aliquis hoc loco, quis sit iste tam potens, tam Deo carus, & quod nomen habeat, cuius prima natiuitas non modò antecesserit mũdum, verùm etiam prudentia disposuerit, virtute construxerit. Primùm scire nos conue-
33 nit, [33] nomen eius neq; Angelis quidem notum esse, qui morantur in Cælo, sed ipsi soli, ac Deo patri: nec ante id publicabitur, vt est Sanctis Literis traditum, quam dispositio Dei fuerit impleta. Deinde, nec enunciari posse hominis ore, sicut docet Hermes hæc dicens. αἰτία δὲ τούτου τοῦ αἰτίου ἡ τοῦ θείου ἀγαθοῦ βούλησις, ἣ θεὸν προήνεγκεν, οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι.] Et paulò post ad Filium. ἔστι γάρ τις ἀπόρρητος λόγος σοφίας [34] ὅσιος περὶ τὸν μόνον κύριον
34 πάντων, καὶ προεννοούμενον θεὸν, ὃν εἰπεῖν ὑπὲρ ἄνθρωπόν ἐστι.] Sed quamuis nomen eius, quod ei à principio pater summus imposuit nullus alius præter ipsum sciat, habet tamen & inter Angelos aliud vocabulum, & inter homines aliud. IESVS quippe inter homines nominatur.
35 Nam [35] CHRISTVS non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis, & regni: sic enim Iudæi Reges suos appellabãt. Sed exponenda huius nominis ratio est
36 propter ignorantium errorem, [36] qui eum immutata litera Chrestum solent dicere.
a Exod. 30. Erat Iudæis ante præceptum, a vt sacrum conficerent vnguentum, quo perungi possent ij, qui vocabantur ad sacerdotium, vel ad Regnum. Et sicut nunc Romanis indumentum purpuræ insigne est regiæ dignitatis assumptæ, sic illis vnctio sacri vnguenti nomen, ac potestatem regiam cõferebat. Verùm, quoniam Græci veteres χρίεσθαι dicebant vngi, quod nunc
b Homer. 4. Odiss. ἀλείφεσθαι, sicut indicat Homericus versus ille. b
37 [37] Αὐτοὺς δὲ δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ
Ob hanc rationem nos eũ Christum nuncupamus, idest vnctum, qui hebraicè Messias dicitur. Vnde in quibusdam græcis scripturis, quę malè de hebraicis interpretatæ sunt, ἠλειμμένος, idest vngendo curatus, scriptum inuenitur, ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι. Sed tamen vtrolibet nomine Rex significatur; non quòd ille Regnum hoc terrenum fuerit adeptus, cuius capiendi nondum tempus aduenit, sed quòd cæleste, ac sempiternum; de quo disseremus in vltimo libro. Nunc verò de prima eius natiuitate dicamus.

CAPVT VIII.

IN primis enim testificamur, illum bis esse natum, primùm in spiritu, postea in carne. Vnde apud Hieremiam ita dicitur. a PRIVSQVAM te formarem in vtero, noui te.] Et item apud ipsum. a Hierem. 1.
BEATVS qui erat antequam nasceretur.] Quod nulli alij contigit præter 38
Christum, qui cum esset [39] a principio filius 39
Dei, regeneratus est denuò secundum carnem: Quæ duplex natiuitas eius magnum intulit humanis pectoribus errorem, circumfuditq; tenebras etiam ijs, qui veræ religionis sacramenta retinebant. Sed nos id planè, dilucidèq; monstrabimus, vt amatores sapientiæ faciliùs, ac diligentiùs instituantur. Qui audit Dei Filium dici, non debet tantum nefas mente concipere, vt existimet ex connubio, ac permistione fœminæ alicuius Deum procreasse, quod nõ facit nisi animal corporale, mortiq; subiectum. Deus autem, cum solus sit, cui permiscere se potuit? aut eum esset tantæ potestatis, vt quicquid vellet, efficeret, vtiq; ad creandum societate alterius non indigebat; nisi fortè existimabimus, Deum, sicut Orpheus putauit & marem esse, & fœminam, quòd aliter generare nequiuerit, nisi haberet vim sexus vtriusq;, quasi aut ipse secum coierit, aut sine coitu non potuerit procreare. Sed Hermes in eadem fuit opinione, cum dicit αὐτοπάτορα, καὶ αὐτομήτορα. Quod si ita esset, vt à Prophetis pater dicitur,
sic etiam mater diceretur. [40] Quomodo 40
igitur procreauit? Primùm nec sciri à quoquam possunt, nec narrari opera diuina; sed tamen Sanctæ literæ docent:
in quibus cautum est, b illum Dei Filiũ Dei b Sapien. 18
esse sermonem, [41] siue etiam rationem. 41
Itemq; cæteros Angelos, Dei spiritus esse. c Nam sermo est spiritus cũ voce aliquid significante prolatus. Sed tamen quoniã spiritus, & sermo diuersis partibus proferuntur, si quidem spiritus naribus, ore
sermo procedit, [42] magna inter hunc Dei 42
Filium

Filium, & cæteros Angelos differentia
43 est. [43] Illi enim ex Deo taciti spiritus exie-
runt, qui non ad doctrinam Dei traden-
dam, sed ad ministerium Dei creabantur.
44 [44] Ille verò, cum sit & ipse Spiritus, tamen
cum voce, ac sono ex Dei ore processit, si-
cut Verbum; ea scilicet ratione, quia
voce eius ad populum fuerat vsurus, idest
quòd ille magister futurus esset doctrinæ
Dei, & cælestis arcani ad homines perfe-
rendi, quod ipsum primò locutus est, vt
per eum ipse ad nos loqueretur, & ille vo-
cem Dei, ac voluntatem nobis reuelaret.
45 [45] Meritò igitur sermo, & verbum Dei di-
citur, qui procedentem de ore suo voca-
lem spiritum, quem non vtero, sed mente
conceperat, inexcogitabili quadam maie-
statis suæ virtute, ac potentia in effigiem,
quæ proprio sensu, ac sapientia vigeat,
comprehendit; & alios item spiritus in
46 Angelos figurauit. [46] Nostri spiritus disso-
lubiles sunt, quia mortales sumus, Dei au-
tem spiritus & viuunt, & manent, & sen-
tiunt, quia ipse immortalis est, & sensus,
& vitæ dator. Nostræ voces licet auræ
misceantur, atq; euanescant, tamen ple-
47 runq; permanent literis comprehensæ, [47]
quanto magis Dei vocem credendum est
& manere in æternum, & sensu, ac virtu-
te comitari, quam de Deo patre tanquam
riuus de fonte traduxerit. Quòd si quis mi-
ratur, ex Deo Deum prolatione vocis, ac
spiritus potuisse generari, si sacras voces
Prophetarum cognouerit, desinet profe-
ctò mirari. Salomonem, patremq; eius
potentissimos Reges fuisse, & eosdem
Prophetas etiam ijs fortasse sit notum,
48 qui diuinas literas non attigerunt, [48] quo-
rum alterum, qui posterius regnauit, Tro-
49 ianæ vrbis excidium [49] centum, & quadra-
ginta annis antecessit. Huius pater diui-
norũ scriptor hymnorum in Psalmo xxxij.
50 sic ait. [50] VERBO Dei Cœli solidati sunt,
51 [51] & spiritu oris eius omnis virtus eorum.]
Itẽ rursus in Psalmo quadragesimo quar-
52 to. ERVCTAVIT cor meum [52] verbum
bonum, dico ego opera mea regi.] Con-
testans videlicet, nulli alij opera Dei esse
nota, nisi Filio soli, qui est Verbum Dei,
& quem regnare in perpetuum necesse est.
53 [53] Item Salomon ipsum verbum Dei esse
demonstrat, cuius manibus opera ista
54 mundi fabricata sint. [54] EGO (inquit a) ex
a Eccl. c. 24 ore altissimi prodiui ante omnem creatu-
55 ram, [55] ego in Cœlis feci vt oriretur lumen
indeficiens, [56] & nebula texi omnem ter- 66
ram. [57] Ego in altis habitaui, & thronus 57
meus in columna nubis.] Ioannes quoq;
ita tradidit. a IN principio erat Verbum, a Ioan. 1.
& Verbum erat apud Deum, & Deus erat
Verbum. Hoc fuit in principio apud Deũ.
Omnia per ipsum facta sunt, [58] & sine ip- 58
so factum est nihil.]

CAPVT IX.

SED melius Græci λόγον dicunt, quàm
nos verbum, siue sermonem; λόγος
enim & sermonẽ significat, & rationem,
quia ille est & vox, [59] & sapientia Dei. 59
[60] Hunc sermonem diuinum ne Philosophi 60
quidem ignorauerunt. Si quidem Zenon b b ap. Cic. 1.
rerum naturæ dispositorem, atq; opificem de na Deor.
vniuersitatis λόγον prædicat, quem & fa- Laert.
tum, & necessitatem rerum, & Deum, &
animum Iouis nuncupat, ea scilicet con-
suetudine, qua solent Iouem pro Deo ac-
cipere. Sed nihil obstant verba, cum sen-
tentia congruat veritati. Est enim spiri-
tus Dei, quem ille animum Iouis nomina-
uit; nam Trismegistus, qui veritatem penè
vniuersam nescio quomodo inuestigauit,
virtutem maiestatemq; verbi sæpè descrip- c Herm. Tri
sit, c sicut declarat superius d illud exem- sm. Pimãd.
plum, in quo fatetur esse ineffabilem quen c. 1. Ascl. 4.
dam, sanctumq; sermonem, cuius enar- d scil. c. 7.
ratio modum hominis excedat. Dixi de
natiuitate prima breuiter, vt potui. Nunc
de secunda, quoniam controuersia est in
ea maxima, latius disserendum est, vt ve-
ritatem scire cupientibus lumen intelligen
tiæ præferamus.

CAPVT X.

IN primis igitur scire homines oportet sic à principio præcessisse dispositionem summi Dei, vt esset necesse, appropinquante seculi termino Dei Filium descendere in terram, vt constitueret Deo templum, doceretq; iustitiam; verum tamen non in virtute Angeli, aut potestate cœlesti, sed in figura hominis, & conditione mortali, vt cum magisterio functus fuisset, traderetur in manus impiorũ, mortemq; susciperet, vt ea quoq; per virtutem do-

mita

mita resurgeret,[61] & homini, quem indu-
erat, quem gerebat & spem vincendæ
mortis afferret, & ad præmia immortali-
tatis admitteret. Hanc ergo disputatio-
nem ne quis ignoret, docebimus prædicta
esse omnia, quæ in Christo videmus esse
completa. Nemo asseuerationi nostræ
fidem commodet, nisi ostendero, Prophe-
tas ante multam temporum seriem prędi-
casse, fore, vt aliquando filius Dei nasce-
retur sicut homo, & mirabilia faceret, &
cultum Dei per totam terram seminaret,
& postremò, patibulo figeretur, & tertia
die resurgeret. Quæ omnia cum proba-
uero eorum ipsorum literis, qui Deum suũ
mortali corpore vtentem violauerunt,
quid aliud obstabit, quo minus veram sa-
pientiam clarum sit in hac sola religione
versari? Nunc à principio totius sacra-
menti origo narranda est. Maiores nostri,
qui erant principes Hebręorum, cum ste-
a Genes.42. rilitate, atq; inopia laborarent, transie-
b Exod. 1. runt in Ægyptum a rei frumentariæ gra-
Esdr. 2. tia, ibiq; diutius commorantes, intolera-
c Exod.2 et bili seruitutis iugo premebantur. b Tum
3. Esdr. 2. c. 9 misertus eorum Deus, c eduxit eos, ac li-
62 berauit de manu Regis Ægyptiorũ[62] post
d Exod. 12. annos quadringẽtos triginta, d duce Moy-
Paul. ad Ga se, per quem postea illis lex a Deo data
lat. 30. est, e in qua eductione ostendit virtutem
e Exod. 19. suæ maiestatis Deus. Traiecit enim po-
& 34. pulum medio mari rubro præcedente An-
Deuteron. 9 gelo, atq; scindente aquam, vt populus
Mach. 40. per siccum gradi posset, f quem versus vt
f Exod. 14. ait Poeta. g
g Virgil. 4. *Curuata in montis faciem circumstetit vnda.*
Georg. Qua re audita Tyrannus Ægyptiorum cũ
magna suorum manu insecutus, & mare
adhuc patens temerè ingressus, coeunti-
h Exod. 14. bus aquis cum omni exercitu deletus est h.
Hebræi vero egressi in solitudinẽ multa
mirabilia viderunt. Nam cum sitim pa-
terentur, ictu virgæ rupe percussa, prosi-
63 lijt fons aquæ, populumq; recreauit; i [63]
i Exod. 17. quorursus esuriente, cælestis alimenti plu
k Exod. 15. uia descendit k; quin etiam coturnices in
l Exod. eod. castra eorum ventus induxit, l vt non
modò pane cælesti, sed etiam instructiori-
bus epulis saturarentur. Pro his tamen
diuinis beneficijs honorem Deo non red-
diderunt, sed depulsa iam seruitute, iam
siti, fameq; deposita in luxuriam prolapsi,
ad profanos Ægyptiorum ritus animos
m Exod. 32 transtulerunt. m Cum enim Moyses dux
eorum ascendisset in montem, atq; ibi
quadraginta diebus moraretur,[64] aureum 64
caput bouis, quem vocant Apin, quod eos
signo præcederet, figurarunt. a Quo pec a Exod. eod.
cato, ac scelere offensus Deus, impium Psalm. 105
& ingratum populum pro merito pœnis
grauibus affecit, & legi, quam per Moysen
dederat, subiugauit. Postea verò, cum
in deserta quadam parte Syriæ consedis-
set,[65] amiserunt vetus nomen Hebræi. 65
[66] Et quoniam princeps eorum examinis 66
Iudas erat, Iudæi sunt appellati, & terra,
quam incoluere, Iudæa. Et primò quidẽ
non dominio Regum subiecti fuerunt, sed
populo, ac legi ciuiles iudices pręsidebant.
b Non tamen in annũ constituti sunt, sicut b In li. Iud.
Romani Consules, sed perpetua iurisdi-
ctione subnixi. Tum sublato iudicum no-
mine potestas regalis inducta est. c Verum c p. Reg. 12
Iudicibus regimen eorum tenentibus pra-
uas religiones sæpè susceperant, atq; of-
fensus ab his Deus, toties eos alienigenis
subiugabat, d donec rursus pœnitentia po- d Iudic. c. 3.
puli mitigatus liberaret eos seruitute. Itẽ 4. 6. 10. 13.
sub Regibus finitimorum bellis ob delicta
vexati, postremò capti, abductiq; Baby-
lonem pœnas impietatis suæ graui serui-
tio pependerunt, e donec Cyrus veniret in e 4. Reg. c.
Regnũ, qui statim Iudæos restituit edicto. 25. Hierem.
Exinde Tetrarchas habuerunt vsq; ad He 39 & 52.
rodem, qui fuit [67] sub imperio Tiberij Cæ- 67
saris, cuius anno quintodecimo, idest duo-
bus Geminis Consulibus [68] ante diem deci- 68
mam Calendarum Aprilium Iudæi Chri-
stum Cruci affixerunt. Hic rerum textus,
hic ordo in arcanis sanctarum literarum
continetur. Sed prius ostendam, qua de
causa in terram venerit Christus, vt fun-
damentum diuinæ religionis, & ratio
clarescat.

CAPVT XI.

CVM sæpè Iudæi præceptis salutari-
bus repugnarent, atq; a diuina lege
discederent, aberrantes ad impios cultus
Deorum, tum Deus iustos, & electos viros
Spiritu Sancto implebat, Prophetas in me-
dia plebe constituens, per quos peccata
ingrati populi verbis minacibus increpa-
ret, & nihilominus hortaretur ad pœni-
tentiam sceleris agendam, quam nisi egis-
sent, atq; abiectis vanitatibus ad Deum
suum redissent; fore, vt testamentum suũ
mutâ-

mutaret, ideſt hæreditatem vitæ immor-
talis ad exteras conuerteret nationes, ali-
umq; ſibi populum fideliorem ex alienige-
nis congregaret. Illi autem à Prophetis
increpati non modò verba eorum reſpue-
runt, ſed, quòd ſibi peccata exprobraren-
tur offenſi, eos ipſos exquiſitis cruciatibus
necauerunt, quæ omnia diuinæ literæ ſi-
gnata conſeruant. Dicit enim Propheta
69 Hieremias. *a* [69] MISI ad vos ſeruos meos
a Hierem. Prophetas: ante lucem mittebam, & non
audiebatis me, neq; intendebatis auribus
70 veſtris, cum dicerem vobis. [70] Conuerta-
tur vnuſquiſq; a via ſua mala, & à nequiſ-
ſimis affectationibus veſtris, & habitabi-
tis in terra iſta, quam dedi vobis, & patri-
bus veſtris a ſeculo vſque in ſeculum. No-
lite ambulare poſt Deos alienos, vt ſer-
uiatis eis, & ne incitetis me in operibus
manuum veſtrarum ad diſperdendos vos.]
Eſdras autem Propheta, qui fuit eiſdem
b Eſdr. 2.c. Cyri temporibus, à quo Iudæi ſunt reſtitu-
9.in vulg. ti, ſic loquitur. *b* DESCIVERVNT à te,
71 & abiecerunt legem tuam [71] poſt corpus
Neemi.cap. ſuum, & Prophetas tuos interfecerunt,
eod.apud.ſe qui obteſtabantur eos, vt reuerterentur
ptuagint. ad te.] Item Helias in libro *βασιλειῶν* ter-
72 tio. *c* [72] ÆMVLANS æmulatus ſum domi-
c Regum 3. no Deo omnipotenti, quia dereliquerunt
c. 19. te filij Iſrael, & altaria tua demolierunt,
& Prophetas tuos interfecerunt gladio,
73 74 [73] & remanſi ego ſolitarius, [74] & quærunt
animam meam auferre à me.] Propter
has illorum impietates abdicauit eos in
perpetuum; itaq; deſijt Prophetas mitte-
re ad eos: ſed illum Filium ſuum primoge-
nitum, illum Opificem rerum, & conſi-
liatorem ſuum delabi iuſſit è Cœlo, vt re-
ligionem ſanctam Dei transferret ad gen-
tes, ideſt ad eos, qui Deum ignorabant,
doceretq; iuſtitiam, quam perfidus popu-
lus abiecerat, quod iam pridem denuncia-
uerat, ſe facturum, ſicut Malachias indi-
d Malach.1. cat dicens. *d* NON eſt mihi voluntas cir-
75 ca vos, dicit Dominus, [75] & ſacrificium
acceptum non habeo ex manibus veſtris,
76 quoniã à Solis ortu vſq; ad occaſum [76] cla-
77 rificabitur nomen meum [77] apud gentes.]
Item Dauid in pſalm. xvij. CONSTITVES
me in caput gentium; populus, quem non
78 cognoui, [78] ſeruiet mihi.] Eſaias quoq;
79 ſic loquitur. *e* [79] VENIO colligere omnes
e Eſai.vlt. gentes, & linguas, & venient, & videbũt
80 [80] claritatem meam, & dimittam ſuper eos
81 ſignum. [81] Et mittam ex his conſeruatos
in gentes, quæ longè ſunt, quę non audie-
runt gloriam meam, & nunciabunt clari-
tatem meam in gentes.] Volens igitur *a Ezechiel.*
Deus metatorem *a* templi ſui mittere in *41. Apo-*
terram, noluit eum in poteſtate, & clari- *calyp. 11.*
tate Cæleſti mittere, [82] vt ingratus in Deũ 82
populus in errorem maximum inducere-
tur, ac pœnas pro facinoribus ſuis lueret,
qui dominum, ac Deum ſuum non rece-
piſſet, quod olim Prophetæ cecinerant ſic
eſſe facturum. Eſaias enim [83] quem ipſi 83
Iudæi ſerra conſectum crudeliſſimè neca-
uerunt, ita dicit. *b* AVDI Cœlum, & per- *b Eſai.1.*
cipe auribus terra, quoniam dominus lo-
cutus eſt. [84] filios genui & exaltaui, 84
ipſi autem ſpreuerunt me: agnouit bos
poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepium
domini ſui, Iſrael autem me non cogno-
uit, [85] & populus meus me non intellexit.] 85
Hieremias quoq; ſimiliter ait. *c* COGNO- *c Hierem.8*
VIT tempus ſuum turtur, & hirundo, &
ruris paſſeres cuſtodierunt tempora intro-
itus ſui, populus autem meus non cogno-
uit iudicium Domini. Quo modo dicitis
ſapientes ſumus, & lex domini nobiſcum
eſt? [86] incaſſum facta eſt metatura; falſi 86
ſcribæ, & confuſi ſunt: ſapientes trepida-
uerunt, & capti ſunt, quoniam verbum
Domini reprobauerunt.] Ergo (vt cæ-
peram dicere) cum ſtatuiſſet Deus docto-
rem virtutis mittere ad homines, renaſci
eum denuo in carne præcepit, & ipſi ho-
mini ſimilem fieri, cui dux, & comes, &
magiſter eſſet futurus. Sed tamen, quo-
niam clemens eſt, & pius erga ſuos Deus,
ad eos ipſos eum miſit, quos oderat, ne
illis in perpetuum ſalutis viam clauderet,
ſed daret iis liberam facultatem ſequendi
Deum, vt & præmium vitæ adipiſceren-
tur, ſi ſecuti fuiſſent, quod plurimi eorum
faciunt, atq; fecerunt; & culpa ſua in
pœnam mortis incurrerent, ſi Regem ſuũ
repudiaſſent, quod ſciebat eſſe facturos.
Apud illos igitur, & ex eorum ſemine re-
generari eum iuſſit, ne ſi fuiſſet alienige-
na, iuſtam poſſent excuſationem de lege
prætendere, quòd eum non ſuſcepiſſent;
ſimul vt nulla omnino gens eſſet in terra,
cui ſpes immortalitatis negaretur.

CAPVT XII.

DESCENDENS itaq; de Cœlo Spiritus ille Dei Sanctâ Virginem, cuius
vtero se insinuaret, elegit. At illa diuino
spiritu hausto repleta concepit, & sine vllo attactu viri repentè virginalis vterus
87 intumuit. [87] Quòd si animalia quædam
vento, & aura concipere solere omnibus
notum est, cur quisquam mirum putet, cũ
spiritu Dei, cui est facile quicquid velit,
grauatam esse Virginem dicimus? Quod
sane incredibile posset videri, nisi hoc futurum multa ante secula Prophetæ cecinissent. Salomon in Ode vndeuicesima
88 ita dicit. [88] INFIRMATVS est vterus virginis, & accepit fœtum; & grauata est,
& facta est in multa miseratione mater
Virgo.] Item Propheta Esaias, cuius vera Esai.7. ba sunt hæc. a PROPTER hoc dabit De-
89 us ipse vobis signum: ecce Virgo [89] conci-
90 piet in vtero, & pariet filium, [90] & vocabitis nomen eius Emanuel.] Quid hoc manifestius dici potest? legebant ista Iudæi,
qui eum negauerunt. Si quis nos hæc fingere arbitratur, ab his requirat, ab his
potissimùm sumat. Satis firmum testimonium est ad probandam veritatem, quod
ab ipsis perhibetur inimicis. Emmanuel
autem nunquam vocitatus est, sed IESVS,
qui latinè dicitur salutaris, siue saluator,
quia cunctis gentibus salutifer venit. Sed
Propheta declarauit hoc nomine, quòd
Deus ad homines in carne venturus esset.
Emmanuel enim significat, nobiscũ Deus;
scilicet quia illo per Virginem nato confiteri homines oportebat, Deum secum esse, idest in terra, & in carne mortali. Vnde Dauid in Psalmo octogesimo quarto.
VERITAS (inquit) de terra orta est.]
quia Deus in quo veritas est, terrenum
b Esai.63. corpus accepit, vt terrenis viam salutis
91 aperiret. Item Esaias ipse. b [91] IPSI autẽ
non crediderunt, & exacerbauerunt Spiritum Sanctum; & conuersus est eis ad inimicitiam. Et ipse expugnauit, & recordatus est dierum seculi, qui suscitauit de
terra pastorem ouium.] Quis autem fu-
c Esai.45. turus esset ille pastor declarauit alio loco
92 dicens. c [92] EXVLTENT Cœli desuper,
& nubes induant iustitiam, aperiatur terra, & pullulet Saluatorem; ego enim dominus Deus creaui eum.] Saluator verò
est (vt supra diximus, IESVS. Sed aliò a Esai.9.
loco a idem Propheta sic prędicauit. [93] EC 93
CE natus est nobis puer, & datus est nobis filius, cuius imperium super humeros
eius, & [94] vocatum est nomen eius [95] ma- 94 95
gni consilij nuntius.] Iccirco missus est à
Deo Patre, vt vniuersis gentibus, quæ sub
Cœlo sunt, singularis, & veri Dei Sanctũ
mysterium reuelaret ablatum perfido Populo, qui aduersus Deum sæpè deliquit.
Daniel quoq; similia prælocutus est. VI-
DEBAM (inquit b) in visu noctis, & ecce b Daniel.7.
in nubibus Cœli vt filius hominis veniens;
& vsq; ad vetustum dierum peruenit; &
qui assistebant, obtulerunt eum, & datum
est ei regnum, & honor, & imperium; [96] & 96
omnes populi, tribus, linguæ seruient ei;
[97] & potestas eius æterna, quæ nunquam 97
transibit, & regnum eius, quod non corrumpetur.] Quo modo igitur Iudæi &
confitentur; & sperant Christum Dei?
qui hunc iccirco reprobauerunt, quia ex
homine natus est. Nam cum ita sit a Deo
constitutum, vt idem Christus bis veniat
in terram, semel vt vnum Deum gentibus
nuntiet, deinde rursus vt regnet, quo modo in secundum eius aduentum credunt,
qui in primum non crediderunt? Atqui
Propheta vtroiq; aduentus eius paucis
verbis comprehendit. ECCE (inquit) in
nubibus Cœli, vt filius hominis veniens.]
Non dixit, vt filius Dei, sed filius hominis,
vt ostenderet, quod carne indui haberet
in terra, vt suscepta hominis figura, &
conditione mortali doceret homines iustitiam. Et cum mandatis Dei functus veritatem gentibus reuelasset, multaretur etiã
morte, vt inferos quoq; vinceret, ac resignaret, atq; ita demum resurgens ad patrem proficisceretur in nube sublatus.
Adiecit enim Propheta, & ait. ET vsq;
ad antiquum dierum peruenit, & oblatus
est ei.] Antiquum dierum appellauit Deũ
summum, cuius ætas, & origo non potest
comprehendi, quia solus à seculis fuit, &
erit semper in secula. Christum autem
post passionem, & resurrectionem ascensurum esse ad Deum patrem Dauid in
Psalmo centesimo nono contestatus est
his verbis. DIXIT Dominus Domino
meo, sede a dextris meis, quo ad vsque
ponam inimicos tuos suppedaneum pedũ
tuorum.] Qui Propheta cum Rex esset,
quem appellare Dominum suum posset,
qui sederet ad dexteram Dei, nisi Christũ

Filium Dei, qui est Rex Regum, & Domi-
a Esai.45. nus Dominorum? quod Esaias apertius
98 ostendit dicens. a [98] SIC dicit Dominus
Deus Christo Domino meo, cuius tenui
dexteram. Obaudire ante eum gentes fa-
ciam, & fortitudinem Regũ dirumpam:
99 aperiam ante illum portas, [99] & Ciuitates
non claudentur. Ego ante ibo, & mon-
tes deplanabo, & fores æreas conteram,
& seras ferreas confringam. Et dabo tibi
100 thesauros absconditos, & inuisibiles [100] ape
riam tibi, vt scias, quia ego sum Domi-
nus Deus, qui voco nomen tuum Deus
Israel.] Deniq; ob virtutem, ac fidem,
quam Deo exhibuit in terra, datum est ei
Regnum, & honor, & imperium, & om-
nes populi, tribus, linguæ seruient ei, &
potestas eius æterna, quæ nunquam tran-
sibit, & Regnum eius non corrumpetur.
Quod quidem duobus modis intelligitur;
quia & nunc habet perpetuã potestatem,
cum omnes gentes, & omnes linguæ no-
men eius venerantur, maiestatem confi-
tentur, doctrinam sequuntur, virtutem
imitantur: habet imperium, atq; hono-
rem, cum omnes tribus terræ præceptis
eius obtemperant; & idem postea, cum
rursus aduenerit in potestate, ac claritate,
vt omnem animam iudicet, & iustos re-
stituat ad vitam, tunc verè totius terræ re-
101 gimen obtinebit, [101] tunc sublato de rebus
humanis omni malo aureum seculum, vt
Poetæ vocant, idest iustum, ac pacificum
tempus orietur. Sed hæc vberius in vltimo
libro differemus, cum de secundo aduentu
loquemur; nunc de primo, vt cæpimus,
explicemus.

CAPVT XIII.

SVMMVS igitur Deus, ac parens om-
nium, cum religionem suam transfer-
re voluisset, doctorem iustitiæ misit è Cæ-
lo, vt nouis cultoribus nouam legem in
eo, vel per eum daret; non sicut ante
fecerat per hominem, sed tamen nasci eũ
voluit, tanquam hominem, vt per omnia
summo Patri similis existeret. Ipse enim
Pater Deus, & origo, & principium rerũ,
quoniam parentibus caret, ἀπάτωρ, atq;
ἀμήτωρ à Trismegisto verissimè nomina-
tur, quòd ex nullo sit procreatus. Iccircò
etiam Filium bis nasci oportuit, vt ipse
fieret ἀπάτωρ, atq; ἀμήτωρ. In prima
enim natiuitate seculi ἀμήτωρ fuit, quia
sine officio matris à solo Deo Patre proge
neratus est, & in secunda vero carnali
ἀπάτωρ fuit, quoniam [102] sine patris offi- 102
cio virginali vtero procreatus est, [103] vt 103
mediam inter Deum, & hominem [104] sub- 104
stantiam gerens nostram hanc fragilem,
imbecillemq; naturam quasi manu ad im-
mortalitatem posset educere. Factus est
& Dei filius per spiritum, & hominis per
carnem, idest, & Deus, & homo. Dei vir-
tus in eo ex operibus, quæ fecit, apparuit,
fragilitas hominis ex passione, quam per-
tulit, quam cur susceperit paulò post do-
cebo. Interim & Deum fuisse, & homi-
nem [105] ex vtroq; genere permistum Pro- 105
phetis vaticinantibus ducimus. Esaias a Esai.45.
Deum fuisse testatur his verbis. a [106] FA- 106
TIGATA est Ægyptus, & negotiatio Æthi 107
opum, [107] & Saba viri alti ad te transgre-
dientur, & tui erunt serui, [108] & post te 108
ambulabunt vincti compedibus, & adora-
bunt te, [109] & te precabuntur, quoniam 109
in te Deus est, & non alius Deus præter
te. Tu enim Deus es, & nesciebamus,
Deus Israel saluator. Confundentur, &
reuerebuntur omnes, qui aduertantur ti-
bi, & cadent in confusionem.] Item
Propheta [110] Hieremias sic ait. b HIC De- 110
us noster est, [111] & non deputabitur alius b Baruch.3
absq; illo, qui inuenit omnem viam pru- 111
dentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, &
Israel dilecto sibi: Post hæc in terris visus
est, & cum hominibus versatus est.] Item
Dauid in Psalm. xxxxiiij. [112] THRONVS 112
tuus Deus in secula seculorum, [113] virga 113
æquitatis, virga Regni tui: dilexisti iusti-
tiam, [114] & odio habuisti iniustitiam; prop- 114
terea vnxit te Deus, Deus tuus [115] oleo 115
exultationis.] Quo verbo etiam nomen
ostendit, siquidem (vt supra c docui) ab c Cap.7.
vnctione appellatus est Christus. Deinde
hominem fuisse eundem Hieremias docet d Hier.17.
dicens. d [116] ET homo est, & quis cogno- 116
uit eum?] Item Esaias. e [117] ET mittet e Esai. 19.
eis Deus hominem, & saluabit eos, iudi- apost. sept.
cans sanabit eos.] Sed & Moyses in Nu- 117
meris ita loquitur. f ORIETVR stella f Num. 24.
ex Iacob, [118] & exurget homo ex Israel.] 118
Proptera Milesius Apollo consultus, vt-
rumnè Deus, an homo fuerit, hoc modo
respondit.

Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα, σοφὸς τερατώδεσιν
ἔργοις

Ἀλλ'

ἀλλ' ὑπὸ χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συναχθεὶς,
γόμφοις, καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελωτήν.

Primo versu verum quidem dixit, sed argutè consultorem fefellit sacramentum veritatis penitus nescientem. Videtur enim negasse illum Deum; sed cum fatetur secundum carnem fuisse mortalem, quod etiam nos prædicamus, consequens est, vt secundum spiritum Deus fuerit, quod nos affirmamus. Quid enim fuerat necesse carnis facere mentionem, cum satis esset dicere fuisse mortalem? Sed veritate pressus negare non potuit, quemadmodum res se haberet, sicut illud, quod ait, fuisse sapientem. Quid ad hoc Apollo respondes? si sapiens est; ergo doctrina eius sapientia est, nec vlla alia, & sapientes, qui sequuntur, nec vlli alij. Cur igitur vulgo pro stultis, & vanis, & ineptis habemur, qui sectamur magistrum etiam ipsorum Deorum confessione sapientem? Nam, quod ait portentifica illum opera fecisse, quo maximè diuinitatis fidem meruit, assentiri nobis iam videtur, cum dicit eadem, quibus nos gloriamur. Sed colligit se tamen, & ad dæmoniacas fraudes redit. Cum enim verum necessitate dixisset; iam Deorum, ac sui proditor videbatur, nisi quod ab eo veritas extorserat, mendacio fallente celasset. Ait ergo illum fecisse opera miranda; verùm non diuina virtute, sed magica. Quid mirum, si hoc Apollo veritatem ignorantibus persuasit? cum Iudæi quoque cultores, vt vi-
a Matth. 12. debàtur summi Dei idem putauerint, *a* cùm
Marc. 3. ante oculos eorum quotide fierent illa
Luc. 11. miracula, quæ eis Prophetæ futura prædixerant, nec tamen tantarum virtutum contemplatione impelli potuerunt, vt Deum crederent, quem videbant. Propterea Dauid, quem inter cæteros prophetas vel maximè legūt in Psalmo XXVII sic eos damnat. REDDE illis retributio-
119 nem eorum, quoniam [119] non intellexerunt in operibus Domini.] Ex huius ipsius domo Christum generatum iri secundum carnem & ipse Dauid, & alij Prophetæ
b Esai 11. annunciauerunt. Apud Esaiam ita scriptū
120 est. *b* ET erit in die illa radix Iesse, [120] & qui
121 exsurget principari in nationes, [121] in
122 eum gentes sperabunt, [122] & erit requies
c Esai eodē eorum in honore.] & alio loco. *c* EXIET
cap. 11. in virga de radice Iesse, & flos de radice eius
princ.
ascendet, & requiescet super eum spiritus Dei, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, [123] spiritus 123
scientiæ, & pietatis, [124] & implebit eum 124
spiritus timoris Domini.] Iesse autem fuit pater Dauid, ex cuius radice ascensurum esse florem prælocutus est, eum scilicet, de quo Sibylla dicit. *a* *a In Carminib. Sibyll.*
Ἀνθήσει δ' ἄνθος καθαρόν. ———
Item in Βασιλειῶν libro secundo. *b* Propheta Nathan missus est ad Dauid volentem Deo templum fabricare. ET fuit verbum Domini ad Nathan dicens. Vade, & *serm. 6. in princ.* *b Reg. 2. c. 7.*
dic seruo meo Dauid. Hæc dicit Dominus omnipotens. Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum, sed cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus
tuis, suscitabo semen tuum post te, [125] & 125
parabo regnum eius. Hic ædificabit mihi domum in nomine meo, & erigam thronum eius vsque in seculum; & ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, & fidem consequetur domus eius, & regnum eius vsque in seculum.] Sed hæc vt Iudæi non intelligerent illa fuit causa, quòd Salomon filius Dauid Deo templum ædificauit, *c* [126] & ciuitatem, quam de suo nomine Hierosolyma nuncupauit. Itaque ad 126 *c 3. Reg. c. 6. & 9. l. 2. Paralip. c. 3. 7. & 8.*
ipsum, quæ à Propheta dicta sunt, retulerunt. Salomon autem ab ipso patre suo imperij regimen accepit: *d* Prophetæ verò de eo loquebātur, qui tum nasceretur postquam Dauid cum patribus suis requieuisset. Præterea Salomonis imperium perpetuum non fuit, annis enim XL. regnauit. *d 3. Reg. c. 1. & 1. Paralip. c. 23.*
e Deinde quod nunquam filius Dei dictus sit, sed filius Dauid, & domus, quam ædificauit, non est fidem consecuta, sicut Ecclesia, quæ est verum templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde, ac fide hominum, qui credunt in eum, ac vocantur fideles. Illud verò Salomonium templum, quia manu factum est, manu cecidit. Denique pater eius in Psalmo CXXVI de operibus filij sui prophetauit hoc modo. *e 3. Reg. c. 11. 2. Paralip. c. 9.*
SI dominus non ædificauerit domum, in
vanum laborauerunt, [127] qui illam ædifi- 127
cauerunt: Si dominus non custodierit ci-
uitatem, [128] in vanum vigilauit, qui eam 128
[129] custodiuit.] 129



CAPVT XIV.

QVIBVS ex rebus apparet, Prophe-
tas omnes denunciasse de Christo,
fore aliquãdo, vt ex genere Da-
uid corporaliter natus constitueret ęternũ
templum Deo, quod appellatur Ecclesia,
& vniuersas gentes ad religionem Dei ve-
ram conuocaret. Hæc est domus fidelis,
hoc immortale templum, in quo si quis
non sacrificauerit immortalitatis præmiũ
non habebit; cuius templi & magni, &
æterni quoniam Christus fabricator fuit,
130 [130] idem necesse est habeat in eo sacerdo-
tium sempiternum; nec potest nisi per eũ
qui constituit, ad templum, & ad conspe-
ctum Dei perueniri. Dauid in Psalmo CIX
id ipsum docet dicens. ANTE luciferum
genui te. Iurauit dominus, & non pœni-
tebit eum, tu es Sacerdos in æternum se-
a Reg. 1. cundum ordinem Melchisedech.] Item in
cap. 2. Βασιλειῶν libro primo. a ET suscitabo mi-
131 hi sacerdotem fidelem, [131] qui omnia, quæ
sunt in corde meo faciat, & ædificabo ei
132 domum fidelem, [132] transibit in conspectu
meo omnibus diebus.] Qui autem futurus
esset, cui Deus æternum Sacerdotium pol-
b Zachar. 3. licebatur Zacharias etiam nomine posito
133 apertissimè docuit; sic enim dixit. b [133] ET
ostendit mihi Dominus Deus Iesum Sa-
cerdotem magnum stantem ante faciem
Angeli Domini, & Diabolus stabat ad dex-
134 teram ipsius, [134] vt aduersaretur ei. Et di-
135 xit Dominus ad Diabolum. [135] Imperet ti-
bi Dominus in te, qui elegit Hierusalem.
136 [136] Et ecce titio eiectus ab igne: & Iesus erat
indutus vestimentis sordidis, & stabat an-
te faciem Angeli, & respondit, & dixit ad
circumstantes ante faciem ipsius dicens.
137 138 [137] Auferte vestimenta sordida ab eo, [138] &
139 induite eum [139] tunica talari, & ponite cy-
darim mundam super caput ipsius; & co-
operuerunt eum vestimento, & imposue-
runt cydarim mundam super caput ipsius;
& Angelus Domini stabat, & testificaba-
tur ad Iesum dicens. Hæc dicit Dominus
omnipotens: si in vijs meis ambulaueris, &
præcepta mea seruaueris, tu iudicabis do-
140 mum meam, [140] & dabo tibi, qui conuer-
sentur in medio horum circumstantium.
Audi itaque Iesu Sacerdos magne.] Quis
non igitur captos mentibus tum fuisse Iu-
dæos arbitretur, qui cum hæc legerent, &
audirent, nefandas manus Deo suo intu-
lerunt? Atqui ab eo tempore, quo Za-
charias fuit vsque ad annum quintumde-
cimum imperij Tiberij Cæsaris, quo Chri-
stus crucifixus est [141] propè quingenti anni 141
numerãtur; siquidem [142] Darij, [143] & Ale- 142 143
xandri adoleuit ætate, [144] qui fuerunt non 144
multo post quam Tarquinius Superbus
exactus est: Sed illi rursus eodem modo
falsi, deceptiq; sunt, putantes, hæc de
Iesu esse dicta filio Naue, qui successor fuit
Moysi, aut de Sacerdote Iesu filio Iose-
dech, in quos nihil congruit eorum, quæ
Propheta narrauit: non enim sordidati il-
li vnquam fuerunt, cum alter eorum Prin-
ceps potentissimus fuerit, alter Sacerdos;
aut perpessi sunt aliquid aduersi, vt tan-
quam titio eiectus ex igne putarentur: aut
aliquando in conspectu Dei, & Angelorũ
steterunt: aut Propheta de præteritis lo-
quebatur potius quàm de futuris. Locu-
tus est igitur de IESV filio Dei, vt ostende-
ret, cum primò in humilitate, & carne
esse venturum (hæc enim est vestis sordi-
da) vt pararet templum Deo; & sicut titio
igni combureretur, idest ab hominibus
cruciamenta perferret, & ad vltimum ex-
tingueretur: titionem enim vulgus appel-
lat extractum foco torrem semiustum, ex-
tinctum. Quo modo autem, & cum qui-
bus mandatis à Deo mitteretur in terram,
declarauit spiritus Dei per Prophetam,
docens futurum, vt cum voluntatem sum-
mi Patris fideliter, & constanter implesset,
acciperet iudicium, atque imperium sem-
piternum. SI in vijs meis (inquit) ambula-
ueris, & precepta mea seruaueris, tu iu-
dicabis domum meam.] Quæ fuerint viæ
Dei, & quæ præcepta eius nec ambiguum,
nec obscurum est. Deus enim cum videret
malitiam, & falsorum Deorum cultus per
orbem terræ ita inualuisse, vt iam nomen
eius ex hominum memoria fuisset pene
sublatum (siquidem Iudæi quoque, quibus
solis arcanum Dei creditum fuerat, reli-
cto Deo viuo ad colenda figmenta irretiti
Dæmonum fraudibus aberrassent, nec in-
crepiti per Prophetas reuerti ad Deum
vellent) [145] filium suum legauit ad homi- 145
nes, vt eos conuerteret ab impijs, & va-
nis cultibus ad cognoscendum, & colen-
dum Deum verum; Item vt eorum,
mentes à stultitia ad sapientiam
ab iniquitate ad iustitiæ opera
traduceret. Hæ sunt viæ Dei, in quibus
ambulare

ambulare eum præcepit. Hæc præcepta,
quæ seruanda mandauit: ille verò exhibuit
Deo fidem. Docuit enim, quòd vnus Deus
sit, eumque solum coli oportere, nec vn-
quam se ipse Deum dixit; quia non seruas-
set fidem, si missus, vt Deos tolleret, &
vnum assereret, induceret alium præter
vnum. Hoc erat non de vno Deo facere
præconium, nec eius, qui miserat, sed
suum proprium negocium gerere, ac se
ab eo, quem illustraturus venerat, sepa-
rare. Propterea, quia tam fidelis extitit,
quia sibi nihil prorsus assumpsit, vt man-
data mittentis impleret, & Sacerdotis per-
petui dignitatem, & Regis summi hono-
rem, & Iudicis potestatem, & Dei nomen
accepit.

CAPVT XV.

QVONIAM de secunda natiuitate
diximus, qua se hominibus in car-
ne monstrauit, veniamus ad
opera illa miranda, quæ cum essent cœle-
stis indicia virtutis, magum Iudæi putaue-
146 runt. [146] Cum primùm cœpit adolescere,
tinctus est a Ioanne Propheta in Iordane
a Luc. 3. flumine, a vt lauacro spiritali peccata
Matth. 3. non sua, quę vtique non habebat, sed car-
Ioann. 1. nis, quam gerebat, aboleret, vt quemad-
Marc. 1. modum Iudæos suscepta circumcisione, sic
147 etiam gentes baptismo, idest [147] purifici ro-
ris perfusione saluaret. Tunc vox audita
148 de cœlo est. [148] FILIVS meus es tu, ego
b Psalm. 2. hodie genui te.] Quæ vox apud Dauid b
prædicta inuenitur, & descendit super eum
Spiritus Dei formatus in speciem columbę
candidæ. Exinde maximas virtutes cœpit
operari non præstigijs magicis, quæ nihil
veri, ac solidi ostẽtant, sed vi, ac potestate
cælesti, quæ iam pridẽ Prophetis nuncian-
tibus canebatur; quæ opera tã multa sunt,
vt vnus liber ad cõplectenda omnia, satis
non sit; Enumerabo igitur illa breuiter,
& generatim sine vlla personarum, ac lo-
corum designatione, vt ad exponendam
passionis eius, Crucisque rationem possim
peruenire, quò iam dudum festinat oratio.
Virtutes eius fuerunt, quas Apollo por-
c Scilicet c. tentificas appellauit, c quòd, quicunque
13. iter faciebat, ægros, ac debiles, & omni
morborum genere laborantes vno verbo,
vnoque momento reddebat incolumes,
a adeo vt membris omnibus capti, receptis a Matth. 4.
repentè viribus roborati ipsi lectulos suos 11. & 15.
reportarent, in quibus fuerant paulò ante Luc. 7.
delati. b Claudis verò, ac pedum vitio af- b Matth. 9.
flictis non modò gradiendi, sed etiam cur- Marc. 2.
rendi dabat facultatem. c Tunc quorum Luc. 5.
cæca lumina, in altissimis tenebris erant, c Matt. 11.
eorum oculos in pristinũ restituebat aspe- 15. 21 Luc.
ctum. d Mutorum quoque linguas in elo- 7.
quium, sermonemque soluebat. e Item d Matth. 9.
surdorum patefactis auribus insinuabat Marc. 10.
auditum; f pollutos, ac sparsos maculis e Marc. 7.
repurgabat. g Et hæc omnia non mani- Matth. 9.
bus, aut aliqua medela, sed verbo, ac ius- Luc. 11.
sione faciebat, sicut etiam Sibylla prædi- f Matth. 11
xerat. h Luc. 7.
πάντα λόγῳ πράττων πᾶσάν τε νόσον θερα- g Matth. 8.
πεύων. Marc. 1.
Nec vtique mirum, quòd verbo faciebat Luc. 5.
mirabilia, cum ipse esset Dei verbum, cœ- h In Carmi
lesti virtute, ac potestate subnixum. Nec nib. Sibyll.
satis fuit, quod vires imbecillis redderet, serm. 8 post
quod debilibus integritatem, quod ægris, med.
& languentibus sanitatem, nisi etiam mor-
tuos suscitaret, velut è somno solutos, ad i Luc. 7. Io.
vitamque reuocaret. i Quæ videntes tunc 11.
Iudæi, dæmoniaca potentia fieri argue- k Matt. 12.
bant, k cum omnia sic futura, vt facta Marc. 3.
sunt, arcanæ illorum literæ continerent. Luc. 11.
Legebant quippe tum aliorum Propheta- l Esai 35.
rum, tum Esaiæ verba dicentis. l [149] CON- 149
FORTAMINI manus resolutę, & genua
debilia cõsolamini. Qui estis pusilli-animi
nolite timere; nolite metuere: dominus no-
ster iudiciũ retribuet, ipse veniet, & saluos
faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorũ,
& aures surdorũ audient. Tunc saliet clau-
dus sicut ceruus, & plana erit lingua [150] mu- 150
torũ, quia rupta est in deserto aqua, [151] & 151
riuus in terra sitienti.] Sed & Sibylla eadẽ m In Car.
cecinit his versibus. m Sibyl. ser. 8.
——— Νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσται, circa med.
[152] καὶ χωλῶν δρόμος ὠκύς, καὶ κωφὸς 152
ἀκούσει
καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ' οὐ λαλέοντες.
Ob has eius virtutes, & opera diuina, cum
magna illum multitudo sequeretur vel de-
bilium, vel ægrorum, vel eorum, qui cu-
randos suos offerre cupiebant, [153] ascendit 153
in montem quendam desertum, n vt ibi n Matt. 15.
adoraret, vbi cum triduo moraretur, ac Marc. 8.
fame populus laboraret, vocauit Discipu-
los, quærens, quantos secum cibos gesta- o Matt. 14.
rent. At illi quinque panes, & duos pisces Marc. 6.
in pera se habere dixerunt. o Afferri ea Luc. 9. Io. 6
iussit,

iussit, ac multitudinem per quinquagenos distributam discumbere; quod cum Discipuli facerent, frangebat ipse panem minutatim, carnemq; piscium comminuebat, & vtraq; in manibus eius augebantur. Et cum apponi illa populo Discipulis imperasset, saturata sunt quinque hominum millia, & insuper duodecim cophini de residuis fragminibus impleti. Quid aut dici, aut fieri potest mirabilius? At id Sibylla futurum cecinerat olim, cuius versus tales feruntur. *a*

a In Carm. Sibyll. ser. 8.

154 [154] Ἐν ἄρτοις ἅμα πέντε, καὶ ἰχθύεσσι δυοῖσιν
Ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσσει,
Καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὼν μετὰ κλάσματα πάντα
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα πολλῶν.

Quæro igitur, quid hic potuerit ars magica moliri? cuius peritia ad nihil aliud, quā ad circumscribendos oculos valet. Idem secessurus eundi gratia, sicut solebat, in montem, præcepit discipulis, vt nauiculam sumerent, seq; præcederent. *b* At illi vrgente iam vespere profecti, contrario vento laborare cœperunt cumq; iam medium fretum tenerent, tum pedibus mare ingressus consecutus est eos, tanquam in solido gradiens, non vt Poetæ Orionem mentiuntur in pelago incedentem, qui demersa corporis parte.

b Matt. 14. Mar. 6. Ioan. 6.

——— *humero supereminet vndas.* *c*

c Virg. sub fin. 10. Æneid.

Et rursus cum obdormiuisset in naui, & ventus vsq; ad extremum periculum sæuire cœpisset excitatus somno silere protinus ventum iussit, & fluctus, qui maximi ferebantur, conquiescere, statimq; sub verbo eius trāquillitas insecuta est. *d* Mentiuntur fortasse literæ sanctæ, docentes, tantam fuisse in eo potestatem, vt imperio suo cogeret ventos obsequi, maria seruire, morbos cædere, inferos obedire. Quid quòd eadem Sibyllę carminibus suis ante docuerunt? quarum vna, cuius supra fecimus mentionem, sic ait. *e*

d Luc. 8. Marc. 4. Matth. 8.

e In Carm. Sibyll. ser. 8.

Τοὺς ἀνέμους παύσει τῷ λόγῳ, στρώσει δὲ θάλασσαν
155 μαινομένην ποσὶν εἰρήνῃ, [155] πίστει τε πατήσας.

Et rursus alia, quæ dicit. *f*

f In Carm. Sibyl. ser. 6.

156 [156] Κύματα πεζεύσει, νόσον ἀνθρώπων ἀπολύσει
Στήσει τεθνειῶτας, ἀπώσεται ἄλγεα πολλοῖς.
Ἐκ δὲ μιᾶς πηγῆς ἄρτου κόρος ἔσσεται ἀνδρῶν.

His testimonijs quidam reuicti solent eò confugere, vt aiant, non esse illa carmina Sibyllina, sed à nostris conficta, atq; composita: Quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemq; legerit, aliosq; veteres, qui Erythræam Sibyllam, cæterasq; commemorant, quarum ex libris ista exempla proferimus: qui authores ante obierunt, quàm Christus secundum carnem nasceretur. Verùm non dubito, quin illa Carmina prioribus temporibus pro deliramētis habita sint, cum ea nemo tum intelligeret: denuntiabant enim monstrosa quædam miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec author designabatur. Deniq; Erythrea fore ait, vt diceretur insana, & mendax: ait enim. *a*

——— φήσουσι Σίβυλλαν
μαινομένην ψεύστειραν. ἐπὰν δὲ γένηται ἅπαντα,
Τηνίκα μου μνήμην ποιήσετε, κ' οὐκέτι μ' οὐδεὶς
Μαινομένην φήσει με θεοῦ μεγάλοιο προφῆτιν.

a In Carm. Sibyl. in fin. serm. 3.

Latuerunt igitur multis seculis; postea verò animaduersa sunt quam Christi natiuitas, & passio patefecit arcana, sicut etiam voces Prophetarum, quæ cum per annos mille quingentos, & eò amplius lectæ fuissent à populo Iudæorum, nec tamen intellectæ sunt, nisi postquam illas Christus, & verbo, & operibus interpretatus est; illum enim Prophetæ annunciauerunt, nec vllo modo poterant, quæ illi loquebantur, intelligi, nisi fuissent vniuersa completa.

CAPVT XVI.

VENIO nunc ad ipsam passionem, quæ velut opprobrium nobis obiectari solet, quod & hominem, & ab hominibus insigni supplicio affectum, & excruciatum colamus, vt doceam eam ipsam passionem ab eo cum magna, & diuina ratione susceptam; & in ea sola & virtutem, & veritatem, & sapientiam contineri. Neq; enim si beatissimus in terra fuisset, & per omnem vitam in summa fęlicitate regnasset, quisquam illum sapiens; aut Deum credidisset, aut honore diuino dignum iudicasset, quod faciunt veræ diuinitatis expertes, qui caducas opes, & fragilem potentiam, [157] & alieni beneficij bona non tantùm suscipiunt, verùm 157
etiam consecrant, & scientes memoriæ mortuo-

mortuorum deseruiunt fortunam iam ex-
tinctam colentes, quam ne viuam quidem,
præsentemq; sapientes colendam sibi vn-
quã putauerunt. Nec enim potest aliquid
in rebus terrenis esse venerabile, cœloq;
dignum; sed sola est Virtus, sola Iustitia,
quæ potest verum bonum, & cœleste &
perpetuum iudicari, quia nec datur cui-
quam, nec aufertur; qua virtute, ac Iu-
stitia quoniam Christus instructus venit in
Terram, immo verò quoniam ipse virtus,
& ipse Iustitia est, descendit, vt eam doce-
ret, hominemq; formaret; quo magiste-
rio, ac Dei legatione perfunctus ob eam
ipsam virtutem, quam simul & docuit, &
fecit, ab omnibus gentibus & meruit, &
potuit Deus credi. Ergo cum magnus po-
pulus ad eum, vel ob Iustitiam, quam do-
cebat, vel ob miracula, quæ faciebat,
subinde conflueret, & præcepta eius au-
diret, & a Deo missum, Deiq; Filium cre-
deret, tum primores Iudęorum, & Sacer-
dotes ira stimulati, quòd ab eo tamquam
peccatores increpabantur, & inuidia de-
prauati, quòd confluente ad eum multitu-
dine contemni se, ac deseri videbant, &
(quod caput sceleris illorum fuit) stultitia,
& errore cæcati, & immemores præcep-
torum cœlestium, ac Prophetarum, coie-
runt aduersus eum, impiumq; consilium
de eo tollendo, cruciandoq; cęperunt,
quod Prophetę multò ante descripserant.
Nam & Dauid in principio Psalmorum
suorum præuidens in Spiritu, quantum
facinus admissuri essent, beatum esse ait,
qui non abierit in consilio impiorum. Et
Salomon in libro Sapientiæ his verbis vsus
a Sapient 2. est. a CIRCVMVENIAMVS iustum,
158 quoniam insuauis est nobis, [158] & expro-
brat nobis peccata legis, promittit, se
scientiam Dei habere, & Filium Dei se
nominat, factus est nobis in traductionem
cogitationum nostrarum; grauis est nobis
etiam ad videndum, quoniam dissimilis est
alijs vita illius, & immutatæ sunt vię illius:
tamquam nugaces æstimati sumus ab eo:
continet se a vijs nostris, quasi ab immun-
dicijs, & præfert nouissima iustorum, &
159 [159] gloriatur patrem se habere Deum.
Videamus ergo, si sermones illius veri
sunt, & tentemus, quæ ventura sunt illi:
contumelijs, & tormentis interrogemus
eum, vt sciamus reuerentiam illius, & pro-
bemus patientiam illius: morte turpissima
condemnemus eum. Hæc cogitauerunt,
& errauerunt: excęcauit enim illos [160] stul- 160
titia ipsorum, & nescierunt Sacramenta
Dei] Nonne ita descripsit nefarium illud
consilium ab impijs initum contra Deum,
vt planè interfuisse videatur? Atqui a Sa-
lomone, qui hæc cecinit vsq; ad id tem-
pus, quo gesta res est, [161] mille ac decem 161
anni fuerunt. Nihil nos affingimus, nihil
addimus. Habebant hæc, qui fecerunt;
legebant, in quos hæc dicta sunt; sed &
nunc heredes nominis, ac sceleris illorum
hæc & habent, & damnationem suam
Prophetarum voce prædictam quotidia-
nis lectionibus personant, nec aliquando
in cor suum, quę pars est & ipsa damna-
tionis, admittunt. Increpiti ergo à Chri-
sto sæpè Iudæi exprobrante illis peccata,
& iniustitias, & à populo penè deserti con-
citati sunt ad eum necandum. Cujus rei
audaciam illis dedit humilitas eius. Nam
cum legerent, cum quanta virtute, & cla-
ritate Filius Dei venturus esset è Cœlo,
IESVM autem cernerent humilem, quię-
tum, sordidum, informem; non crede-
bant, Filium Dei esse, ignorantes duos
eius aduentus a Prophetis esse prædictos;
primum in humilitate carnis obscurum,
secundum in fortitudine maiestatis mani-
festum. De primo Dauid in Psalmo se-
ptuagesimo primo sic ait. DESCENDET
sicut pluuia in vellus; & orietur in diebus
eius iustitia, & abundantia pacis, donec
[162] extollatur Luna] sicut enim pluuia, si 162
descendat in vellus, animaduerti non po-
test, quia strepitum non facit, ita Chri-
stum in terram sine cuiusquam suspicione
venturum esse dixit, vt Iustitiam doceret,
& pacem. Esaias quoque ita tradidit. a a Esai. 53.
DOMINE quis credidit auditui nostro?
Et brachium domini cui reuelatum est?
[163] Annunciauimus coram ipso sicut pueri, 163
& sicut radix in terra sitienti: non est figu-
ra eius, neq; claritas, & vidimus illum, &
non habuit figuram, neq; decorem; sed
figura eius sine honore, & deficiens pręter
cæteros homines: [164] homo in plaga posi- 164
tus est, sciens ferre imbecillitatem, quia
auersus est, & non est computatus. Hic
peccata nostra portat, & pro nobis hic
dolet, & nos putauimus, ipsum esse in
dolore, & in plaga, & vexatione. Ipse autē
vulneratus est propter facinora nostra,
& infirmatus est propter peccata nostra:
doctrina pacis nostræ super illum: liuore
eius nos sanati sumus. Omnes sicut oues
erraui-

errauimus, et Deus tradidit illum pro pec-
catis nostris.] Et Sibilla eodem modo lo-
a In Carm. cuta est. a
Sibyl. ser. 8. οἰκτρὸς, ἄτιμος, ἄμορφος ἵν' οἰκτροῖς ἐλπίδα
δώσει.
Propter hanc humilitatem Deum suum
non agnoscentes inierunt consilium dete-
standum, vt priuarent eum vita, qui, vt
eos viuificaret, aduenerat.

CAPVT XVII.

SED iræ, atq; inuidiæ suæ, quam in
cordibus suis gerebant, intus inclusa
malitia, causas præferebant, quod legem
Dei per Moysen datam solueret, idest,
b Matt. 12. quòd Sabbatis non vacaret b operans in
Marc. 3. salutem hominum, quod circumcisionem
Luc. 6. & c. 9. vacuè faceret, quòd abstinentiam suillæ
carnis auferret: in quibus rebus Iudaicæ
religionis sacramenta consistunt. Ob hęc
itaq; cætera pars populi, quæ nondum ad
Christum secesserat, à Sacerdotibus inci-
165 tabatur, vt impiũ iudicaret eum, [165] quòd
legem Dei solueret, cum hoc ille non suo
iudicio, sed ex Dei voluntate, & secundũ
pręd.icta faceret Prophetarum. Michæas
enim nouam legem daturum denunciauit
c Mich. 4. hoc modo. c LEX de Sion proficiscetur,
Esai. 2. & sermo Domini ex Hierusalem; & iudi-
cabit inter plurimos populos, & reuincet,
166 [166] & deliget validas nationes.] Illa enim
prior lex, quæ per Moysen data est, non
167 in monte Sion, sed in monte [167] Oreb data
est, quam Sibylla fore, vt à filio Dei solue-
d In Carm. retur, ostendit. d
Sibyl. ser. 8. ἀλλ' ὅτε ταῦτ' ἂν ἅπαντα τελειωθῇ ἅπερ
prope fin. εἶπον
168 [168] εἰς αὐτὸν πᾶς λύεται νόμος. ——
Sed & ipse Moyses, per quem datam sibi
legem dum pertinaciter tuentur, excide-
runt à Deo, & Deum non agnouerunt,
prædixerat fore, vt Propheta maximus
mittatur à Deo, qui sit supra legem, qui
voluntatem Dei ad homines perferat. In
e Deut. 18. Deuteronomio ita scriptum reliquit. e ET
dixit Dominus ad me. Prophetam exci-
tabo eis de fratribus eorum sicut te, & da-
bo verbum meum in os eius, & loquetur
ad eos ea, quæ præcepero ei, & quisquis
non audierit ea, quæ loquetur Propheta
ille in nomine meo, ego vindicabo in eũ.]
Denunciauit scilicet Dominus per ipsum
legiferum, quòd Filium suum, idest viuam,
præsentemq; legem missurus esset, & illam
veterem per mortalem datam soluturus,
vt denuò per eum qui esset æternus, legem
sanciret æternam. Item de Circumcisio-
ne soluenda [169] Esaias ita prophetauit. a 169
HÆC dicit Dominus viris Iuda, qui ha- a Hierem. 4.
bitant in Hierusalem. [170] Renouate inter 170
vos [171] nouitatem, & ne seminaueritis in 171
spinis. Circumcidite vos Domino Deo ve
stro, & [172] circumcidite præputium cordis 172
vestri, ne exeat ira mea sicuti ignis, [173] & 173
exurat, & non sit, qui extinguat.] Item
Moyses ipse. b [174] IN nouissimis diebus [175] 174 175
circumcidet Dominus cor tuum ad Do- b Deut. 30.
minum Deum tuum amandum.] Item Ie
sus Naue successor eius. c ET dixit Domi c Iosue. 5.
nus ad Iesum. Fac tibi [176] cultellos petri- 176
nos nimis acutos, & sede, & circumcide
secundò filios Israel.) Secundam circum-
cisionem futuram esse dixit, non carnis,
sicut fuit prima, qua etiam nunc Iudæi
vtuntur, sed cordis, ac spiritus, quam tra-
didit Christus, qui verus Iesus fuit: [177] Non 177
enim Propheta sic ait. Et dixit dominus
ad me, sed ad Iesum, vt ostenderet, quòd
non de eo loqueretur, sed de Christo, ad
quem tunc Deus loquebatur. Christi enim
figuram gerebat ille Iesus, qui cum primũ
[178] Auses vocaretur, Moyses futura præ- 178
sentiens, iussit eũ Iesum vocari, d vt quo- d Num. 13.
niam Dux militiæ delectus esset aduersus
Amalech, qui oppugnabat filios Israel, &
aduersarium debellaret per nominis figu-
ram, & Populum in terram promissionis
induceret. Et iccirco etiam Moysi succes-
sit, vt ostenderet, nouam legem per Chri-
stum Iesum datam veteri legi successuram,
quæ data per Moysen fuit. Nam illa car-
nis circumcisio caret vt que ratione, quia
si Deus id vellet, sic à principio formasset
hominem, vt præputium non haberet:
Sed huius secundæ circumcisionis figura
erat, significans, nudandum esse pectus,
idest aperto, & simplici corde oportere
nos viuere, quoniam pars illa corporis,
quæ circumciditur, habet quãdam simili-
tudinem cordis, & est pudenda. Et ob
hanc causam Deus nudari eam iussit, vt
hoc argumento nos admoneret, ne inuo-
lutum pectus haberemus, idest, ne quod
pudendum facimus intra conscientiæ se-
creta velemus. Hæc est cordis circumci-
sio, de qua Prophetæ loquuntur, quam
Deus a carne mortali ad animam transtu-
lit,

lit, quæ ſola manſura eſt. Volens enim
vitæ, ac ſaluti noſtræ pro æterna ſua pie-
tate conſulere, pœnitentiam nobis in illa
circumciſione propoſuit, vt ſi cor nuda-
uerimus, ideſt, ſi peccata confeſſi, ſatis
Deo fecerimus, veniam conſequamur,
quæ contumacibus admiſſa ſua cælanti-
bus denegatur ab eo, qui non faciem ſicut
homo, ſed intima, & arcana pectoris in-
tuetur. Eodem etiam ſpectat carnis ſuillę
interdictio, à qua cum eos Deus abſtinere
iuſſit, id potiſſimùm voluit intelligi, vt ſe
à peccatis, atq; immundicijs abſtinerent.
Eſt enim lutulentum hoc animal, & im-
mundum, nec vnquam Cælum aſpicit, ſed
in terra toto & corpore, & ore proiectũ,
ventri ſemper, & pabulo ſeruit, nec vllũ
alium, dum viuit, præſtare vſum poteſt,
ſicut cæteræ animantes, quæ vel ſedendi
vehiculum præbent, vel in cultibus agro-
rum iuuant, vel plauſtra collo trahunt,
vel onera tergo geſtant, vel indumentum
exuuijs ſuis exhibent, vel copia lactis exu-
berant, vel cuſtodiendis domibus inuigi-
lant. Interdixit ergo, ne porcina carne
veſcerentur, ideſt, ne vitam porcorum
imitarentur, qui ad ſolam mortem nutri-
untur, ne ventri, ac voluptatibus ſeruien-
tes ad faciendam iuſtitiam inutiles eſſent,
ac morte afficerentur. Item ne ſe fœdis li-
bidinibus immergerent, ſicut ſus, quæ ſe
ingurgitat cœno, vel ne terrenis ſeruiant
ſimulachris, ac ſe luto inquinent: luto
enim ſe oblinunt, qui Deos, ideſt, qui lu-
tum, terramq; venerantur. Sic vniuerſa
præcepta Iudaicæ legis ad exhibendam
iuſtitiam ſpectant, quoniam per ambagem
data ſunt, vt per carnalium figuram ſpi-
ritalia noſcerentur.

CAPVT XVIII.

CVM igitur ea, quæ Deus voluit fie-
ri, quæq; per Prophetas ſuos multis
ſeculis ante prædixit, Chriſtus impleret,
ob ea incitati, & diuinas literas neſcientes
coierunt, vt Deum ſuum condemnarent.
a Matt 20. Quod cum ſciret futurum, ac ſubinde di-
Marc. 10. ceret, oportere ſe pati, ac interfici pro ſa
Luc. 18. lute multorum, a ſeceſſit tamen cum Diſ-
b Ioan. 7. & cipulis ſuis, b non vt vitaret quod neceſſe
8. & 11. erat perpeti, ac ſuſtinere, ſed vt oſtende-
179 ret, [179] quod ita fieri oporteat in omni per-
ſecutione, ne ſua quis culpa incidiſſe vide- a Matt. 27.
atur: ac denunciauit fore, vt ab vno eorũ Marc. 14.
proderetur. a Itaq; Iudas præmio illectus Luc. 22. Io.
tradidit eum Iudæis. At illi comprehen- 18. & ſeqq.
ſum, ac Pontio Pilato, qui tum [180] lega- 180
tus Syriam regebat, oblatum cruci affigi
poſtulauerunt, obijcientes ei, nihil aliud,
niſi quòd diceret, ſe filium Dei eſſe, & Re- b Io. 2. Mat.
gem Iudęorum. Item quòd dixerat. b SI 26. & 27.
ſolueritis hoc templum, quod ædificatum Marc. 14.
eſt [181] annis xxxxvj. ego illud in triduo ſine 181
manibus ſuſcitabo.] Significans breui fu-
turam paſſionem ſuam, & ſe a Iudæis in-
terfectum tertio die reſurrecturum. Ipſe
enim erat verum Dei templum. Has vo-
ces eius tanquam infauſtas, & impias in-
ſectabantur. Quæ cum Pilatus audiſſet,
& ille in defenſionem ſui nihil diceret,
pronunciauit, [182] nihil in eo damnatione 182
dignum videri. At iniuſtiſſimi accuſato-
res cum populo, quem incitauerant, ſuc-
clamare cæperunt, & crucem eius vio-
lentis vocibus flagitare. Tum Pontius
& illorum clamoribus, & Herodis Tetrar-
chæ inſtigatione metuentis, ne Regno
pelleretur, victus eſt. [183] Nec tamen ipſe 183
ſententiam protulit, ſed tradidit eum Iu-
dæis, vt ipſi de illo ſecundum legem ſuam
iudicarent. Duxerunt ergo eum flagellis
verberatum, & prius quam cruci affige-
rent, illuſerunt; indutum enim [184] coloris 184
punicei veſte, ac ſpinis coronatum quaſi
Regem ſalutauerunt, & dederunt ei
cibum fellis, & miſcuerunt ei aceti potio-
nem. Poſt hæc conſpuerunt faciem eius,
& palmis ceciderunt; cumq; ipſi carnifi-
ces de veſtimentis eius contenderent, ſor-
titi ſunt inter ſe de tunica, & pallio. Et
cum hæc omnia fierent, nullam vocem ex
ore ſuo, tanquam ſi mutus eſſet, emiſit.
Tum ſuſpenderunt eum inter duos noxios
medium, qui ob latrocinia damnati erant,
cruciq; affixerunt. Quid ego hic in tanto
facinore deplorem? aut quibus verbis tan-
tum nefas conquerar? Non enim [185] Ga- 185
uianam crucem deſcribimus, quam M.
Tullius vniuerſæ eloquentiæ ſuæ neruis,
ac viribus, velut effuſis totius ingenij fon-
tibus proſecutus eſt, facinus indignum eſ-
ſe proclamans, c ciuem Romanum con- c Cic. action.
tra omnes leges in crucem eſſe ſublatum. 6. in Verr.
Qui quamuis innocens fuerit, & illo ſup-
plicio indignus, mortalis tamen, & ab ho
mine ſceleſto, qui iuſtitiam ignoraret af-
fectus eſt. Quid de huius crucis indignitate

dicemus, in qua Deus à cultoribus Dei suspensus est, atq; suffixus? Quis tam facundus, & tanta rerum, verborumq; copia instructus existet? quæ oratio tantæ affluentiæ vbertate decurrens, vt illam Crucem meritò deploret, quam mundus ipse, & tota mundi elementa luxerunt? Hæc autem sic futura fuisse & Prophetarū vocibus, & Sibyllinis carminibus denunciatum est. Apud Esaiam ita scriptum inuenitur. *a* NON sum contumax, neq; contradico. Dorsum meum posui ad flagella, & maxillas meas ad palmas, faciem autem meam non auerti à fæditate sputorum.] Similiter Dauid in Psalmo xxxiiij. CONGREGATA sunt super me flagella,

a Esai.50.

186 & [186] ignorauerunt, dissoluti sunt, nec compuncti sunt; tentarunt me, & deriserunt derisu, & striderunt super me dentibus suis.] Sibylla quoq; eadem futura monstrauit. *b*

b In Carm. Sibyl. ser.8.

187 [187] Εἰς ἀνόμων χεῖρας, καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει.
Δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
Καὶ στόμασιν μιαροῖσι τὰ πτύσματα φαρμακόεντα,
Δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.

Item de silētio eius, quod vsq; ad mortem pertinaciter tenuit Esaias iterum sic locutus est. *c* SICVT ouis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondentibus se sine voce, sic non aperuit os suum.] Et Sibylla supradicta. *d*

c Esai.53.

d In Car. Sibil. eod. ser.8

Καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, μή τις ἐπιγνῷ,
188 [188] Τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθεν, ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ,
Καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον ——

De cibo vero, et potu, quem antequam eum figerent illi obtulerunt, Dauid in Psalmo Lxviij. sic ait. ET dederunt in escam meam fel, et in siti mea potum mihi dederunt acetum.] Idem hoc futurum Sibilla concionata est. *d*

e In Carm. Sibill. eod. serm.8.

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, καὶ εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν·
Τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.

Et alia Sibylla Iudęam terram his versibus increpat,

189 [189] Αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας
190 παίζοντ' ἐν θνητοῖσι νοήμασιν, ἀλλά γ' [190] ἀκάνθαις
Ἔστεψας στεφάνῳ, φοβερὴν τε χολὴν ἐκέρασας.

Fore autem vt Iudæi manus inferrēt Deo suo, eumq; interficerent, testimonia Prophetarum hæc antecesserunt. Apud Esdram ita scriptum est. [191] ET dixit Esdras 191
ad populum. Hoc Pascha saluator noster est, & refugium nostrum: cogitate, & ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in signo, & post hæc sperabimus in eum, ne deleatur hic locus in æternum tempus, dicit Dominus Deus virtutum. Si non credideritis ei, neque exaudieritis annunciationem eius, eritis derisio in gentibus.] Vnde apparet, Iudæos nullam aliam spem habere, nisi se abluerint à sanguine, ac sperauerint in eum ipsum, quem negauerunt. Esaias quoque facinus eorum designat, & dicit. *a* IN humilitate eius iudicium sublatum
est [192] Natiuitatem eius quis enarrabit? 192
Quoniam aufertur à terra vita eius, a facinoribus populi mei [193] adductus est ad mor 193
tem, & dabo malos pro sepultura eius, &
diuites pro morte eius, [194] quia facinus 194
non fecit, neq; insidias ore suo locutus est.
Propterea ipse [195] consequetur multos, & 195
fortium diuidet spolia [196] propterea quòd 196
traditus est ad mortem, & inter facinorosos deputatus est, & ipse [197] peccata multorum pertulit, & propter facinora illo- 197
rum traditus est.] Dauid quoq; in Psalmo xcIII. [198] CAPTABVNT in animam 198
iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt, & factus est mihi Dominus in refugium.] Et Hieremias. *b* DOMINE significa mihi, & cognoscam: tunc vidi
meditationes eorum. Ego [199] sicut agnus 199
sine macula perductus sum ad victimam;
in me [200] cogitauerunt cogitationem di- 200
centes. Venite mittamus lignum in panem eius, & [201] eradamus è [202] terra vi- 201 202
tam eius; & nomen eius [203] non erit in me- 203
moria amplius.] Lignum autem Crucem significat, & panem corpus eius, quia ipse est cibus, & vita hominum, qui credunt in carnem, quam portauit, & in Crucem, in qua pependit. De qua tamen apertius ipse Moyses in Deuteronomio ita prædicauit. *c* ET erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die, ac nocte, & non credes vitæ tuæ.] Idem rursus in Numeris. *d* [204] NON quasi homo Domi- 204
nus suspenditur, neq; quasi Filius hominis minas patitur.] Zacharias etiam sic tradidit. *e* ET intuebuntur in me, [205] quem 205
transfixerunt.] Item Dauid in Psalmo
XXI. [206] EFFODERVNT [207] manus meas, 206 207
& pedes

a Esai.53.

b Hier.11.

c Deut.28.

d Num.23.

e Zach.12.

& pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi autem contemplati sunt, & viderunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam sortem miserunt.] Quæ vtiq; Propheta non de se locutus est; fuit enim Rex, & nunquam per-
208 pessus est illa: [208] sed Spiritus Dei per eum
209 loquebatur, qui fuerat illa passurus [209] post annos mille, & quinquaginta: tot enim colliguntur anni a regno Dauid vsque ad Crucem Christi. Sed & Salomon Filius eius, qui Hierosolymam condidit, eam ipsam perituram esse in vltionem sanctæ
210 Crucis Prophetauit. *a* [210] QVOD si auer-
a Reg. 3. c. 9. timini à me, dicit Dominus, & non cu-
2. Paralip. stodieritis veritatem meam, reijciã Israel
c. 7. à terra, quam dedi illis, & domum hanc, quam ædificaui illis in nomine meo proijciam illam ex omnibus; & erit Israel in perditionem, & in opprobrium populo, et domus hæc erit deserta, et omnis, qui transibit per illam, admirabitur, & dicet. Propter quam rem fecit Dominus terræ huic, & domui huic hæc mala? Et dicent. Quia reliquerunt Dominum Deum suum, & persecuti sunt Regem suum dilectissimum Deum, & cruciauerunt illum in humilitate magna, propter hoc importauit illis Deus mala hæc.

CAPVT XIX.

QVID amplius iam de facinoribus Iudæorum dici potest, quàm excæcatos tum fuisse, atq; insanabili furore correptos, qui hæc quotidie legentes neq; intellexerunt, neq; quin facerent cauere voluerunt? Suspensus igitur, atq; affixus exclamauit ad Dominum vo-
b Matth. 27 ce magna, & vltrò spiritum posuit; *b* &
Mar. 15. eadem hora terræ motus factus est; & ve-
Luc. 23. lum templi, quod separabat duo taberna-
Ioann. 19. cula, scissum est in duas partes, & Sol repente subductus est, & ab hora sexta vsq; ad nonam tenebræ factæ sunt. Qua de re
c Amos 8. Amos Propheta testatur. *c* ET erit in illo die, dicit Dominus, occidet Sol meridie,
211 [211] & obtenebrabitur dies lucis, & conuer-
212 tam dies festos vestros in luctum, [212] & cã-
d Hier. 15. tica vestra in lamentationem.] Item Hie-
213 214 remias. *d* [213] EXTERRITA est, [214] quæ
215 216 parit, [215] & tæduit animam, [216] ex subiuit Sol ei, cum adhuc medius dies esset. Confusa est, & maledicta. reliquos eorum in gladium dabo in conspectu inimicorum
corum.] Et Sibylla. *a* *a In Carm. Sibyl. ser. 8.*

[217] Ναοῦ δὲ χισθῆτε πέτασμα, καὶ ἤματι μέσσῳ 217
Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις.

Cum hæc facta essent, ne prodigijs quidem cœlestibus facinus suum intelligere quiuerunt. Sed quoniam prædixerat, se tertio
die ab inferis resurrecturum, *b* metuentes, *b Matt. 20.*
ne à Discipulis surrepto, & amoto corpo- *Mar. 10.*
re vniuersi resurrexisse eum crederent, & *Luc. 18.*
fieret multo maior in plebe confusio, detraxerunt eum cruci, *c* et conclusum in *c Act. 13.*
monumento firmiter militari custodia circumdederunt. Verùm tertio die ante
lucem terræ motu facto repente patefactũ *d Matt. 28.*
est sepulchrum, *d* et custodibus, quos at- *Mar. 16.*
tonitos obstupefecerat pauor, nihil viden *Ioan. 20.*
tibus, integerè sepulchro, ac viuus egressus, in Galilæam profectus est, vt Discipulos suos quæreret: in sepulchro verò nihil repertum est, nisi exuuiæ, quibus inuolutum corpus incluserant. Illum autem
[218] apud inferos non remansurum, sed die 218
tertio resurrecturum Prophetæ cecinerãt. Dauid in Psalmo xv. NON derelinques animam meam apud inferos, nec dabis
sanctum tuum videre [219] interitum.] Item 219
in tertio. EGO dormiui, [220] et som num 220
cepi, et resurrexi, quoniã dominus [221] au- 221
xiliatus est mihi.] Oseæ quoq; primus xij.
Prophetarum de resurrectione eius testifi- *e Osea 13.*
catus est. *e* [222] HIC filius meus sapiens, 222
propter quod nunc [223] non resistet in con- 223
tribulatione filiorum suorum, et de manu
inferorum [224] eruam eum. Vbi est iudiciũ 224
tuum mors? aut vbi est aculeus tuus?] Idẽ *f Osea 6.*
alio loco. *f* [225] VIVIFICABIT nos post 225
biduũ die tertio.] Et ideo Sibylla *g* impo- *g In Carm.*
siturum esse morti terminum dixit post *Sibyll. ser. 8.*
tridui somnum.

Καὶ [226] θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας. 226
Καὶ τότ᾽ ἀπὸ φθιμένων ἀναλύσας εἰς φάος ἥξει,
Πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.

Vitam enim nobis acquisiuit morte superata. Nulla igitur spes alia consequendæ immortalitatis homini datur, nisi crediderit in eum, & illam crucem portandam, patiendamq; susceperit.

CAPVT XX.

PROFECTVS ergo in Galilæam (noluit enim se Iudæis ostendere, [227] ne
227 adduceret eos in pœnitentiam, atq; impios resanaret) Discipulis iterum congregatis scripturæ sanctæ literas, idest Pro-
a Luc. 24. phetarum arcana patefecit, a quæ antequam pateretur, perspici nullo modo poterant, quia ipsum, passionemq; eius annunciabant. Idcirco Moyses, & ijdem ipsi Prophetæ legem, quæ Iudæis data erat, testamentum vocant, quia nisi testator mortuus fuerit, nec confirmari te-
b Ad Hebr. 9. stamentum potest, b nec sciri, quid in eo scriptum sit, quia clausum, & obsignatũ est. Itaq; nisi Christus mortem suscepisset, aperiri testamentum, idest reuelari, & intelligi mysterium Dei non potuisset. Verùm scriptura omnis in duo testamenta diuisa est. Illud quod aduentum Domini, passionemq; antecessit, idest lex, & Prophetæ, vetus dicitur. Ea verò, quæ post resurrectionem eius scripta sunt, nouum testamentum nominatur. Iudæi veteri vtuntur, nos nouo; sed tamen diuisa non sunt, quia nouum veteris adimpletio est, & in vtroq; idem testator est Christus, qui pro nobis morte suscepta, nos hæredes æterni Regni fecit, abdicato, & exhæredato populo Iudæorum, sicut Hieremias
c Hier. apud Septuag. c. 38. in vulg. c. 31. Propheta testatur, cum loquitur talia. c ECCE dies venient, dicit Dominus, & consummabo domui Israel, & domui Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorũ, vt illos educerem è terra Ægypti; quia ipsi non perseuerauerunt in testamento meo,
d Hier. 12. & ego neglexi eos, dicit Dominus. Item
228 alio loco similiter ait. d [228] DERELIQVI domum meam, dimisi hæreditatem meã in manus inimicorum eius. Facta est hæreditas mea mihi, sicut Leo in sylua. Dedit ipsa super me vocem suam, ideo odi eam.] Cum sit hæreditas eius cæleste Regnum, non vtiq; ipsam hæreditatem se dicit odisse, sed hæredes, qui aduersus eum ingrati, & impij extiterunt. Facta est (inquit) hæreditas mea mihi sicut Leo, idest præda, & deuoratio: factus sum hæreditatibus meis, qui me immolauerunt, sicut pecus. dedit super me vocem suam, idest sententiam aduersus me mortis, crucisq; dixerunt. Nam quod superius ait, consummaturum se domui Iuda testamentum nouum, ostendit vetus illud testamẽtum, quod per Moysen est datum, non fuisse perfectum; id autem, quod per Christum dari haberet, consummatum fore. Domus autem Iuda, & Israel non vtiq; Iudæos significat, quos abdicauit, sed nos, qui ab eo conuocati ex gentibus in illorum locum adoptione successimus, & appellamur filij Iudæorum, quod declarat Sibylla, a cum dicit. a In Car. Sibyl. ser. 5.

Ἰουδαίων μακάρων θεῖον γένος οὐρανιώνων.

Quod autem futurum esset id genus Esaias docet, b apud quem Pater summus ad b Esai. 42.
filium loquitur dicens. EGO Dominus
Deus vocaui te [229] in iustitiam, [230] & tene- 229 230
bo manum tuam, [231] & confirmabo te, 231
& dedi te in testamentum [232] generis mei 232
in lucem gentium, aperire oculos cæcorũ, producere ex vinculis alligatos, & de domo carceris [233] sedentes in tenebris.] Cum 233
igitur nos antea tanquam cæci, & tanquã carcere stultitiæ inclusi sederemus in tenebris, ignorantes Deum, & veritatem, illuminati ab eo sumus, qui nos testamento suo adoptauit, & liberatos vinculis malis, atq; in lucem sapientiæ productos in hæreditatem Regni Cœlestis asciuit.

CAPVT XXI.

ORDINATA verò Discipulis suis euangelica, ac nominis sui prædicatione, circumfudit se repente nubes, eũq; c Mar. & Luc. vlt.
in Cœlum sustulit, c quadragesimo post passionem die, sicut Daniel fore ostende- d Daniel. 7.
rat, dicens. d ET ecce in nubibus Cœli, [234] 234
vt filius hominis veniens vsq; ad vetustum dierum peruenit.] Discipuli verò per Prouincias dispersi fundamẽta Ecclesiæ vbiq; posuerunt, facientes & ipsi in nomine Magistri Dei magna, & penè incredibilia miracula, e quia discedens instruxerat eos virtute, ac potestate, qua posset nouæ e Marc. vlt.
annunciationis ratio fundari, ac confirmari; sed & futura aperuit illis omnia, [235] 235
quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicauerunt; & ea prædicatio in memoriam scripta permansit, in qua cùm multa alia mira, tum etiam hoc futurũ esse dixerunt, vt post breue tempus immitteret Deus

Regem

Regem, qui expugnaret Iudæos, & Ciuitates eorum solo adęquaret; ipsos autem fame, sitiq; confectos obsideret. Tum fore, vt corporibus suorum vescerentur, & consumerent se inuicem. Postremò, vt capti venirent in manus hostium, & conspectu suo vexari acerbissimè cõiuges suas cernerent, violari, ac prostitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos, omnia deniq; igni, ferroq; vastari, captiuos in perpetuu terris suis exterminari, eo quod exultauerint super amantissimum, & probatissimum Dei filium. Itaq; post illorum obitum, cum eos Nero interemisset, Iudæorum gentem, & nomen Vespasianus extinxit, fecitq; omnia, quæ illi futura prædixerant.

CAPVT XXII.

CONFIRMATA sunt (vt opinor) quę falsa, & incredibilia putantur ab ijs, quos vera cælestium literarum doctrina non imbuit; sed tamen vt refellantur à nobis etiam illi, qui nimium non sine malo suo sapiunt, rebusq; diuinis fidem detrahunt, argumentis quoq; illorum coarguamus errorem, vt tandem aliquando peruideant, ita fieri oportuisse, sicut nos ostendimus factum. Et quamquam apud bonos iudices satis habeant firmitatis vel testimonia sine argumentis, vel argumenta sine testimonijs; nos tamen non contenti alterutro sumus, cum suppetat nobis vtrunq; ne cui peruersè ingenioso, aut non intelligendi, aut contra differendi locum relinquamus. Negant fieri potuisse, vt naturæ immortali quicquam decederet. Negant denique Deo dignum, vt homo fieri vellet, seq; infirmitate carnis oneraret, vt passionibus, vt dolori, vt morti se ipse subijceret; quasi non facile illi esset, vt citra corporis imbecillitatem se hominibus ostenderet, eosq; iustitiam doceret; si quidem id valebat maiore authoritate (vt aiunt) professi Dei. Tunc enim cunctos fuisse præceptis cœlestibus pariturus, si ad ea virtus, ac potestas Dei præcipientis accederet. Cur igitur (aiunt) ad docendos homines non vt Deus venit? cur se tam humilem, imbecillemq; constituit, vt ab hominibus et contemni, et pœna affici posset? cur vim ab imbecillis, et mortalibus passus est? cur non manus hominum aut virtute repulit, aut diuinitate vitauit? cur non maiestatem suam sub ipsa saltem morte patefecit, sed vt inualidus in iudicium ductus est, vt nocens damnatus, vt mortalis occisus? Refutabo hæc diligenter, nec quemquam patiar errare. Illa enim magna, et mirabili ratione sunt facta, quam quicunq; perceperit, non tantum mirari desinet, Deum ab hominibus esse cruciatum, verùm etiam facilè peruidebit, ne Deum quidem potuisse credi, si ea ipsa, quæ arguit, facta non essent.

CAPVT XXIII.

QVICVNQVE præcepta dat hominibus, ac vitam, moresq; fingit aliorum, quæro, debeatnè 236
ipse facere, quæ præcipit, an non debeat? Si non fecerit, soluta præcepta sunt. Si enim bona sunt, quę præcipiuntur, si vitā hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse præceptor à numero, cætuq; hominum segregare, inter quos agit: et ipsi eodem modo viuendum est, quo docet esse viuendum; ne si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat, leuioremq; doctrinam suam faciat, si re ipsa resoluat, quod verbis nitatur astruere. Vnusquisq; enim, cum audit præcipientem, non vult imponi sibi necessitatem parendi, tanquā sibi ius libertatis adimatur. respondebit itaq; doctori hoc modo. Non possum facere, quæ iubes, quoniam sunt impossibilia. vetas me irasci, vetas cupere, vetas libidine commoueri, vetas dolorem, aut mortem timere; sed hoc adeo contra naturam est, vt his affectibus animalia vniuersa subiecta sint; vel si adeo putas repugnari posse naturæ, et tu ipse quę præcipis fac, vt sciam, fieri posse: cum autem ipse non facias, quæ insolentia est, vt homini libero imponere velis leges, quibus ipse non pareas? prius disce qui doces, et antequam mores aliorum corrigas, tuos corrige. Quis neget, iustam esse hanc responsionem? Quin etiam in contemptum veniet huiusmodi doctor, et eludetur vicissim, quia videbitur et ipse deludere. Quid ergo faciet ille præceptor, si hæc ei fuerint opposita? quo modo adimet excusationē contumacibus, nisi vt præsentibus factis

doceat

doceat, possibilia se docere? Inde euenit, vt Philosophorum præceptis nullus obtemperet: homines enim malunt exempla, quam verba, quia loqui facile est, præstare difficile. Vtinamq; tam multi benè fecerunt, quam multi loquuntur benè; sed qui præcipiunt, nec faciunt, abest ab ijs fides. Et si homines fuerint, contemnuntur vt leues, si Deus, opponetur ei excusatio fragilitatis humanæ. Superest, vt factis verba firmentur, quod Philosophi facere nequeunt; itaq; cum ipsi præceptores vincantur affectibus, quos vinci prædicant oportere, neminem possunt ad virtutem, quam falsò prædicant, erudire; ob eamq; causam putant, neminem adhuc perfectum esse sapiêtem, idest in quo summæ doctrinæ, ac scientiæ summa virtus, et perfecta iustitia consenserit; quod quidem verum fuit. Nemo enim post mundum conditum talis existit, nisi Christus, qui et verbo sapientiam tradidit, et doctrinam præsenti virtute firmauit.

CAPVT XXIV.

Age nunc consideremus, an doctor è Cœlo missus possit non esse perfectus. Non dumdc hoc loquor, quê venisse à Deo negant. Fingamus è Cœlo aliquem esse mittendû, qui vitâ hominû rudimentis virtutis instituet, & ad iustitiâ formet. Nemini dubium potest esse, quin is doctor, qui Cœlitus mittitur, tam scientia sit rerum omnium, quàm virtute perfectus, ne nihil inter cœlestem, terrenumq; differat. Nam in homine interna, & propria doctrina esse nullo pacto potest; nec enim mens terrenis visceribus inclusa, & tabe corporis impedita, aut comprehendere per se potest, aut capere veritatem, nisi aliunde doceatur: Et si maximè possit, summam tamen virtutem capere nequeat, & omnibus vitijs resistere, quorum materia in visceribus continetur. Eo fit, vt terrenus doctor perfectus esse non possit. At verò cœlestis, cui scientiam diuinitas, virtutem immortalitas tribuit, in docendo quoq; sicut in cæteris perfectus, & consumatus sit necesse est. At id omnino fieri non potest, nisi mortale sibi corpus assumat; cur autem fieri non possit, ratio clara est. Nam si ad homines veniat vt Deus, vt omittam, quòd mortales oculi claritatem maiestatis eius conspicere, ac sustinere non possunt, ipse certè Deus virtutem docere non poterit, quia expers corporis non faciet quæ docebit, ac per hoc doctrina eius perfecta non erit. Alioqui si summa virtus est dolorem patienter pro Iustitia, officioq; perferre, si virtus est, mortem ipsam & intentatam non metuere, & illatam fortiter sustinere, debet ergo doctor ille perfectus & docere ista præcipiendo, & confirmare faciendo; quia qui dat præcepta viuendi amputare debet omnium excusationum vias, vt imponat hominibus parendi necessitatem non aliqua vi, sed pudore, & tamen libertatem relinquat, vt & præmium sit constitutum parentibus, quia poterant non parere, si vellent & non parentibus pœna, quia poterant parere, si vellent. Quo modo ergo poterit amputari excusatio, nisi vt qui docet, faciat quæ docet, & sit quasi præuius, & manum porrigat secuturo? Quemadmodum autem potest facere quæ docet, si non sit ei similis quem docet, nam si nulli subiectus sit passioni, potest ei docenti homo sic respondere. Volo equidem non peccare sed vincor; indutus sum enim carne fragili, & imbecilla; hæc est quæ irascitur, quæ concupiscit, quæ dolet, quæ mori timet. Itaq; ducor inuitus, & pecco non quia volo, sed quia cogor. Sentio me & ipse peccare, sed necessitas fragilitatis impellit, cui repugnare non possum. Quid ad hæc respondebit præceptor ille Iustitiæ? Quo modo refutabit, ac redarguet hominem, qui delictis suis excusationem carnis obtendit, nisi & ipse carne fuerit indutus, vt ostendat, etiam carnem posse capere virtutê? Contumacia enim redargui non potest nisi exemplo; nam habere non possunt quæ doceas firmitatem, nisi ea prior feceris, quia natura hominum procliuis in vitia videri vult non modò cum venia, sed etiam cum ratione peccare. Oportet magistrum, doctoremq; virtutis hominum simillimum fieri, vt vincendo peccatum doceat hominem vinci ab eo posse peccatum. Si verò sit immortalis, exemplum proponere homini nullo modo potest. Existet enim constans aliquis, ac dicet. Tu quidem non peccas, quia liber es ab hoc corpore; non concupiscis, quia immortali nihil est necessarium;

rium; mihi verò multis rebus opus est, vt tuear hanc vitam; mortem non times, quia in te valere non potest; dolorem contemnis, quia nulla in vim pati potes; at ego mortalis vtrumq; timeo, quia cruciatus mihi grauissimos inferunt, quos tolerare infirmitas carnis non potest. Doctor itaq; virtutis etiam hanc excusationem debuit hominibus auferre, ne quis quod peccat, necessitati potiùs ascribat, quam culpæ suæ. Ergo vt perfectus esse possit, nihil ei debet opponi ab eo, qui docendus est; vt si fortè dixerit, impossibilia præcipis, respondeat, ecce ipse facio. At ego carne indutus sum cuius est peccare proprium, & ego eandem carnem gero, & tamen peccatum in me non dominatur. Mihi opes contemnere difficile est, quia viui aliter non potest in hoc corpore: Ecce mihi corpus est, & tamen pugno contra omnem cupiditatem: non possum pro Iustitia nec dolorem ferre, nec mortem, quia fragilis sum. Ecce & in me dolor, ac mors habet potestatem, & ea ipsa, quæ times, vinco, vt victorem te faciam doloris, ac mortis. Prior vado per ea, quæ sustineri non posse prætendis; si præcipientem sequi non potes, sequere antecedentem. Sublata est hoc modo omnis excusatio, & fateri hominem necesse est, sua culpa iniustum esse, qui doctorem virtutis, & eundem ducem non sequatur. Vides ergo, quanto perfectior sit mortalis doctor, quia dux esse mortali potest, quam immortalis, quia patientiam docere non potest, qui subiectus passionibus non est. Nec hoc tamen eò pertinet, vt hominem Deo præferam, sed vt ostendã, neque hominem perfecta doctrina esse posse, nisi sit idem Deus, vt authoritate cælesti necessitatem parendi hominibus imponat, neq; Deum, nisi mortali corpore induatur, vt præcepta sua factis adimplendo, cæteros parendi necessitate constringat. Liquidò ergo apparet, eum, qui vitæ dux, & iustitiæ sit magister, corporalem esse oportere, nec aliter fieri posse, vt sit illius plena, & perfecta doctrina, nisi habeat radicem, & fundamentũ, stabilisq; apud homines, ac fixa permaneat; ipsum autem subire carnis, ac corporis inbecillitatem, virtutemq; in se recipere, cuius doctor est, vt eam simul & verbis doceat, & factis. Item subiectum esse morti, & passionibus cunctis, quoniã & in passione toleranda, & in morte subeunda virtutis officia versantur, quæ omnia (vt dixi) consummatus doctor perferre debet, vt doceat posse perferri.

CAPVT XXV.

DISCANT igitur homines, & intelligant, quare Deus summus, cum legatum, ac nuncium suum mitteret ad erudiendam præceptis iustitiæ suæ mortalitatem, mortali voluerit eum carne indui, & cruciatu affici, & morte multari. Nam cum iustitia nulla esset in terra, doctorem misit, quasi viuam legem, vt nomen, ac templum nouum conderet, vt verum, ac pium cultum per omnem terram verbis, & exemplo seminaret. Sed tamen, vt certum esset, a Deo missum; non ita illum nasci oportuit, sicut homo nascitur ex mortali vtroq; concretus, sed vt appareret, etiam hominem illum esse cælestem, creatus est sine opera genitoris; habebat enim spiritalem patrem Deum: & sicut pater spiritus eius Deus sine matre, ita [37] mater corporis eius Virgo sine
patre. Fuit igitur Deus, & homo inter 237
Deum, atq; hominem medius constitutus: vnde illum Græci μεσίτην vocant, vt hominem perducere ad Deum posset, idest ad immortalitatem; quia si Deus tantum fuisset (vt supra dictum est) exempla virtutis homini præbere non posset, si homo tantum, non posset homines ad iustitiam cogere, nisi authoritas, ac virtus homine maior accederet. Etenim cum constet homo ex carne, & spiritu, & oporteat spiritum iustitiæ operibus emereri, vt fiat æternus; caro quoniam terrena est, ideoq; mortalis, copulatum sibi spiritum trahit secum, & ab immortalitate ducit ad mortem. Ergo spiritus carnis expers dux esse homini ad immortalitatem nullo pacto poterat, quoniam caro impedit spiritum, quo minus Deum sequatur. Est enim fragilis, & subiecta peccato, peccatum autem pabulum mortis est. Itaq; iccirco mediator aduenit, idest Deus in carne, vt caro eum sequi posset, & eriperet morti hominem, cuius est dominatio in carne. Ideo carne se induit, vt desiderijs carnis edomitis doceret, non necessitatis esse peccare, sed propositi, ac voluntatis. Vna enim

enim nobis, & magna, & præcipua cum
carne luctatio eſt, cuius infinitæ cupidita-
tes premunt animam, nec dominium reti-
nere patiuntur, ſed eam voluptatibus, &
illecebris ſuauibus mancipatam morte
afficiunt ſempiterna. Quibus vt repugna-
re poſſemus Deus nobis viam ſuperandæ
carnis & aperuit, & oſtendit. Quæ vir-
tus perfecta, & omnibus numeris abſolu-
ta coronam vincentibus, & mercedem
expetendæ nobis immortalitatis impertit.

CAPVT XXVI.

DIxi de humilitate, & fragilitate, &
paſſione, cur hæc Deus ſubire ma-
luerit, nunc ipſius crucis ratio reddenda
eſt, & vis enarranda. Quid ſummus Pater
à principio diſpoſuerit, & quemadmodum
cuncta, quæ geſta ſunt, ordinauerit, non
tantum diuinatio Prophetarum, quæ in
Chriſtum vera præceſſit, ſed etiam ratio
ipſius paſſionis docet. Quæcunq; enim
paſſus eſt non fuerunt inania, ſed habue-
runt figuram, & ſignificantiam magnam,
ſicut etiam diuina illa opera, quæ fecit,
quorum vis, & poteſtas valebat quidem
in præſens, ſed declarabat aliud in futurū.
Aperuit cæcorum oculos virtus cæleſtis,
Marc. 8. & & lucem non videntibus reddidit; a & hoc
10. Luc. 4. facto ſignificabat fore, vt conuerſus ad
7. 14. gentes, quæ Deum neſciebant, inſipien-
tium pectora illuminaret luce ſapientiæ,
& ad veritatem contemplandam oculos
cordis aperiret. Verè enim cæci ſunt, qui
cæleſtia non videntes, & tenebris igno-
rantiæ circumfuſi terrena, & fragilia ve-
b Matt. 11. nerantur. Patefecit aures ſurdorum. b nō
Marc. 7. vtiq; hactenus vis illa cæleſtis operata eſt,
Luc. 7. ſed declarabat breui fore, vt qui erant ve-
ritatis expertes & audirent, & intellige-
rent diuinas Dei voces: verè enim ſurdos
dixeris, qui cœleſtia, & vera, & facienda
non audiunt. Mutorum linguas in eloquiū
c Matth. 9. ſoluit: c admirabilis etiam cum fieret po-
15. Marc 7 tentia, ſed inerat huic virtuti alia ſignifi-
catio, quæ oſtenderet, mox futurum, vt
rerum cœleſtium nuper ignari percepta
ſapientiæ diſciplina, de Deo, & veritate
diſſererent; nam qui rationem diuinita-
tis ignorat, is verè elinguis, & mutus eſt,
licet omnium diſertiſſimus: lingua enim,
cum verum loqui cœperit, id eſt virtutem,
maieſtatemq; Dei ſingularis interpretari,
tum demum officio naturæ ſuæ fungitur;
quamdiu autem falſa loquitur, in ſuo vſu
non eſt, & ideo infans ſit neceſſe eſt qui
diuina proloqui non poteſt, pedes quoq;
claudorum ad officium gradiendi refor-
mauit: a laudabilis diuini operis fortitudo, a Matt. 11.
ſed figura id continebat, quòd cohibitis 15. 21. Luc.
erroribus vitæ ſecularis, ac deuiæ, iter ve- 7.
ritatis aperiretur, per quod graderentur
homines ad Dei gratiam conſequendam:
is enim verè claudus exiſtimandus eſt, qui
caligine, ac tenebris inſipientiæ implica-
tus, & quò tendat ignarus, offenſilibus,
& caducis greſſibus per viam mortis in-
cedit. Item labes, & maculas inquinato-
rum corporum repurgauit: b non exigua b Matth. 8.
immortalis potentię opera: verùm id por- 11. Marc. 1
tendebat hæc vis, quòd peccatorum la- Luc. 7.
bibus, ac vitiorum maculis inquinatos do
ctrina eius purificatura eſſet eruditione
iuſtitiæ; leproſi enim verè, atq; elephan-
tici debent haberi, quos vel infinitæ cupi-
ditates ad ſcelera, vel inſatiabiles volup-
tates ad flagitia compellunt, & dedeco-
rum maculis inuiſos labe afficiunt ſempi-
terna. Iacentium mortuorum corpora
erexit, eoſq; nominibus proprijs inclama-
tos a morte reuocauit: c Quid congruen- c Matth. 9.
tius Deo? quid miraculo dignius omnium Marc. 5.
ſeculorum, quam decurſam vitam reſi- Luc. 7. Io.
gnaſſe, completiſq; hominum tempori- 11.
bus tempora adieciſſe, arcana mortis re-
uelaſſe? Sed hæc inenarrabilis poteſtas
imago virtutis maioris fuit, quæ demon-
ſtrabat, tantam vim habituram eſſe do-
ctrinam ſuam, vt gentes in orbe toto, quę
alienæ à Deo ſubiectæ morti fuerunt, co-
gnitione veri luminis animatæ ad immor-
talitatis præmia peruenirent: eos enim
rectè mortuos exiſtimaueris, qui datorem
vitæ Deum neſcientes, atq; animas ſuas
à Cœlo in terram deprimentes, in laqueos
æternæ mortis incurrunt. Quæ igitur tum
faciebat in præſens, imagines erant futu-
rorum: quæ in læſis, affectiſq; corpori- 238
bus exhibebat, ea ſpiritalium figuram ge-
rebant, vt & in præſenti virtutis nobis nō
terrenæ opera monſtraret, & in futurum
poteſtatem ſuæ cœleſtis maieſtatis oſten-
deret. Ergo ſicut opera eius ſignificantiā
quoq; maioris poteſtatis habuerunt, ita
etiam paſſio non ſimplex, nec ſuperua-
cua, nec fortuita præceſſit. Sed vt illa,
quæ fecit, magnam virtutem, ac poteſta-

tem

tem doctrinæ eius significabant, sic ea quę passus est, odio futuram esse sapientiam nunciabant. Aceti enim potus, ac fellis cibus acerbitates, & amaritudines in hac vita sectatoribus veritatis pollicebatur. Et quamquam passio ipsa per se acerba, & amara specimen nobis futurorum tormentorum dabat, quę morantibus in hoc seculo virtus ipsa proponit, tamen illiusmodi cibus, & potus in os doctoris nostri veniens pressurarum nobis, laborum, ac miseriarum præbebat exemplum. Quæ omnia tolerari, ac perpeti necesse est eos, qui virtutem sequuntur; quoniam veritas acerba est, & inuisa omnibus, qui virtutis expertes vitam suam mortiferis voluptatibus dedunt. Nam corona spinea capiti eius imposita id declarabat, fore, vt diuinam sibi plebem de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur circumstans in orbem populus: Nos autem, qui antè Dei cognitionem fuimus iniusti, spinæ, idest mali, & nocentes eramus, ignorantes quid esset bonum, & à iustitiæ notione, atq; operibus alieni omnia scelere, ac libidine polluebamus. Electi ergo ex dumis, & sentibus sanctum Dei caput cingimus, quia conuocati ab ipso, & circumfusi vndiq; ad eum, magistro, & doctori Deo assistimus, regemq; illum mundi, & omnium viuentium dominum coronamus. Quod verò ad crucem spectat, magna in ea vis, ac ratio est, quam nunc conabor ostendere. Deus namq; (sicut superius exposui) cum statuisset hominem liberare, magistrum virtutis legauit in terram, qui & præceptis salutaribus formaret homines ad innocentiam, & operibus, factisq; præsentibus iustitiæ viam panderet, qua gradiens homo, & doctorem suum sequens ad vitam æternam perueniret. Is igitur corporatus est, & veste carnis indutus, vt homini, ad quem docendum venerat, virtutis, & exempla, & incitamenta præberet. Sed cum in omnibus vitę officijs iustitiæ specimen præbuisset, vt doloris quoq; patientiam, mortisq; contemptum, quibus perfecta, & consummata fit virtus, traderet homini, venit in manus impiæ nationis, cum vt vitare potuisset scientia futuri, quam gerebat, & repellere eadem virtute, qua mirabilia faciebat. Sustinuit ergo cruciatus, & verbera, & spinas. Postremò etiam mortem suscipere non recusauit, & vt homo illo
duce subactam, & catenatam mortem cũ
suis terroribus triumpharet. Cur autem
summus Pater id potissimùm genus mor-
tis eligeret, quo affici eum sineret, hæc ra-
tio est. Dicat enim fortasse aliquis; cur si
Deus fuit, & mori voluit, non saltem ho-
nesto aliquo mortis genere affectus est?
cur potissimùm cruce? cur infami genere
supplicij, quod etiã homine libero quãuis
nocente videatur indignum? Primùm ,
quòd is, qui humilis aduenerat, vt humi-
libus, & infimis opem ferret, & in omni-
bus spem salutis ostenderet, eo genere af-
ficiendus fuit, quo humiles, & infimi so-
lent, [239] ne quis esset omnino, qui cum non 239
posset imitari: deinde vt integrum corpus
eius seruaretur, quem die tertio resurgere
ab inferis oportebat. Nec enim hoc cui-
quam ignorandum est, quod ipse ante de
sua passione prædicans, etiam id notum
fecerit, *a* habere se potestatem cum vellet *a Ioan. 10.*
deponendi spiritum, & resumendi. Fixus
itaq; cum spiritum deposuisset, necessariũ
carnifices non putauerunt ossa eius suffrin
gere ([240] sicut mos eorum ferebat) sed tan- 240
tummodo latus eius perforauerunt. *b* Sic *b Ioan. 19.*
integrum corpus patibulo detractum est,
& sepulchro diligenter inclusum; quę om-
nia iccirco facta sunt, [241] ne læsum, atq; 241
diminutum corpus ad resurgendum inha-
bile redderetur. Illa quoq; præcipua fuit
causa, cur Deus crucem maluerit, quod
illa exaltari eum fuit necesse, & omnibus
gentibus passionem Dei notescere. Nam
quoniam is, qui patibulo suspenditur &
conspicuus est omnibus, & cæteris altior,
crux potius electa est, quæ significaret,
illum tam conspicuum, tamq; sublimem
futurum, vt ad eum cognoscendum pari-
ter, & colendum cunctæ nationes ex om-
ni orbe concurrerent. Deniq; nulla gens
tam inhumana est, nulla regio tam remo-
ta, cui aut passio eius, aut sublimitas ma-
iestatis ignota sit. Extendit ergo in pas-
sione manus suas, orbemq; dimensus est,
vt iam tunc ostenderet, ab ortu Solis vsq;
ad occasum magnũ populum ex omnibus
linguis, & tribubus congregatum sub alas
suas esse venturum, & signum illud maxi-
mum, atq: sublime frontibus suis suscepturum.
Cuius rei figura Iudæi etiam nunc
exhibent, cum limina sua de cruore agni
notant. Deus enim percussurus Ægyptios,
vt ab ea plaga immunes faceret Hebręos,
præceperat ijs, *b* vt agnum candidum sine *b Exod. 12.*

macula immolarent; ac ſignum liminibus
ſuis de ſanguine eius imponerent. Itaq;
cum Ægyptiorum primogenita vna nocte
interiſſent, Hebræi ſoli ſigno ſanguinis
tuti fuerunt; non quia cruor pecudis tan-
tam in ſe vim haberet, vt hominibus ſalu-
ti eſſet, ſed imago fuit rerum futurarum.
Nam Agnus candidus ſine macula Chri-
ſtus fuit, ideſt innocens, & iuſtus, & ſan-
ctus, qui ab ijſdem Iudæis immolatus ſalu-
ti eſt omnibus, qui ſignum ſanguinis, ideſt
crucis, qua ſanguinem fudit, in ſua fron-
te conſcripſerint. Frons enim ſummum
limen eſt hominis, et limen ſanguine de-
libutum crucis ſignificatio eſt. Deniq; im-
molatio pecudis ab ijs ipſis, qui faciunt,
242 [242] Paſcha nominatur ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia
paſſionis figura eſt, quam Deus præſcius
futurorum tradidit per Moyſen populo
ſuo celebrandam. Sed tamen figura va-
luit in præſenti ad depellẽdum periculum,
vt appareret, quantum veritas ipſa vali-
tura ſit ad plebem Dei protegendam in
extrema totius orbis neceſsitate. Quo
modo autem, vel in qua plaga tuti omnes
ſint futuri, qui ſignum hoc veri, et diuini
ſanguinis in ſummo corporis ſui notaue-
rint, in nouiſsimo libro docebo.

CAPVT XXVII.

243 [243] NVnc ſatis eſt huius ſigni poten-
tiam, quantum valeat, expone-
re. Quanto terrori ſit Dæmonibus hoc ſi-
gnum, ſciet qui viderit, quatenus adiura-
ti per Chriſtum de corporibus, quæ obſe-
derint, fugiant; nam ſicut ipſe, cum in-
ter homines ageret, vniuerſos Dæmonas
verbo fugabat, hominumq; mentes emo-
tas, et malis incurſibus furiatas in ſenſus
a Matt. 4. pristinos reponebat, a ita nunc ſectatores
Marc. 1. eius eoſdem ſpiritus inquinatos de homi-
Luca 4. nibus et nomine magiſtri ſui, et ſigno paſ-
ſionis excludunt. Cuius rei non difficilis
eſt probatio, nam cum Dijs ſuis immolãt,
ſi aſsiſtat aliquis ſignatã frontem gerens,
ſacra nullo modo litant.
b Virg. in *Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates.* b
fin. 3. Georgic. Et hæc ſæpè cauſa præcipua iuſtitiam per-
ſequendi malis Regibus fuit. Cum enim
quidam noſtrorum ſacrificantibus domi-
nis aſsiſterent, impoſito frontibus ſigno,
Deos eorum fugauerunt, ne poſſent in vi-
ſceribus hoſtiarum [244] futura depingere. 244
Quod cum intelligerent Aruſpices, inſti-
gantibus ijſdem Dæmonibus, [245] quibus 245
proſecrant; conquerentes, profanos ho-
mines ſacris intereſſe, adegerunt princi-
pes ſuos in furorem, vt expurgarẽt [246] Dei 246
templum, ſeq; vero ſacrilegio contami-
narent, quod grauiſsimis perſequentium
pœnis expiaretur. Nec tamen ex hoc ip-
ſo cæci homines intelligere poſſunt; aut
hanc eſſe veram religionem, cui ad vincẽ-
dum tanta vis ineſt, aut illam falſam, quæ
ſubsiſtere, aut congredi non poteſt. Sed
aiunt, hoc Deos non metu, verùm odio fa-
cere, quaſi quiſquam poſsit odiſſe niſi eũ,
qui aut noceat, aut poſsit nocere: immo
verò congruens maieſtati fuit, vt eos quos
oderant, præſentibus pœnis afficerent po-
tius quam fugerent. Sed quoniam neq;
accedere ad eos poſſunt, in quibus cæle-
ſtem notam uiderint, nec ijs nocere, quos
signum immortale munierit, tanquam
inexpugnabilis murus, laceſſunt eos per ho-
mines, et manibus perſequuntur alienis,
quos profectò ſi eſſe confitentur, vicimus,
neceſſe eſt enim hanc eſſe veram religio-
nem, quæ & rationem dæmonum nouit,
& aſtutiam intelligit, & vim retundit, &
eos ſpiritalibus armis domitos, ac ſubactos
cedere ſibi cogit. Si negant, teſtimonijs
Poetarum, ac Philoſophorum refellentur.
Quòd ſi eſſe, & malos eſſe inficias non
erunt, quid ſupereſt, niſi vt alios dicant
eſſe Deos, alios Dæmones? Exponant
igitur nobis differentiam generis vtriuſq;
vt ſciamus, quid colendum, quid execran-
dum ſit. Habeantnè inter ſe aliquod con-
ſortium, an verò inimici ſint. Si ſunt ali-
qua neceſſitudine copulati, quatenus eos
diſcernemus? aut quomodo vtriuſq; ge-
neris honorem, cultumq; miſcebimus?
Si autem ſunt inimici, cur aut Dæmones
Deos non timent, aut Dij Dæmones fu-
gare non poſſunt? Ecce aliquis inſtinctu
Dæmonis percitus dementit, effertur,
inſanit: ducamus hunc in Iouis optimi ma-
ximi templum, vel quia ſanare homines
Iupiter neſcit, in Æſculapij, vel Apollinis
fanum: iubeat vtriuſlibet Sacerdos Dei
ſui nomine, vt nocens ille ſpiritus excedat
ex homine, nullo id pacto fieri poteſt.
Quæ igitur vis Deorum eſt, ſi ſubiectos ſi-
bi Dæmonas non habent? At verò ijdem
Dæmones adiurati per nomen veri Dei
protinus fugiunt, quæ ratio eſt, vt Chri-

ſtum timeant, Iouem autem non timeant, niſi quòd ijdem ſunt dæmones, quos vulgus Deos eſſe opinatur? Deniq; ſi conſtituatur in medio & is, quem conſtat incurſum dæmonis perpeti, & Delphici Apollinis vates, eodem modo Dei nomen horrebunt, & tam celeriter excedet de vaſe ſuo Apollo, quàm ex homine ſpiritus ille dæmoniacus; & adiurato, fugatoq; Deo ſuo vates in perpetuum conticeſcet. Ergo ijdem ſunt Dæmones, quos fatentur, execrãdos eſſe, ijdem Dij, quibus ſupplicant. Si nobis credendum eſſe non putant, cre-
247 dant Homero, [247] qui ſummum illum Io-
a Homer. uem Dæmonibus aggregauit, *a* ſed & alijs
Iliad. 1. ſub Poetis, ac Philoſophis, qui eoſdem modò
initium. Dæmonas, modò Deos nuncupant, quorum alterum verum, alterum falſum eſt. Illi enim nequiſſimi ſpiritus, vbi adiurantur, ibi ſe Dæmonas confitentur, vbi coluntur, ibi ſe Deos mentiuntur, vt errores hominibus immittant, & auocent à veri Dei notione, per quam ſolam poteſt mors æterna vitari. Iidem ſunt, qui deijciendi hominis cauſa varios ſibi cultus per diuerſa regionum condiderunt, mentitis tamen, auumptiſq; nominibus, vt fallerent. Nam quia diuinitatem per ſe ipſos affectare non poterant, aſciuerunt ſibi nomina potentium Regum, ſub quorum titulis honores ſibi Deorum vendicarent: qui error diſcuti poteſt, & in lucem veritatis protrahi. Nam ſi quis ſtudet altius inquirere, congreget eos, quibus peritia eſt ciere ab inferis animas. Euocent Iouem, Neptunum, Vulcanum, Mercurium, Apollinem, patremq; omnium Saturnum: reſpondebunt ab inferis omnes; & interroganti loquentur, & de ſe, & de Deo fatebuntur. Poſt hæc euocent Chriſtum: non aderit, non apparebit, quia non amplius, quam biduo apud inferos fuit. Quid hac probatione certius afferri poteſt? Ego verò non dubito, quin ad veritatem Triſmegiſtus hanc aliqua ratione peruenerit, qui de Deo Patre omnium, & de Filio locu-
b Herm. tus eſt multa, *b* quæ diuinis continentur
Triſmegiſt. arcanis.
Pimand. c. 1.

CAPVT XXVIII.

QVÆ cum ita ſe habeant, vt oſtendimus, apparet nullam aliam ſpem vitæ homini eſſe propoſitam, niſi vt abiectis vanitatibus, & errore miſerabili Deum cognoſcat, & Deo ſeruiat, niſi huic temporali renunciet vitæ, ac ſe rudimentis iuſtitię ad cultum religionis inſtituat. Hac enim conditione gignimur, vt generanti nos Deo iuſta, & debita obſequia præbeamus; hunc ſolum nouerimus, hunc ſequamur. Hoc vinculo pie-
tatis obſtricti Deo, & religati ſumus, [248] 248
vnde ipſa religio nomen accepit, [249] non 249
vt Cicero interpretatus eſt à relegendo, *a Cic. 2. de*
qui in libro De natura Deorum ſecundo *nat. Deor.*
dicit ita. *a* NON enim Philoſophi ſolùm, verùm etiam maiores noſtri ſuperſtitionē a religione ſeparauerunt; nam qui totos dies precabantur, & immolabant, vt ſui ſibi liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati; qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent retractarēt, & tanquam relegerent, ij dicti ſunt religioſi ex relegendo, tanquam ex eligendo elegantes, & ex deligendo diligentes, & ex intelligendo intelligentes: his enim omnibus ineſt vis legendi eadem, quæ in religioſo: ita factum eſt in ſuperſtitioſo, ac religioſo, alterum vitij nomen, alterum laudis.] Hæc interpretatio quam inepta ſit, ex re ipſa licet noſcere. Nam ſi in ijſdem Dijs colendis & religio, & ſuperſtitio verſatur, exigua, vel potius nulla diſtantia eſt. Quid enim mihi afferet cauſæ, cur precari pro ſalute filiorum ſemel, religioſi, & idem decies facere, ſuperſtitioſi eſſe hominis arbitretur? ſi enim ſemel facere optimum eſt, quanto magis ſæpius? ſi hora prima, ergo & tota die. Si vna hoſtia placabilis, placabiliores vtiq; hoſtiæ plures, quia multiplicata obſequia demerentur potius, quàm offendunt; non enim nobis odioſi videntur ij famuli, qui aſſidui, ac frequentes ad obſequium fuerint, ſed magis cari. Cur igitur ſit in culpa, & nomen reprehenſibile ſuſcipiat, qui aut filios ſuos magis diligit, aut Deos magis honorat, laudetur autem qui minus? quod argumentum etiam ex contrario valet. Si enim totos dies precari, & immolare criminis eſt, ergo & ſemel. Si ſuperſtites filios ſubinde optare vitioſum eſt, ſuperſtitioſus igitur & ille, qui raro id optauerit: aut cur vitij nomen ſit ex eo tractum, quo nihil honeſtius, nihil iuſtius optari poteſt? Nam quod ait, religioſos à religendo appellatos, qui retractent ea diligenter, quæ ad cultum Deorum pertineant

tineant, cur e[illegible]illi, qui hoc sæpè in die
faciant, religiosorum nomen amittant;
eum multo vtiq; diligentius ex assiduitate
ipsa relegant ea, quibus Dij coluntur?
Quid ergo est? Nimirum religio veri cul-
250 tus, [250] superstitio falsi. Et omnino quid
colas interest, non quemadmodum colas,
aut quid precere. Sed quia Deorum cul-
tores religiosos se putant, cum sint super-
stitiosi, nec religionem possunt à supersti-
tione discernere, nec significantiam no-
minum exprimere. Diximus nomen reli-
gionis a vinculo pietatis esse deductū, quòd
hominem sibi Deus relegauerit, & pietate
constrinxerit, quia nos seruire ei, vt do-
a Lucret. 1. mino, & obsequi, vt patri necesse est: me-
de nat. rer. lius ergo id nomen Lucretius interpreta-
251 tus est, quia ait, *a* [251] religionum se nodos
exsoluere. Superstitiosi autem vocantur,
non qui filios suos superstites optant (om-
nes enim optamus) sed aut ij qui supersti-
tem memoriam defunctorum colunt, aut
qui parentibus suis superstites, colebant
imagines eorum domi tanquam Deos Pe-
nates: nam qui nouos sibi ritus assumebāt,
vt Deorum vice mortuos honorarēt, quos
ex hominibus in Cęlum receptos putabāt,
hos superstitiosos vocabant; eos verò, qui
b Virg. 8. publicos, & antiquos Deos colerent reli-
Æneid. giosos nominabant. Vnde Virgilius. *b*
252 *Vana superstitio,* [252] *veterumq; ignara Deorū.*
Sed cum veteres quoq; Deos inueniamus
eodem modo consecratos esse post obitū;
superstitiosi ergo, qui multos, ac falsos
Deos colunt: nos autem religiosi, qui vni,
& vero Deo supplicamus.

CAPVT XXIX.

FORTASSE quærat aliquis, quo mo-
do, cum Deum nos vnum colere
253 dicamus, [253] duos tamen asseueremus, Deū
Patrem, & Deum Filium, quę asseueratio
plerosq; in maximū impegit errorem; qui-
bus cum probabilia videantur esse, quę di-
cimus, in hoc vno labare nos arbitrantur,
quòd & alterum, & mortalē Deum fatea-
mur. De mortalitate iam diximus: nunc de
vnitate doceamus. Cum dicimus Deū Pa-
trem, & Deum Filium, non diuersum dici-
mus, nec vtrumq; secernimus, quia nec Pa
ter a Filio potest, nec Filius à Patre secerni,
siquidē nec Pater sine Filio nuncupari nec
Filius potest sine Patre generari. [254] Cum 254
igitur & Pater Filiū faciat, & Filius Patrē,
vna vtriq; mens, vnus spiritus, [255] vna sub- 255
stātia est, sed ille quasi exuberans fons est,
hic tanquam defluens ex eo riuus; ille tan-
quam Sol, hic tāquam radius ex Sole por-
rectus, qui quoniā summo Patri & fidelis,
& carus est, non separatur, sicut nec riuus
à fonte, nec radius a Sole, quia & aqua fon
tis in riuo est, & Solis lumē in radio. æquè
neque vox ab ore seiungi; nec virtus, aut
manus à corpore diuelli potest. Cum
igitur à Prophetis idem manus Dei, &
virtus, & sermo dicatur, vtiq; nulla dis-
cretio est, quia & lingua sermonis mini-
stra est, & manus, in qua est virtus, indi-
uiduæ sunt corporis portiones. propiore
exemplo vti libet. Cum quis habet fili-
um, quem vnicè diligit, qui tamen sit in
domo, & manu patris, licet ei nomen
domini, potestatemq; concedat, ciuili
tamen iure & domus vna, & vnus domi-
nus nominatur: sic hic mundus vna Dei
domus est, & Filius, ac Pater, qui vnani-
mes incolunt mundum, Deus vnus est;
quia & vnus est tanquam duo, & duo tan-
quam vnus; neque id mirum, [256] cum & 256
Filius sit in Patre; quia Pater diligit Fili-
um, & Pater in Filio, quia voluntati Pa-
tris fideliter paret, nec vnquam faciat,
aut fecerit, nisi quod Pater aut voluit,
aut iussit. Deniq; vnum Deum esse tam
Patrem, quàm Filium Esaias in illo exem-
plo, quod superius posuimus, ostendit, *a Esai. 45.*
cum diceret. *a* ADORABVNT te, [257] & 257
in te precabuntur, quoniam in te Deus
est, et non est alius Deus præter te.] Sed
et alio loco similiter ait. *b* SIC dicit Do- *b Esai. 44.*
minus Deus Rex Israel, [258] et qui eruit eum 258
[259] Deus æternus. Ego primus, [260] et ego 259 260
nouissimus, et præter me nemo est Deus.]
Cum duas personas proposuisset, Dei Re-
gis, idest Christi, et Dei Patris, qui eum
post passionem ab inferis excitauit, sicut
ostendisse diximus Oseam Prophetam,
qui ait. *c* ET de manu inferorum eruam *c Ose. 13.*
eum.] Tamen ad vtramq; personam re-
ferens intulit, et præter me non est Deus,
cum possit dicere, præter nos; sed fas non
erat plurali numero separationem tantæ
necessitudinis fieri. Vnus est enim solus li-
ber Deus summus, carens origine, quia ip-
se est origo rerum, et in eo simul et Filius,
et omnia continentur. Qua propter cum
mens, et voluntas alterius in altero sit, vel

vel

vel potius in vtroq; vna, meritò vnus Deus vterq; appellatur, quia quicquid est in Patre ad Filium transfluit, et quicquid in Filio à Patre descendit. Non potest igitur ille summus, ac singularis Deus nisi per Filium coli. Qui solum Patrem se colere putat, sicut Filiū non colit, ita nec Patrem quidē colit. Qui autem Filium suscipit, et nomen eius gerit, is verè cum filio simul et Patrē colit, quoniam legatus, et nuncius, et sacerdos summi Patris est Filius. Hic templi maximi ianua est, hic lucis via, hic dux salutis, hic ostium vitæ.

CAPVT XXX.

SED quoniā multæ hæreses extiterunt, et instinctibus Dæmonū populus Dei scissus est, determinanda est nobis breuiter veritas, ac in suo proprio domicilio collocanda, vt si quis aquam vitæ cupit haurire non ad detritos lacus deferatur, qui non habent venam, sed vberrimū Dei nouerit fontē, quo irrigatus perēni * luce potiatur. Ante omnia scire nos cōuenit, et ipsum, a et legatos b eius prædixisse, quod plurimæ sectæ, et hereses haberent existere, quæ concordiam sancti corporis rumperent, ac monuisse, vt summa prudentia caueremus, ne quando in laqueos, et fraudes illius aduersarij nostri, cū quo luctari Deus nos voluit, incideremus. Tum dedisse certa mandata, quæ in perpetuum custodire deberemus: quorum pleriq; immemores, deserto itinere cœlesti vias sibi deuias per anfractus, et præcipitia condiderunt, per quas partem plebis incautā, et simplicē ad tenebras, mortemq; deducerent; quod quatenus acciderit exponam. Fuerunt quidam nostrorū vel minus stabilita fide, vel minus docti, vel minus cauti, qui dissidium facerent vnitatis, et Ecclesiam dissiparent. Sed ij, quorum fides fuit lubrica, cum Deum nosse se, et colere simularent, augendis opibus, et honori studentes, affectabant maximum sacerdotium, et à potioribus victi, secedere cum suffragatoribus suis maluerunt, quam eos ferre præpositos, quibus concupierant ipsi ante præponi. Quidam verò non satis cœlestibus literis eruditi, cum veritatis accusatoribus respondere non possent, obijcientibus vel impossibile, vel incongruens esse, vt Deus in vterum se mulieris includeret; nec cœlestem illam Maiestatem ad tantā infirmitatem potuisse deduci, vt hominibus contemptui, derisui, contumeliæ, & ludibrio esset, postremò etiam cruciamenta perferret, atq; execrabili patibulo figeretur; quę omnia cum neq; ingenio, nec doctrina defendere, ac refutare possent (nec enim vim, rationemq; penitus peruidebant) deprauati sunt ab itinere recto, & cœlestes literas corruperunt, vt nouam sibi doctrinam sine vlla radice, ac stabilitate componerent. Nonnulli autem falsorum Prophetarum vaticinio illecti, de quibus & veri Prophetæ, & ipse prædixerat, exciderunt a doctrina Dei, & traditionem veram reliquerunt. Sed illi omnes dæmoniacis fraudibus irretiti, quas prospicere, & cauere debuerant, diuinum nomen & cultum per imprudentiam perdiderunt. Cum enim Phryges, aut Nouatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ; [261] aut Anthropiani, seu quilibet alij nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine omisso, humana, & externa vocabula induerunt. Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis; hoc est domicilium fidei; hoc templum Dei; quò si quis non intrauerit, vel a quo si quis exiuerit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri: agitur enim de vita, & salute, cui nisi cautè, ac diligenter consulatur, amissa, & extincta erit. Sed tamen quia singuli quiq; cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse Catholicā Ecclesiam putant, sciendum est, illam esse veram, [262] in qua est confessio, & pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. Hæc interim paucis admonendi gratia retuli, ne quis errorem fugere cupiens, maiori implicetur errore, dum penetrale veritatis ignorat. Postea plenius, & verius contra omnes mendaciorum sectas proprio, separatoq; opere pugnabimus. Sequitur, vt, quoniam satis de Religione vera, & Sapientia locuti sumus, in proximo libro de Iustitia disseramus.

261

262

* Fort. latice.

a Matth. 7. & 24. Mar. 13.

b 2. Petr. c. 2. 1. Ioan c. 4. Act. 20.

Libri Quarti Diuinarum institutionum finis.



LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS GENTES.

Liber Quintus.

DE IVSTITIA.

CAPVT PRIMVM.



NON est apud me dubiũ, quin hoc opus nostrum, quo singularis ille rerum conditor, & huius immensi operis rector asseritur si quis attigerit ex istis ineptè religiosis (vt sunt nimia superstitione impatientes) insectentur etiam maledictis, & vix lecto fortasse principio affligat, proijciat, execretur, seq; inexpiabili scelere contaminari, atq; astringi putet, si hæc aut legat patienter, aut audiat. Ab hoc tamen, si fieri potest, humanitatis iure postulamus, ut non prius damnet quam vniuersa cognouerit. nam si sacrilegis, & proditoribus, & veneficis potestas defendendi sui datur, nec prædamnari quemquam incognita causa licet, non iniustè petere videmur, vt si quis erit ille, qui inciderit in hęc, si leget perlegat, si audiet, sententiam differat in extremum. Sed noui hominum pertinaciam: nunquam impetrabimus; timent enim, ne a nobis reuicti, manus dare aliquando clamante ipsa veritate cogantur. Obstrepunt igitur, & intercedunt, ne audiant, & oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus. Quod planè ipsi diffidentiam suæ perditæ rationis ostendunt, cum neq; cognoscere, neq; congredi audent, quia sciunt, se facilè superari. Et iccirco disceptatione sublata,

Pellitur è medio sapientia, cui geritur res,

Vt ait Ennius. a Et quia student damnare tanquam nocentes, quos vtiq; sciunt innocentes, constare de ipsa innocentia nolunt, quasi verò maior iniquitas sit probatam innocentiam damnasse, quàm inauditam. Sed (vt dixi) verentur, ne, si audierint, damnare non possint. Et ideo cultores Dei summi, hoc est iustos homines torquent, interficiunt, exterminant, nec causas odiorum reddere ipsi possunt, qui tam vehementer oderunt. Quia ipsi errant, irascuntur ijs, qui veram viam sequuntur, & cum corrigere se possint, errores suos insuper crudelibus factis [a] coacerbant, innocentium cruore maculantur, & dicatas Deo mentes euisceratis corpo-

a Ennius 8. Annal. vt ap. Gell. lib. 20. cap. 9.

corporibus extorquent. Cũ talibus nunc congredi, & disputare contendimus, hos ad veritatem ab inepta persuasione traducere, qui sanguinem facilius hauserint, quàm verba iustorum. Quid igitur? Operamnè perdemus? Minimè. Nam si lucrari hos à morte, ad quam concitatissimè tendunt, non potuerimus, si ab illo itinere deuio ad vitam, lucemq; reuocare, quoniam ipsi saluti suę repugnant, nostros tamen confirmabimus, quorum non est stabilis, ac solidis radicibus fundata, & fixa sententia. Nutant enim plurimi, ac maximè qui literarum aliquid attigerint. Nam & in hoc Philosophi, & Oratores, & Poetæ perniciosi sunt, quòd incautos animos facile irretire possunt suauitate sermonis, & carminum dulci modulatione currentium. Ob eamq; causam volui sapientiam cum religione coniungere, ne quid studiosis inanis illa doctrina possit officere; vt iam scientia literarum non modò nihil noceat religioni, atq; iustitiæ, sed etiam prosit quamplurimum, si is, qui eas didicerit sit virtutibus instructior, & veritate sapientior. Præterea etiam si nulli alij, nobis certè proderit. Delectabit se conscientia, gaudebitq; mens, in veritatis se luce versari, quod est animæ pabulum incredibili quadam iucunditate perfusum. Verum non est desperandum. Fortasse. Non canimus surdis.[a] Nec enim tam in malo statu res est, vt desint sanæ mentes, quibus & veritas placeat, & constratum sibi rectum iter & videant, & sequantur. Circumliniatur modò poculum cælestis sapientiæ melle, vt possint ab imprudentibus amara remedia sine offensione potari, dum illiciens prima dulcedo acerbitatem saporis asperi sub prætextu suauitatis occultat. Nam hæc in primis causa est, cur apud sapientes, & doctos, & principes huius seculi scriptura sancta fide careat, quòd Prophetæ communi, ac simplici sermone, vt ad populũ sunt locuti. Contemnuntur itaq; ab ijs, qui nihil audire, vel legere nisi expolitum, ac disertum volunt; nec quicquã inhærere animis eorum potest, nisi quod aures blandiori sono permulcet. Illa verò, quæ sordida videntur, anilia, inepta, vulgaria existimãtur. Adeo nihil verum putant nisi quod auditu suaue est, nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem: nemo rem veritate ponderat, sed ornatu. Non credunt ergo diuinis, quia fuco carent, sed ne illis quidem, qui ea interpretantur, quia sunt & ipsi aut omnino rudes, aut certè parum docti. Nam vt planè sint eloquẽtes perraro contingit. Cuius rei causa in aperto est. Eloquentia enim seculo seruit, populo se iactare, & in rebus malis placere gestit: Si quidem veritatem sæpius expugnare conatur, vt vim suam monstret; opes expetit, honores concupiscit, summum deniq; gradum dignitatis exposcit. Ergo hæc quasi humilia despicit, arcana tanquam contraria sibi fugit, quippe quæ publico gaudeat, & multitudinẽ, celebritatemq; desideret. Eo fit, vt sapientia, & veritas idoneis præconibus indigeat. Et si qui fortè literarum se ad eam contulerunt, defensioni eius non suffecerunt. Ex ijs, qui mihi noti sunt, Minutius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit. Huius liber, cui Octauio titulus est, declarat, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset. Septimius quoq; Tertullianus fuit omni genere literarum peritus, sed in eloquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis inuenit. Vnus igitur præcipuus, & clarus extitit Cyprianus, quoniam & magnam sibi gloriam ex artis Oratoriæ professione quæsierat, & admodum multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suaui, & (quæ sermonis maxima est virtus) aperto; vt discernere nequeas, vtrumnè ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Hic tamen placere vltra verba Sacramentum ignorantibus non potest, quoniam mystica sunt, quæ locutus est, & ad id præparata, vt a solis fidelibus audiantur. Deniq; a doctis huius seculi, quibus fortè scripta eius innotuerunt, derideri solet. Audiui ego quemdam hominem sanè [1] sacrilegum, 3
qui eum immutata vna litera [2] Coprianũ 4
vocaret, quasi quòd elegans ingenium, & melioribus rebus aptum ad aniles fabulas contulisset. [3] Vnde apparet dissertissimo, 5
& doctissimo viro quantum ad sacrilegos adtinet refellendos non facultatem dicendi, sed consilium defuisse, in eo præcipuè, quo Demetrianum veritatis expertem non ratione prudentiæ humanæ, qua vti in principio debuit, sed authoritate cœlestium

[a] Virg. Eclog. 10.

ſtium præceptorum, quorum ille hoſtem fatebatur, extinxit. Quòd ſi accidit hoc ei, cuius eloquentia non inſuauis eſt, quid tandem putemus eis accidere, quorum ſermo ieiunus eſt, & ingratus, qui neq; vim perſuadendi, neque ſubtilitatem argumentandi, neq; vllam prorſus acerbitatem ad reuincẽdum habere potuerunt?

CAPVT II.

ERGO quia defuerunt apud noſtros idonei, peritiq; doctores, qui vehementer, qui acriter errores publicos redarguerent, qui cauſam omnem veritatis ornatè, copioſéq; defenderent, prouocauit quoſdam hæc ipſa penuria, vt auderent ſcribere contra ignotam ſibi veritatem. Omitto eos, qui prioribus eam temporibus nequicquam laceſſerunt. Ego cum in Bithynia oratorias literas accitus docerem, contigiſſetq; eodem tempore, vt Dei templum euerteretur, duo extiterunt ibidem, qui iacenti, atq; abiectæ veritati neſcio vtrum ſuperbius, an importu-
6 nius inſultarēt, [6] quorum alter antiſtitem ſe Philoſophiæ profitebatur: verùm ita vitioſus, vt continentiæ magiſter non minus Auaritia, quam libidine arderet; in victu tam ſumptuoſus, vt in ſchola virtutis aſſertor, parſimoniæ, paupertatiſq; laudator, in Palatio peius cænaret, quàm domi. tamen vitia ſua capillis, & pallio, & (quod maximum eſt velamentum) diuitijs prætegebat, quas vt augeret, ad amicitias iudicum miro ambitu penetrabat; eoſq; ſibi repente authoritate falſi nominis obligabat, non modò vt eorum ſententias venderet, verùm etiam vt confines ſuos, quos ædibus, agriſq; pellebat, à ſuo repetendo hac potentia retardaret. Hic verò, qui ſuas diſputationes moribus deſtruebat, vel mores ſuos diſputationibus arguebat, ipſe aduerſus ſe grauis cenſor, & accuſator acerrimus eodem ipſo tẽpore, quo iuſtus populus nefariè lacera-
7 batur [7] tres libros euomuit cõtra religionẽ, nomenq; chriſtianum, profeſſus ante omnia, Philoſophi officium eſſe, erroribus hominum ſubuenire, atq; illos ad veram viam reuocare, ideſt ad cultus Deorum, quorum numine, ac maieſtate (vt ille docebat) mundus gubernetur, nec pati, homines imperitos quorundam fraudibus illici, ne ſimplicitas eorum prædæ, ac pabulo ſit hominibus aſtutis. Itaq; ſe ſuſcepiſſe hoc munus philoſophia dignum, vt præferret non videntibus lumen ſapientiæ, non modò vt ſuſceptis Deorum cultibus reſaneſcant, ſed etiam vt pertinaci obſtinatione depoſita corporis cruciamenta deuitent, neu ſæuas membrorum lacerationes fruſtra perpeti velint. Vt autem appareret, cuius rei gratia opus illud elaboraſſet, effuſus eſt Principum laudes, quorum pietas, & prouidentia (vt quidem ipſe dicebat) cum in cæteris rebus humanis, tum præcipuè in defendendis Deorum religionibus claruiſſet. Conſultum eſſe tandem rebus humanis, vt cohibita impia, & anili ſuperſtitione vniuerſi homines legitimis ſacris vacarent, ac propitios ſibi Deos experirentur. Vbi autem religionis eius, contra quam perorabat, infirmare voluit rationem, ineptus, vanus, ridiculus apparuit, quia grauis ille conſultor vtilitatis alienæ, non modò quid oppugnaret, ſed etiam quid loqueretur neſciebat. Nam ſi qui noſtrorum affuerunt, quamuis temporis gratia conniuerent, animo tamen deridere, vt pote cum viderent hominem profitentem ſe illuminaturum alios, cum ipſe cæcus eſſet, reducturum alios ab errore, cum ipſe ignoraret, vbi pedes ſuos poneret, eruditurum alios ad veritatem, cuius ille ne ſcintillam quidem vidiſſet aliquando, quippè cum ſapientiæ profeſſor profligare ſapientiam niteretur. Omnes tamen id arguebant, quòd illo potiſſimùm tempore id operis eſſet aggreſſus, quo furebat odioſa crudelitas. O Philoſophum adulatorem, ac tempori ſeruientem. Verùm hic pro ſua inanitate contemptus eſt, qui & gratiam quam ſperauit nõ eſt adeptus, & gloria, quam captauit, in culpam,
reprehenſionemq; conuerſa eſt. [8] Alius 8
eandem materiam mordaciùs ſcripſit, [9] 9
qui erat tunc è numero iudicum, & qui author in primis faciendæ perſecutionis fuit, quo ſcelere non contentus, etiam ſcriptis eos, quos afflixerat, inſecutus eſt. Compoſuit enim libellos duos non contra Chriſtianos, ne inimicè inſectari videretur, ſed ad Chriſtianos, vt humanè, & benignè conſulere putaretur; in quibus ita falſitatem ſcripturæ ſacræ arguere conatus eſt, tanquam ſibi eſſet tota contraria; nam quædam capita, quæ repugnare ſibi

vide-

videbantur, exposuit, adeo multa, adeo intima enumerans, vt aliquando ex eadem disciplina fuisse videatur. Quod si fuit, quis eum Demosthenes poterit ab impietate
10 defendere? qui religionis, cui fuerat [10] assensus, & fidei, cuius nomen induerat, & Sacramenti, quod acceperat, proditor factus est. nisi fortè casu in manus eius diuinæ literæ inciderunt. Quæ igitur temeritas erat id audere dissoluere, quod illi nemo interpretatus est? Benè, quòd aut nihil didicit, aut nihil intellexit. Tantum enim abest à diuinis literis repugnantia, quantum ille abfuit à veritate, & fide; præcipuè tamen Paulum, Petrumq; lacerauit, cæterosq; discipulos, tanquam fallaciæ seminatores, quos eosdem tamen rudes, & indoctos fuisse testatus est, nam quosdam eorum piscatorio artificio fecisse quæstum. Quasi ægrè ferret, quòd illam rem non Aristophanes aliquis, aut Aristarchus commentatus sit.

CAPVT III.

ABFVIT ergo ab his fingendi voluntas, & astutia, quoniam rudes fuerunt. Aut quis possit indoctus apta inter se, & cohærentia fingere, cum Philosophorum doctissimi Plato, & Aristoteles, & Epicurus, & Zenon ipsi sibi repugnantia, & contraria dixerint? Hæc est enim mendaciorum natura, vt cohærere non possint. Illorum autem traditio, quia vera est, quadrat vndique, ac tota sibi consentit, & ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est; non enim quæstus, & commodi gratia religionem istam commenti sunt, quippe, qui & præceptis, & re ipsa eam vitam secuti sunt, quæ & voluptatibus caret, & omnia, quæ habentur in bonis spernit, & qui non tantum pro fide mortem subierint, sed etiam morituros esse se & scierint, & prædixerint; & postea vniuersos, qui eorum disciplinam secuti essent, acerba, & nefanda passuros. Ipsum autem Christum affirmauit a Iudęis fugatum, collecta noningentorum hominum manu latrocinia fecisse. Quis tantæ authoritati audeat repugnare? Credamus hoc planè. Nam fortasse illi hoc in somnis Apollo aliquis nunciauit. Tot semper latrones perierunt, & quotidie pereunt, vtiq; multos & ipse damnasti; quis eorum post Crucem suam non dicam Deus, sed homo appellatus est? Verùm tu forsitan ex eo credidisti, quia vos homicidam Martem consecrastis vt Deum, quod tamen non fecissetis, si illum Areopagitæ in Crucem sustulissent. Item cum facta eius mirabilia destrueret, nec tamen negaret, voluit ostendere Apollonium vel paria, vel etiam maiora fecisse. Mirum, quod Apuleium prætermisit, cuius solent & multa, & mira memorari. Cur igitur ò
delirum caput [11] nemo Apollonium pro Deo colit? nisi fortè tu solus, illo scilicet Deo dignus, cum quo te in sempiternum verus Deus puniet. Si magus Christus, quia mirabilia fecit, peritior vtiq; Apollonius, qui (vt describis) eum Domitia- 11
nus eum punire vellet, [12] repentè in iudicio non comparuit, quàm ille, qui & comprehensus est, & Cruci affixus. At enim ex hoc ipso fortasse insolētiam Christi voluit arguere, quòd Deum se constitueret, vt ille verecundior fuisse videatur, qui cum maiora faceret, vt hic putat, id sibi non arrogauerit. Omitto nunc ipsa opera comparare, quia in secundo, & superiore libro de fraude, ac præstigijs artis magicę dixi. Nego esse quemquam, qui non optet in primis id sibi post mortem contingere, quod etiam Reges maximi concupiscunt. Cur enim sibi homines sepulchra magnifica, cur statuas, cur imagines comparant? cur aliquibus factis præclaris, aut etiam pro ciuibus morte suscepta student opiniones hominum promereri? Cur deniq; ipse ingenij tui monumentum hoc detestabile stultitia tamquam cœno ædificatum constituere voluisti, nisi quòd immortalitatem de memoria nominis speras? Stultum est igitur id putare Apollonium noluisse quod optaret vtiq; si posset, quia nemo est, qui immortalitatem recuset, maximè eum cum dicas & adoratum esse a quibusdam sicut Deum, & simulacrum eius sub Herculis Alexiaci nomine constitutum ab Ephesijs etiam nunc honorari. Non potuit ergo post mortem Deus credi, quia & hominem, & magum fuisse constabat; & ideo alieni nominis titulo affectauit diuinitatem, quia suo nec poterat, nec audebat. Noster verò & potuit Deus credi, quia magus non fuit, & creditus est, quia verus fuit. Non (inquit) hoc dico, idcirco Apollonium non haberi

Deum, quia noluerit, sed vt appareat, nos sapientiores esse, qui mirabilibus factis non statim fidem diuinitatis adiunximus, quam vos, qui ob exigua portenta Deum credidistis. Non est mirum, si tu, qui à Dei sapientia lõge remotus es, nihil prorsus intelligis eorum, quæ legisti; cum Iudæi, qui a principio prophetas lectitauerant, quibusq; Sacramentum Dei fuerat assignatum tamen quid legerint ignorauerint. Disce igitur, si quid tibi cordis est, non solum iccirco à nobis Deum creditum Christum, quia mirabilia fecit, verùm etiã quia videmus in eo facta esse omnia, quæ nobis annunciata sunt vaticinio Prophetarum. Fecit mirabilia: magnum putassemus, vt & vos nuncupatis, & Iudæi tunc putauerunt, si non illa ipsa factum Christum Prophetę omnes vno spiritu prędixissent. Itaq; Deum credimus non magis ex factis, operibusq; mirandis, quam ex illa ipsa Cruce, quam vos sicut canes lambitis, quoniam simul & illa prædicta est. Non igitur suo testimonio (cui enim de se dicenti credi potest?) sed Prophetarũ testimonio, qui omnia, quæ fecit, ac passus est, multo ante cecinerunt, fidẽ diuinitatis accepit, quod neq; Apollonio, neq; Apuleio neq; cuiquam magorũ potuit, aut potest aliquando contingere. Cum igitur talia ignorantiæ suæ deliramenta fudisset, cum veritatem penitus exscindere connixus esset, ausus est libros suos nefarios ac Dei hostes φιλαλήθεις, idest veritatis amatores annotare. O cæcum pectus, ò mentem cimmerijs (vt aiunt) tenebris atriorem. Discipulus hic fortasse Anaxagoræ fuit, cui niues atramentum fuerunt. Atqui eadem cæcitas est & vero falsitatis, & mendacio veritatis nomen imponere. Videlicet homo subdolus voluit lupum sub ouis pelle, cælare, vt fallaci titulo posset irretire lectorem. Verùm esto: inscitia hoc, non malitia feceris. Quam tandem nobis attulisti veritatẽ? nisi quòd assertor Deorum eos ipsos ad vltimum prodidisti. Prosecutus enim summi Dei laudes, quem regem, quem maximum, quem opificem, quem fontem bonorum, quem parentem omnium, quem factorem, altoremq; viuentium confessus es, ademisti Ioui tuo regnum, eumq; summa potestate depulsum in ministrorum numerum redegisti. Epilogus itaq; te tuus arguit stultitiæ, vanitatis, erroris. Affirmas Deos esse, & illos tamen subijcis, & mancipas ei Deo, cuius religionem conaris euertere.

CAPVT IV.

SI ergo, de quibus dixi, cum præsente me, ac dolente sacrilegas suas literas explicassent, & illorum superba impietate stimulatus, & veritatis ipsius conscientia, & (vt ego arbitror) Deo, suscepi hoc munus, vt omnibus ingenij mei viribus accusatores iustitiæ refutarem; non vt contra hos scriberem, qui paucis verbis obteri poterant, sed vt omnes, qui vbiq; idem operis efficiunt, aut effecerunt, vno semel impetu profligarem. Non dubito enim, quin & alij plurimi, & multis in locis, & non modò græcis, sed etiam latinis literis monumentum iniustitiæ suæ struxerint, quibus singulis quoniam respondere non poteram, sic agendam mihi hanc causam putaui, vt & priores cum omnibus suis scriptis peruerterem, & futuris omnem facultatem scribendi, aut respondendi amputarem. Præbeant modò aures, efficiam profectò, vt quicunq; ista cognouerit, aut suscipiat quod ante damnauit; aut, quod est proximum, deridere aliquando desistat. Quamquam Tertullianus eandẽ causam plenè perorauerit in eo libro, cui Apologetico nomen est, tamen quoniam aliud est accusantibus respondere, quod in defensione, aut negatione sola positum est, aliud instituere, quod nos facimus, in quo necesse est doctrinæ totius substantiam contineri, non defugi hunc laborem, vt implerem materiam, quam Cyprianus non executus est in ea oratione, qua Demetrianum (sicut ipse ait) oblatrantem, atq; obstrepentem veritati redarguere conatur, [13] qua materia non est vsus, vt debuit. 13 Non enim scripturę testimonijs quam ille vtiq; vanam, fictam, commentitiamq; putabat, sed argumentis, & ratione fuerat refellendus. Nam cum ageret contra hominem veritatis ignarum, dilatis paulisper diuinis lectionibus formare hũc a principio tamquã rudem debuit, eiq; paulatim lucis principia monstrare, ne toto lumine obiecto caligaret: nam sicut infans solidi, ac fortis cibi capere vim non potest ob stomachi tene-

teneritudinem, sed liquore lactis, ac mollitudine alitur, donec firmatis viribus vesci fortioribus possit, ita & huic oportebat, quia nondum poterat capere diuina, prius humana testimonia offerri, idest philosophorum, & historicorum, vt suis potissimum refutaretur authoribus. Quod quia ille non fecit, raptus eximia eruditione diuinarum literarum, vt ijs solis contentus esset, quibus fides constat, accessi Deo inspirante, vt ego facerem, & simul vt viam cęteris ad imitandum pararem. Ac si hortatu nostro docti homines, ac diserti huc se conferre cæperint, & ingenia sua, vimque dicendi in hoc veritatis campo iactare maluerint, euanituras breui religiones falsas, & occasuram esse omnem Philosophiam nemo dubitauerit; si fuerit omnibus persuasum, cum hanc solam religionem, tum etiam solam veram esse sapientiam. Sed euagatus sum longius, quam volebam.

CAPVT V.

NVnc reddenda est de iustitia proposita disputatio, quę aut ipsa est summa virtus, aut fons est ipsa virtutis; quam non modo philosophi quesierunt, sed poetæ quoque, qui & priores multo fuerunt, & ante natum philosophiæ nomen pro sapientibus habebātur. Hi planè intellexerunt, abesse hanc à rebus humanis, eamq; finxerunt, *a* offensam vitijs hominum cessisse terra, in cœlumq; migrasse: atq; vt doceant, quid sit iuste viuere (solent enim præcepta per ambages dare) a Saturni temporibus, quæ illi vocant aurea repetunt exempla iustitiæ, narrantq; in quo statu fuerit humana vita, dum illa interra moraretur. Quod quidem non pro poetica fictione, sed pro vero habendum est. Saturno enim regnāte non dum Deorum cultibus institutis, nec adhuc vlla gente ad diuinitatis opinionem consecrata, Deus vtiq; colebatur. Et ideo non erant neq; dissensiones, neq; inimicitiæ, neq; bella.

Nondum vesanos rabies nudauerat enses,

Vt Germanicus Cæsar in Arataeo loquitur carmine, b

Nec consanguineis fuerat discordia nata.

Immo ne alienigenis quidem; sed neq; vlli omnino gladij, qui nudarentur, fuerunt.

a Hesiod. in opib. Virg. 2. Georg. Arat. in Phanom.

b Ger. Cæs. in Arat. Car. vbi de Virgine.

Quis enim præsente, ac vigente iustitia, aut de tutela sui, cum nemo insidiaretur, aut de pernicie alterius cogitaret, cum nemo quicquam concupisceret? Malebāt tenui contenti viuere cultu.

Vt Cicero in suo narrat, a quod est proprium nostræ religionis.

Ne signare quidem, aut partiri limite campum Fas erat; in medium quærebant. b

Quippe cum Deus communem omnibus terram dedisset, vt communem degerent vitam, non vt rabida, & furens Auaritia sibi omnia vendicaret; nec vlli deesset, quod omnibus nasceretur. Quod Poetæ dictum sic accipi oportet, non vt existimemus, nihil omnino tum fuisse priuati, sed more poetico figuratum, vt intelligamus, tam liberales fuisse homines, vt natas sibi fruges non includerent, nec soli abscondi tis incubarent, sed pauperes ad communionem proprij laboris admitterent.

Flumina iam lactis, iā flumina nectaris ibāt. c

Nec mirum; cum promptuaria iustorum benignè paterent omnibus, nec Auaritia intercipiens beneficia diuina famē, sitimq; vulgo faceret, sed omnes æqualiter abundarent, cum habentes non habentibus largè, copioseq; donarent. Sed postquam Saturnus a filio pulsus, in latiumq; delatus est.

Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis; d

Cum iam populus vel noui regis metu, vel sua sponte deprauatus Deum colere desisset, regemq; pro Deo habere cępisset; cū ipse propemodum parricida exemplo cæteris esset ad violendam pietatem.

Deseruit properè terras iustissima Virgo; e

Sed non vt ait Cic.

Et Iouis in regno, cæliq; in parte resedit. f

Quomodo enim poterat in eius regno residere, aut commorari, qui patrem regno expulit, bello persecutus est, exulem toto orbe iactauit?

Ille malum virus serpentibus addidit atris,

Prædariq; lupos iussit. g

Idest odium, & inuidiam, & dolum hominibus inseuit, vt tam essent quàm serpentes venenati, tam rapaces quàm Lupi. Quod quidem vere faciunt ij, qui iustos, ac fideles Deo persequuntur, dantq; iudicibus sæuiendi aduersus innoxios potestatē. Fortasse aliquid eiusmodi Iupiter fecerit ad expugnandam, tollendamq; iustitiam, & iccirco efferasse serpentes, ac lupos acuisse traditur.

a Cic. in Phænom. ex Arat.

b Virg. 1. Georg. sub initium.

c Ouid. initio Metam.

d Virg. 8. Æneid.

e Germanic. Cæs. vbi sup.

f Cic. in Phænom.

g Virg. 1. Georg.

Q 2 Tum

a Virg. 8. Æneid.

Tum belli rabies, & amor successit habendi. a Neq; immeritò. Sublata enim Dei religione, boni quoq; ac mali scientiam perdiderunt. Sic hominibus intercidit cõmunitas vitæ, & diremptum est fędus societatis humanæ. Tum inter se manus conserere cęperunt, & insidiari, & gloriam sibi ex humano sanguine comparare.

CAPVT VI.

QVORVM omnium malorum fons cupiditas erat quæ scilicet ex contẽptu veræ maiestatis erupit. non tantum enim non participabant alijs ij, quibus aliquid affluebat, sed aliena quoq; rapiebant in priuatum lucrum trahentes
14 omnia; & quæ antea [14] in vsus * hominum etiam singuli laborabant, in paucorum domos conferebantur. Vt enim seruitio cæteros subiugarent, in primis necessaria vitæ subducere, & colligere cęperunt, eaq; firmiter conclusa seruare, vt beneficia cœlestia facerent sua non propter humanitatem, quæ nulla in ipsis erat, sed vt omnia cupiditatis, & Auaritiæ instrumenta corraderent: leges etiam sub iustitiæ nomine iniquissimas, iniustissimasq; sanxerunt, quibus rapinas, & auaritiam suam contra vim multitudinis tuerentur. Tantum igitur authoritate, quantum viribus, aut opibus, aut malitia præualebant. Et quoniam nullum in his vestigium iustitiæ fuit, cuius officia sunt humanitas, æquitas, misericordia; iam superba, & tumida inæqualitate gaudebant, altioresq; cæteris hominibus satellitum comitatu, & ferro, & insigni veste fulgebant. Hinc honores sibi & purpuras, & fasces inuenerunt, vt securium, gladiorumq; terrore subnixi, quasi iure dominorum perculsis, ac pauentibus imperarent. In hac conditione humanam vitã Rex ille constituit, qui debellato, ac fugato parente non Regnum, sed impiam tyrannidem vi, & hominibus armatis occupauit, & aureum illud, iustumq; seculum sustulit, coegitq; homines malos, & impios fieri vel ex hoc ipso, quòd ipsos auertit à Deo ad se adorandum, quod terror insolentissimæ potestatis expresserat. Quis enim non metueret eum, quem arma cingebant, quem ferri, & gladiorum fulgor insuetus circundabat? aut cui parceret alieno, qui ne patri suo quidem pepercerat? quem verò metueret, qui Titanum robustam, excellentemq; viribus gentem bello vicerat, occidione deleuerat? Quid mirum, si omnis multitudo insolito metu pressa in vnius adulationem concesserat, hunc verebantur, huic honorem maximum deferebant? Et quoniam mores, ac vitia Regis imitari genus obsequij iudicatur, abiecerunt omnes pietatem, ne exprobrare Regi scelus viderentur, si piè viuerent. Sic assidua imitatione corrupti diuinum fas reliquerunt, & paulatim male viuendi consuetudo mos factus est. Nec iam quicquam ex antecedentis seculi pio, atq; optimo statu mansit, sed explosa iustitia & veritatem secum trahens reliquit hominibus errorẽ, ignorantiam, cæcitatem. Imprudenter igitur Poetæ, qui eam confugisse cecinerunt ad Iouis Regnum. Si enim seculo, quod vocant aureum, iustitia in terra fuit, a Ioue vtiq; pulsa est, qui aureum seculum commutauit. Seculi autem commutatio, & expulsio iustitiæ nihil aliud, vt dixi, quã desertio diuinæ religionis putanda est, quę sola efficit, vt homo hominem carum habeat, eumq; sibi fraternitatis vinculo sciat esse constrictum; siquidem pater idem, & Deus est omnibus, vt Dei, patrisq; communis beneficia cum ijs, qui non habent, partiatur, nulli noceat, nullum premat, non fores claudat hospiti, non aurem precanti, sed sit largus, beneficus, liberalis, quas regias esse laudes Tullius existimauit a. Hæc est profectò iustitia, & hoc aureum seculum, quod Ioue primum regnãte corruptum, mox & ipso, & omni eius progenie consecrata, Deorumq; multorum suscepto cultu, fuerat omne sublatum.

* Fort. omnium.

a Cic. per Deiotar. Paulo post med.

CAPVT VII.

SED Deus vt parens indulgentissimus appropinquante vltimo tempore nuncium suum misit, qui vetus illud seculum, fugatamq; iustitiam reduceret, ne humanum genus maximis, & perpetuis agitaretur erroribus. Redijt ergo species illius aurei temporis, & reddita quidem terræ, sed paucis assignata iustitia est, quæ nihil aliud est, quam Dei vnici pia, & religiosa cultura. Sed moueat fortasse aliquẽ,

cur

cur si hæc sit iustitia, non omni humano generi sit data, nec in ea multitudo vniuersa consenserit. Magnæ hoc disputationis est, cur a Deo, cum iustitiam terræ daret, sit retenta diuersitas, quod & alio loco declaraui, a & vbicunquè opportunè inciderit explicabitur. b Nunc designare id breuissimè satis est, virtutem aut cerni nô posse, nisi habeat vitia contraria, aut nô esse perfectam, nisi exerceatur aduersis. Hanc enim Deus bonorum, ac malorum, voluit esse distantiam, vt qualitatem boni ex malo sciamus, item mali ex bono, nec alterius ratio intelligi sublato altero potest. Deus ergo non exclusit malum, vt ratio virtutis constare posset. Quo modo enim patientia vim suam, nomenq; retineret, si nihil esset, quod pati cogeremur? Quo modo laudem mereretur deuota Deo suo fides, nisi esset aliquis, qui à Deo vellet auertere? Nam & ideo potentiores esse iniustos permisit, vt cogere ad malum possent; ideo plures, vt virtus esset preciosa, quòd rara est. Quod quidê ipsum Quintilianus egregiè, ac breuiter ostêdit in Capite obuoluto. NAM quæ (inquit) virtus esset innocentia, nisi laudem raritas dedisset?] Verùm quia natura sic comparatum est, vt odium, cupiditas, ira in id, quod incubuerint, agant cæcos, supra hominem videtur culpa vacare. Alioqui si natura pares omnibus affectus dedisset, pietas nihil erat. Hoc quam verum sit, docet necessitas ipsa rationis. Si enim virtus est malis, ac vitijs fortiter repugnare, apparet sine malo, ac vitio nullam esse virtutem, quam Deus vt absolutam, perfectamq; redderet, retinuit id, quod erat ei contrarium, cum quo depugnare posset. Agitata enim malis quatientibus stabilitatem capit, & [15] quanto frequentius impellitur, tanto firmius roboratur. Hæc nimirum causa efficit, vt quamuis sit hominibus missa iustitia, tamen aureum seculū non esse dicatur, quia malum non sustulit, vt retineret diuersitatem, quæ Sacramentum diuinæ religionis continet sola.

a Sup. lib. 2. c. 18.
b Infrà lib. 6. c. 15. & c. 22. lib. 6.
ira Dei c. 15
15

CAPVT VIII.

QVi ergo putant, iustum esse neminem, ante oculos habent iustitiam, sed eam nolunt cernere. Quid est enim cur illam vel in carminibus, vel in omni sermone describant, conquerentes eius absentiam; cum sit facillimum, bonos esse, si velint? quid vobis inanem iustitiam depingitis, & optatis cadere de cęlo tamquam in aliquo simulacro figuratam? Ecce in conspectu vestro est. suscipite (si potestis) eamq; in domicilio vestri pectoris collocate; nec difficile, aut alienum à temporibus existimetis. Estote æqui, ac boni, & sequetur vos sua sponte iustitia, quam quæritis. Deponite omnem malam cogitationem de cordibus vestris, & statim vobis illud tempus aureum reuertetur. Quod aliter consequi non potestis, quàm si Deum verum colere cœperitis. Vos autem manente cultu Deorum iustitiam desideratis in terra, quod fieri nullo pacto potest; sed ne tum quidem potuit, cum putatis; quià nondum natis Dijs istis, quos impiè colitis, necesse est, vnius Dei cultum fuisse per terram, eius scilicet, qui execratur malitiam, exigitq; bonitatem; cuius templum est non lapides, aut lutum, sed homo ipse, qui figuram Dei gestat. Quod templum non auro, & gemmarum donis corruptibilibus, sed æternis virtutum muneribus ornatur. Discite igitur (si quid vobis reliquæ mentis est) homines ideo malos, & iniustos esse, quia Dij coluntur, & ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingrauescere, quia Deus huius mundi effector, & gubernator derelictus est, quia susceptæ sunt, contra quam fas est, impiæ religiones. Postremò quia nè coli quidem vel a paucis Deum finitis. Quòd si solus Deus coleretur, non essent dissensiones, & bella, cum scirent homines, se vnius Dei Filios esse, ideoq; diuinę necessitudinis sacro, & inuiolabili vinculo copulatos: nullæ fierent insidiæ, cum scirent, cuiusmodi pœnas Deus animarum interfectoribus præparet, qui clandestina scelera, & ipsas etiam cogitationes præuidet: non essent fraudes, neq; rapinæ, si Deo præcipiente didicissent & suo, & paruo esse contenti, vt fragilibus, & caducis solida, & æterna præferrent: non essent adulteria, & stupra, & mulierum prostitutiones, si omnibus notum esset damnari à Deo quicquid appetitur vltra generandi cupiditatem: nec fœminam necessitas cogeret pudorem suum profanare, vt victum sibi obscœnissimum quærat, cum & mares libidinem contemnerent, & habentiū

pia, & religiosa collatio non habentibus subueniret. Non essent igitur (vt dixi) hæc omnia in terris mala, si ab hominibus in legem Dei coniuraretur, si ab vniuersis fierent, quæ vnus noster populus operatur. Quàm beatus esset, quamq; aureus humanarum rerum status, si per totum orbem mansuetudo, & pietas, & pax, & innocentia, & æquitas, & temperantia, & fides moraretur? Deniq; ad regendos homines non opus esset tam multis, & tã varijs legibus, cum ad perfectam innocentiam Dei lex vna sufficeret; neq; carceribus, neq; gladijs Præsidum, neq; terrore pœnarum, cum præceptorum cœlestium salubritas humanis pectoribus infusa, vltro ad iustitiæ opera homines erudiret. Nunc autem mali sunt ignoratione recti, ac boni: quod quidem Cicero vidit. Disputans enim de legibus. [16] SICVT vna (inquit) eademq; natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohæret, ac nititur, sic omnes homines inter se natura confusi, prauitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes sub vnam, eandemq; tutelam: quod si teneretur, Deorum profectò vitam homines viuerent.] Vniuersa igitur mala, quibus humanum genus se ipsum inuicem conficit, iniustus, atq; impius Deorum cultus induxit. Nec enim poterant retinere pietatem, qui communem omnium patrem Deum, tanquam prodigi, ac rebelles liberi abnegassent.

CAPVT IX.

NONNVNQVAM tamen sentiunt, se malos esse, & veterum seculorũ statum laudant, & de suis moribus, meritisq; coniectant, abesse iustitiam, quam obuersantem oculis suis non tantum non suscipiunt, nec agnoscunt, verum etiam violenter oderunt, & persequuntur, & exterminare contendunt. Fingamus hâc interim non esse iustitiam, quam nos sequimur; quo modo, si illa venerit, quam veram putant, eam recipient? qui laniant & occidunt eos, quos & ipsi fatentur imitatores esse iustorum, quia bona operantur, & iusta, cum si tantummodo malos occiderent, digni essent, ad quos iustitia non veniret, cui nulla fuit alia causa linquendi terram, quàm humani cruoris effusio. Quanto magis cum pios interficiant, & ipsos iustitiæ sectatores pro hostibus ducant, immo verò plusquam pro hostibus, quibus vtiq; cum animas eorum, & opes, & liberos ferro, & igni appetant, tamen parcitur victis, & est locus inter arma clementiæ; aut si adeo sæuire placuit, nihil plus in eos fit, quàm vt occidantur, vel in seruitutem abducantur. Hoc verò inenarabile est, quod fit aduersus eos, qui malefacere nesciunt. Et nulli nocentiores habentur, quam qui sunt ex omnibus innocentes. Audent igitur homines improbissimi iustitiæ facere mentionem, qui feras immanitate vincunt, qui placidissimum Dei gregem vastant

——— *Lupi ceu*
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies. a ——— *a Virgil. 2. Æneid.*

Verùm hos non ventris, sed cordis rabies efferauit; nec atra in nebula, sed aperta prædatione grassantur, nec eos vnquam conscientia scelerum reuocat, ne sanctũ, ac pium nomen iustitiæ ore illo violent, quod cruore innocentium, tanquam rictus bestiarum madet. Huius tanti, & tã pertinacis odij quam potissimum causam esse dicamus? Vtrumne

——— *veritas odium parit.* b *b Terent. Andr. act. p. scen. pr.*

vt ait Poeta quasi diuino spiritu instinctus, an erubescunt corã iustis, & bonis esse nequam, an potius vtrumque? Nam & veritas ideo semper inuisa est, quòd is, qui peccat vult habere liberum peccandi locum, nec aliter se putat malefactorum voluptate securius perfrui posse quam si nemo sit, cui delicta non placeant. Ergo tamquam scelerum, & malitiæ suæ testes extirpare funditus nituntur, & tollere, grauesq; sibi putant, tanquam vita eorum coarguatur. Cur enim sint aliqui intempestiue boni, qui corruptis moribus publicis, conuicium benè viuendo faciant? cur non omnes sint æquè mali, rapaces, impudici, adulteri, periuri, cupidi, fraudulenti? quin potius auferantur, quos coram malè viuere pudet, qui peccantium frontem & si non verbis, quia tacent, tamen ipso genere vitæ dissimili feriunt, & verberant. Castigare enim videtur quicunq; dissentit. Nec est magnopere mirandum, si aduersus homines ista fiunt, cum aduersus ipsum Deum propter eandem causam insurrexerit etiam populus in spe constitutus

tutus, nec Dei nescius, sequiturq; iustos eadem necessitas, quæ ipsum iustitiæ violauit authorem. Vexant ergo, & exquisitis pœnarum generibus excruciant; parumq; habent interficere quos oderunt, nisi etiam crudelitas corporibus illudat. Si qui autem doloris, vel mortis metu, vel suapte perfidia cœleste sacramentum deseruerint, & ad funesta sacrificia consenserint, eos laudant, & honoribus mactant, vt eorum exemplo cæteros illiciant. Qui autem magni æstimauerint fidem, cultoresq; se Dei non abnegauerint, in eos verò totis carnificinæ suæ viribus, veluti sanguinem sitiant, incumbunt, & desperatos vocant, quia corpori suo minimè parcunt: quasi quicquam desperatius esse possit, quam torquere, ac dilaniare eum, quem scias innocentem. Adeo nec pudor vllus apud eos superest, à quibus abest omnis humanitas, & retorquent in homines iustos conuicia sibi congruentia. Impios enim vocant ipsi scilicet pij, & ab humano sanguine abhorrentes, cum si & actus suos considerent, & illorum, quos tanquã impios damnant, iam intelligant, quam mendaces sint, & ijs omnibus, quæ aduersus bonos aut dicunt, aut faciunt digniores. Non enim de nostro, sed de illorum numero semper existunt, qui vias obsideant armati, maria prædentur: vel si palam grassari non licuit, venena clam temperarent, qui vxores necent, vt dotes earum lucrentur aut maritos, vt adulteris nubant; qui natos ex se pueros aut strãgulent, aut, si nimium pij fuerint, exponant, qui libidines incestas nec à filia, nec à sorore, nec à matre, nec à sacerdote contineant; qui aduersus ciues suos, patriamq; coniurent, qui nec culeum metuant; qui deniq; sacrilegia committant, & Deorum, quos colunt, templa dispolient, & vt quæ leuia sunt, atq; illis vsitata dicamus, qui hæreditates captent, testamenta supponant, iustos hæredes vel auferant, vel excludant, qui corpora sua libidinibus prostituant, qui deniq; immemores, quid nati sint, [17]eum fœminis patientia certent; [18]qui sanctissimam quoq;
17
18 corporis sui partem contra fas omne polluant, & profanent; qui virilia sua ferro metant, &, quod est sceleratius, vt sint religionis antistites, qui ne vitæ quidem suæ parcant, sed extinguendas publicè animas suas vendant; qui si iudices sedeant, aut immeritos perdant mercede corrupti, aut noxios impunè dimittant; qui Cœlum quoq; ipsum veneficijs appetant, tanquam illorum malitiam terra non capiat. Hæc inquam & his plura scelera vtiq; ab ijs fiunt, qui Deos colunt. Quis inter hæc tot, & tanta iustitiæ locus est? Et ego de multis pauca collegi, non vt arguerem, sed vt ostenderem. Qui volent scire omnia, Senecæ libros in manum sumant, qui morum, vitiorumq: publicorum & descriptor verissimus, & accusator acerrimus fuit. Sed & Lucilius tenebrosam istam vitam circumscriptè, breuiterq: depinxit his versibus.

Nunc verò à mane ad noctem, festo, atq; profesto
Totus item pariterq; die populusq; patresq;
Iactare [19] indu foro se omnes, decedere nusquã; 19
Vni se, atq; eidem studio omnes dedere, & arti:
Verba dare vt cautè possint; pugnare, dolosè
[20]Blanditia certare; bonum simulare virũ se; 20
Insidias facere, vt si hostes sint omnibus omnes.

Nostro autem populo quid horum potest obijci, cuius omnis religio est sine scelere, ac sine macula viuere? Cum igitur videãt se, ac suos ea, quæ diximus gerere, nostros autem nihil aliud operari, nisi æquũ, & bonum, poterant (si quid saperent) ex hoc intelligere, & illos, qui bonum faciunt, pios esse, & se impios, qui nefanda committunt. Neq; enim fieri potest, vt qui in omnibus vitæ suæ actibus non errãt, in ipsa summa errent, hoc est in religione, quæ rerum omnium caput est. Impietas enim suscepta in eo, quod est summum, [21] per cætera vniuersa sequitur. Æquè fieri non potest, vt ipsi, qui errant in omni vita, non & in religione fallantur, quoniam pietas in summo regulam tenens, tenorem suum seruat & in cæteris. Ita fit, vt in vtraq; parte de conditione rerum, quæ geruntur, qualis sit summa ipsa noscatur. 21

CAPVT X.

OPERAE pretium est cognoscere illorum pietatem, vt ex ijs, quæ clementer, ac piè faciunt, possit intelligi, qualia sint, quæ ab his contra iura pietatis geruntur. Ac ne quem videar inclementer incessere, aliquam mihi personam poc-

poeticam sumam, quæ sit vel maximum pietatis exemplum. Apud Maronem Rex ille,

——— *quo iustior alter,*

a Virg. 1. Æneid. *Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis,* a

Quæ nobis documenta iustitiæ protulit?

Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris

b Virg. 11. Æne. sub initium. *Inferias cæso sparsurus sanguine flammas.* b

Quid potest esse hac pietate clementius, quam mortuis humanas victimas immolare, & ignem cruore hominum tanquam oleo pascere? Sed fortasse hoc non ipsius vitium fuerit, sed Poetæ, qui

c Virg. initio 1. Aen. *Insignem pietate virum.* c

insigni scelere fædauit. Vbi est igitur ô Poeta illa pietas, quam sæpissimè laudas?

22 [22] *Tum pius Æneas* d ———

d Vir. Aen. 5. sub fin. 10. in fin. 12. in princ. ——— *Sulmone creatos.*

Quattuor hic iuuenes, totidē quos educat Vfēs

Viuentes rapit; inferias quos immolet vmbris,

Captiuoq; rogi perfundat sanguine flammas. e

e Virg. 10. Paulo post med. Cur ergo dicebat eodem ipso tempore, quo vinctos homines ad immolationem mittebat

f Virg. 11. sub initium. ——— *Equidem & viuis concedere vellem.* f

Cum quos viuos habebat in potestate, vice pecudum iuberet occidi? Sed hæc (vt dixi) culpa non illius fuit, qui literas fortasse non didicerat, sed tua, qui cum esses eruditus, ignorasti tamen, quid esset pietas; & illud ipsum, quod nefariè, quod detestabiliter fecit, pietatis esse officium credidisti. Videlicet ob hoc vnum pius vocatur, quia patrem dilexit. Quid, quòd

g Virg. ibid. ——— *bonus Æneas haud aspernanda precantes* g

trucidauit? Adiuratus enim per eundem patrem,

h Virg. 10. vbi sup. ——— *& spes surgentis Iuli,* h

nequaquam pepercit

i Virg. in fin. 12. ——— *furijs accensus, & ira.* i

Quisquamnè igitur hunc putet aliquid in se virtutis habuisse, qui & furore tanquam stipula exarserit, & manium patris, per quem rogabatur oblitus, iram frenare nequiuerit? Nullo igitur modo pius, qui non tantum non repugnantes, sed etiam precantes interemit. Dicet hic aliquis. Quæ ergo, aut vbi, aut qualis est pietas? Nimirum apud eos, qui bella nesciunt, qui concordiam cum omnibus seruant, qui amici sunt etiam inimicis, qui omnes homines pro fratribus diligunt, qui cohibere iram sciunt, omnemq; animi furorem tranquilla moderatione lenire. Quanta igitur caligo, quanta tenebrarum, & errorum nubes hominum pectora obduxit, qui, cum se maximè pios putant, tum maximè fiunt impij. Quanto enim religiosius terrenis istis simulacris inseruiunt, tanto magis scelerati aduersus nomen veræ diuinitatis existunt. Itaque pro merito impietatis suæ grauioribus malis sæpe vexantur, quorum causam quia nesciunt, fortunæ culpa omnis ascribitur, & locum inuenit Epicuri philosophia nihil ad Deos pertinere censentis, nec gratia eos tangi, nec ira moueri, quia & contemptores eorum sæpe videant beatos, & cultores sæpe miseros. Quod eo fit, quia cum religiosi videantur, & natura boni, nihil tale creduntur mereri, quale sæpe patiuntur. Cōsolantur se tamen accusatione fortunæ; nec sentiunt, quòd si esset vlla, cultoribus suis nunquam noceret. Meritò igitur huiusmodi pietatem pœna consequitur, & offensa diuinitas scelere hominum prauè religiosorum, graui eos infortunio mactat; qui licet sanctis moribus viuant in summa fide, atq; innocentia, tamen, quia Deos colunt, quorum ritus impios, ac profanos Deus verus odio habet, à iustitia, & à nomine veræ pietatis alieni sunt. Nec est difficile docere, cur Deorum cultores boni, & iusti esse non possint. Quo modo enim sanguine abstinebunt qui colunt cruentos Deos Martem, atq; Bellonam? quo modo aut parentibus parcent qui expulsorem patris sui Iouem? aut natis ex se infantibus, qui Saturnum? quo modo pudicitiam tuebuntur, qui colunt Deam nudam, & adulteram, & quasi apud Deos prostitutam? quo modo se à rapinis, & fraudibus abstinebunt qui Mercurij furta nouerunt docentis, non fraudis esse decipere, sed astutiæ? Quo modo libidines coercebunt, qui Iouem, Herculem, Liberum, Apollinem, cæterosq; venerantur, quorum adulteria, & stupra in mares, & fœminas non tantum doctis nota sunt, sed exprimuntur etiam in theatris, atq; cantātur, vt sint omnibus notiora? Possuntnè inter hæc iusti esse homines, qui etiam si natura sint boni, ab ipsis tamen Dijs [23] erudiantur ad iniustitiam? Ad placandum 23 enim Deum, quem colas, ijs rebus opus est, quibus illum gaudere, ac delectari scias. Sic fit, vt vitam colentium Deus pro qualitate nominis sui formet, quoniam religiosissimus est cultus imitari.

CA-

CAPVT XI.

IIs igitur hominibus, qui Deorum suo-
a Ezechiel. rum moribus congruunt, quia grauis
34. Sophon. est, & acerba iustitia, eandem impietatem
2. Leuit. 26. suam, qua in cæteris rebus vtuntur, aduer-
apud septua sus iustos violenter exercent. Nec imme-
gin. ritò a Prophetis *a* bestiæ nominatur. Præ-
24 clarè itaq; M. Tullius. [24] EI ENIM si ne-
mo est (inquit) quin emori malit, quàm
conuerti in aliquã figuram bestiæ, quãuis
hominis mentem sit habiturus, quanto est
miserius in hominis figura animo esse ef-
ferato? Mihi quidem tanto videtur, quãto
præstabilior est animus corpore.] Asper-
nantur itaq; corpora belluarum, quibus
sunt ipsi sæuiores; sibiq; adeo placent,
quòd homines nati sunt, quorum nihil nisi
lineamenta, & summam figuram gerunt.
Nam quis Caucasus, quæ India, quæ Hyr-
cania tam immanes, tam sanguinarias
vnquam bestias aluit? Quoniam ferarum
omnium rabies vsque ad ventris satietatem
furit, fameq; sedata protinus conquiescit.
Illa est vera bestia, cuius vna iussione

b Virg. 11. *Funditur ater vbiq; cruor b ————*
propè fin. *———— crudelis vbiq;*
c Virg. 2. *Luctus, vbiq; pauor, & plurima mortis imago c*
Æneid. Nemo huius tantæ belluæ immanitatem
potest pro merito describere, quæ vno lo-
co recubans tamen per totũ orbem denti-
bus ferreis sæuit, & non tantum artus ho-
minum dissipat, sed & ossa ipsa comminu-
it, & in cineres furit, ne quis extet sepul-
turæ locus: quasi verò id affectent qui Deũ
confitentur, vt ad eorum sepulchra ve-
niatur, ac non vt ipsi ad Deum perueniãt.
Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ in-
sania est lucem viuis, terram mortuis de-
negasse? Dico igitur, nihil esse miserius
ijs hominibus, quos ministros furoris alie-
ni, quos satellites impiæ iussionis necessi-
tas aut inuenit, aut fecit. Non enim ho-
nor ille, aut prouectio dignitatis fuit, sed
hominis damnatio ad carnificinam, Dei
verò ad pœnam sempiternam. Quæ au-
tem per totum orbem singuli gesserint
enarrare impossibile est. Quis enim volu-
minum numerus capiet tam infinita, tam
varia genera crudelitatis? Accepta enim
potestate pro suis moribus quisq; sæuit.
Alij præ nimia timiditate plus ausi sunt,
quam iubebatur. Alij suo proprio aduer-
sus iustos odio; quidam naturali mentis
feritate; nonnulli vt placerent, & hoc of-
ficio viam sibi ad altiora munirent. Aliqui
ad occidendum præcipites extiterunt, [25] si- 25
cut vnus in Phrygia, qui vniuersum popu-
lum cum ipso pariter conuenticulo con-
cremauit. Sed hic quanto sæuior, tanto
clementior inuenitur. Illud verò pessimũ
genus est, cui clementiæ species falsa
blanditur; ille sæuior, ille grauior est car-
nifex, qui neminem statuit occidere. Itaq;
dici non potest, huiusmodi iudices quanta,
& quàm grauia tormentorum genera ex-
cogitauerint, vt ad effectum propositi sui
peruenirent. Hæc autem non tantùm ideo
faciunt, vt gloriari possint, nullum se
innocentium peremisse (nam & ipse audi-
ui aliquos gloriantes, quia administratio
sua in hac parte fuerit incruenta) sed &
inuidiæ causa, ne aut ipsi vincantur, aut
illi virtutis suæ gloriam consequantur.
Itaq; in excogitandis pœnarum generibus
nihil aliud quam victoriam excogitant.
Sciunt enim, certamen esse illud, & pu-
gnam. Vidi ego in Bithynia Præsidem
gaudio mirabiliter elatum, tanquam Bar-
barorum gẽtem aliquam subegisset, quòd
vnus, qui per biennium magna virtute re-
stiterat, postremò cedere visus est. Con-
tendunt igitur, vt vincant, & exquisitos
dolores corporibus immittunt, & nihil
aliud euitant, quam vt ne torti morian-
tur. Quasi verò mors tantummodo bea-
tos faciat, ac non etiam tormenta, quæ
quanto fuerint grauiora, tanto maiorem
virtutis gloriam pariant. Illi autem per-
tinaci stultitia iubent curam tortis diligen-
ter adhiberi, vt ad alios cruciatus mem-
bra renouentur, & reparetur nouus san-
guis ad pœnam. Quid tam pium, tam
beneficum, tam humanum fieri potest?
Non curassent tam solicitè quos amarent.
Hæc est Deorum disciplina. Ad hæc ope-
ra cultores suos erudiunt, hæc sacra desi-
derant. Quin etiam sceleratissimi homi-
cidæ contra pios impia iura condiderunt;
nam & [26] constitutiones sacrilegæ, & dis- 26
putationes iuris peritorum leguntur iniu-
stæ. [27] Domitius de officio proconsulis 27
libro septimo rescripta Principum nefaria
collegit, vt doceret, quibus pœnis affici
oporteret eos, qui se cultores Dei confi-
terentur.

CAPVT XII.

QVID ijs facias, qui ius vocant carnificinas veterum tyrannorum aduersus innocentes rabidè sæuientium? Et cum sint iniustitiæ, crudelitatisq; doctores, iustos se esse tamen, ac prudentes videri volunt, cæci, & hæbetes, ac rerum, & veritatis ignari. Adeonè vobis ò perditæ mentes inuisa iustitia est, vt eam summis sceleribus adæquetis? Adeonè apud vos perit innocentia, vt ne morte quidem simplici dignam iudicetis, sed supra omnia facinora habeatur, nullum facinus admittere, pectusq; purum ab omni sceleris contagione præstare? Et quoniã communiter cum Deorum cultoribus loquimur, liceat per vos benefacere vobiscum. Hæc est enim lex nostra, hoc opus, hæc religio. Si vobis sapientes videmur, imitamini, si stulti, contemnite, aut etiam ridete, si libet. Nobis enim stultitia nostra prodest. Quid laceratis? quid affligitis? non inuidemus sapientiæ vestræ. Hanc stultitiam malumus, hanc amplectimur. Hoc nobis credimus expedire, vt vos diligamus, & in vos ipsos, qui odistis, omnia conferamus. Est apud Ciceronem non abhorrens à vero locus in ea disputatione, quę habetur a Furio con-
28 tra iustitiam. [28] QVÆRO (inquit) si duo sint, quorum alter optimus vir, æquissimus, summa iustitia, singulari fide, alter insigni scelere, & audacia; & si in eo sit errore Ciuitas, vt bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium pu-
29 tet; [29] & contra, eum, qui sit improbissimus existimet esse summa probitate, ac fide, proq; hac opinione omnium ciuium bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei deniq; auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, vratur, exterminetur, egeat; postremò iure etiam optimo omnibus miserrimus esse videatur. Contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eũ honores, omnia imperia, omnes opes, omnes deniq; copiæ conferantur, vir de-
30 niq; optimus omnium [30] existimatione, & dignissimus omni fortuna iudicetur. Quis tandem erit tam demens, qui dubitet, vtrum se esse malit?] Profectò quasi diuinaret, quæ nobis mala, & quomodo ventura essent propter iustitiam hoc posuit exemplum. Hæc enim populus noster patitur omnia errantium prauitate. Ecce in eo est errore ciuitas, vel potius orbis ipse totus, vt bonos, & iustos viros tanquam malos, & impios persequatur, excruciet, damnet, occidat. Nam quod ait, neminem esse tam dementem, qui dubitet, vtrum se esse malit, ille quidem, vt is, qui contra iustitiam disserebat, hoc sensit, malle sapientem malum esse cum bona existimatione, quam bonum cum mala. A nobis autem absit hæc amentia, vt falsum vero anteponamus. An boni nostri qualitas ex populi potius pendebit erroribus, quàm ex conscientia nostra, & iudicio Dei? Aut aliqua nos illiciet vnquã felicitas, vt non potius veram bonitatem cum omni malo, quam falsam cum omni prosperitate malimus? Sua sibi habeant Regna Reges, suas diuitias diuites (vt loquitur Plautus) suam verò prudentiam prudentes; relinquant nobis stultitiam nostram, quam vel ex hoc apparet esse sapientiam, quòd eam nobis inuident. Quis enim stulto inuideat, nisi qui ipse sit stultissimus? Illi autem non sunt adeo stulti, vt stultis inuideant; sed ex eo quòd accuratè, quòd solicitè persequuntur, stultos non esse concedunt. Cur enim tam crudeliter sæuiunt, nisi quia metuunt, ne in dies inualescente iustitia cum Dijs suis [31] ca- 31
riosis relinquantur? Si ergo cultores Deorum sapientes sunt, nos stulti, quid metuunt, ne sapientes illiciantur a stultis?

CAPVT XIII.

CVM autem noster numerus semper Deorum cultoribus augeatur, nunquam verò ne in ipsa quidem persecutione minuatur (quoniam peccare homines, & inquinari sacrificio possunt, auerti autem à Deo non possunt; valet enim vi sua veritas) quis est tam demens, tam excors, tamq; cæcus, qui non videat, in vtra sit parte sapientia? Sed illi malitia, & furore cæcantur, ne videant, stultosq; arbitrantur esse, qui cum habeant in sua potestate supplicia vitare, cruciari tamen, & emori malunt, cum possint ex eo ipso peruidere, non esse stultitiam, in quam tanta hominũ millia per orbem totum vna,

& pari mente consentiunt. Si enim fœminæ sexus infirmitate labuntur (nam interdum isti muliebrem, aut anilem superstitionem vocant) viri certè sapiunt; si pueri, si adolescentes improuidi sunt per ætatem, maturi certè, ac senes habent stabile iudicium; si vna Ciuitas desipit, cæteræ vtiq; innumerabiles stultę esse nõ possunt; si vna prouincia, vna natio prouidentia caret, cæteras omnes habere intelligentiam rectì necesse est. Cum vero ab ortu Solis vsq; ad occasum lex diuina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas, & gens, & regio vnitis, ac paribus animis Deo seruiant, eadem sit vbiq; patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerãt, aliquid in ea re esse rationis, quod non sine causa vsq: ad mortem defendatur, aliquid fundamenti, ac soliditatis, quod eam religionem non tantum iniurijs, ac vexatione non soluat, sed augeat semper, & faciat firmiorem. Nam & in hoc quoq; illorum malitia conuincitur, qui euertisse se funditùs religionem Dei opinantur, si homines inquinauerint; cum & Deo satisfacere liceat, & nullus sit tam malus Dei cultor, qui, data facultate, ad placandum Deum non reuertatur, & quidem deuotione maiori. Peccati enim conscientia, & metus pœnæ religiosiorem facit, & semper multò firmior est fides, quam reponit pœnitentia. Si ergo ipsi cum Deos sibi arbitrantur iratos, tamen donis, & sacrificijs, & odoribus placare eos credũt, quid est tandem quod Deum nostrum tam immitem, tam implacabilem putent, vt videatur is iam Christianus esse nõ posse, qui Dijs eorum coactus, inuitusq; libauerit? nisi fortè contaminatos semel, putant animum translaturos, vt sua sponte facere incipiant, quod per tormenta fecerunt. Quis id officium libens obeat, quod ab iniuria cæpit? Quis cum videat laterum suorum cicatrices non magis oderit Deos, propter quos æterna pœnarum insignia, & impressas visceribus suis notas gestet? Ita fit, vt data diuinitùs pace, & qui fuerũt vniuersi redeant, & alius propter miraculum virtutis nouus populus accedat. Nam cum videat vulgus dilacerari homines varijs tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices inuictã tenere patientiam, existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseuerantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare. Latrones, & robusti corporis viri eiusmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant, & gemitus edunt; vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem (vt de viris taceam) pueri, & mulierculæ tortores suos taciti vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant
Romani, [y] & Mutio glorientur, aut Re- 32
gulo, quorum alter necandum se hostibus tradidit, quòd captiuum puduit viuere, alter ab hostibus deprehensus, cum videret, se mortem vitare non posse, manum foco iniecit, vt pro facinore suo satisfaceret hosti, quem voluit occidere, eaq; pœna veniam, quam non meruerat, accepit. Ecce sexus infirmus, & fragilis ætas dilacerari se toto corpore, vtriq; perpetitur, non necessitate, quia licet vitare, si vellent, sed voluntate, quia cõfidunt Deo.

CAPVT XIV.

SED hæc est vera virtus, quam Philosophi quoq; gloriabundi non re, sed verbis inanibus iactant, disserentes, nihil esse tam congruens viri sapientis grauitati, atq: constantiæ, quàm nullis terroribus de sententia, & proposito posse depelli; sed tanti esse cruciari, & mori, ne fidem prodat, ne ab officio discedat, ne metu mortis, aut dolore acerbo subactus aliquid faciat iniustum: nisi fortè delirare illis videtur Flaccus in Lyricis, cum dicit. [a]

Iustum, & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida ———

[a] Horat. lib. 3. Carm. Ode 3.

Quo nihil verius dici potest; si hoc ad eos referatur, qui nullos cruciatus, nullam mortem recusant, ne à fide, iustitiaq; declinent, qui non tyrannicas iussiones, non Præsidum gladios tremunt, quo minus veram, & solidã libertatem constanti mente defendant, quæ in hoc solo tuenda sapientia est. Quis enim tam insolens, tam elatus est, qui me vetet oculos in Cælum tollere? quis imponat mihi necessitatem vel colendi quod nolim, vel quod velim non colendi? Quid iam nobis vlterius relinquetur, si etiam hoc, quod voluntate fieri oportet, libido extorquet aliena? nemo istud

istud efficiet, si quid nobis ad contemnendam mortem, doloremq; virtutis est. Quā constantiam si tenemus, cur stulti iudicamur, facientes ea, quæ Philosophi laudant? Rectè igitur Seneca incongruentiam hominibus obiectans ait. SVMMA virtus illis videtur magnus animus.] Et ijdem eum, qui contemnit mortem pro furioso habent, quod est vtiq; summæ peruersitatis. Sed ij vanarum religionum cultores eadem stultitia id obijciunt, qua verum Deum non intelligunt, quos Sibylla Erythræa *κωφοὺς, ἀνοήτους* b vocat; surdos scilicet, & excordes, qui nec audiant diuina, nec sentiant, sed [33] terram digitis suis imaginatam metuant, & adorent.

a In Carm. Sibyll. ser. 8.
b Sibyll. ap. Theoph. ad Autholyc. lib. 2.

CAPVT XV.

QVAE verò causa sit, vt eos, qui sapientes sunt, stultos putent, magna ratio est; nec enim frustra falluntur; quæ nobis diligenter est explicanda, vt errores suos tandem (si fieri possit) agnoscant. Iustitia suapte natura speciem quandam stultitiæ habet, quod ego &, diuinis, & humanis testimonijs confirmare possum. Sed nihil fortasse apud istos agemus, nisi eos de suis doceamus authoribus, non posse quemquam iustum esse, quod est coniunctum cum vera sapientia, nisi idem stultus esse videatur. Carneades Academicæ sectę Philosophus, cuius in differendo quæ vis fuerit, quæ eloquētia, quod acumen qui nescit, is ex prędicatione Ciceronis intelliget, aut Lucilij, apud quem differens Neptunus de re difficillima, ostendit non posse id explicari nec si Carneadem ipsum Orcus remit-
34 tat. [34] Is cum Legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputauit de iustitia copiosè, audiente Galba, & Catone Censorio maximis tunc Oratoribus. Sed idē disputationem suam postridie contraria disputatione subuertit, & iustitiam, quam pridie laudauerat, sustulit, non quidem Philosophi grauitate, cuius firma, & stabilis debet esse sententia, sed quasi oratorio exercitij genere in vtramq; partem disserendi. Quod ille facere solebat, vt alios quodlibet asserentes posset refutare. Eam disputationem, qua iustitia euertitur apud Ciceronem L. Furius recordatur; credo, quoniam de Repuqlica differebat, vt defensionem, laudationemq; eius induceret, sine qua putabat regi non posse Rem publicam. Carneades autem, vt Aristotelem refelleret, ac Platonem iustitiæ patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quæ pro iustitia dicebantur, vt posset illa sicut fecit, euertere. Erat enim facillimum iustitiam radices non habentem labefactare, quia tum nulla in terra fuit; vt, quid esset, aut qualis à philosophis cerneretur. Atq; vtinam tot, ac tales viri quantum eloquentiæ, quantumq; animi, tantum etiam scientiæ ad implendam defensionem summæ virtutis habuissent, cuius origo in religione, ratio in æquitate est. Sed ij, qui primam illam partem nescierunt, ne secundam quidem tenere potuerunt. Volo autem prius circumscriptè, ac breuiter, quid sit ostendere, vt intelligatur, philosophos ignorasse iustitiam; nec id, quod minime nouerant, potuisse defendere. Iustitia quamuis omnes simul virtutes amplectatur, tamen duę sunt omnium principales, quæ ab illa diuelli, separariq; non possunt, pietas, & æquitas. Nam fides, temperantia, probitas, innocentia, integritas, & cæteræ huiusmodi vel natura, vel institutis parentum possunt inesse ijsdem hominibus, qui iustitiam nesciunt, sicuti semper fuerunt. Nam Romani veteres, qui iustitia gloriari solebant, his vtiq; virtutibus gloriabantur, quæ (vt dixi) proficisci à iustitia possunt, et ab ipso fonte secerni. Pietas verò, et æquitas quasi venæ sunt eius; his enim duobus fontibus constat tota iustitia: sed caput eius, et origo in illo primo est, in secundo vis omnis, ac ratio. Pietas autem nihil aliud est, quàm Dei notio, sicut Trismegistus a verissimè definiuit, vt alio loco b diximus. Si ergo pietas est cognoscere Deum, cuius cognitionis hæc summa est, vt eum colas, ignorat vtiq; iustitiam, qui religionem Dei non tenet. Quo modo enim potest eam nosse, qui vnde oriatur ignorat? Plato quidem multa de vno Deo locutus est, à quo ait, c constitutum esse mundum: sed nihil de Religione; somniauerat enim Deum, non cognouerat. Quòd si iustitiæ defensionem vel ipse, vel quilibet alius implere uoluisset, in primis religiones Deorum euertere debuit, quia contrarię sunt pietati. Quod quidem Socra-

a Hermes Trismeg. Pimand. c. 9.
b Scilicet lib. 2. c. 16. & lib. 3. c. 9.
c Plato in Timeo sub initium.

Socrates quia facere tentauit, in carce-
rem coniectus est, vt iam tunc appareret,
quid esset futurum ijs hominibus, qui iusti-
tiam veram defendere, Deoq; singulari
seruire cœpissent. Altera iustitiæ pars est
æquitas: æquitatem dico non vtiq; benè
iudicandi, quod & ipsum laudabile est in
homine iusto, sed se cum cæteris coæquá-
35 di, [15] quam Cicero æquabilitatem vocat. *a*
Deus enim, qui homines generat, & in-
spirat, omnes æquos, idest pares esse vo-
luit. Eandem conditionem viuendi omni-
bus posuit, omnes ad sapientiam genuit,
omnibus immortalitatẽ spopondit. Nemo
enim beneficijs eius cœlestibus segregatur.
Nam sicut omnibus vnicum suum lumen
æqualiter diuidit, emittit omnibus fon-
tes, victum subministrat, quietem somni
dulcissimam tribuit, sic omnibus æquita-
tem, virtutemq; largitur. Nemo apud
eum seruus est, nemo dominus; si enim
cunctis idem pater est, æquo iure omnes
liberi sumus. Nemo Deo pauper est, nisi
qui iustitia indiget; nemo diues, nisi qui
virtutibus plenus est; nemo deniq; egre-
gius, nisi qui bonus, & innocens fuerit;
nemo clarissimus, nisi qui opera miseri-
cordiæ largiter fecerit; nemo perfectissi-
mus, nisi qui omnes gradus virtutis imple-
uerit. Quare neq; Romani, neq; Græci
iustitiam tenere potuerunt, quia dispares
multis gradibus homines habuerunt, a
pauperibus ad diuites, ab humilibus ad
potentes, à priuatis deniq; vsq; ad Regum
sublimissimas potestates. Vbi enim non
sunt vniuersi pares, æquitas non est, & ex-
cludit inæqualitas ipsa iustitiam, cuius vis
omnis in eo est, vt pares faciat eos, qui ad
huius vitæ conditionem pari sorte vene-
runt.

a Cic. 2. de Orator. & 1. offic. c. 32.

CAPVT XVI.

DVOBVS igitur illis iustitiæ fontibus
immutatis, omnis virtus, & om-
nis veritas tollitur, & ipsa iustitia
remigrat in Cœlum. Ideo non est verum
illud bonum à Philosophis repertum,
quia ignorabant vel vnde oriretur, vel
quid efficeret; quod nullis alijs, præter-
quàm nostro populo reuelatum est. Dicet
aliquis. Nonne sunt apud vos alij paupe-
res, alij diuites, alij serui, alij domini?
nonne aliquid inter singulos interest? Ni-
hil. [16] Nec alia causa est, cur nobis inui- 36
cem fratrum nomen impertiamus, nisi
quia pares esse nos credimus. Nam cum
omnia humana non corpore, sed spiritu
metiamur, tametsi corporum sit diuersa
conditio, nobis tamen serui non sunt, sed
eos & habemus, & dicimus spiritu fratres,
religione conseruos. Diuitiæ quoq; non
faciunt insignes, nisi quòd possunt bonis
operibus facere clariores. Diuites sunt
enim, non quia diuitias habent, sed quia
vtuntur illis ad opera iustitiæ. Et qui pau-
peres videntur, eo tamen diuites sunt,
quia & non egent, & nihil concupiscunt.
Cum igitur & liberi seruis, & diuites pau-
peribus humilitate animi pares simus;
apud Deum tamen virtute discernimur,
& tanto quisq; sublimior est, quanto iu-
stior. Si enim iustitia est, parem se etiam
minoribus facere, quamquam hoc ipso
præcellat, quòd se inferioribus coæquauit,
tamen, si non tantum quasi parem, sed
etiam quasi minorem se gesserit, vtiq; mul
to altiorem dignitatis gradum, Deo iudi-
ce, consequetur. Nam profectò in hac
vita seculari, quoniam breuia, & caduca
sunt omnia, & præferunt se alteris homi-
nes, & de dignitate contendunt, quo ni-
hil fœdius, nihil arrogantius, & nihil à sa-
pientis ratione semotius. Rebus enim cœ
lestibus contraria sunt ista vniuersa terre-
na. Sicut enim sapientia hominum sum-
ma stultitia est apud Deum; *a* stultitia au-
tem (vt docui) summa sapientia est, sic
Deo humilis & abiectus est, qui fuerit con-
spicuus, & sublimis in terra. Nam, vt ta-
ceam, quòd hæc præsentia terræ bona,
quibus magnus honos tribuitur, virtuti
contraria sunt, & vigorem mentis ener-
uant, quæ tandem potest firma esse nobi-
litas, quæ opes, quæ potentia, cum possit
Deus Reges quoq; ipsos inferiores etiam
infimis facere? Et ideo consulens nobis
Deus inter diuina præcepta illud præcipue
posuit. *b* QVI se extollit humiliabitur, &
qui se humiliat exaltabitur.] Cuius præ-
cepti salubritas docet, quòd qui se apud
homines planum fecerit, humilemq; præ-
buerit, hic apud Deum præcellens, &
insignis habeatur. Nec enim falsa est illa
sententia, quæ apud Euripidem fertur in
hunc modum.

Quæ hic mala putantur, hæc sunt in Cœlo bona.

a 1. ad Corinth. c. 1.

b Luc. 14. & 18. Mat. 23.

CA-

CAPVT XVII.

EXposvi causā, cur Philosophi nec inuenire iustitiā, nec defēdere potuerūt. Nunc redeo ad id, quod intenderā. Carneades ergo, quoniā erant infirma, quę à Philosophis differebantur, sumpsit audaciam refellendi, quia refelli posse intellexit. Eius disputationis summa hæc fuit. Iura sibi homines pro vtilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus, & apud eos pro temporibus sæpe mutata; ius autem naturale esse nullum. Omnes & homines, & alias animantes ad vtilitates suas natura ducen
37 te ferri; proinde aut nullam esse iustitiā, aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commodis consulens, & inferebat hæc argumenta. Omnibus populis, qui florerēt imperio, & Romanis quoq; ipsis, qui totius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum, & in egestate, ac miserijs iacendum. Tum omissis communibus ad propria veniebat.
38 BONVS vir (inquit) si habeat seruum fugitiuum, vel domum insalubrem, ac pestilentem, quæ vitia solus sciat, & ideo proscribat (vt vendat) vtrumnè profitebitur, fugitiuum seruum, ac pestilentem domum se vendere, an celabit emptorem?
39 Si profitebitur, bonus quidem, quia non fallet, sed tamen stultus iudicabitur, quia vel paruo vendet, vel omninò non vendet. Si celauerit, erit quidem sapiens, quia sibi consulet, sed idem malus, quia fallet. Rursus, si reperiat aliquem, qui aurichalcum se putet vendere, cum sit illud aurum, aut plumbum, cum sit argentum, tacebitnè, vt id paruo emat, an indicabit, vt magno? stultum plane videtur malle magno.] Vnde intelligi volebat, & eum, qui sit iustus, ac bonus, stultum esse, & eum, qui sapiens, malum. Et tamen sine pernicie fieri posse, vt sint homines paupertate contenti. Transibat ergo ad maiora, in quibus nemo posset sine periculo vitæ iustus esse. Dicebat enim. NEMPE iustitia est hominem non occidere, alienū prorsus non attingere. Quid ergo iustus faciet, si fortè naufragium fecerit, & aliquis imbecillior viribus tabulā ceperit? nonnè illum tabula deturbabit, vt ipse conscendat, eaq; nixus euadat, maximè cum sit nullus medio mari testis? Si sapiens est, faciet: ipsi enim pereundum est, nisi fecerit. Si autem mori maluerit,
quàm manus inferre alteri, iam verò iu- 40
stus ille, sed stultus est, qui vitæ suæ non parcat, dum parcit alienæ. Item si acie suorum fusa hostes insequi cæperint, & iustus ille nactus fuerit aliquem sauciū equo insidentem, einè parcet, vt ipse occidatur, an deijciet ex equo, vt ipse possit hostem effugere? Quod si fecerit, sapiens, sed idem malus; si non fecerit, iustus, sed idem stultus sit necesse est.] Ita ergo iustitiam cum in duas partes diuisisset, alteram ciuilem esse dicens, alteram naturalem; vtranq; subuertit, quod illa ciuilis sapientia sit quidem, sed iustitia non sit, naturalis autem illa iustitia sit quidem, sed non sit sapientia. Arguta hæc planè, & venenata sunt, & quæ M. Tullius non potuit refellere. Nam cum faciat Lælium Furio respondentem, proq; iustitia dicentem, irrefutata hæc tanquam foueam prętergressus est, vt videatur idem Lælius nō naturalem, quæ in stultitiæ crimen venerat, sed illam ciuilem defendisse iustitiam, quam Furius sapientiam quidem esse concesserat, sed iniustam.

CAPVT XVIII.

QVod ad præsentem disputationem pertinebat, ostendi, quomodo iustitia similitudinem stultitiæ gerat, vt appareat, non sine causa decipi eos, qui putant, nostræ religionis homines stultos esse, qui talia facere videantur, qualia ille proposuit. Nunc maius à me exigi sentio, vt ostendam, quare iustitiam Deus stultitiæ specie conuolutam ex oculis hominum voluerit auferre, si prius Furio respondero, quia parum plenè respondit Lælius; qui profectò, licet sapiens fuerit, vt vocabatur, patrocinari tamen veræ iustitiæ nullo modo poterat, quia caput ipsum, fontemq; iustitiæ non tenebat. Nobis autem facilior est ista defensio, quibus cœlesti beneficio familiaris est, ac penitus nota iustitia, quiq; illam non nomine, sed re nouimus. Nam Plato, & Aristoteles honesta quidem voluntate iustitiam defendere cupierunt; effecientq; aliquid, si conatus eorum bonos, se eloquen-

quentiam, si virtutem animi, & ingenij, diuinarum quoq; rerum doctrina iuuisset. Itaq; opus illorum inane, atq; inutile iacuit; nec cuiquam hominum persuadere potuerunt, vt eorum præscripto viueret, quia fundamentum a Cœlo disciplina illa non habuit. Nostrum opus certius sit necesse est, quod Deus docuit. Illi enim depingebant verbis, & imaginabantur iustitiam, quæ in conspectu non erat, nec præsentibus exemplis confirmare poterant, quæ asserebant. Responderi enim posset ab audientibus, non posse ita viui, sicut illi sua disputatione præscriberent; adeo vt nulli adhuc extiterint, qui id genus vitæ sequerentur. Nos autem non verbis modo, sed etiam exemplis ex vero petitis vera esse, quæ à nobis dicuntur, ostendimus. Sensit igitur Carneades, quę sit natura iustitiæ, nisi quòd parum altè prospexit, stultitiam non esse: quanquam intelligere mihi videor, qua mente id fecerit. Non enim verè existimauit eum stultum esse, qui iustus est; sed cum sciret non esse, & rationem tamen, cur ita videretur, non comprehenderet, voluit ostendere, latere in abdito veritatem, vt decretum disciplinæ suæ tueretur, cuius summa sententia est, nihil percipi posse. Videamus ergo, vtrumnè iustitia fœdus aliquod habere cum stultitia possit. Iustus (inquit) si aut equum saucio, aut tabulam naufrago non ademerit, vt ipse animam suam liberet, stultus est. Primum omniũ nego, vllo modo fieri posse, vt homini, qui quidem verè iustus sit, eiusmodi casus eueniat, quia iustus neq; cuiquam nato inimicus est, neq; quicquam omnino ap-

41 petit alienum. [41] Cur enim nauiget, aut quid petat ex aliena terra, cui sufficit sua? Cur autem belligeret, aut se alienis furoribus misceat, in cuius animo pax cum hominibus perpetua versetur? Scilicet pere grinis mercibus, aut humano sanguine delectabitur, qui nec lucrum sciat appetere, cui sufficit victus, & non modò ipse cædem facere, sed interesse facientibus, ac spectare ducat nefas. Sed omitto ista, quoniam fieri potest, vt vel inuitus ad hęc subeunda cogatur. Adeonè ergo iustitiam ò Furi, vel potius ò Carneade, cuius est illa omnis ratio, tam inanem, tam superuacuam, tamq; contemptam Deo putas, vt nihil possit, nihilq; habeat in sese quod ad custodiam sui valeat? Sed videlicet qui sacramentum hominis ignorant, ideoq; ad hanc vitam temporalem referunt omnia, quanta sit vis iustitiæ scire non possũt. Nam & cum de virtute disputant, quamuis intelligant, ærumnis, ac miserijs esse plenissimam, tamen expetendam esse aiunt sua causa: eius enim præmia, quæ sunt æterna, & immortalia nullo modo vident. Sic rebus omnibus ad hanc præsentem vitam relatis virtutem planè ad stultitiam redigunt; si quidem tantos huius vitæ labores frustra, & inaniter suscipit. Sed hæc alio loco plenius. Interim de iustitia, vt cœpimus, cuius tanta vis est, vt cum oculos in cœlum sustulerit, à Deo mereatur omnia. Rectè igitur Flaccus [a] tantam esse dixit innocentiæ vim, vt ad tutelam sui non egeat nec armis, nec viribus quacunq; iter fecerit.

[a] *Horat. 1. Carminib. Ode 22.*

Integer vitæ, scelerisq; purus
Non eget Mauris iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida sagittis
Fusce, pharetra.
Siue per syrtes iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Non potest ergo fieri, quin hominem iustum inter discrimina tempestatum, atq; bellorum cælestis tutela custodiat, ac non etiam, si cum parricidis, & nocentibus nauiget, aut malis quoq; parcatur, vt vna iusta, & innocens anima liberetur, aut certè pereuntibus cæteris, sola seruetur. Sed concedamus, posse fieri quod proponit philosophus: Quid ergo iustus faciet, si nactus fuerit aut in equo saucium, aut in tabula naufragum? non inuitus confiteor; morietur potius, quàm occidet: nec ideo tamen iustitia, quod est singulare hominis bonum, stultitiæ nomen accipit. Quid enim melius, quid carius homini esse debet, quam innocentia? quæ vtiq; tanto perfectior sit necesse est, quanto illam perduxeris ad extremum, moriq; malueris, ne quid de innocentiæ ratione minuatur. Stultitiæ est (inquit) alienæ animæ parcere cum pernicie suæ. Num etiam pro amicitia perire stultum iudicabitur? Quid ergo [42] familiares illi Pythagorei lau dantur à vobis, quorum alter se tyranno vadem mortis pro altero dedit, alter ad præstitutum tempus, cum iam sponsor eius duceretur, præsentiam sui fecit, eumq; interuentu suo liberauit? quorum virtus 42

in tanta gloria non haberetur, quòd alter pro amico, alter etiam pro fide mori voluit, si stulti putarentur. Deniq; ob hanc ipsam virtutem tyrannus his gratiam retulit, vtrunq; seruando, & hominis crudelissimi natura mutata est. Quin etiam deprecatus esse dicitur, vt se tertium in amicitiam reciperent, non vtiq; tanquam stultos, sed tanquam bonos, & sapientes viros. Itaq; non video, quare, cum pro amicitia, & fide mori summa gloria computetur, non etiam pro innocentia perire sit homini gloriosũ. Ergo stultissimi sunt, qui nobis crimini dãt mori velle pro Deo; cum ipsi eum, qui pro homine mori voluit, in Cœlum summis laudibus tollant. Deniq; vt concludam disputationem, non posse eundem iustum esse, ac stultum, eundem sapientem, & iniustum, docet ipsa ratio. Qui enim stultus est, quid sit iustum, ac bonum nescit, & ideo semper peccat. Ducitur enim quasi captiuus à vitijs, nec resistere vllo modo potest, quia caret virtute, quam nescit. Iustus autem ab omni peccato se abstinet, quod aliter facere non potest, quam si habeat recti, prauiq; notitiam. Rectum autem discernere à prauo quis potest, nisi sapiens? Ita fit, nunquam possit iustus esse, qui stultus est, neq; sapiens, qui fuerit iniustus. Quod si est verissimum, manifestum est, cum, qui aut naufrago tabulam, aut equum saucio non ademerit, stultum non esse, quia hæc facere peccatum est, a quo se sapiens abstinet; videri tamen & ipse confiteor per hominum errorem ignorantium cuiusq; rei proprietatem. Itaq; omnis hæc quæstio non tam argumentis, quàm definitione dissoluitur. Stultitia igitur est in factis, dictisq; per ignorantiam recti, ac boni erratio. Ergo stultus non est, qui ne sibi quidem parcit, dum ne noceat alteri, quod est malum. Quod quidem nobis & ratio, & veritas ipsa præscribit. In omnibus enim videmus animalibus, quia sapientia carent, conciliatricem sui esse naturam. Nocent igitur alijs, vt sibi prosint; nesciunt enim, quia malum est nocere: homo verò qui scientiam boni, ac mali habet, abstinet se a nocendo etiam cum incommodo suo, quod animal irrationale facere non potest. Et ideo inter summas hominis virtutes innocentia numeratur; quibus rebus apparet, sapientissimum esse, qui mauult perire, ne noceat, vt id officium, quo à mutis discernitur, seruet. Nam qui vendentis errorem non redarguit, vt aurum paruo emat, aut qui non profitetur fugitiuum seruum, vel pestilentem se domum vendere lucro, & commodo suo consulens, non est ille sapiens, vt Carneades videri volebat, sed callidus, & astutus. Calliditas, & astutia in mutis quoq; animalibus sunt, vel cum insidiantur alijs, & dolo capiunt, vt deuorent, vel cum insidias aliorum vario genere deludunt. Sapientia verò in hominem solum cadit; sapientia enim est intelligentia vel ad bonum, rectumq; faciendum, vel ad abstinentiam dictorum, factorumq; improborum. Lucro autem nunquam sapiens studet, quia bona hæc terrena contemnit, nec quemquam falli patitur, quia boni viri officium est, errores hominum corrigere, eosq; in viam reducere; si quidem socialis hominis est, ac benefica natura: quo solo cognationem cum Deo habet.

CAPVT XIX.

SED nimirum hæc causa efficit, ut stultus esse uideatur qui egere, aut mori mauit, quam noceat, uel eripiat aliquid alteri, quòd hominem morte deleri putat. Ex qua persuasione omnes tum uulgi, tum etiam Philolophorum nascuntur errores. Si enim post mortem nihil sumus, profectò stultissimi est hominis non huic uitæ consulere, ut sit quàmdiutina, & commodis omnibus plena; quod qui faciet, à iustitiæ regula discedat necesse est. Si autem superest homini uita melior, & longior, quod & Philosophorum magnorum argumentis, & Vatum responsis, & Prophetarum diuinis vocibus discimus, hanc præsentem cum suis bonis contemnere sapientis est, cuius omnis iactura immortalitate pensatur. [41] Apud Ciceronem idem ipse iustitiæ defensor Lælius. VVLT (inquit) planè virtus honorem, nec est virtutis ulla alia merces.] Est planè, & quidem virtute dignissima, quam tu Læli nequaquam poteras suspicari. Nihil enim diuinarum noueras literarum. QVAM tamen illa (inquit) accipit facilè, exigit nõ acerbè.] Erras vehementer, si putas, ab homine præmium solui posse virtuti, cum ipse alio loco verissimè dixeris. HVIC tu 41

viro quas diuitias obijcies? quæ imperia? quæ regna? qui ista putat humana, sua bona diuina iudicat.] Quis ergo te sapientem Læli putet, cum ipse tibi loquare contraria? & paulo post adimis virtuti, quæ dedisti? Sed videlicet ignorantia veri facit incertam labantemq; sententiam. Deinde quid adiungis? SED si aut ingrati vniuersi, aut inuidi multi, aut inimici potentes suis virtutem præmijs spoliant.] O quàm fragilem, quàm inanem virtutem induxisti, si spoliari præmio suo potest. Quæ si bona sua diuina iudicat (vt aiebas) qui possint existere tam ingrati, tam inuidi, tam potentes, qui virtutem spoliare valeant ijs bonis, quæ fuerint in eam collata diuinitus? NE illa se (inquit) multis solatijs oblectat, maximeq; suo decore se ipsam sustentat.] Quibus solatijs? quo decore? cum in crimen sæpè veniat, & in pœnam decor ille vertatur? Quid enim si (vt Furius dicebat) rapiatur, vexetur, exterminetur, egeat, auferantur ei manus, effodiantur ei oculi, damnetur, vinciatur, vratur, miseris etiam modis necetur, perdet nè suum prœmium virtus? an potius peribit ipsa? minimè. Sed & mercedem suam, Deo iudice accipiet, & viuet, & semper vigebit. Quæ si tollas, nihil potest in vita hominum tam inutile, tam stultum videri esse, quam virtus, cuius naturalis bonitas, & honestas docere nos potest, animam non esse mortalem, diuinumq; illi à Deo præmium constitutum. Sed iccirco virtutem ipsam Deus sub persona stultitiæ voluit esse cælatam, vt mysterium veritatis, ac religionis suæ esset arcanum, vt has religiones, sapientiamq; terrenam extollentem se altius, sibiq; multum placentem, vanitatis, erroriśq; damnaret, vt proposita deniq; difficultate per angustissimos tramites ad immortalitatis præmiū sublime perduceret. Docui (vt opinor) cur populus noster apud stultus stultus habeatur. Nam cruciari, atq; interfici malle, quàm thura tribus digitis comprehensa in focum iactare tam ineptum videtur, quàm in periculo vitæ, alterius animam magis curare, quàm suam. Nesciunt enim, quantū sit nefas adorare aliud, præterquam Deum, qui condidit Cœlum, ac terram, qui humanum genus finxit, inspirauit, luce donauit. Quod si seruorum nequissimus habetur, qui dominum suum fuga deserit, isq; verberibus, & vinculis, & ergastulo, & cruce, & omni malo dignissimus iudicatur; & si filius eodem modo perditus, atq; impius existimatur, qui patrem suum derelinquit, ne illi obsequatur; ob eamq; causam dignus putatur, qui sit exhæres, & cuius nomen de familia in perpetuum deleatur, quanto magis qui Deum deserit, in quem duo vocabula domini, & patris æquè veneranda conueniunt? nam ille, qui seruum comparat, quid in eum beneficij confert, præterquam alimenta, quæ illi vtilitatis suæ gratia subministrat? Et qui filium generat, non habet potestatem, vt concipiatur, vt nascatur, vt viuat. Vnde apparet, non esse illum patrem, sed tantummodo generandi ministrum. Quibus ergo supplicijs dignus est desertor eius, qui & dominus verus, & pater est, nisi quæ Deus ipse constituit? qui spiritibus iniustis æternum parauit ignem, quod ipse per Vates suos *a* impijs, ac rebellibus comminatur. *a Esai. vlt. Eccl. 7. Iudith. 16. ps. 10.*

CAPVT XX.

DISCANT igitur & suarum, & alienarum interfectores animarum, quam inexpiabile facinus admittant. Primùm quòd se ipsos iugulant, perditissimis dæmonibus seruiendo, quos Deus in æterna supplicia damnauit; deinde quòd nec ab alijs Deum coli patiuntur, sed auertere homines ad mortifera sacra contendunt; nituntur q; summa diligentia, ne qua sit anima incolumis in terra, quæ saluo statu suo spectet in Cælum. Quid aliud dicam, quàm miseros, qui prædonum suorum instigationibus parent, quos Deos esse opinantur? quorum neq; conditionem, neq; originem, neq; nomina, neq; rationem sciunt; sed inhærentes persuasioni vulgari libenter errant, & stultitiæ suæ fauent. A quibus si persuasionis eius rationem requiras, nullam possint reddere, sed ad maiorum iudicia confugiant, quod illi sapientes fuerint, illi probauerint, illi sciuerint, quid esset optimū, seq; ipsos sensibus spoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt. Sic impliciti rerum omnium ignorantia, nec se, nec Deos suos norunt. Atq; vtinam soli errare, soli desipere vellent. Alios etiam in consortium mali sui rapiunt quasi habituri solatium

de perditione multorum. Sed hæc ipsa ignorantia efficit, vt in persequendis sapientibus tam mali sint, finguntq; se illis consulere, illos ad bonam mentem velle reuocare. Num igitur hoc sermone, aut aliqua ratione reddita facere nituntur? minimè; sed vi, atq; tormentis. O mira, & cæca dementia. In ijs putatur mala mens esse, qui fidem seruare conantur, in carnificibus autem bona. In ijsnè mala mens est, qui contra ius humanitatis, contra fas omne lacerantur? an potius in ijs, qui ea faciunt in corporibus innocentium, quæ nec sæuissimi latrones, nec iratissimi hostes, nec immanissimi barbari aliquando fecerunt? Adeonè etiam sibi mentiuntur, vt vicissim boni, ac mali nomina transferant, & immutent? Quid ergo non diem noctem vocant? Solem tenebras? Alioquin eadem impudentia est bonis malorum nomen imponere, sapientibus stultorum, iustis impiorum. quinimmo si qua illis fiducia est, vel in philosophia, vel in eloquentia; arment se, ac refellant hæc nostra, si possunt: congrediantur comminus, & singula quæq; discutiant. Decet eos suscipere defensionem Deorum suorum, ne si nostra inualuerint, vt quotidie inualescunt, cum delubris, ac ludibrijs suis deserantur. Et quoniam vi nihil possunt (augetur enim religio Dei quãto magis premitur) ratione potius, & hortamentis agant. Procedant in medium Pontifices seu minores, seu maximi; flamines, Augures; item Reges, Sacrificuli, quiq; sunt Sacerdotes, & Antistites religionum. Conuocent nos ad concionem, cohortentur nos ad suscipiẽdos cultus Deorum; persuadeant, multos esse, quorum numine, ac prouidentia regantur omnia; ostendant origines, & initia sacrorum, ac Deorum, quomodo sint mortalibus tradita; qui fons, quæ ratio sit explicent; proferant, quæ merces in cultu, quæ pœna in contemptu maneat; quare ab hominibus coli se velint; quid illis, si beati sunt, humana pietas conferat. Quæ omnia non asseueratione propria (nec enim valet quicquam mortalis hominis authoritas) sed diuinis aliquibus testimonijs confirment, sicuti nos facimus. Non est opus vi, & iniuria, quia religio cogi non potest. Verbis potius, quam verberibus res agenda est, vt sit voluntas; distringant aciem ingeniorum suorum. Si ratio eorum vera est, afferatur; parati sumus audire, si doceant: tacentibus certè nihil credimus, sicut ne sæuientibus quidem cædimus; imitentur nos, vt rationem totius rei exponant. Nos enim non illicimus, vt ipsi obiectant, sed docemus, probamus, ostendimus. Itaq; nemo à nobis retinetur inuitus; inutilis est enim Deo, qui deuotione, ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa veritate retinente. Doceant isti hoc modo, si qua illis fiducia veritatis est; loquantur, hiscant, audeant, inquam, disputare nobiscum aliquid eiusmodi: iam profectò ab aniculis, quas contemnunt, & à pueris nostratibus error illorum, ac stultitia irridebitur. Cum enim sint peritissimi, Deorumq; progeniem, & & res gestas, & imperia, & interitus, & sepulchra de libris nouerint, ipsosq; ritus, quibus sunt initiati vel ex rebus gestis hominium, vel ex casibus, vel etiam ex mortibus natos sciant, incredibilis dementia est, Deos putare, quos fuisse mortales negare non audeant; vel si tam impudentes fuerint, vt negent, suæ illos, ac suorum literæ coarguant, ipsa deniq; illos sacrorum initia conuincant. Sciant igitur vel ex hoc ipso, quantum intersit inter verũ, & falsum, quando ipsi, cum sint eloquentes, persuadere non possunt; imperiti, ac rudes possunt, quia res ipsa, & veritas loquitur. Quid ergo sæuiunt? vt stultitiam suam, dum minuere volunt, augeant? longè diuersa sunt carnificina, & pietas; nec potest aut veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate coniungi. Sed meritò non audent de rebus quicquam docere diuinis, ne a nostris derideantur, & à suis deserantur. Nam ferè vulgus, cui simplex, incorruptumq; iudicium est, si mysteria illa cognoscat in memoriam mortuorũ constituta, damnabit, aliudq; verius, quod colat, quæret.

——— *hinc fida silentia sacris* a

constituta sunt ab hominibus callidis, vt nesciat populus, quid colat. Cum autem nos in eorum doctrinis versemur, cur nobis aut non credunt, qui vtrunq; nouimus, aut inuident, quia falsis vera prætulimus? Sed defendenda sunt (inquiunt *b*) suscepta publicè sacra. O quam honesta voluntate miseri errant. Sentiunt enim nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamq; summa vi oportere defendi; sed vt in ipsa religione, sic in defensionis genere

a Virg. 3. Æneid. sub initium.

b Vti supra lib. 3. institutionum, initio capitis tertij.

falluntur

falluntur. Defendenda enim religio est non occidendo, sed moriendo, non sæuitia, sed patientia, non scelere, sed fide; illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse quidem est, bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, iam non defendetur illa, sed polluetur, atq; violabitur. Nihil est enim tam voluntarium quàm religio, in qua si animus sacrificantis auersus est, iã sublata, iam nulla est. Recta igitur ratio est, vt religionem patientia, vel morte defendas, in qua fides conseruata, & ipso Deo grata est, & religioni addit authoritatem. Nam si is, qui in hac terrestri militia regi suo fidem seruat in aliquo egregio facinore, si postea vixerit, acceptior fit, & carior, si perierit, summam consequitur gloriam, quod pro duce suo mortem occubuerit, quanto magis imperatori omnium Deo fides seruanda est, qui non tantum viuentibus, sed etiam mortuis præmium potest virtutis exoluere? Igitur Dei cultus, quoniam militiæ cælestis est, deuotionem maximam, fidemq; desiderat. Quo modo enim Deus aut amabit colentẽ, si ipse non ametur ab eo? aut quo modo præstabit precanti quicquid orauerit, cum ad precandum neq; ex animo, neq; obseruanter accedat? Isti autem, cum ad sacrificandum veniunt, nihil intimum, nihil proprium Dijs suis offerunt, non integritatem mentis, non reuerentiam, non timorem. Peractis itaq; sacrificijs inanibus omnem religionem in templo, & cum templo, sicut inuenerant, relinquunt, nihilq; secum ex ea neq; afferunt, neq; referunt. Inde est, quòd eiusmodi religiones, nec bonos facere possunt, neq; firmę, ac immutabiles esse. Traducuntur itaq; ab his homines facilè, quia nihil ibi ad vitam, nihil ad sapientiam, nihil ad fidem discitur. Quæ est enim superstitio illorum Deorum? quæ vis? quæ disciplina? quę origo? quæ ratio? quod fundamẽtum? quæ substantia? quo tendit? aut quid pollicetur, vt ab homine possit fideliter seruari, fortiterq; defendi? In qua nihil aliud video, quam ritum ad solos digitos pertinentem. Nostra verò religio eo firma est, & solida, & immutabilis, quia iustitiam docet, quia nobiscum semper est, quia tota in animo colentis est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet. Illic nihil exigitur aliud, quàm sanguis pecudum, & fumus, & inepta libatio; hic bona mens, purum pectus, innocẽs vita. Illuc veniunt sine delectu adulteræ impudicæ, lenæ procaces, & obscenæ meretrices; veniunt gladiatores, latrones, fures venefici; & precãtur nihil aliud, quã vt scelera impunè cõmittant. Quid enim latro sacrificans, aut gladiator roget, nisi vt occidat? quid venenarius, nisi vt fallat? quid meretrix, nisi vt plurimum peccet? quid adultera, nisi vt mortem viri? aut vt sua impudicitia celetur? quid lena, nisi vt multos bonis exuat? quid fur, nisi vt plura compilet? Hic verò etiam leui, cõmuniq; peccato locus nullus est. Et si quis ad sacrificiũm nõ integra conscientia uenerit, audit, quæ illi Deus comminetur, ille qui latebras cordis uidet, qui peccatis semper infestus est, qui exigit iustitiam, qui fidem poscit. Quis hic malæ menti, aut malæ preci locus est? At illi infelices nec ex sceleribus suis intelligunt, quàm malũ sit quod colunt; quandoquidem flagitijs omnibus inquinati veniunt ad precandum; & se piè sacrificasse opinantur, si cutem lauerint; tanquam libidines intra pectus inclusas vl li amnes abluant, aut vlla maria purificẽt. Quãto satius est mentẽ potiùs eluere, quę malis cupiditatibus sordidatur, & vno virtutis ac fidei lauacro vniuersa vitia depellere. Quod qui fecerit, quamlibet inquinatũ, ac sordidũ corpus gerat, satis purus est.

CAPVT XXI.

IPSI autem quia nesciunt vel quid, vel quomodo sit colendum, cęci, & imprudentes in cõtrariũ cadunt. Adorant itaq; hostes suos; latrones, & interfectores suos victimis placant, & animas suas cum thure ipso cremãdas aris detestabilibus imponunt. Irascuntur etiam miseri, quòd non similes alij pereant incredibili mentium cęcitate. Quid enim videant qui Solem non vident? Quasi verò, si Dij essent, indigerent hominum auxilio aduersus contemptores suos. Quid ergo nobis irascuntur, si illi nihil possunt? nisi quod ipsi Deos suos destruunt, quorum potestati diffidunt, magis irreligiosi, quam qui omnino non colunt. Cicero in suis legibus, cum castè ad sacrificia præciperet accedere, PIETATEM (inquit a) adhibento, opes amouento: qui

a Cic. 2. de legibus sub initium.

secus faxit, Deus ipse vindex erit.] Rectè hoc quidem: neq; enim fas est desperare de Deo, quem ideo colas, quia potentem putes. Nam quomodo vindicare iniuriam colentis se potest, qui suam non potest? libet igitur ex his quærere, cui potissimum præstare se putent cogendo inuitos ad sacrificium, ipsisnè quos cogunt? at non est beneficium quod ingeritur recusanti. Sed consulendum est etiam nolentibus, quãdo quid sit bonum nesciunt. Cur ergo tam crudeliter vexant, cruciant, debilitant, si saluos volunt? aut vnde pietas tam impia, vt eos miseris modis aut perdant, aut inutiles faciant, quibus velint esse consultũ? An verò Dijs præstant? at non est sacrificium, quod exprimitur inuito. Nisi enim sponte, atq; ex animo fiat, execratio est, cum homines proscriptione, iniurijs, carcere, tormentis adacti faciunt. Si Dij sunt isti, qui sic coluntur, vel propter hoc solũ colendi non sunt, quòd sic coli volunt, digni scilicet detestatione hominum, quibus cum lachrymis, cũ gemitu, cum sanguine de membris omnibus fluente libatur. At nos contra non expetimus, vt Deum nostrum, qui est omnium creator, velit nolit colat aliquis inuitus, nec, si non coluerit, irascimur. Cõfidimus enim maiestatis eius, qui tam contemptum sui possit vlcisci, quã seruorum suorum labores, & iniurias. Et ideo, cum tam nefanda perpetimur, ne verbo quidẽ reluctamur, sed Deo remittimus vltionem, non vt ij faciunt, qui defensores se esse Deorum suorum videri volunt, & sæuiunt efferatè aduersus non colentes. ex quo intelligi datur, quàm non sit bonũ Deos colere, quoniam bono potius adducendi homines ad bonum fuerant, non malo. Sed quia illud malum est, etiam officiũ eius bono caret. At enim puniẽdi sunt qui destruunt religiones. Num peius nos destruimus, quàm natio Ægyptiorum? qui turpissimas bestiarum, ac pecudum figuras colunt, quædam etiam pudenda dictu tanquam Deos adorant. Num peius, quam ijdem ipsi? qui cum Deos se colere dicant, tamen eos publicè, turpiterq; derident, de quibus etiam per mimos agi cum risu, & voluptate patiuntur. Qualis hæc religio, aut quanta maiestas putanda est, quę adoratur in templis, illuditur in theatris? Et qui hæc fecerint, non pœnas violati numinis pendunt, sed honorati etiam, laudatiq; discedunt. Num peius nos destruimus quã quidã Philosophi, qui omnino nullos Deos esse aiunt, sed omnia sua sponte esse nata, omnia fortuitu fieri, quæ geruntur? Num peius quã Epicurei? qui esse quidem Deos, sed curare quicquam negant, neq; irasci eos, neq; gratia cõmoueri. Quibus dictis vtiq; persuadent, colendos omnino non esse; siquidem nec colẽtes respiciunt, neq; non colentibus irascuntur. Præterea cum contra metus disserunt, nihil aliud efficere conantur, quàm vt nemo Deos timeat. Et hæc tamen ab hominibus & audiuntur libenter, & disseruntur impunè.

CAPVT XXII.

NON ergo ideo aduersus nos insaniũt, quia Dij nõ coluntur à nobis (à multis enim non coluntur) sed quia veritas penes nos est, quæ (vt est verissimè dictum a) odium parit. Quid igitur existimabimus, nisi nescire illos, quid patiantur? Perciti enim perferuntur cæco, & irrationabili furore, quem nos videmus, illi nesciunt. Nõ enim ipsi homines persequuntur, qui causam, cur irascantur innocentibus, non habent; sed illi spiritus contaminati, ac perditi, quibus veritas & nota est, & inuisa, insinuant se mentibus eorum, & instigãt nescios in furorem. Hi enim quamdiu pax est in populo Dei, fugitant iustos, & pauent: & cum corpora hominum occupant, animasq; diuexant, adiurantur ab his, & nomine Dei veri fugantur. Quo audito & tremunt, & exclamant, & vri se, verberariq; testantur; Et interrogati qui sint, quando venerint, quomodo in hominem irrepserint, confitentur. Sic extorti, & excruciati virtute diuini nominis exulãt. Propter hęc verbera, & minas, sanctos, & iustos viros semper oderunt; & quia per se nocere ijs nihil possunt, publicis eos odijs persequuntur, quos sibi graues sentiunt, exercentq; sęuitiam quam violentissimè possunt, vt aut eorum fidem minuant per dolorem, aut, si id efficere nõ quiuerint, auferant omnino de terra, ne sint, qui possint eorum nequitiam coercere. Non me fugit, quid responderi è contrario possit. Cur ergo Deus ille singularis, ille magnus, quem rerum potentem, quem dominum omniũ cõfiteris hęc fieri patitur, nec cultores suos aut vidicat, aut tuetur? cur deniq; qui eum non colunt opulenti, & potẽtes, & beati sunt, & honoribus,

a Terent. Andr. actu 1. Scen. 1.

ribus, regnoq; potiũtur, eosq; ipsos ditioni suæ, ac potestati subiectos habẽt? Reddẽda & huius rei ratio est, ne quid remaneat erroris. Nam in primis hæc causa est, cur existimetur religio Dei viui vim non habere, quòd inducuntur homines specie terrenorũ, ac præsentium honorum, quæ ad curã mentis nullo modo pertinent, quibus quia carere iustos vident, & affluere iniustos, & Dei cultũ inanem arbitrantur, in quo inesse illa nõ cernunt, & Deorũ ritus existimãt veros, quoniam cultores eorum & diuitijs, & honoribus, & regnis fruantur. Verùm ij, qui sunt in hac existimatione, non perspiciunt altius vim, rationemq; hominis, quæ tota non in corpore, sed in mente est. Nihil enim vident amplius, quàm videntur, corpus scilicet; quod quia videtur oculis, manuq; tractabile est, imbecillum, fragile, mortale est, cuius sunt illa omnia bona, quę cupiditati, ac miraculo sunt, opes, honores, imperia, quoniam corpori afferunt voluptates; & ideo tam caduca sunt, quàm corpus ipsum. Animus verò, in quo solo est homo, quoniam subiectus oculis non est, nec bona eius aspici possunt, quę in sola virtute sunt posita, & ideo tam stabilis, & constans, & perpetuus sit necesse est, sicut ipsa virtus, in qua est animi bonum.

CAPVT XXIII.

LONGVM est vniuersas virtutis species promere, vt de singulis doceam, quam necesse sit, sapientem, ac iustum virum longè ab illis bonis abhorrere, quibus quia fruuntur iniusti, Deorum cultus veri, & efficaces esse creduntur. Quod ad præsentem pertinet quæstionem, satis est, si ex vna virtute id probemus, quod intendimus. Nempe magna, & præcipua virtus est patientia, quam pariter & vulgi publicæ voces, & philosophi, & Oratores summis laudibus concelebrant. Quod si negari non potest, quin summa sit virtus, necesse est, iustum, & sapientem virum in potestate esse hominis iniusti, vt capiat patientiam. Patientia est enim malorum, quæ aut inferuntur, aut accidunt cum æquanimitate perlatio. Ergo iustus, ac sapiens, quia virtutem capit, habet in se patientiam, qua carebit omnino, si nihil patietur aduersi. Contra, qui in rebus prosperis agit, impatiens est, & virtute maxima caret. Impatientem dico quia nihil patitur. Innocentiam quoq; seruare non potest, quæ & ipsa iusto, & sapienti viro propria est virtus. Sed & nocet sæpe, & concupiscit aliena, & rapit, quæ cupierit per iniuriã, quia virtutis expers, vitio, peccatoq; subiectus est, & fragilitatis oblitus animo insolenter elato tumet. Inde iniusti, ac Deum nescientes & diuitijs, & potentia, & honoribus florent; hæc enim cuncta iniustitiæ præmia sunt, quia & perpetua esse non possunt, & per cupiditatem, violentiamq; quæruntur. Iustus verò, ac sapiens, quia illa omnia humana, vt est à Lælio dictum, a sua bona diuina *a Apud Cic. vt sup. c. 19* iudicat; nec alienum quicquam concupiscit, ne quem contra ius humanitatis lædat omnino, nec vllam potentiam, honoremuè desiderat, ne cui faciat iniuriam. Scit enim cunctos ab eodem Deo, & eadem conditione generatos, iure fraternitatis esse coniunctos; sed & suo contentus & paruo, quia fragilitatis suæ memor, non amplius quærit, quàm vnde vitam sustentet, & ex eo ipso, quod habuerit, impertit etiam non habenti, quia pius est; pietas autem summa virtus est: Et accidit ex eo, quòd voluptates caducas, vitiosasquè contemnit, quarum cura opes appetuntur, quoniam continens est, ac libidinum victor. Idem nihil tumoris, ac insolentiæ gerens, non extollit se altius, nec erigit superbum caput, sed placidus, & concors, & comis & planus est, quia conditionem suam nouit. Cum ergo iniuriam nulli faciat, nec aliena rapiat, nec sua quoq; si vi auferantur, defendat, cum sciat etiam illatam iniuriã moderatè ferre, quia virtute præditus est, necesse est iustũ hominem subiectum esse iniusto, & contumelijs affici ab insipiente sapientem, vt & ille peccet, quia iniustus est, & hic in seruitutem abeat, quia iustus est. Siquis autem volet scire plenius, cur malos, & iniustos Deus potentes, beatos, & diuites fieri sinat; pios contrà, humiles, miseros, inopes esse patiatur, sumat eum Senecæ librum, cui titulus est. Quare bonis viris multa mala accidant, cum sit prouidẽtia. In quo ille multa non planè imperitia secular, sed sapienter, ac penè diuinitùs
elocutus est. Deus (inquit) homines pro 44
liberis habet; sed corruptos, & vitiosos

luxu-

luxuriosè, ac delicatè patitur viuere, quia non putat emendatione sua dignos; bonos autem, quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laboribus ad vsum virtutis exercet, nec eos caducis, ac mortalibus bonis corrumpi, ac deprauari finit. Vnde nemini debet mirum videri, si pro nostris sæpe delictis castigamur à Deo. Immo verò cum vexamur, ac premimur, tum maximè gratias agimus indulgentissimo patri, quòd corruptelam nostram non patitur longiùs procedere, sed plagis, ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus, nos esse Deo curæ, quoniam, cum peccamus, irascitur. Nam cum posset populo suo & opes, & regna largiri, sicut dederat antè Iudæis, quorum nos successores, ac posteri sumus, ideirco eum voluit sub aliena ditione, atq; imperio degere, ne rerum prosperarum felicitate corruptus, in luxuriam laberetur, ac Dei præcepta contemneret, sicut illi maiores nostri, qui sæpe terrenis, ac fragilibus his bonis eneruati aberrarunt à disciplina, & legis vincula ruperunt. Prouidit ergo, quatenus cultoribus suis præstaret quietem, si mandata seruassent, & tamen eos emendaret, si præceptis non obtemperassent. Itaq; ne tam corrumperentur ocio, quàm patres eorum licentia, premi eos voluit ab ijs, in quorum manibus eos collocauit, vt & labantes confirmet, & corruptos ad fortitudinem reparet, & fidos experiatur, ac tentet. Quo modo enim potest imperator militum suorum probare virtutem, nisi habuerit hostem? Et illi tamen aduersarius exurgit inuito, quia mortalis est, & vinci potest. Deo autem quia repugnari non potest, ipse aduersarios nomini suo excitat, non qui contra ipsum Deum pugnent, sed contra milites eius, vt deuotionem, ac fidem suorum vel probet vel corroboret, donec pressuræ verberibus defluentem corrigat disciplinam. Est & alia causa, cur aduersum nos persecutiones fieri finat; Vt Dei populus augeatur. Nec est difficile monstrare, cur, aut quo modo id fiat. Primùm fugantur à Deorum cultibus plurimi odio crudelitatis. Qui enim talia sacrificia non horreant? Deinde placet quibusdam virtus, ac fides ipsa. Nonnulli suspicantur, Deorum cultum non sine causa malum putari à tam multis hominibus, vt emori malint, quàm id facere, quod alij faciunt, vt viuant. Aliqui cupiunt scire, quidnam sit illud bonum, quod ad mortem vsq; defenditur, quod omnibus, quæ in hac vita iocunda sunt, & cara præfertur, à quo nec bonorum, nec lucis amissio, nec dolor corporis, nec viscerum cruciamenta deterrent. Valent hæc plurimum. Sed illæ maximè causæ nostrorum numerum semper auxerunt. Audit circunstans populus inter ipsa tormenta dicentes, nolle sacrificare lapidibus humana manu factis, sed Deo viuo, qui sit in Cœlo. Multi hoc verum esse intelligunt, & in pectus admittunt. Deinde, vt fieri solet in rebus incertis, dum inter se inuicem quærunt, quæ sit huius perseuerantiæ causa, multa, quæ ad religionem pertinent, diuulgata, ac per rumorem vicissim aucupata discuntur, quæ, quia bona sunt, placeant necesse est. Præterea vitio consecuta, sicut semper accidit, ad credendum vehementer impellit. Ne hæc quidem leuis causa est, quod immundi dæmonum spiritus, accepta licentia, multorum se corporibus immergunt, quibus postea eiectis, omnes, qui relanati fuerint, adhæreant religioni, cuius potentiam senserunt. Hæ tot causæ in vnum collatæ magnam Deo multitudinem mirabiliter acquirunt.

CAPVT XXIV.

QVICQVID ergo aduersum nos mali principes moliuntur, fieri ipse permittit. Et tamen iniustissimi persecutores, quibus Dei nomen contumeliæ, ac ludibrio fuit, non se putent impunè laturos, quia indignationis aduersus nos eius quasi ministri fuerunt. Punientur enim iudicio Dei, qui accepta potestate supra humanum modum fuerint abusi, & insultauerint etiam Deo superbiùs, eiusq; nomen æternum vestigijs suis subiecerint impiè, nefarièq; calcandum. Propterea vindicaturum se eos celeriter pollicetur, & exterminaturum bestias malas de terra. a Sed idem, quamuis populi sui vexationes & hic in præsenti soleat vindicare, tamen iubet b nos expectare patienter illum cœlestis iudicij diem, quo ipse pro suis quemq; meritis aut honoret, aut puniat. Quapropter non sperent sacrilegæ animæ, contemptos, & inultos fore,

a Leuit. 26. apud Sept.
b Deut. 32. Ecc. 28. ad Rom. 12. ad Hebræ. 10.

fore, quos sic obterunt. Veniet, veniet rabiosis, & voracibus Lupis merces sua, qui iustas, & simplices animas nullis facinoribus admissis excruciauerunt. Nos tantummodo laboremus, vt ab hominibus nihil aliud in nobis, nisi sola iustitia puniatur. Demus operam totis viribus, vt mereamur à Deo simul & vltionem passionis, & præmium.

Libri Quinti Diuinarum Institutionum finis.





LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS GENTES.

Liber Sextus.

DE VERO CVLTV.

CAPVT PRIMVM.



VOD erat officium suscepti muneris diuino spiritu instruente, ac suffragante ipsa veritate compleuimus; cuius asserendæ, atq; illustrandæ causam mihi, & scientiam & fides, & ipse Dominus noster imposuit, sine quo nec sciri quicquam potest, nec explicari. Venio nunc ad id, quod est summum operis huius, & maximum, vt doceã, quo ritu, quouè sacrificio Deũ coli oporteat. Id enim est hominis officium, in eoq; solo summa rerum, & omnis beatæ vitæ ratio consistit: quandoquidem propterea ficti, & inspirati ab eo sumus, non vt Cœlum videremus, & Solem (quod Anaxagoras putauit) sed vt artificem Solis, & Cœli Deum pura, & integra mente coleremus. Quamuis autem præcedentibus libris pro ingenij mediocritate defenderim veritatem, tamen ex ritu quoq; ipso
1 elucere vel maximè potest. [1] Nihil enim sancta, & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat, quàm solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo, satis piè, satis religiosè litauit. Homines autem neglecta iustitia, cum sint omnibus flagitijs, ac sceleribus inquinati, religiosos se putant, si templa, ac aras hostiarum sanguine cruentauerint, si focos odorati, ac veteris vini perfusione madefecerint. Quin etiam sacras dapes apparant, & exquisitas epulas quasi aliquid inde libaturis offerunt. Quicquid aspectu rarum, quicquid opere, aut odore prętiosum est, id gratum esse Dijs suis non ex aliqua diuinitatis ratione, quam nesciunt, sed ex suis cupiditatibus iudicant, nec intelligunt, terrenis opibus Deum non indigere. Nihil enim sapiunt, nisi terram, bonaq; & mala solius corporis sensu, & voluptate perpendunt. Huius arbitrio vt religionem ponderant, sic totius vitæ suæ acta disponunt. Et quoniam se semel à Cœli contemplatione auerterunt, sensumq; illum cœlestem corpori mancipauerunt, libidinibus frena permittunt, tamquam secum ablaturi voluptatem, quam momentis omnibus capere festinant, cum animus ministerio

rio animi vti debeat. Iidem maximum bonum iudicant opes, quas si bonis artibus assequi non possunt, malis assequuntur; fraudant, rapiunt, spoliant, insidiantur, abiurant, nihil deniq; moderati, aut pensi habent, dummodo auro corruscent, argento, gemmis, vestibus fulgeant, auidissimo ventri opes ingerant, stipati familiarium gregibus per dimotum populum semper incedant. Sic addicti, & seruientes voluptatibus, vim, vigoremq; mentis extingunt, & cum viuere se maximè putant, ad mortem concitatissimè properãt. Nam sicut in secundo libro docuimus, Cœli ratio in animo, terræ autem in corpore est. Qui bona negligunt animi, & corporis appetunt, in tenebris, ac morte versantur, quæ sunt terræ, atq; corporis, quia vita, & lumen à Cœlo est, cuius quoniam expertes sunt, corpori seruiendo lõgè absunt ab intellectu rerum diuinarum. Eadem miseros vbiq; cæcitas premit; sicut enim qui sit verus Deus, ita qui sit verus cultus ignorant.

CAPVT II.

MACTANT igitur opimas, & pingues hostias Deo quasi esurienti,
2 profundunt vina tanquam sitienti, accẽdunt lumina velut in tenebris agẽti. Quod si suspicari, aut percipere animo possent, quę sint bona illa cælestia, quorum magnitudinem terreno adhuc corpore obuoluti sensu capere non possumus, iam se cum his officijs inanibus stultissimos esse cognoscant. Vel si cœleste lumen, quod dicimus Solem, contemplari velint, iam sentiant, quam non indigeat lucernis eorum Deus, qui ipse in vsum hominis tam claram, tam candidam lucem dedit. Et tamen cum in tam paruo circulo, qui propter longinquitatem non amplius, quàm humani capitis videtur habere mensuram, tantum sit fulgoris, vt eum mortalium luminum acies non queat contueri, & si paulisper intenderis, hebetatos oculos caligo, ac tenebræ consequantur, quid tandem luminis, quid claritatis apud ipsum Deum, penes quem nulla nox est, esse arbitremur? qui hanc ipsam lucem sic moderatus est, vt neq; nimio fulgore, neq; calore vehementi noceret animantibus; tantumq; istarum rerum dedit ei, quantum aut mortalia corpora pati possunt, aut frugum maturitas postularet. Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui authori, & datori luminis candelarum, ac *cerarum lumen offert pro munere? Aliud verò ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, sed (vt ait Poeta a) liquidum, atq; clarum, mentis scilicet. Propter quod à Poetis φῶς nuncupatur, quod exhibere non potest, nisi qui Deum agnouerit. Illorum autem Dij, quia terreni sunt, egent luminibus, ne in tenebris sint; quorum cultores, quia cœleste nihil sapiunt, etiam religiones, quibus deseruiunt, ad terram reuocant. In ea enim lumine opus est, quia ratio eius, & natura tenebrosa est. Itaq; Dijs non cœlestem sensũ, sed humanum potiùs attribuunt; ideoq; illis necessaria, & grata credunt esse, quæ nobis, quibus aut esurientibus opus est cibo, aut sitientibus potu, aut veste algentibus, aut, cum Sol decesserit, lumine, vt videre possimus. Nullis igitur ex rebus tam probari, & intelligi potest, Deos ipsos, cum aliquando vixerint, mortuos esse, quam ex ipso ritu, qui est totus è terra. Quid enim cœlestis in se boni potest habere pecudum sanguis effusus, quo aras inquinant? nisi fortè Deos existimant eo vesci, quod homines aspernantur attingere. Et quisquis illis hanc saginam præstiterit, quamuis ille grassator, adulter, veneficus, parricida sit, beatus, ac felix erit. Hunc diligunt, hunc tuentur, huic omnia, quæ optauerit, præstant. Meritò ergo Persius huiusçemodi superstitiones suo more irridet. b

—— *quæ tu (inquit) mercede Deorum*
Emeris auriculas? pulmone, & lactibus vnctis?

Sentiebat videlicet non carne opus esse ad placandam cœlestem maiestatem, sed mẽte sancta, & iusto animo, & pectore (vt ipse ait c) quod naturali sit honestate generosum. Hæc est religio cælestis, non quæ constat ex rebus corruptis, sed quæ virtutibus animi, qui oritur è Cœlo. Hic 4
verus est cultus, in quo mens colentis se ipsam Deo immaculatam victimam sistit. Id autem ipsum quomodo cõsequendum, quo modo præstandum sit, docebit huius libri disputatio. Nihil enim tam præclarum, hominiq; conueniens potest esse, quam erudire homines ad iustitiam. Apud Ciceronem Catulus in Hortensio philosophiam

* F. cereorum.
3
a Lucret. 5. d. nat. ver.
b Persius Satyr. 2.
c Pers. ead. Satyr. vt supra lib. 2. c.

phiam rebus omnibus præferens, malle se dicit vel vnum paruū de officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio. Quæ sententia non vtiq; Catuli, qui fortasse illud non dixit, sed Ciceronis est putanda, qui scripsit: credo, vt libellos, quos de officijs erat scripturus commendaret, in quibus ipsis nihil esse testatur *a* in omni philosophia melius, & fructuosius, quàm præcepta vitæ dare. Quòd si hoc illi faciunt, quibus non est veritas cognita, quanto magis nos facere debemus, qui à Deo eruditi, & illuminati possumus vera præcipere? nec tamen sic docebimus, vt quasi prima virtutis elemēta tradamus, quod est infinitum, sed tanquam docendum susceperimus eum, qui apud illos iam perfectus esse videatur. Manentibus enim præceptis eorum, quæ solent ad probitatem rectè dari, ignota illis superstruemus ad perficiendam, consummandamq; iustitiam, quam non tenēt. Ea verò, quæ possunt cum illis esse communia, prætermittam, ne quid ab ijs videar mutuari, quorum errores coarguere, atq; aperire decreuerim.

a Cic. 3. offic. in princ.

CAPVT III.

4 DVAE sunt viæ, per quas humanam vitam progredi necesse est, vna, quæ in Cœlum ferat, altera, quæ ad inferos deprimat, quas & Poetæ in carminibus, & philosophi in disputationibus suis
5 induxerunt. Et quidem philosophi alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum, eamq; quæ sit assignata virtutibus primo aditu esse, & arduam, & confragosam, in qua si quis difficultate superata in summum eius euaserit, habere eum de cætero planum iter, lucidum, amœnumq; campum, & omnes laborum suorum capere fructus vberes, atq; iucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi, atq; deflectere, quę primo ingressu sit quasi amœna, multoq; tritior; deinde cum in eam paulo vlterius processerint, amœnitatis eius speciem repente subduci: exoriri autem viam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus intercisam, vel torrentibus rapidam, vt laborare, hærere, labi, cadere sit necesse. Quæ omnia eo proferuntur, vt appareat, in virtutibus capiendis labores esse maximos, in perceptis autem maximos fructus, & solidas, atq; incorruptas voluptates: vitia vero quosdam delinimentis naturalibus illicere animos hominum, & inanium iucunditatum specię captos ad acerbas amaritudines, miseriasq; perducere. Sapiens prorsus disputatio, si virtutum ipsarum formas, atq; terminos scirent. Non enim didicerant vel quæ sint, vel quid eas mercedis a Deo maneat, quod nos his duobus libris docebimus. Hi verò quia ignorabant, aut dubitabant, animas hominum immortales esse, virtutes, & vitia terrenis honoribus, aut pœnis æstimauerunt. Omnis ergo hęc de duabus vijs disputatio ad frugalitatem, ac luxuriam spectat. Dicunt *a* enim, humanæ vitæ cursum Y literæ esse similem, quod vnusquisq; hominum cum primum adolescentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit,

—— partes vbi se via findit in ambas, b

hæreat nutabundus, ac nesciat, in quam se partem potius inclinet. Si ducem nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantem, hoc est si aut philosophiam didicerit, aut eloquentiam, aut aliquid honestæ artis, quo euadat ad bonam frugem, quod fieri sine labore maximo non potest, honestam, ac copiosam vitā disputant peracturum. Si vero doctorem frugalitatis non inuenerit, in sinistrā viam, quæ melioris specię mentiatur incidere, idest desidię, inertię luxuriæ se tradere, quæ suauia quidem videntur ad tempus vera bona ignoranti; post autem amissa omni dignitate, ac re familiari in omnibus miserijs, ignominiaq; victurum. Ad corpus ergo, & ad hanc vitam, quam in terra ducimus, fines earum viarum retulerunt. Poetæ fortasse meliùs, qui biuium hoc apud inferos esse voluerunt. Sed in eo falluntur, quod eas vias mortuis proposuerunt. Vtriq; ergo verè, sed tamen vtriq; non rectè, quia oportuit vias ipsas ad vitam, fines earum ad mortem referri. Nos igitur meliùs, & veriùs, qui duas istas vias Cœli, & Inferorum esse dicimus, quia iustis immortalitas,
iniustis pœna æterna proposita est. Quo 6
modo autem hę vię vel in Cœlum tollant, vel ad inferna præcipitent, explicabo, & aperiam, quæ sint virtutes, quas philosophi nescierunt, tum earum quæ sint præmia;

a Virg. in Epigram. de lit. Y.

b Virg. 6.

mia; simul etiam quæ sint vitia, quæuè eorum supplicia monstrabo. Nam fortassealiquis expectet, vt separatim de vitijs, ac virtutibus dicam; cum de bono, aut malo differentibus nobis, etiam quod est contrarium possit intelligi. Siue enim virtutes inferas, vitia sua sponte decedent, siue vitia eximas, virtutes vltrò subibunt: sic bonorum, ac malorum constituta natura est, vt se inuicem semper oppugnent, semper expellant: ita fit, vt neq; vitia detrahi sine virtutibus possint, nec virtutes inferri sine detractione vitiorum. Has igitur vias longè aliter inducimus, quàm à Philosophis induci solent. Primum quòd vtriq; præpositum esse dicimus ducem, vtrumq; immortalem; sed alterum honoratum, qui virtutibus, ac bonis præsit, alterum damnatum, qui vitijs, ac malis. Illi autem in dexteriore tãtum via ducem ponunt neq; vnum, neq; perpetuum; siquidem quemlibet doctorem bonæ artis inducunt, qui à desidia reuocet homines, & frugi esse doceat. Sed neq; ingredi faciunt in eam viam, nisi pueros, & adolescentes, videlicet, quod artes discantur in his ætatibus. Nos autem omnis sexus, & generis, & ætatis in hoc cœleste iter inducimus, quia Deus, qui eius viæ dux est, immortalitatem nulli homini nato negat. Forma quoq; viarum ipsarum non ita est, vt illi putauerunt. Quid enim opus est Y litera in rebus contrarijs, atq; diuersis? Sed altera illa melior conuersa est ad Solis ortum, altera illa deterior ad occasum; quoniam qui veritatem, ac iustitiam sequitur, is, accepto immortalitatis præmio, perenni luce potietur; qui autem ab illo malo duce illectus prætulerit vitia virtutibus, mendacium veritati, necesse est ad occasum, & tenebras deferatur. Describam igitur vtranq;, & earum proprietates, habitusq; monstrabo.

CAPVT IV.

VNA est itaq; virtutis, ac bonorum via, quæ fert non in elysios campos (7 vt Poetæ loquuntur *a*) sed ad ipsam mundi arcem:

——— *at læua malorum*
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit. *b*

Est enim criminatoris illius, qui prauis religionibus institutis auertit homines ab itinere cælesti, & in viam perditionis inducit. Cuius viæ species, & figura sic est cõposita in aspectu, vt plana, & patens, & omni genere florum, atq; fructuum delectabilis esse videatur. In ea enim [8] posita 8
sunt omnia, quæ pro bonis habentur in terra, opulentiam dico, honorem, quietem, voluptatem, illecebras omnes; sed cum his pariter iniustitiam, crudelitatem, superbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem, discordiam, ignorantiam, mendacium, stultitiam, cæteraq; vitia. Exitus autem huius viæ talis est. Cum ventum fuerit ad extremum, vnde iam regredi nõ licet, cum omni sua pulchritudine tam subitò præciditur, vt non ante quis fraudem prospicere possit, quàm præcipitatus ex altitudine in profunda cadat. Quisquis enim præsentium bonorum specie captus, & in his consequendis, ac fruendis occupatus non præuiderit ea, quæ post mortem secutura sunt, seq; à Deo auerterit, is ad inferos deiectus in æternam damnabitur pœnam. Via vero illa cœlestis difficilis, & cliuosa proposita est, vel spinis horrentibus aspera, vel saxis extantibus impedita, vt cum summo labore, ac pedũ tritu, eumq; magna cadendi solicitudine sit cuiq; gradiendum. In hac posuit iustitiam, temperantiam, patientiam, fidem, castitatem, abstinentiam, concordiam, scientiam, veritatem, sapientiam, cæterasq; virtutes, sed simul cum his paupertatem, ignominiam, laborem, dolorem, amaritudines omnes. Quisquis enim spem suam porrexerit longiùs, & meliora maluerit, carebit his terræ bonis, vt expeditus, ac leuis difficultatem viæ superet. Nec enim potest qui se apparatu regio circundederit, aut diuitijs onerauerit, angustias illas vel ingredi, vel tenere. Vnde intelligitur, idcirco malis, & iniustis faciliùs prouenire, quæ cupiant, quia prona, & decliuis est eorum via; bonis autem quę optent, difficile procedere, quia difficili, & arduo itinere gradiuntur. Iustus ergo quoniam durum, asperumq; iter ingressus est, contemptui, derisui, odio fit necesse est. Omnes enim, quos cupiditas, ac voluptas præcipites trahit, inuident ei, qui virtutem capere potuit, & iniquè ferunt, id habere aliquem, quod ipsi non habent. Erit itaq; pauper, humilis, ignobilis, subiectus iniuriæ, & tamen omnia, quę amara sunt,

a Virg. 6.
b Virg. ibid.
Paulo post med.

ra sunt, perferens. Et si patientiam iugem ad summum illum gradum, finemq; perduxerit, dabitur ei corona virtutis, & à Deo pro laboribus, quos in vita propter iustitiam pertulit, immortalitate donabitur. Hæ sunt viæ, quas Deus humanæ vitæ assignauit, in quibus singulis & bona ostendit, & mala; sed ordine præpostero, atq; conuerso. In vna enim monstrauit temporalia prius mala cum æternis bonis, qui est ordo melior; in altera temporalia prius bona cum æternis malis, qui est ordo deterior; vt quicunq; præsentia mala cum iustitia delegerit maiora, & certiora consequatur bona, quàm fuerunt illa, quæ spreuit. Quisquis autem præsentia bona præposuerit iustitiæ, in maiora, & longiora incidat mala, quam fuerunt illa, quæ fugit. Hæc enim vita corporalis, quia breuis est, iccirco & bona eius, & mala breuia sint necesse est. Illa verò spiritalis, quæ huic terrenæ contraria est, quia sempiterna est, iccirco & bona eius & mala sempiterna sunt. Ita fit, vt & bonis breuibus, & mala æterna, & malis breuibus bona æterna succedant. Itaq; cum simul proposita sint homini bona, & mala, considerare vnumquemq; secum decet, quanto satius sit perpetuis bonis mala breuia pensare, quam pro breuibus, & caducis bonis mala perpetua sustinere. Nam sicut in hoc seculo, cum est propositum cum hoste certamen, prius laborandum est, vt sis postmodum in ocio, esuriendum, sitiendum, æstus, frigora perferenda, humi quiescendum, vigilandum, periclitandum est, vt saluis pignoribus, & domo, & re familiari, & omnibus pacis, ac victoriæ bonis perfrui possis: sin autem præsens ocium malueris, quam laborem, malum tibi maximum facias necesse est; præoccupabit enim aduersarius non resistentem, vastabuntur agri, diripietur domus, in prædam vxor, & liberi venient, & tu ipse interficiere, aut capiere. Quæ omnia ne accidant, præsens commodum differendum est, vt maius, longiusq; pariatur. Sic in omni hac vita, quia nobis aduersarium Deus reseruauit, vt possemus capere virtutem, omittẽda est præsens voluptas, ne hostis oprimat, vigilandum, stationes agendæ, militares expeditiones obeundæ, fundendus ad vltimum cruor. Omnia deniq; amara, & grauia patienter ferenda, eo quidem promptius, quo nobis imperator noster Deus præmia pro laboribus æterna constituit. Et cum in hac terrena militia tantum homines laboris exhauriant, vt ea sibi pariant, quę possunt eodem modo perire, quo parta sunt, certè nobis nullus labor est recusandus, quo id acquiratur, quod nullo modo possit amitti. Voluit enim Deus, qui homines ad hanc militiam genuit, expeditos in acie stare, & intentis acriter animis ad vnius hostis insidias, vel apertos impetus vigilare, qui nos, sicut periti, & exercitati duces solent, varijs artibus captat, pro cuiusq; natura, & moribus sæuiens. Alijs enim cupiditatem insatiabilem immittit, vt opibus suis tanquam compedibus illigatos à via veritatis excutiat; alios inflammat iræ stimulis, vt ad nocendum potius intentos à Dei contemplatione detorqueat; alios immoderatis libidinibus immergit, vt voluptati, & corpori seruientes, ad virtutem respicere non possint; alijs verò inspirat inuidiam, vt suis ipsi tormentis occupati nihil aliud cogitent, nisi eorum, quos oderint, felicitatem; alios inflat ambitionibus: ij sunt, qui ad gerendos magistratus omnem vitæ suæ operam, curamq; conuertunt, vt fastos signent, & annis nomen imponant. Quorundam cupiditas tendit altius, non vt prouincias temporali gladio regant, sed vt infinita, & perpetua potestate dominos se dici velint vniuersi generis humani. Quos autem pios viderit, inanibus implicat religionibus, vt impios faciat: ijs verò, qui sapientiam quærunt, philosophiam in oculos impingit, vti specie lucis excæcet, ne quis comprehendat, ac teneat veritatem. Sic hominibus obstruxit aditus omnes, & obsepsit vias publicis lætus erroribus, quos vt discutere possemus, ipsumq; authorem malorum vincere, illuminauit nos Deus, & armauit vera, cœlestiq; virtute, de qua nunc mihi differendum est.

CAPVT V.

SED prius quam singulas virtutes exponere incipiam, determinanda est ipsa virtus, quam non rectè definierunt quid esset, aut in quibus rebus; quid operis, quid habeat officij. Nomen itaq; solum retinuerunt, vim verò, & rationem, & effe-

ctum perdiderunt. Quæcunq; autem in definitionem virtutis solent dicere, paucis versibus colligit, & enarrat Lucilius, quos malo equidem ponere, ne dum multorum sententias refello, sim longior, quàm necesse est.

Virtus Albine est pretium persoluere verum,
Queis inuersamur, queis viuimus rebus adesse,
Virtus est homini scire id quod quęq; habeat res
Virtus scire homini rectum, vtile quid sit, honestum,
Quæ bona, quæ mala; Item quid inutile, turpe, inhonestum,
Virtus quærendæ rei finem scire, modumq;
Virtus diuitijs pretium persoluere posse,
Virtus id dare, quod re ipsa debetur honori,
Hostem esse, atq; inimicum hominum, morũq; malorum,
Contra, defensorem hominum, morumq; bonorũ
Hos magnifacere, his benè velle, his viuere amicum,
Commoda præterea patriæ sibi prima putare,
Deinde parentũ, tertia iam, postremaq; nostra.

Ab his definitionibus, quas Poeta breuiter comprehendit. M. Tullius traxit officia viuendi, Panætium Stoicum secutus eaq; tribus voluminibus inclusit. Hæc autem quàm falsa sint, mox videbimus, vt appareat, quantum in nos dignatio diuina contulerit, quæ nobis aperuit veritatem. Virtutem esse dixit scire, quid sit bonum, & malum, quid turpe, quid honestum, quid vtile, quid minus. breuius facere potuit, si tantum bonum, ac malum diceret, quia nihil potest esse vtile, vel honestum, quod non idem bonum sit, nihil inutile, ac turpe, quod non idem malum sit. Quod & philosophis videtur, & idem Cicero in tertio supradicti operis libro

9 ostendit. a9 Verùm scientia non potest esse virtus, quia non est intus in nobis, sed ad nos extrinsecus venit; quod autem transire ab altero ad alterum potest, virtus non est, quia virtus sua cuiq; est. Scientia igitur alieni beneficij est, quia posita est in audiendo. Virtus tota nostra est, quia posita est in voluntate faciẽdi bona. Sicùt ergo in itinere celerando nihil prodest viam nosse, nisi conatus, ac vires suppeditent ambulandi, ita verò scientia nihil prodest, si virtus propria deficiat. Nã ferè etiam ij, qui peccant, & si non perfectè, tamen quid sit bonum, & malum sentiunt, & quoties aliquid improbè faciunt, peccare se sciunt, & ideo celare nituntur.

a Cic. 3. offic. cap. 1.

Sed cum eos boni, & mali natura non fallat, cupiditate mala vincuntur, vt peccent, quia deest illis virtus, idest cupiditas recta, & honesta faciendi. Ex hoc igitur apparet, aliud esse scientiam boni, maliq; aliud virtutem, quia potest esse scientia sine virtute, sicut in plurimis philosophorum fuit. In quo, quoniam ad culpam pertinet non fecisse quæ sciens rectè, voluntas praua, & vitiosus animus; quem excusare ignoratio non potest, punietur. Ergo sicut virtus non est bonum, ac malum scire, ita virtus est bonum facere, malum non facere. Et tamen scientia sic cum virtute coniuncta est, vt scientia præcedat virtutem, virtus sequatur scientiam, quia nihil prodest cognitio, nisi & actio subsequatur. Horatius igitur paulo melius definiuit. a

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
10 *Stultitia caruisse* ——————

a Horat. Epist. lib. 1. Epist. 1. 10

Sed ineptè, quia eam contrario terminauit, vt si diceret. Bonum est, quod malum non est. Cum enim quid sit virtus nescio, ne vitium quidem quid sit scio. Vtrumq; igitur indiget definitione, quia natura rei talis est, vt vtrunq; aut intelligi, aut non intelligi sit necesse. Verùm nos faciamus quod ille debuit. Virtus est iram cohibere, cupiditatem compescere, libidinem refrenare, id est enim vitium fugere. Nam ferè omnia, quæ fiunt iniustè, atq; improbè, ab his oriuntur affectibus. Si enim commotionis huius, quæ ira dicitur, impetus retundatur, omnes hominũ contentiones malæ sopientur; nemo insidiabitur; nemo prosiliet ad nocendum. Item si cupiditas temperetur, nemo terra, mariq; grassabitur, nemo exercitum ducet, vt rapiat, & vastet aliena. Item si ardor libidinũ comprimatur, omnis ætas, & sexus retinebit suam sanctitatem. Nemo quicquam pudendum aut patietur, aut faciet. Ergo vniuersa scelera, & flagitia, his commotionibus virtute sedatis ex hominum vita, moribusq; tollendum. Quæ sedatio commotionum, & affectuum hanc habet rationem, vt omnia recta faciamus. Nunc igitur virtutis officium sit non peccare; quo profectò fungi non potest, qui Deum nescit, quoniam ignoratio eius, à quo bona oriuntur imprudentem impingat in vitia necesse est. Itaq; vt breuiùs, & significantiùs vtriusq; rei summa officiã determinemus; Scientia est Deum nosse,

Virtus colere: in illo sapientia, in hoc iustitia continetur.

CAPVT VI.

Dixt quod erat primum, scientiam boni non esse virtutem. Deinde, quid sit virtus, & in quo sit. Sequitur, vt id quoq; ipsum quid sit bonum, & malum nescisse Philosophos breuiter ostendam, quod penè declaratum est libro tertio, cũ de summo bono disputarem. Qui autem quid esset summum bonum nescierunt, & in cæteris bonis, malisuè, quæ summa nõ sunt, errauerint necesse est. Quæ non potest vero iudicio examinare qui fontem ipsum non tenet, vnde illa descendunt. Fós autem bonorum Deus est, malorum vero ille, scilicet diuini nominis semper inimicus, de quo sæpe diximus. Ab his duobus principijs bona, malaq; oriuntur. Quę veniunt à Deo hanc habent rationem, vt immortalitatem pariant, quod est summũ bonum; quæ autem ab illo altero id habẽt officium, vt cœlestibus auocatum, terrenisq; demersum ad pœnam interficiant sempiternam, quod est summum malum. Non igitur dubiũ est, quin omnes illi quid esset bonum, & malum ignorauerint, qui

11 " nec Deum, nec aduersariũ eius scierint. Itaq; finem bonorum ad corpus, & ad hãc breuem vitam retulerunt, quam scilicet solui, & occidere necesse est: non sunt progressi vlteriùs; sed omnia eorum pręcepta, & omnia, quæ inducunt bona, terræ inhęrent, & humi iacent, quoniam simul cũ corpore, quod est terra, moriuntur. Pertinent enim non ad vitam homini comparandam, sed ad quærendas, vel augendas opes, honores, gloriam, potentiam, quę sunt vniuersa mortalia, tam scilicet quam ille, qui, vt ea sibi contingerent, laborauit. Hinc est illud. a

Virtus quærendæ rei finem scire modumque.

a *Lucil. vt cap. antecedent.*

Præcipiunt enim quibus modis, & quibus artibus res familiaris quærenda sit, quia vident, malè quæri solere; sed huiusmodi virtus non est proposita sapienti. Nec enim virtus est, opes quærere, quarum neq; inuentio, neq; possessio in nostra potestate est. Itaq; & quæstu, & obtentu faciliores sunt malis, quàm bonis. Non potest ergo virtus esse in his rebus quærendis, in quarum contemptu vis, ac ratio virtutis apparet; nec ad ea ipsa transfugiet, quæ magno, ac excelso animo calcare, ac proterere gestit; neq; fas est, animam cœlestibus intentam bonis, vt hæc fragilia sibi comparet, ab immortalibus suis operibus auocari. Sed potissimum in ijs rebus comparandis virtutis ratio consistit, quas nobis nec homo vllus, nec mors ipsa possit auferre. Cum hæc ita se habeant, illud, quod sequitur verum est. a

Virtus diuitijs pretium persoluere posse. a

a *Lucil. vt sup.*

Qui uersus idem ferè significat, quod primi duo: Sed neq; ipse, neq; quisquam philosophorũ scire potuit, pretium ipsum vel quale, vel quod sit. Id enim Poeta, & illi omnes, quos secutus est putauerunt, rectè opibus vti, hoc est frugi esse; non instrucre conuiuia sumptuosè, nec largiri temerè; non effundere in res superuacuas, aut turpes rem familiarem. Dicet aliquis fortasse. Quid tu? negasnè hanc esse virtutem? Non equidem nego; contraria enim videar probare, si negem: sed veram nego, quia non sit illa cœlestis, sed tota terrena, quandoquidem nihil efficit, nisi quod remaneat in terra. Quid sit autem rectè opibus vti, & qui sit ex diuitijs fructus petendus declarabo apertiùs, cum de pietatis officio loqui cæpero. Iam cętera, quæ sequuntur, nullo modo vera sunt. Nam improbis inimicitias indicere, aut bonorum defensionem suscipere, potest cum malis esse commune. Quidam enim probitate ficta viam sibi ad potentiam muniunt, faciuntq; multa, quæ boni solent, eo quidem promptiùs, quòd fallendi gratia faciunt. Vtinamq; tam facile esset prestare, quam facile est simulare bonitatem. Sed ij, cum esse cæperint propositi, ac voti sui compotes, & summum potentiæ gradum ceperint, tum verò simulatione deposita, mores suos detegunt, rapiunt omnia, & violant, & vexant, eosq; ipsos bonos, quorum causam susceperant, insequuntur, & gradus, per quos ascenderunt, amputant, ne quis illos contra ipsos possit imitari. Veruntamen putemus, hoc officium non nisi boni esse, vt bonas defendat. At id suscipere facile est, implere difficile, quia, cum te certamini, congressioniq; commiseris, in arbitrio Dei, non tuo victoria posita est: & plerunq; improbi & numero, & conspiratione sunt potentiores, quam boni, vt ad eos superandos

dos non tam virtus sit, quàm felicitas necessaria. An aliquis ignorat, quoties melior, iustiorq; pars victa sit? Hinc semper dominationes acerbæ in ciues extiterunt: Plena est exemplis omnis historia, sed nos contenti erimus vno. Gn. Pompeius bonorum voluit esse defensor; siquidem pro Republica, pro Senatu, pro libertate arma suscepit; is tamen victus cum ipsa libertate occidit, & à spadonibus Ægyptijs detruncatus, insepultus abiectus est. Non est igitur virtus aut hostem malorum esse, aut defensorem bonorum, quia virtus incertis casibus non potest esse subiecta. *Commoda præterea patriæ sibi prima putare.* a Sublata hominum concordia virtus nulla est omnino. Quæ sunt enim patriæ commoda, nisi alterius ciuitatis, aut gentis incommoda? Id est fines propagare, alijs violenter eiectis, augere imperium, vectigalia facere maiora. Quæ omnia non vtiq; virtutes, sed virtutum sunt euersiones. In primis enim tollitur humanæ societatis coniunctio, tollitur innocentia, tollitur alieni abstinentia, tollitur deniq; ipsa iustitia, quæ dissidium generis humani ferre non potest, & vbicunq; arma fulserint, hinc eam fugari, & exterminari necesse est. Verum est enim Ciceronis illud. b Qui autem ciuium rationem dicunt habendam, externorum negant, dirimunt hi communem generis humani societatẽ, qua sublata, beneficientia, liberalitas, bonitas, iustitia funditùs tollitur.] Nam quomodo potest iustus esse qui nocet, qui odit, qui spoliat, qui occidit? Quæ omnia faciunt qui patriæ prodesse nituntur. Id enim ipsum prodesse quid sit ignorant, qui nihil putant vtile, nihil commodum, nisi quod teneri manu potest; quod solum teneri non potest, quia eripi potest. Hæc itaq; (vt ipsi appellant) bona quisquis patriæ acquisierit, hoc est qui euersis ciuitatibus, gentibusq: deletis ærarium pecunia referserit, agros ceperit, ciues suos locupletiores fecerit, hic laudibus fertur in Cœlum: in hoc putatur summa, & perfecta esse virtus. Qui error non modo populi, & imperitorum, sed etiam Philosophorum est, qui præcepta quoq; dant ad iniustitiam, ne stultitiæ, ac malitiæ disciplina, & authoritas desit. Itaq; cum de officijs ad rem militarem pertinentibus disputant, neq; ad iustitiam, neq; ad verã virtutem accõmodatur illa omnis oratio,

a Lucil. sup. exp. antec.

b Cic. 3. offic. cap. 2.

sed ad hanc vitam, moremq; ciuilem, quẽ non esse iustitiam & res indicat, & ipse Cicero testatus est. SED nos (inquit a) veri iuris, germanæq; iustitiæ solidam, & expressam effigiem nullam tenemus. Vmbra, & imaginibus vtimur, eaq; ipsas vtinam sequeremur: feruntur enim ab optimis naturæ, ac veritatis exemplis.] Vmbra est igitur, & imago iustitiæ quam illi iustitiam putauerunt. Quid sapientiam? nonnè idem confitetur, in Philosophis esse nullã? " AVT cum Fabritius (inquit b) 12
*fortis, aut Aristides iustus nominatur, aut ab illo fortitudinis, aut ab hoc iustitiæ, tanquam à sapiente petitur exemplum; nec enim horum sic sapiens, vt sapientem volumus intelligi, nec hi, qui sapientes habiti, & nominati M. Cato, & C. Lælius sapientes fuerunt: ne illi quidem septẽ, sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant, speciemq; sapientium.] Si ergo & Philosophis ipsorum confessione adempta sapientia est, & ijs, qui iusti habiti sunt, adempta iustitia est, omnes igitur illæ virtutis descriptiones, falsæ sint necesse est; quia quæ sit virtus vera scire non potest, nisi iustus, ac sapiens. Iustus autem, ac sapiens nemo est, nisi quem Dominus præceptis cælestibus erudiuit.

a Cic. 3. offic. cap. 3.

b Cic. 3. offic. cap. 1.

* Hæc dictio videtur abundare vid. noc.

CAPVT VII.

NAM illi omnes, qui per aliorum confessam stultitiam sapientes existimantur, specie virtutis inducti, vmbras, & imagines apprehendunt, nihil verum. Quod ea fit ratione, quoniam via illa mendax, quæ fert ad occasum, multos tramites habet propter studiorum, & disciplinarum varietatem, quæ sunt in vita hominum dissimiles, atq; diuersæ. Nam sicut via illa sapientiæ habet aliquid simile stultitiæ (quod libro præcedente monstrauimus c) ita hæc cum sit tota stultitiæ, habet aliquid simile sapientiæ, quod arripiũt ij, qui stultitiam publicam intelligunt: Et vt habet vitia manifesta, sic habet aliquid, quod simile esse videatur virtuti: vt habet apertum scelus, sic imaginem quandam, speciemq; iustitiæ. Quo modo enim præcursor eius viæ, cuius vis, & potestas omnis in fallendo est, vniuersos in fraudem posset

c Cap. 15. & seqq.

possset inducere, nisi ver similia homini-
13 bus ostentaret? Deus enim, [13] vt immor-
tale illud arcanum eius in operto esset,
posuit in via sua quæ homines pro malis,
& turpibus aspernarentur, vt auersi à sa-
pientia, & veritate, quam sine vllo duce
requirebant, in id ipsum inciderent, quod
vitare, ac fugere cupiebant. Itaq: illam
perditionis, ac mortis viam multiplicem
ostendit, vel quòd multa sunt genera vitę,
vel quòd Dij multi, qui coluntur. Huius
dux præuaricator, ac subdolus, vt videa-
tur esse discrimen aliquod falsi, & veri,
mali, ac boni, alia ducit luxuriosos, alia
eos, qui frugi appellantur, alia imperitos,
alia doctos, alia inertes, alia strenuos, alia
stultos, alia philosophos; & eos quidem
non vno tramite. Illos enim, qui aut vo-
luptates, aut diuitias non refugiunt, ab
hac publica, & celebri via modicè segre-
gat: Eos autem, qui aut virtutem sequi
volunt, aut contemptum rerum profiten-
tur, per confragosa quædam præcipitia
trahit. Sed tamen illa omnia itinera, quę
speciem bonorum ostẽtant, non sunt alię
viæ, sed diuerticula, & semitæ, quæ vi-
dentur quidem ab illa communi dextro-
uersum separari, ad eandem tamen, & ad
vnum omnes exitum sub ipso fine referun
tur. Ibi enim dux ille coniungit omnes,
vbi opus fuerat bonos à malis, fortes ab
inertibus, sapientes à stultis separari; in
Deorum scilicet cultu, in quo ille vniuer-
sos (quia sine vllo discrimine stulti fuerũt)
vno mucrone iugulat, & præcipitat in
mortem. Hæc autem via, quæ est veri-
tatis, & sapientiæ, & virtutis, & iustitiæ,
quorum omnium fons vnus est, vna vis,
vna sedes, suauis, & simplex est, quòd pa-
ribus animis, summaq; concordia vnum
sequamur, & colamus Deum, & angusta,
quoniam paucioribus virtus data est, &
ardua, quoniam ad bonum, quod summũ,
atq; sublime est nisi cum summa difficul-
tate, & labore non potest perueniri.

CAPVT VIII.

HÆc est uia, quam Philosophi quæ-
runt, sed ideo non inueniunt, quia
in terra potius ubi apparere non potest,
quærunt. Errant ergo uelut in mari ma-
gno, nec quò ferantur, intelligunt, quia
nec uiam cernunt, nec ducem sequuntur
ullum. Eadem nanq; ratione hanc uitæ
uiam quæri oportet, qua in alto iter na-
uibus quæritur; quæ nisi aliquod Cœli lu-
men obseruent, incertis cursibus uagan-
tur. Quisquis autem rectum iter uitæ te-
nere nititur, non terram debet aspicere,
sed Cœlum, & (ut apertiùs loquar) non
hominem sequi debet, sed Deum, non his
terrestribus simulachris, sed Deo seruire
cœlesti, non ad corpus referre omnia, sed
ad mentem, non huic uitæ dare operam,
sed æternæ. Itaq; si oculos ad cœlum
semper intendas, & Solem, quà oritur,
obserues, eumq; habeas uitæ, quasi naui-
gij ducem, sua sponte in uiam pedes diri-
gentur, & illud cœleste lumen, quod sa-
nis mentibus * multo clarius Sole est, quã
hic, quem in carne mortali uidemus, sic
reget, sic gubernabit, ut ad summum sa-
pientiæ, uirtutisq: portum sine ullo errore
perducat. Suscipienda igitur Dei lex est,
quæ nos ad hoc iter dirigat, illa sancta, illa
cœlestis, quam M. Tullius in libro de Re-
publica tertio penè diuina uoce depinxit,
cuius ego, ne plura dicerem, uerba sub-
ieci. EST quidem uera lex recta ratio na-
turæ congruens, diffusa in omnes, con-
stans, sempiterna, quæ uocet ad officium
iubendo, uetando à fraude deterreat: quę
tamen neq: probos frustra iubet, aut ue-
tat, nec improbos iubendo, aut uetando
mouet. [14] Huic legi nec obrogari fas est, 14
neq; derogari ex hac aliquid licet, neq; to-
ta abrogari potest. Nec uerò aut per Se-
natum, aut per Populum solui hac lege
possumus. Neq; est quærendus explana-
tor, aut interpres eius alius. Nec erit alia
lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia
posthac, sed & omnes gentes, & omni
tempore una lex, & sempiterna, & immu-
tabilis continebit; unusq; erit communis
quasi magister, & imperator omnium
Deus; ille legis huius inuentor, discepta-
tor, lator, cui qui non parebit ipse se fu-
giet, [15] ac naturam hominis aspernatus, 15
hoc ipso luet maximas pœnas, etiam si cę-
tera supplicia quæ putantur effugerit.]
Quis sacramentum Dei sciens tam signifi-
canter enarrare legem Dei possit, quàm
illam homo longè à ueritatis notitia re-
motus expressit? Ego uero eos, qui uera
imprudenter loquuntur sic habẽdos puto,
tanquam diuinent spiritu aliquo instincti.
Quod si ut legis sanctæ uim, rationemq;
perui-

* Leg. multo clarius est, q̃ hic Sol, quem in carn. mort. vid. (vel) multo clarior Sol est, q̃ hic, quẽ in carn. mort. vid. (vel) multo clarius Sole est, quẽ hic in car. mo. vid.

peruidit, ita illud quoq; sciffet, aut explicaffet, in quibus præceptis lex ipsa consisteret, non philosophi fun ctus effet officio, sed Prophetæ. Quod quia facere ille non poterat, nobis faciendum est, quibus ipsa lex tradita est ab illo vno magistro, & imperatore omnium Deo.

CAPVT IX.

HVius legis caput primum est, ipsũ Deum nosse, soli obtemperare, ipsum colere. *a* Non potest enim rationem hominis obtinere qui parentem animæ suæ Deum nescit, quod est summũ nefas. Quæ ignoratio facit, vt Dijs alienis seruiat, quo nihil sceleratius cõmitti potest. Hinc iam procliuis est ad malitiam gradus per ignorantiam veri, ac singularis boni, quia Deus, quem nosse refugit, fons est ipse bonitatis. Vel si iustitiam sequi velet Dei, diuini tamen iuris ignarus, gentis suæ leges tãquã verum ius amplectitur, quas non vtiq; iustitia, sed vtilitas reperit. Cur enim per omnes populos diuersa, & varia iura sunt cõdita, nisi quòd vnaquæq; gens id sibi sanxit, quod putauit rebus suis vtile? Quantum autem a iustitia recedat vtilitas, populus ipse Romanus docet, qui

a Exod. 20. Deuteron. 5 Psalm. 80.

16 per Feciales bella indicendo, [16] & legitimè iniurias faciendo, semperq; aliena cupiẽdo, atq; rapiendo, possessionem sibi totius orbis comparauit. Verùm hi iustos se putant, si contra leges suas nihil faciant; quod etiam timori ascribi potest, si præsentium pœnarum metu sceleribus abstineant. Sed concedamus sanè, vt id natura, vel (vt ait Philosophus) sua sponte faciant, quod legibus facere coguntur; num idcirco iusti erunt, quia parent institutis hominum, qui & ipsi aut errare, aut iniusti esse potuerunt? Sicut illi duodecim tabularum conditores, qui certè publicæ vtilitati pro conditione temporum seruie-
17 runt. [17] Aliud est igitur ciuile ius, quod pro moribus vbiq; variatur; aliud est vera iustitia, quam vniformem, ac simplicem proposuit omnibus Deus, quem qui igno-
18 rat, [18] & ipsam iustitiã ignoret necesse est. Sed putemus fieri posse, vt aliquis naturali, & ingenito bono veras virtutes capiat, qualem fuisse Cimonem Athenis accepimus, qui & egentibus stipem dedit, & pauperes inuitauit, & nudos induit. Tamen cum illud vnum, quod est maximum, deest, agnitio Dei, iam illa bona omnia superuacua sunt, & inania, vt frustra in ijs assequendis laborauerit. Omnis enim iustitia eius similis est humano corpori caput non habenti, in quo tametsi membra omnia & locis suis constent, & figura, & habitudine, tamen quoniã deest id, quod est omnium principale, & vita, & omni sensu caret. Itaq; membra illa formam tantummodo membrorum habent, vsum non habent; tam scilicet, quam caput sine corpore: cui similis est qui, cum Deum nõ ignoret, viuit iniustè. Id enim solum habet, quod est summum, sed frustra, quoniam virtutibus tanquam membris eget. Itaq;, vt sit viuum, ac sensibile corpus & agnitio Dei necessaria est quasi caput, & omnes virtutes quasi corpus. Ita fiet homo perfectus, ac viuus. Sed tamen summa omnis in capite est, quod quamuis constare non possit fine omnibus, fine quibusdam tamen potest. Et erit quidem animal vitiosum, ac debile, sed tamen viuet, sicut & is, qui & Deum nouit, & in aliqua re peccat. Dat enim peccatis veniam Deus. Itaq; sine membris aliquibus viui potest, sine capite nullo modo. Hęc res efficit, vt philosophi etiam si natura sint boni, tamen nihil sciant, nihil sapiãt. Omnis doctrina, & virtus eorum sine capite est, quia Deum nesciunt, qui est virtutis, ac doctrinæ caput; quem qui non agnoscit, licet videat cæcus est, licet audiat, surdus, licet loquatur elinguis est. Cum verò conditorem rerũ, parentemq; cognouerit, tunc & videbit, & audiet, & loquetur. Habere enim caput cæpit, in quo sunt sensus omnes collocati, hoc est oculi, aures, & lingua, nam profectò is videt, qui veritatem, in qua Deus est, vel Deum, in quo veritas est, oculis cordis aspexerit: Is audit, qui diuinas voces, ac præcepta vitalia pectori suo affigit: is loquitur, qui cœlestia differens virtutem, ac maiestatem Dei singularis enarrat. Quare non est dubium, quin impius sit quisquis Deum non agnouerit; omnesq; virtutes eius, quas habere, aut tenere se putat, in illa mortifera via reperiuntur, quæ est tota tenebrarum. Quapropter nihil est, quod aliquis sibi gratuletur, si has inanes virtutes adeptus est; quia non tantum miser, qui bonis præsentibus careat, sed

etiam stultus sit necesse est, qui labores in vita sua maximos suscipiat incassum. Nã, dempta spe immortalitatis, quam Deus pollicetur in sua religione versantibus, cuius assequendę gratia virtus appetenda est, & quicquid malorum acciderit perferendum, maxima erit profectò vanitas obsequi velle virtutibus, quæ frustra homini calamitates afferunt, & labores. Nam si virtus est, egestatem, exilium, dolorem, mortemq; quæ timentur à cæteris, pati fortiter, ac subire; quid tandem in se boni habet, cur eam Philosophi propter se ipsam dicant expetendam? Nimirum superuacuis, & inanibus pœnis delectantur, quibus licet agere tranquillè. Si enim mortales sunt animæ, si virtus, dissoluto corpore, nihil futura est, quid fugimus attributa nobis bona, quasi aut ingrati, aut indigni, qui diuinis muneribus perfruamur? Quæ bona vt habeamus, sceleratè, impièq; viuendũ est, quia virtutem, idest iustitiam paupertas sequitur. Sanus igitur non est, qui nulla spe maiori proposita, ijs bonis, quibus cæteri vtuntur in terra, labores, & cruciatus, & miserias anteponat. Si autem virtus (vt ab his rectissimè dicitur) capessenda est, quia constet, ad eam
a Cic. 1. de nasci hominem, *a* subesse debet spes ali-
legib. & 3. qua maior, quæ malorum, & laborum,
offic. c. 3. in quos perferre virtutis est, magnum affe-
princ. rat, præclarumq; solatium. Nec aliter virtus, cum per se dura sit, haberi pro bono potest, quàm si acerbitatem suam maximo bono penset. Æquè non aliter his bonis præsentibus abstinendum est, quam si sint aliqua maiora, propter quæ tanti sit & voluptates omittere, & mala omnia sustinere. Ea verò nulla sunt alia (vt in
b Cap. 12. tertio docui *b*) nisi perpetuæ vitæ. Hanc autem præstare quis potest, nisi Deus, qui virtutem ipsam proposuit? Ergo in Dei agnitione, & cultu rerum summa versatur. In hoc est spes omnis, & salus hominis: hic est sapientiæ gradus primus, vt sciamus, quis sit nobis verus pater, eumq; solum pietate debita prosequamur, huic parcamus, huic deuotissimè seruiamus, in eo promerendo actus omnis, & cura, & opera collocetur.

CAPVT X.

DIxi quid debeatur Deo: dicã nunc, quid homini tribuendum sit, quamuis id ipsum, quod homini tribueris, Deo tribuitur, quia homo Dei simulachrũ est. Sed tamen primum officium iustitiæ est coniungi cum Deo, secundum cum homine. Sed illud primum religio dicitur, hoc secundum misericordia, vel humanitas nominatur. Quæ virtus propria est iustorum, & cultorum Dei, quòd ea sola vitæ communis in se continet rationem. Deus enim, qui cæteris animalibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incursu, & periculo tutiora generauit. Hominem verò quia nudum, fragilemq; formauit, vt eum sapientia potius instrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraq; omnia pericula, & accipiat, & præstet auxilium. Summum igitur inter se hominum vinculum est humanitas, quod qui disruperit, nefarius, & parricida existimandus est. Nam si ab vno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certè consanguinei sumus, & ideo maximum scelus putandum est odisse hominem vel nocentem. Propterea Deus præcepit, inimicitias per nos nunquam faciendas, semper esse tollendas, scilicet, vt eos, qui sint nobis inimici, necessitudinis admonitos mitigemus. *a* Item si ab vno *a Matth. 5.*
Deo inspirati sumus omnes, & animati, *Luc. 6. ad*
quid aliud, quam fratres sumus? Et qui- *Roman. 12.*
dem coniunctiores quòd animis, quam qui corporibus. Itaq; non errat Lucretius cum dicit.

Deniq; cælesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est. b ——— *b Lucret. 2.*
Ergo pro belluis immanibus sunt habẽdi, *de nat. rer.*
qui hominibus nocent, qui contra ius hu- *ad fin.*
manitatis, & fas omne spoliant, cruciant, occidunt, exterminant. Ob hanc necessitudinem germanitatis docet nos Deus, malum nunquam facere, semper bonum. Id autem ipsum bene facere quid sit, idem
ipse præscribit; *c* præstare auxilium de- *c Ezech. 18.*
pressis, & laborantibus, impertiri victum *Esai. 58.*
non habentibus. Deus enim, quoniam *Matth. 25.*
pius est, animal nos voluit esse sociale. Itaq; in alijs hominibus nos ipsos cogitare debemus. Non meremur in periculo liberari,

rari,

rari, si non succurrimus; non meremur auxilium, si negamus. Ad hanc partem Philosophorum nulla pręcepta sunt, quippe qui falsę virtutis specie capti misericordiam de homine sustulerunt; & dum volunt sanare vitia, auxerunt. Et cum ijdem plerunq; fateantur, societatis humanæ communionem esse retinendam, ab ea planè se ipsos inhumanæ virtutis suæ rigore dissociant. Conuincendus ergo etiam hic error illorum est, qui nihil quicquam impertiendum putant. Vrbis condendæ originem, atq; causam non vnam intulerunt; sed alij, eos homines, qui sint ex terra primitus nati, cum per syluas, & campos erraticam degerent vitam, nec vllo inter se sermonis, aut iuris vinculo cohærerent, sed frondes, & herbam pro cubilibus, speluncas, & antra pro domibus haberent, bestijs, & fortioribus animalibus prædæ fuisse cōmemorant. Tum eos, qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui ad alios homines decurrisse, præsidium implorasse, & primo nutibus voluntatem suam significasse, deinde sermonis initia tentasse, ac singulis quibusq; rebus nomina imponendo paulatim loquendi perfecisse rationem. Cum autem nec multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam cæpisse munire, vel vt quietem noctis tutam sibi facerent, vel vt incursiones, atq; impetus bestiarum non pugnando, sed obiectis aggeribus arcerent. O' ingenia hominibus indigna, quę has ineptias protulerunt; miseros, atq; miserabiles, qui stultitiam suam literis, memoriæq; mandauerunt. Qui cum viderēt multis quoq; animalibus ingenitam esse rationem vel conueniendi, vel inuicem appetendi, vel periculi fugiendi, vel mali cauendi, vel cubicula sibi, & latibula parandi; homines autem ipsos existimauerint non nisi exemplis admoneri, ac discere potuisse, quid metuere sibi, quid cauere, quid facere deberent, aut nunquam conuenturos inter se fuisse, nec loquendi rationem reperturos, nisi eos bestiæ comedissent. Hæc alijs delira visa sunt (vt fuerunt) dixeruntq; non ferarum laniatus causam fuisse coeundi, sed ipsam potius
19 humanitatem. [19] itaq; inter se congregatos, quòd natura hominum solitudinis fugiens, & communionis, ac societatis appetens esset. Non magna inter eos disceptatio est. Si quidem causæ dispares sunt, res eadem est. Potuit igitur vtrunq; quia non repugnat, sed tamen vtrumq; nullo modo verum est, quia non per omnem terram nati sunt homines è terra tāquam ex draconis alicuius dentibus præseminati (vt Poetæ ferunt a) sed vnus homo a Deo factus est, ab eoq; vno omnis terra humano genere completa est; eadem scilicet ratione, qua rursus post diluuium; quod certè negare non possunt. Nulla igitur in principio facta est eiusmodi congregatio, nec vnquam fuisse homines in terra, qui propter infantiam non loquerentur intelligit cui ratio non deest. Fingamus tamen illa vera esse, quæ otiosi, & inepti senes fabulantur, vt eos suis potissimum sensibus, & suis rationibus refellamus. Si hac de causa sunt homines congregati, vt mutuis auxilijs imbecillitatem suam tuerentur. Succurendum est igitur homini, qui egeat auxilio. Cum enim præsidij causa homines societatem cum hominibus inierint, & sanxerint, fœdus illud inter homines à principio sui ortus initum aut violare, aut non conseruare summum nefas putandum est. Nam qui se à præstando auxilio remouet, etiam ab accipiendo se remoueat necesse est, quia nullius ope indigere se putat, qui alteri suam denegat. Huic verò, qui se ipse dissociat, ac secernit à corpore, non ritu hominis, sed ferarum more viuendum est. Quod si fieri nō potest, retinendum est igitur omni modo vinculum societatis humanæ, quia homo sine homine nullo modo potest viuere. Retentio autem societatis est communitas, idest auxilium præstare, vt possimus accipere. Sin verò (vt illi alij disputant) humanitatis ipsius causa facta est hominū congregatio, homo certè hominem debet agnoscere. Quod si fecerunt illi rudes, & adhuc feri homines, & fecerunt nondum constituta loquendi ratione, quid putemus hominibus expolitis, & sermone, rerumq; omnium commertio inter se copulatis esse faciendum, qui assueti hominibus solitudinem ferre non possunt?

a Ouid. initio 3. & 7. Metam. Eurip. Phœniss.

CAPVT XI.

Conseruanda est igitur humanitas, si homines rectè dici velimus. Id autem ipsum conseruare humanitatem quid

quid aliud est, quam diligere hominem, quia homo sit, & idem quod nos sumus? Discordia igitur, atq; dissensio non est secundum hominis rationem. Verumq; est illud Ciceronis, quod ait, *a* hominem naturæ obedientem homini nocere nō posse. Ergo si nocere homini contra naturam est, prodesse igitur homini secundum naturam sit necesse est. Quod qui non facit, hominis se appellatione dispoliat, quia humanitatis officium est necessitati hominis, ac periculo subuenire. Quæro igitur

a Cic. 3. offic. c. 2. sub initium.

20 ab ijs,[20] qui flecti, ac misereri nō putant esse sapientis, si homo ab aliqua bestia comprehensus auxilium sibi armati hominis imploret, vtrumnè succurrendum putent, an minimè? Non sunt tam impudentes, vt negent, fieri oportere quod flagitat, quod exposcit humanitas. Item si aliquis circumueniatur igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur, num putēt hominis esse non auxiliari? non sunt ipsi homines, si putent. Nemo enim potest eiusmodi periculis non esse subiectus; immo verò & hominis, & fortis viri esse dicent seruare periturum. Si ergo in eiusmodi casibus, qui periculum vitæ homini afferunt, succurrere humanitatis esse concedunt; quid causæ est, cur si homo esuriat, sitiat, algeat, succurendum esse non putent? Quæ cum sint paria natura cum illis casibus fortuitis, & vnam, eandemq; humanitatem desiderent, tamen illa discernunt, quia non re ipsa vera, sed vtilitate præsenti omnia metiuntur. Illos enim, quos periculo surripiunt, sperant sibi gratiam relaturos. Egentes autem, quia non sperant, perire arbitrantur quicquid eiusmodi hominibus impartiant. Hinc est illa Plauti detestanda sententia. *b*

b Plaut Trinumm. Act. 2. Scen. 2

21 [21] *Malè meretur qui mendico dat quod edat,*
Nam & illud, quod dat, perit, & illi producit
vitam ad miseriam.

At enim Poeta fortasse pro persona locutus est. Quid M. Tullius in suis officialibus libris? nonnè hoc idem persuadet, non esse omnino largiendum? Sic enim dixit. *c* LARGITIO, quæ fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tollitur, qua quo in plures vsus sis eò minus in multos vti possis.] Et idē paulo post. *d* QVID autem est stultius, quam quod libenter facias, curare, vt id diutiùs facere non possis?] Videlicet professor sapientiæ refrenat homines ab humanitate, monetq; vt rem familiarem diligenter, custodiant, malintq; arcā, quam iustitiam conseruare. Quod cum intelligeret, inhumanū esse, ac nefarium, mox ex alio capite, quasi actus pœnitentia sic ait. *a* NON nunquam tamen est largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum, & sæpè idoneis hominibus egentibus de re familiari impertiēdū.] Quid est (idoneis?) nempe ijs, qui restituere, ac referre gratiam possint. Si nunc Cicero viueret, exclamarem profectò. Hic hic M. Tulli aberrasti a vera iustitia, eamq; vno verbo sustulisti, cum pietatis, & humanitatis officia vtilitate metitus es. Non enim idoneis hominibus largiendum est, sed quantum potest, non idoneis. Id enim iustè, id piè, id humanè fit, [22] quod 22

c Cic. 2. officior. c. 10.

d Cic. eod. cap.

a Cic. ibid.

sine spe recipiendi feceris. Hæc est vera illa, & genuina iustitia, cuius solidam, & expressam effigiem nullam tenere vos dicitis. *b* Ipse pluribus locis clamas, *c* mercenariam non esse virtutē, faterisq; in libris legum tuarum, *d* liberalitatem gratuitā esse his verbis. NEC est dubiū, quin is qui liberalis, benignusq; dicitur, officium, non fructum sequatur.] Cur ergo idoneis potiùs largiris, nisi vt postea mercedem recipias? Te igitur authore, ac præceptore iustitiæ quisquis idoneus non erit, nuditate, siti, fameq; conficietur, nec homines copiosi, & vsq; ad delitias abundātes subuenient vltimæ necessitati. Si virtus mercedem non exigit, si propter se (vt dicitis *e*) expetenda est, ergo iustitia matrem, principemq; virtutum suo pretio, non tuo commodo æstima, eiq; potissimū tribue, à quo nihil speres. Quid personas eligis? quid membra inspicis? Pro homine tibi habendus est quisquis ideo precatur, quia te hominem putet. Abijce vmbras illas, imaginesq; iustitiæ, atq; ipsam veram, & expressam tene. Largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis, quibus, nisi largiare, moriendum est. Inutiles sunt hominibus, sed vtiles Deo, qui eos retinet in vita, qui spiritu donat, qui luce dignatur, foue quantum in te est, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate sustenta. Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit. Verum isti, quia neq; naturam retinent, neq; præmium in eo quod fit sciunt, dum perdere timent perdunt, & in id quod maximè caueat, incidunt, vt quic- 24

b Cic. 3. offic. ca. 3. & sup. cap. 6.

c Cic. cap. 1. de legib & 3. offic c 1.

d Cic. 1. de legib. prop. fin.

e Cic. 3. offic. c. 3. & 1. de legib.

quid

quid largiuntur aut pereat omnino, aut ad tempus breuissimum prosit. Nam qui exiguam stipem miseris negant, qui conseruare humanitatem sine damno suo volunt, patrimonia sua effundunt, vt aut pe ritura, & fragilia sibi comparent, aut certè suis maximis damnis nihil consequatur. Quid enim dicendum est de ijs, qui populari leuitate ducti vel magnis vrbibus suffecturas opes exhibendis muneribus impēdunt, nisi eos dementes, atq; furiosos, qui præstent id populo quod & ipsi perdant, & nemo eorum, quibus præstatur, accipiat? Itaq; vt est omnis voluptas caduca, & breuis, oculorum maximè, & aurium, aut obliuiscuntur homines, & alterius damna pro ingratis habent, aut etiam offenduntur, si non est libidini vulgi satisfactum, vt etiam homines stultissimi malum sibi malo comparauerint, aut si adeo placuerint, nihil amplius, quam inanem fauorem, paucorumq; dierum fabulas assequuntur. Sic quotidie leuissimorum hominum patrimonia in res superuacuas prodiguntur. Num ergo illi sapientiùs, qui vtiliora, & diuturniora ciuibus suis exhibent munera? ij scilicet, qui publicis operibus extructis memoriam nomini suo quærunt? ne isti quidem rectè bona sua in terram sepeliunt, quia nec memoria quicquam mortuis confert, nec opera eorum sempiterna sunt, siquidem aut vno tremore terræ dissipantur, & corruunt, aut fortuito consumuntur incendio, aut hostili aliquo impetu diruuntur, aut certè vetustate ipsa dissoluta labuntur. NIHIL est enim (vt ait orator *a*) opere, & manu factum, quod non conficiat, & consumat vetustas.] Ad hæc iustitia, & lenitas florescit quotidie magis. Illi ergo meliùs, qui tribulibus suis, aut clientibus largiuntur: aliquid enim præstant hominibus, & prosunt, sed non est illa vera, & iusta largitio. Beneficentia enim nulla est, vbicunq; necessitas non est. Perit ergo quicquid gratiæ causa tribuitur non indigentibus, aut cum fœnore redit, & beneficentia non erit. Quod & si gratum est ijs quibus datur, iustum tamen nō est, quia, si non fiat, nihil mali sequitur. Vnum igitur certum, & verum liberalitatis officium est, egentes, atq; inutiles alere.

a Cic. per M. Marcel. sub initium.

CAPVT XII.

HÆC est illa perfecta iustitia, quæ custodit humanam, de qua Philosophi loquuntur, societatem. Hic diuitiarum maximus, & verissimus fructus est, non vti opibus ad propriam vnius voluptatem, sed ad multorum salutem, non ad præsentem suum fructū, sed ad iustitiam, quæ sola non interit. Tenendum est igitur omni modo, vt ab officio misericordię spes recipiendi absit omnino. Huius enim operis, & officij merces à Deo expetenda est solo; nam si ab homine expectes, iam non humanitas erit illa, sed beneficij fœneratio; nec potest videri benè meruisse, qui quod facit, non alteri, sed sibi præstat, & tamen res eòdem redit, vt quod alteri quisq; præstiterit, nihil ab eo commodi sperans, verè sibi præstet, quia mercedem capiet à Deo. Idem Deus præcepit, *a* vt si quando cænam parauerimus, eos in conuinctum adhibeamus, qui reuocare nō possint, & vicem reddere, vt omnis actus vitæ nostræ non careat misericordiæ munere. Nec tamen quisquam interdictum sibi putet aut communione cum amicis, aut charitate cum proximis; sed notum nobis Deus fecit, quod sit verum, & iustū opus, ita nos oportere cum proximis viuere, dummodo sciamus, illud ad hominem, hoc ad Deum pertinere. Præcipua igitur virtus est hospitalitas, *b* quod Philosophi quoq; aiunt, sed eam detorquent à vera iustitia, & ad commodum rapiunt. RECTE' (inquit Cicero *c*) à Theophrasto est laudata hospitalitas; est enim (vt mihi quidem videtur) valde decorum patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus.] Eodem modo rursus errauit, quo tum, cum idoneis esse diceret largiendum. Non enim iusti, & sapientis viri domus illustribus debet patere, sed humilibus, & abiectis. Nam illustres illi, ac potentes nulla re possunt indigere, quos opulentia sua & munit, & honorat. Nihil autem a viro iusto faciendum est, nisi quod sit beneficum. Beneficium autem, si refertur, interit, atq. finitur: nec enim possumus id habere integrum, cuius pretium nobis persolutum est. In his itaq; beneficijs iustitiæ ratio versatur, quæ salua, & incorrupta permanserint. Permanent autem

a Tobi. 4. Luc. 14.

b Ad Rom. 12. ad Hebræ. 13. 1. Petr. 4. Matth. 25.

c Cic. 3 offic. c. 13.

autem non aliter, quam si præstentur ijs hominibus, qui prodesse nullo modo possunt. At ille in recipiendis illustribus nihil spectauit aliud nisi vtilitatem; nec dissimulauit homo ingeniosus, quid ex eo commodi speraret. Ait *a* enim, qui id faciat, potentem apud exteros futurum per gratiam Principum, quos sibi hospitij, & amicitiæ iure constrinxerit. O quàm multis argumentis Ciceronis inconstantia, si id agerem, redargui posset, nec tam nostris, quam suis verbis refelleretur. Idem quippe ait, *b* vt quisq; maximè ad suum commodum referat quæcunq; agit, ita minime esse virum bonum. Idem etiam negat, *c* simplicis, & aperti hominis esse ambire, simulare aliquid, & prætendere; aliud agere videri, cum aliud agat; præstare se alteri fingere, quod sibi præstet, sed malitiosi potius, & astuti, & fallacis, & subdoli. Quo modo ergo defenderet, quo minus ambitiosa illa hospitalitas malitia esset? Tu mihi per omnes portas circumcurses, vt aduenientes populorum, atq; vrbium Principes domum tuam inuites, vt per eos apud ciues eorum potentiam consequare, velisq; te iustum, & humanum, & hospitalem videri, cum studeas vtilitati tuæ? Verùm hoc ille non potius incautè. Quid enim minus in Ciceronem conuenit? Sed ignorantia veri iuris prudens ac sciens in hos se laqueos induit. Quod vt ei possit ignosci testificatus est, non ad veram iustitiam, quam non teneat, *d* precepta se dare, sed ad vmbram, imaginemq; iustitiæ. Ignoscendum est igitur vmbratico, & imaginario præceptori, nec ab eo veritas exigenda est, qui se nescire fateatur. Captiuorum redemptio magnum, atq; præclarum iustitiæ munus est: quod idem ipse Tullius approbauit. *e* ATQ. hæc benignitas (inquit) etiam Reipublicæ est vtilis, redimi a seruitute captos, locupletari tenuiores. Hanc ego consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Hæc est grauium hominum, atq; magnorum.] Proprium igitur iustorum opus est alere pauperes, *f* ac redimere captiuos: *g* cum apud iniustos, si qui hæc faciant, graues, & magni appellentur: Ijs enim maximè laudis est benefacere, quos nemo sperauit esse facturos. Nam qui bonum facit vel consanguineo, vel proximo, vel amico, aut nullam, aut certè non magnã laudem meretur, quia facere debet:

a Cic. eod. c. 13. in fin.
b Cic. 1. de legib.
c Cic 3. officior. c. 3.
d Cic. eod. c. 3. vt supra cap. 6.
e Cic. 2. officior. c. 13.
f Tobiæ 4 Eccles. 4
g Matt. 25.

sitq; impius, & detestabilis, nisi fecerit id, quod ab eo & natura ipsa, & necessitudo exigit; & si facit non tam gloriæ assequẽdæ, quàm reprehensionis vitandæ causa facit. Qui autem facit alieno, & ignoto, is verè dignus est laude; quoniam, vt faceret, sola ductus est humanitate. Ibi ergo iustitia est, vbi ad benefaciendum necessitatis vinculum nullum est. Hoc igitur benignitatis officium ne anteponere quidem largitioni munerum debuit, quod est comparantis, & è duobus bonis id, quod sit melius eligentis. Illa enim largitio hominum patrimonia sua in mare abijciẽtium, inanis, & leuis, & ab omni iustitia remotissima est. Itaq; ne dici quidem munera oportet, in quibus nemo accipit, nisi qui accipere non meretur. Non minus magnum iustitiæ opus est, pupillos, & viduas destitutos, & auxilio indigentes tueri, atq; defendere. quod adeo vniuersis diuina illa lex præscribit, *a* quãdo quidem boni quiq; iudices ad officium suum iudicant pertinere, vt eos humanitate naturali foueant, ac ijdem prodesse nitantur. *b* Verùm hæc opera propria nostra sunt, qui legem, qui verba ipsius Dei præcipientis accepimus. Nam illi sentiunt quidem, natura esse iustum tueri eos, qui tutela carent, sed, cur ita sit, non perspiciunt. Deus enim, cuius perpetua clementia est, idcirco viduas, pupillosq; defendi, ac foueri iubet, ne quis respectu, ac miseratione pignorum suorũ retardetur, quo minus mortẽ pro iustitia, fideq; suscipiat, sed incunctanter, ac fortiter subeat, cum sciat, se caros suos Deo relinquere, nec his vnquam præsidium defuturum. Ægros quoq; quibus defuerit qui assistat, curandos, fouendosq; suscipere summæ humanitatis, & magnæ operationis est. *c* Quod qui fecerit, hic viuam hostiam Deo acquiret, & quod alteri dederit ad tempus, ipse à Deo accipiet in æternum. Vltimum illud, & maximum pietatis officium est, peregrinorũ, & pauperum sepultura: *d* [23] quod illi virtutis, iustitiæq; doctores prorsus non attigerunt. Nec enim poterant id videre, qui vtilitate omnia officia sua metiebantur. In cæteris enim, quæ supra dicta sunt, quamuis verum limitem non tenuerint, tamen quoniam commodi aliquid in ijs deprehenderunt, quasi odore quodam veritatis retenti propius oberrauerunt; hoc autem, quia nihil videre in eo commodi poterant, relique-

a Iob. 29. & 31. Exod. 22. Psalm. 67. Eccl. 4. Iacob. 1.
b Deuter. 27. Esai. 1.
c Eccles. 7. Matth. 25.
23
d Tobiæ 1. 2. 12. Eccl. 18.

24 ſiquerunt. Quin etiã non defuerunt qui
ſuperuacaneam facerent ſepulturam, ni-
hilq; dicerent eſſe mali iacere inhumatũ,
atq; abiectum, quorum impiam ſapientiã
cum omne humanum genus reſpuit, tum
diuinæ voces, quæ id fieri iubent. Verùm
illi non audent dicere, id non eſſe facien-
dum, ſed, ſi forte non fiat, nihil eſſe incõ-
mòdi. Itaq; in ea re non tam præcipien-
tium, quam conſolantium funguntur offi-
cio, vt ſi forte id ſapienti euenerit, ne ſe
ob hoc miſerum putet. Nos autem non
quid ſapienti ferendum ſit dicimus, ſed
quid facere ipſe debeat. Itaq; non quęri-
mus nunc, vtrumne tota ſepeliendi ratio
ſit vtilis, nec ne; ſed hæc etiam ſi ſit inanis
(vt illi exiſtimant) tamen facienda eſt vel
ob hoc ſolum, quod apud homines bene,
& humane fieri videtur. Animus enim
quæritur, & propoſitum ponderatur. Nõ
enim patiemur, figuram & figmentum
Dei feris, ac volucribus in prædam iacere,
ſed reddemus id terræ, vnde ortum eſt; &
quamuis in homine ignoto neceſſariorum
ſepulturam nulli negandum munus imple-
bimus, in quorum locum, quia deſunt,
ſuccedat humanitas, & vbicunq; homo
deſiderabitur, ibi exigi officium noſtrum
putabimus. In quo autem magis iuſtitiæ
ratio conſiſtit, quam in eo, vt quod præ-
ſtamus noſtris per affectum, præſtemus
alienis per humanitatem, quæ eſt multo
certior, iuſtiorq;? Cum iam non homini
præſtatur, qui nihil ſentit, ſed Deo ſoli, cui
cariſſimum ſacrificium eſt opus iuſtum.
Dicet aliquis fortaſſe. Si hæc omnia fece-
ro, nihil habebo. Quid enim ſi magnus
hominum numerus egebit, algebit, capie-
tur, morietur, vt hæc facientem vel vno
die patrimonio exui ſit neceſſe, perdamne
rem familiarem meo, aut meorum labore
quæſitam, vt iam ipſi mihi aliena miſeri-
cordia viuendum ſit? Quid? Tu tam pu-
ſillo animo paupertatem times, quam etiã
veſtri Philoſophi laudant? nihil hac tutius,
nihilq; tranquillius eſſe teſtantur? Hoc
quod times ſollicitudinum portus eſt. An
ignoras, quot periculis, quot caſibus cum
his malis opibus ſubiaceas? quæ tecum
bene agent, ſi ſine tuo cruore tranſierint.
Tu verò præda onuſtus incedis, & ſpolia
geris, quæ irritent animos etiam tuorum.
Quid ergo dubitas benè collocare id, quod
tibi forſitan eripiet aut vnũ latrocinium,
aut exiſtens repente proſcriptio, aut ho-
ſtilis aliqua direptio? Quid verere fluxum
ac fragile bonum facere ſempiternum, aut
theſauros tuos cuſtodi Deo credere, vbi
non furem, prædonemq; timeas, non ru-
biginem, a non tyrannum? Qui apud Deũ a Matth. 6.
diues eſt, pauper eſſe nunquam poteſt. Si Lucæ 12.
iuſtitiam tanti putas, ſequere abiectis one-
ribus, quæ te premunt. Libera te ipſum
compedibus, & catenis, vt expeditus ad
Deum curras. Magni, & excelſi animi eſt
deſpicere, & calcare mortalia. Sed ſi hãc
virtutem non capis, vt diuitias tuas in ar-
cam Dei conferas, vt fragilibus tibi com-
pares firmiora, liberabo te a metu. Om-
nia iſta præcepta non ſoli tibi dantur, ſed
omni populo, qui mente coniunctus eſt,
& cohæret ſicut vnus homo. Si ſolus ma-
gnis operibus non ſufficis, pro virili parte
operare iuſtitiam, ſic tamen, vt quantum
diuitijs inter cæteros, tantum opere præ-
cellas. Neq; nunc ſuaderi tibi putes, vt
rem familiarem tuam minuas, vel exhau-
rias, ſed quæ in ſuperuacua fueras impen-
ſurus, ad meliora conuertas. Vnde be-
ſtias emis, hinc captos redime; vnde feras
paſcis, hinc pauperes ale; vnde homines
ad gladium comparas, hinc innocentes
mortuos ſepeli. Quid prodeſt perditę ne-
quitiæ beſtiarios facere locupletes, & in-
ſtruere ad flagitia? Transfert ad magnum
ſacrificium malè peritura, vt pro his veris
muneribus habeas a Deo munus ęternum.
Magna eſt miſericordiæ merces, cui Deus
pollicetur, peccata ſe omnia remiſſurum.
25 Si audieris (inquit *b*) preces ſupplicis tui, b Matth. 5.
& ego audiam tuas; ſi miſertus laboran- Luc. 6.
tium fueris, & ego in tuo labore miſere-
bor. Si autem non reſpexeris, nec adiu-
ueris, & ego animum tuum contra te ge-
ram, tuiſq; te legibus iudicabo.

CAPVT XIII.

QVOTIES igitur rogaris, tentari te
a Deo crede, an ſis dignus exaudi-
ri. Circumſpice conſcientiam
tuam, &, quantum potes, medere vulne-
ribus; nec tamen, quia peccata largitione
tolluntur, dari tibi licentiam peccandi pu-
tes. Abolentur enim, ſi Deo largiare,
quia peccaueras. Nam ſi fiducia largien-
di pecces, non abolentur. Deus enim
purgari homines à peccatis maximè cu-
pit,

a Hierem. 18 Ezech. 18. Luc. 5. pit, ideoq; agi pęnitentiam iubet. a Agere autem pęnitentiam nihil aliud eſt, quã profiteri, & affirmare, ſe vlterius non peccaturum. Ignoſcitur itaq; ijs, qui ad peccatum imprudenter, incautèq; labun-
26 tur, [26] veniam non habet qui ſciens peccat. Nec tamen, ſi aliquis fuerit purificatus ab omni labe peccati, temperandum ſibi ab opere largitionis exiſtimet, quia non habeat peccata, quæ deleat. Immo verò tum magis iuſtitiam debet operari, cum factus eſt iuſtus, vt quod ante in medelam vulnerum fecerat, poſtmodum faciat in gloriam, laudemq; virtutis. Eò accedit, quòd nemo eſſe ſine delicto poteſt, quandiu indumento carnis oneratus eſt.
b 3. Reg. c 6. 2. Paral. c. 6 Eccl. 7. Prouer. 20. & 24. 1. Io cap. 1. b Cuius infirmitas triplici modo ſubiacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus. Per hos gradus ad ſummum culmen iuſtitia procedit. Primus eſt virtutis gradus, malis operibus abſtinere, c ſecundus etiam malis verbis, d tertius etiam co-
27 gitatione rerum malarum. e [27] Qui primũ
c 1. Petr. 30. 3. Ioan. d Pſal. 33. 1. Petr 3. e Eſai. 1. Hierem. 4 1. ad Corin. 13. gradum aſcendit ſatis iuſtus eſt; qui ſecundum iam perfectæ virtutis, ſiquidem neq; ſermone, neq; factis delinquat; qui tertiũ, is verò ſimilitudinem Dei aſſecutus videtur. Eſt enim penè ſupra humanum modum ne in cogitationem quidem admittere quod ſit vel factu malum, vel improbũ dictu. Itaq; etiam iuſti homines, qui frenare ſe poſſunt ab omni opere iniuſto, nõnunquam tamen ipſa fragilitate vincuntur, vt vel in ira malum dicant, vel in aſpectu rerum delectabilium tacita cogitatione concupiſcant. Quod ſi mortalis cõditio non patitur, eſſe hominem ab omni macula purum, debent ergo largitione perpetua peccata carnis aboleri. Vnum eſt.n. ſapientis, & iuſti, & vitalis viri opus, diuitias ſuas in ſola iuſtitia collocare, qua profecto qui eget licet ille Crœſũ, aut Craſsũ diuitijs ſuperet, hic pauper, hic nudus, hic mẽdicus putãdus eſt. Danda igitur opera, vt indumento iuſtitiæ, pietatiſq; velemur, quo nos exuat nemo, quod nobis ſempiternum præbet ornatum. Nam ſi Deorum cultores ſimulachra inſenſibilia excolunt, & quicquid pretioſi habent, in ea conferunt, quibus nec vti poſſunt, nec gratias agere qui acceperint; quanto iuſtius eſt, & verius viuentia Dei ſimulachra excolere, vt promereare viuentem? quæ ſicut viui habent quicquid acceperint, & gratias agunt, ita Deus, in cuius conſpectu bonum feceris, & probabit, & mercedem pietatis exoluet.

CAPVT XIV.

SI ergo in homine præclarum, & excellens eſt bonum miſericordia; idq; diuinis teſtimonijs, & bonorum, malorũq; conſenſu optimum iudicatur, apparet, Philoſophos longè abſuiſſe ab humano bono, qui neq; præceperunt eiuſmodi quicquam, neq; fecerunt; ſed hanc virtutem, quæ in homine propemodum ſingularis eſt, pro vitio ſemper habuerunt. Libet hic interponere vnum de philoſophia locum, vt illorum pleniùs coarguamus errores, qui miſericordiam, cupiditatem, metum morbos animi appellant. Conãtur illi quidem virtutes a vitijs diſtinguere; quod eſt ſanè facillimum. Quis enim non poſſit liberalem à prodigo ſeparare (vt illi faciunt) aut parcum à ſordido, aut quietum ab inerti, aut cautum à timido? quod hæc, quæ ſunt bona, fines ſuos habeant; quos ſi exceſſerint, in vitia labuntur; ita vt conſtantia, niſi pro veritate ſuſcepta ſit, ſit impudentia: Item fortitũdo, ſi nulla neceſſitate cogente, aut non pro cauſa honeſta certum periculum ſubierit, in temeritatem cõuertitur: libertas quoq; ſi alios inſectetur potius quàm inſectantibus reſiſtat, cõtumacia eſt; ſeueritas etiã, niſi ſe intra congruentes nocentium pœnas coerceat, fit ſæua crudelitas. Itaq; dicunt eos, qui mali videantur, non ſua ſponte peccare, nec mala potiùs eligere; ſed bonorum ſpecie lapſos incidere in mala, dum bonorum, ac malorum diſcrimen ignorant. Hæc quidem falſa non ſunt, ſed ad corpus cuncta referuntur. Nam parcum eſſe, aut conſtantem, aut cautum, aut quietum, aut fortem, aut ſeuerum, virtutes ſunt quidem, ſed huius temporariæ vitæ. Nos autem, qui hanc vitam contemnimus, alias nobis virtutes propoſitas habemus, de quibus Philoſophi ne ſuſpicari quidem vlla ratione potuerunt. Itaq; & virtutes quaſdam pro vitijs, & vitia quædam pro virtutibus habuerunt.
[28] Nam Stoici affectus omnes, quorum 28
impulſu animus commouetur, ex homine tollunt, cupiditatem, lætitiam, metum, mœſtitiam: quorum duo priora ex bonis

ſunt

sunt aut futuris, aut præsentibus; posteriora ex malis. Eodem modo hæc quatuor, morbos (vt dixi) vocant, non tam natura insitos, quam praua opinione susceptos. Et iccirco eos censent extirpari posse radicitùs, si bonorum, malorumq; opinio falsa tollatur. Si enim nihil censeat sapiens bonum, nihil malum, nec cupiditate ardescet, nec lætitia gestiet, nec metu terrebitur, nec ægritudine contrahetur. Mox videbimus, an efficiant, quod velint, aut quid efficiant. Interim propositum arrogans, ac penè furiosum, qui se putent mederi, & eniti posse contra vim, rationemq; naturæ.

CAPVT XV.

HÆC enim naturalia esse, non voluntaria, omnium viuentium ratio demonstrat, quæ iisdem omnibus quatitur affectibus. Peripatetici ergo rectiùs, qui hæc omnia detrahi negant posse, quia nobiscum simul nata sint, & conantur ostendere, quam prouidenter, & quam necessariò Deus, siue Natura (sic enim dicunt) his nos armarit affectibus, quos tamen, quia vitiosi plerunq; fiunt, si nimij sint, posse ab homine adhibito modo salubriter temperari, vt tantum homini, quãtum naturæ satis est, relinquatur. Non insipiens disputatio, si (vt dixi) non ad hãc vitam omnia referrentur. Stoici ergo furiosi, qui ea non temperant, sed abscindunt, rebusq; à natura insitis castrare hominem quodammodo volunt. Quod tale est, quale si velint aut metum detrahere ceruis, aut venenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Nam quæ singula mutis animalibus data sunt, ea verò vniuersa homini simul. Quod si (vt medici dicunt) lætitiæ affectus in splene est, iræ in felle, libidinis in iecore, timoris in corde, faciliùs est interficere animal ipsum, quam ex corpore aliquid euellere; quod est, animantis naturam velle mutare. Sed homines prudentes nõ intelligũt, cum vitia ex homine tollunt, etiam virtutem se tollere, cui soli locum faciunt. Nam si virtus est in medio iræ impetu se ipsum cohibere, & reprimere, quod negare non possunt, caret ergo virtute quisquis ira caret. Si virtus est, libidinem corporis continere, virtute careat necesse est, qui libidinem, quam temperet, non habet. Si virtus est, cupiditatem ab alieni appetitione refrenare, nullam certè virtutem potest habere, qui caret eo, ad quod cohibendum virtutis vsus adhibetur. Vbi ergo vitia non sunt, nec virtuti locus est quidem; sicut nec victoriæ quidem, vbi aduersarius nullus est. Ita fit, vt bonum sine malo esse in hac vita non possit. Affectus igitur quasi vbertas est naturalis animorum. Nam sicut in sentes ager, qui est natura fœcundus, exuberat, sic animus incultus vitijs sua sponte inualescentibus velut spinis obducitur. Sed cum verus cultor accesserit, statim cedentibus vitijs, fruges virtutis oriuntur. Deus itaq; cum hominem primum fingeret, mirabili prouidentia ingenerauit ei prius istas animi cõmotiones, vt posset capere virtutem, sicut terra culturam: posuitq; materiam vitiorum in affectibus; virtutis in vitijs. Quæ profectò aut nulla erit, aut in vsu esse non poterit, si desint ea, per quæ vis eius aut apparet, aut constat. Videamus nunc, ijdem illi qui vitia penitùs excidunt, quid effecerint. Quatuor illos affectus, quos ex opinione bonorum, malorumq; nasci putant, quibus euulsis sanandum esse animum sapientis existimant, quoniam intelligunt & natura insitos esse, & sine his nihil moueri, nihil agi posse, alia quædam in eorum locum, vicemq; supponunt. Vt pro cupiditate substituunt voluntatem, quasi verò non multò sit præstabilius bonum cupere, quam malum velle. Item pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. At in illo quarto immutandi nominis eos ratio defecit. Itaq; ægritudinem penitus, idest mœstitiam, doloremq; animi sustulerunt, quod fieri nequaquã potest. Quis enim possit non dolere, si patriam aut pestilentia exhauserit, aut hostis euerterit, aut tyrannus oppresserit? Potest aliquis non dolere, si sublatã viderit libertatem, si proximos, si amicos, si bonos viros aut exterminatos, aut crudelissimè trucidatos? nisi cuius mens ita obstupuerit, vt sit ei sensus omnis ereptus. Quare aut omnia tollere debuerunt, aut implenda fuerat curta hæc, & debilis disputatio, idest etiam pro ægritudine aliquid reponendum; quoniam superioribus ita ordinatis, hoc consequens erat. Vt enim præsentibus lætamur bonis, sic malis angimur, ac dolemus.

Si ergo lætitiæ, quoniam vitiosam putabant, nomen illud indiderunt, sic ægritudini, quoniam & ipsam vitiosam putabãt, aliud vocabulum tribui congruebat. Vnde apparet, non illis rem defuisse, sed verbum, cuius indigentia eum totum affectũ, qui est vel maximus, contra quàm natura pateretur, auferre voluerunt. Nam illas nominum commutationes poteram coarguere pluribus, & ostendere aut sermonis ornandi, augendæque copiæ gratia multa nomina iisdem rebus imposita, aut certè non multum inter se illa distare; nam & cupiditas à voluntate incipit, & cautio à metu oritur, & lætitia nihil aliud est, quàm perfusum gaudium. Sed putemus, vt ipsi volunt, esse diuersa. Nempe igitur cupiditatem esse dicent perseuerantẽ, ac perpetuam voluntatem: lætitiam verò insolenter se efferens gaudium, metum autem nimiam, & excedentem modum cautionẽ. Ita fit, vt ea, quæ tollenda esse censent, non tollant, sed temperent, si quidem nomina tantummodo immutant, res ipsæ manent. Eò igitur imprudentes reuoluũtur, quò Peripatetici ratione perueniũt, vt vitia, quoniam tolli non possunt, moderanda sint. Ergo errant, quoniam non efficiunt, quod volunt, & longo asperoq; circuitu in eandem viam redeunt.

CAPVT XVI.

AT ego nè Peripateticos quidem accessisse ad veritatem puto, quia vitia esse concedunt, sed ea mediocriter temperant. Carendum est enim vitijs etiam mediocribus. quin potiùs efficiendum fuit, primum, ne vitia essent: nec enim quicquam vitiosum nasci potest, sed vitia fieri, si malè vtamur affectibus, virtutes, si bene. Deinde monstrandum est, non ipsos affectus, sed eorum causas esse moderandas. Non est (inquinat) lætitia nimia gestiendum, sed modicè, ac temperatè. Hoc verò tale est, quale si dicerent, non esse currendum concitatè, sed gradiendũ quietè. At potest & qui graditur errare, & qui currit rectam viam tenere. Quid si ostendero esse aliquid, vbi non tantum modicum, sed vel punctum gaudere vitiosum sit, & aliud contra, in quo vel exultare lætitia minimè criminosum? Quid tandem nobis ista mediocritas proderit? Quæro vtrumnè sapienti lætandum putent, si quid inimico suo mali videat accidere, aut vtrumnè lætitiam frenare debeat, si victis hostibus, aut oppresso tyranno libertas, & salus ciuibus parta sit? Nemo dubitat, *quin & in illo exiguum lætari, *sit maximum crimen. Eadem de cæteris affectibus dicere licet. Sed (vt dixi) non in his moderandis sapientiæ ratio versatur, sed in causis eorum, quoniam extrinsecùs commouentur, nec ipsis potissimum frenos imponi oportuit, quoniã & exigui possunt in maximo crimine, & maximi possunt esse sine crimine. Sed assignandi fuerunt certis temporibus, & locis, ne vitia sint, quibus vti rectè licet. Sicut enim rectè ambulare bonum est, errare autem malum, sic moueri affectibus in rectum, bonum est, in prauum, malum. Nam si libido extra legitimum torum non euagetur, licet sit vehemens, tamen culpa caret, sin verò appetit alienam, licet sit mediocris, vitium tamen maximũ est. Non est itaq; morbus irasci, nec cupere, nec libidine commoueri, sed iracundum esse morbus est, cupidum, libidinosum. Qui enim iracundus est, etiam cui non debet, aut cui non oportet, irascitur. Qui cupidus, etiam quod non opus est, concupiscit. Qui libidinosus, etiam quod legibus vetatur, affectat. Omnis igitur ratio in eo versari debuit, vt quoniam earum rerum impetus inhiberi non potest, nec debet, quia necessariò est insitus ad tuenda officia vitæ, dirigeretur potius in viam rectam, vbi etiam cursus offensione, ac periculo careat.

*Et in hoc parum lætari.

CAPVT XVII.

SED euectus sum coarguendi studio longiùs, cum sit mihi propositum ea, quæ vitia philosophi putauerunt, ostendere, non tantum vitia non esse, verum etiam magnas esse virtutes. Ex alijs docendi gratia sumam quæ pertinere ad rem maximè puto. Metum, seu timorem in maximo vitio ponunt, summamq; imbecillitatem esse animi putant, cui sit contraria fortitudo, quæ si sit in homine, locum timori esse nullum. Credit ergo nè aliquis fieri posse, vt idem metus summa

sit

fit fortitudo? Minime. Neque enim videtur capere natura, vt aliquid in contrarium recidat. At qui ego non arguta aliqua conclusione, vt apud Platonem Socrates facit, qui eos, quos contra disputat, cogit ea, quæ negauerant, confiteri, sed simpliciter ostendam, summum metum summam esse virtutem. Nemo dubitat, quin timidi, & imbecilli sit animi aut dolorem metuere, aut egestatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortem, quæ omnia quisquis non exhorruerit, fortissimus iudicatur. Qui autem Deum metuit, illa vniuersa non metuit. Ad quod probandũ argumentis opus non est. Spectatæ sunt enim, semperq; spectantur adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis noua, & inusitata tormenta excogitata sunt Nam de mortis generibus horret animus recordari, cum immanium bestiarum, vltra ipsam mortem, carnificina sæuierit. Has tamen execrabiles corporum lacerationes felix, atq; inuicta patientia sine vllo gemitu pertulit. Hæc virtus omnibus populis, atq; prouincijs, & ipsis tortoribus miraculum maximum præbuit, cum patientia crudelitas vinceretur. Atq; hanc virtutem nihil aliud, quam metus Dei fecit. Itaq; (vt dicebam) non euellendus, vt Stoici, neque temperandus timor, vt peripatetici volunt, sed in verã viam dirigendus est, auferendiq; sunt metus, sed ita, vt hic solus relinquatur, qui quoniam legitimus, ac verus est, solus efficit, vt possint cætera omnia non timeri. Cupiditas quoq; inter vitia numeratur. Sed si hæc, quæ terrena sunt concupiscit, vitium est, virtus autem, si cælestia. Qui enim iustitiam, qui Deum, qui vitam perpetuam, qui lucem sempiternam, eaq; omnia, quæ Deus homini pollicetur, consequi cupit, opes istas, & honores, & potentatus, & Regna ipsa contemnet. Dicet fortasse Stoicus, voluntate opus esse ad hæc consequenda, non cupiditate: immo verò paruin est velle. Multi enim volunt, sed cum dolor visceribus accesserit, voluntas cedit, cupiditas perseuerat, quæ si efficit, vt contemptui sint omnia, quæ a cæteris appetuntur, summa virtus est, siquidẽ continentiæ mater est. Ideoq; illud potius efficere debemus, vt affectus, quibus prauè vti vitium est dirigamus in
30 rectum. [r] Nam istæ concitationes animorum iuncto currui similes sunt, in quo rectè moderando summũ rectoris officium est, vt viam nouerit, quam si tenebit, quamlibet concitatè ierit, non offendet. Si autem aberrauerit, licet placidè, ac leniter eat, aut per confragosa vexabitur, aut per præcipitia labetur, aut certè quò non opus est, deferetur. Sic cursus ille vitæ, qui affectibus, velut equis pernicibus ducitur, si rectam viam teneat, fungetur officio. Metus igitur, & cupiditas, si proijciantur in terram, vitia fient, virtutes autem, si ad diuina referantur. Parsimoniam contra, virtutis loco habent, quæ si studium est habendi, non potest esse virtus, quia in augendis, vel tuendis terrestribus bonis tota versatur. Nos autem summum bonum nõ referimus ad corpus, sed omne officium solius animę conseruatione metimur. Quòd si (vt supra [a] docui) *a hoc eod. l.*
patrimonio minimè parcendum est, vt hu- *c. 12. in fine*
manitatem, iustitiamq; teneamus, non est virtus frugi esse, quod nomen virtutis specie fallit, ac decipit. Est enim frugalitas abstinentia quidem voluptatum, sed eò vitium, quia ex habendi amore descendit, cum sit & voluptatibus abstinendum, & pecuniæ minimè temperandum. Nam parcè, idest mediocriter vti pecunia quasi quædam pusillitas est animi aut pertimentis, ne sibi desit, aut desperantis, posse se illam reparare, aut contemptum terrestrium non capientis. Sed illi rursus eum, qui rei familiari suæ non parcat, prodigũ vocant. Nam ita liberalem distinguunt à prodigo, quòd is liberalis sit, qui & bene meritis, & cum oportet, & quantum satis est largiatur. Prodigus verò, qui & non meritis, cum opus non est, & sine respectu rei familiaris effundat. Quid ergo? Prodigumnè dicemus eum, qui misericordiæ causa tribuit egentibus victum? Atqui multum refert, vtrumnè scortis propter libidinem largiare, an miseris propter humanitatem: vtrum pecuniam tuam perductores, aleatores, lenonesq; diripiant, an illam pietati, ac Deo præstes: vtrumnè illam ventri, ac gulæ ingeras, an in thesauro iustitiæ reponas. Vt ergo vitium est, effundere in malam partem, sic in bonam virtus. Si virtus est, non parcere opibus, quæ possunt reparari, vt hominis vitam sustentes, quæ reparari non potest, vitium igitur parsimonia est. Quare nihil aliud dixerim, quam insanos, qui hominẽ mite, ac sociale animal orbãt suo nomine,

qui euulsis affectibus, quibus omnis constat humanitas, ad immobilem stuporem mentis perducere volunt, dum student animum à perturbationibus liberare, & (vt ipsi dicunt) quietum, tranquillumq; reddere. Quod fieri non tantum non potest, quia vis, & ratio eius in motu est, sed ne oportet quidem; quia sicut aqua semper iacens, & quieta insalubris, & magis turbida est, sic animus immotus, ac torpens inutilis est etiam sibi, nec vitam ipsam tueri poterit, quia nec faciet quicquam, nec cogitabit; cum cogitatio ipsa nihil aliud sit, quàm mentis agitatio. Deniq; qui hanc immobilitatem animi afferunt, priuare animum vita volunt, quia vita actuosa est, mors quieta. Quædam etiam rectè pro virtutibus habent, sed earum modum non tenent. Virtus est constantia, non vt inferentibus iniuriam resistamus, his enim cedendum est, quod cur fieri debeat, mox docebo; sed vt iubentibus facere nos contra Dei legem, contraq; iustitiam, nullis minis, aut supplicijs terreamur, quo minus Dei iussionem hominis iussioni præferamus.

a Actu Apost. 5. a Item virtus est, mortem contemnere, non vt appetamus, eamq; vltro nobis inferamus, sicut philosophorum plurimi, & maximi sæpe fecerunt, quod est sceleratum, ac nefarium; sed vt coacti Deum relinquere, ac fidem prodere, mortem suscipere malimus, libertatemq; defendamus aduersus impotentium stultam, vecordemq; violentiam; vt omnes seculi minas, atq; terrores fortitudine animi prouocemus. Sic ea, quæ alij timent, excelsa, & insuperabili mente dolorem, mortemq; calcamus. Hæc est virtus, hæc vera constantia in hoc tuenda, & conseruanda solo, vt nullus nos terror, nulla vis à Deo possit auertere. Vera igitur Ciceronis illa sententia est.

b Cic. 2. off. c. 8. NEMO (inquit b) iustus potest esse, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet.] Item Senecæ in libris moralis

31 Philosophię dicentis. " HIC est ille homo honestus non apice, purpuraue, non lictorum insignis ministerio, sed nulla re minor, qui cum mortem in vicinia videt, non sic perturbatur, tanquam rem nouam viderit, qui siue toto corpore tormenta patienda sunt, siue flamma ore recipienda est, siue extendendæ per patibulum manus, non quærit quid patiatur, sed quàm benè.] Qui autem Deum colit, hæc patitur, nec timet. Ergo iustus. His rebus efficitur, vt neq; virtutes, neq; virtutum exactissimos limites nosse, aut tenere possit omnino quisquis est à religione Dei singularis alienus.

CAPVT XVIII.

SED omittamus Philosophos, qui aut omnino nihil sciunt, idq; ipsum pro summa scientia præ se ferunt, aut qui non perspiciunt etiam quæ sciunt, aut qui, quoniam se putant scire quę nesciunt, ineptè, arroganterq; desipiunt. Nos ergo (vt ad propositum reuertamur) quibus solis a Deo veritas reuelata, & cœlitùs missa sapientia est, faciamus quæ iubet illuminator noster Deus. Sustineamus inuicem, a *a Ad Colossen. 3.* & labores huius vitæ mutuis adiumentis perferamus. b Nec tamen, si quid boni *b Ad Galat. 6.* operis fecerimus, gloriam captemus ex eo. Monet enim Deus, c operatorem iustitiæ *c Prouerb. 28. Matt. 6.* non oportere esse iactantem, ne non tam mandatis cœlestibus obsequendi, quam studio placendi humanitatis officio functus esse videatur, habeatq; iam pretium gloriæ, quod captauit, nec præmium cælestis illius, ac diuinæ mercedis accipiat. Cætera, quæ obseruare cultor Dei debet, facilia sunt illis virtutibus comprehensis; vt non mentiatur vnquam decipiendi, aut nocendi causa. Est enim nefas eum, qui veritati studeat, in aliqua re esse fallacem, atq; ab ipsa, quam sequitur, veritate discedere. In hac iustitiæ, virtutumq; omniũ via, nullus mendacio locus est. d Itaq; *d Psalm. 5. Sapien. 1. ad Colloss. 3.* viator ille verus, ac iustus non dicet illud Lucilianum.

Homini amico, ac familiari non est mentiri meum. *Iacobi 3.*

Sed etiam inimico, atq; ignoto existimabit, non esse mentiri suum; nec aliquando committet, vt lingua interpres animi à sensu, & cogitatione discordet. Pecuniam si quam crediderit, non accipiat vsuram, e vt & beneficium sit incolume, quod *e Leuit. 25. Deuter. 23. Pselm. 14. Ezech. 18.* succurrat necessitati, & abstineat se prorsus alieno. In hoc enim genere officij debet suo esse contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, vt bonũ faciat: plus autem accipere quàm dederit, iniustum est. Quod qui facit, insidiatur quodammodo, vt ex alterius necessitate prædetur.

prædetur. At iustus nunquam prætermit-
tet, quo minus aliquid misericorditer fa-
ciat, nec inquinabit se huiusmodi quæstu,
sed efficiet, vt sine vllo suo damno, id ip-
sum, quod commodat, inter bona opera
a Exod.23. numeretur. Munus non accipiat a paupe
Prouerb.15 re, *a* vt si quid ipse præstiterit, eo bonum
Deuter.16. sit, quo fuerit gratuitum. Maledicenti be
b Luc.6. ad ne dicto respondeat, *b* nunquam ipse male-
Rom.12. dicat, nec verbum malum procedat ex ore
32 hominis, [32] qui colit verbu bonum. Quin
etiam caueat diligenter, ne quando inimi-
cum sua culpa faciat: & si quis extiterit tã
proteruus, qui bono, & iusto faciat iniu-
riam, clementer, ac moderatè ferat, &
c Eccl.28. vltionem sibi non assumat, *c* sed Dei iudi-
Matt.5. ad cio seruet. *d* Innocentiam semper, & vbiq;
Rom.12. custodiat. *e* Quod præceptum non ad hoc
d Deuter.32 tantum valet, vt ipse iniuriam non infe-
ad Hebræ. rat, sed vt illatam sibi non vindicet. Se-
10. det enim maximus, & æquissimus iudex
e Psalm.7. speculator, ac testis omnium. Hunc ho-
40.83. mini præferat, hunc malit de causa sua
pronunciare, cuius sententiam nemo ef-
fugere potest nec defensione cuiusquam,
nec gratia. Ita fit, vt homo iustus con-
temptui sit omnibus, & quia putabitur se-
metipsum defendere non posse, habebitur
pro segni, & inerti. Qui autem fuerit vl-
tus inimicum, hic fortis, hic strenuus iu-
dicatur, hunc colunt, hunc omnes veren-
tur. Bonus verò ille, tametsi prodesse om-
nibus, vel pluribus possit; illum tamen sus-
piciunt, qui nocere, quam qui prodesse
possit: sed iustum prauitas hominum de-
prauare non poterit, quo minus Deo stu-
deat obtemperare, malitq; contemni,
dummodo semper boni fungatur officio,
malî nunquam. Cicero in ijsdem illis offi-
cialibus libris. AT verò si quis voluerit
f Cic.1. of- (inquit *f*) animi sui complicatam notio-
fic. c.7. & nem euoluere, iam se ipse doceat, eum
lib.3.c.3. ad virum bonum esse, qui prosit quibus pos-
fin. sit, noceat nemini, nisi lacessitus iniuria.]
O' quam simplicem, veramq; sententiam
duorum verborum adiectione corrupit.
Quid enim opus fuerat adiungere [nisi la-
cessitus iniuria] vt vitium bono uiro quasi
caudam turpissimam apponeret, patien-
tiæq; quæ omnium virtutum maxima est,
faceret expertem? Nociturum esse dixit
33 bonum virum, si fuerit lacessitus. [33] Iam
ex hoc ipso boni viri nomen amittat ne-
cesse est, si nocebit. Non minus enim ma-
li est, referre iniuriam, quam inferre. Nã
vnde certamina inter homines, vnde pu-
gnæ, contentionesq; nascuntur, nisi quod
improbitati opposita impatientia magnas
sæpè concitat tempestates? Quod si pa-
tientiam, qua virtute nihil verius, nihil
homine dignius inueniri potest, improbi-
tati opposueris, extinguetur protinus,
tanquam si igni aquam superfuderis. Sin
autem prouocatrix illa improbitas impa-
tientiam sibi comparem nacta est, tanquã
perfusam oleo, tantum excitabit incen-
dium, vt id non flumen aliquod, sed effu-
sio cruoris extinguat. Magna itaq; pa-
tientiæ ratio est, quam sapiens homo ade-
mit bono viro. Vt enim nihil malorum
fiat, hæc sola efficit, quæ si detur omni-
bus, nullum scelus, nulla fraus in rebus hu-
manis erit. Quid ergo bono viro potest
esse tam calamitosum, tamq; contrarium,
quam iræ frena permittere, quæ illum nõ
modò boni, sed etiam hominis appellatio-
ne dispoliet? Siquidem nocere alteri (vt
ipse ait *a* verissimè) non est secundum ho- *a Cic.3. of-*
minis naturam. Nam & pecudes si laces- *ficior.c.2. in*
sas aut calce, aut cornu repugnant. Et *princ.*
serpentes, ac feræ, nisi persequaris, nec
occidas, negotium non exhibent. Et (vt
ad hominum exempla redeamus) imperiti
quoq; & insipientes, si quando accipiunt
iniurias, cæco, & irrationabili furore du-
cuntur, & ijs, qui sibi nocent, vicem re-
tribuere conantur. In quo igitur sapiens;
ac bonus vir a malis, & insipientibus dif-
fert, nisi quòd habet inuictam patientiam,
qua stulti carent, nisi quòd regere se, ac
mitigare iram suam nouit, quam illi, quia
virtute indigent, frenare non possunt? Sed
videlicet hæc illum res fefellit, quia cum
de virtute quæreretur in quacunq; con-
tentione vincere putauit esse uirtutis. Nec
videre vllo modo potuit, hominem dolo-
ri, & iræ succumbentem, & his affectibus
indulgentem, quibus debet potiùs relucta-
ri, & ruentem quamcunq; in partem pro-
uocauerit improbitas, virtutis officium
non tenere. Qui enim referre iniuriam
nititur, cum ipsum, a quo læsus est, gestit
imitari. Ita qui malum imitatur, bonus
esse nullo pacto potest. Duobus igitur ver
bis duas virtutes maximas bono, & sa-
pienti viro, innocentiam, patientiamq; *b Apud Nõ-*
detraxit. Sed quia ipse caninam illam fa- *nium in Ra-*
cundiam (sicut Sallustius ab Appio dictum *bula. Quin-*
refert *b*) exercuit, voluit quoq; hominem *tilian. lib.*
canino modo viuere, vt remordeat laces- *12. c.9.*
situs.

situs. Quæ retributio contumeliæ quàm perniciosa sit, & quas ędere soleat strages, vnde opportunius petetur exemplum, quàm ex ipsius doctoris tristissimo casu, qui dum his philosophorum pręceptis obtemperare gestit, ipse se perdidit? Quòd si lacessitus iniuria patientiam tenuisset, si dissimulare, si ferre contumeliam boni viri esse didicisset, nec illas nobiles orationes
34 alieno titulo inscriptas impatientia, & leuitate, & insania profudisset; nunquam capite suo rostra, in quibus ante floruerat, cruentasset, nec rem publicam funditùs proscriptio illa deleuisset. Sapientis ergo, ac boni viri non est velle certare, ac se periculo committere, quoniam & vincere non est in nostra potestate, & est anceps omne certamen; sed est sapientis, atq; optimi viri nō aduersariū velle tollere, quod fieri sine scelere, ac periculo non potest, sed certamen ipsum, quod fieri, & vtiliter, & iustè potest. Summa igitur virtus habenda patientia est, quam vt caperet homo iustus, voluit illum Deus (vt supra dictum est) pro inerte cōtemni. Nisi enim contumelijs fuerit affectus, quantum habeat fortitudinis in se ipso cohibēdo, ignorabitur. Si autem lacessitus iniuria lædentem persequi cæperit, victus est. Si vero motū illum ratione compresserit, hic plane imperat sibi, & hic regere se potest. Quæ sustentatio sui rectè patientia nominatur, quæ vna virtus est opposita vitijs, & affectibus, hæc perturbatum, ac fluctuantem animum ad tranquillitatem suam reuocat, hæc mitigat, hæc hominem sibi reddit. Ergo quoniam naturæ repugnare impossibile est, & inutile, vt nō commoueamur omnino, prius tamen quam commotio illa prosiliat ad nocendum, quo ad fieri potest maturiùs sopiatur. Præcepit Deus *a* non occidere Solem super iram nostrā, ne furoris nostris testis abscedat. Deniq; M. Tullius contra suum præceptum, de quo paulo ante dixi, obliuionem iniuriarum in magnis laudibus posuit. SPERO (inquit *b*) Cæsar, qui obliuisci nihil soles nisi iniurias.] Quod si hoc ille faciebat homo non a cælesti tantum, sed a publica quoq; ciuiliq; iustitia remotissimus, quantò magis id nos facere debemus, qui immortalitatis velut candidati sumus?

a ad Ephes 4.

b Cic. p Q. Ligar. in fi.

CAPVT XIX.

STOICIS, cum affectus ex homine tanquam morbos conantur euellere, Peripatetici se opponunt, eosq; non modo retinent, sed etiam defendunt, nihilq; in homine esse dicunt, quod non magna ratione, ac prouidentia sit innatum. Rectè id quidem, si singularum rerum veros 35
terminos scirent. Itaq; hanc ipsam iram cotem dicunt *a* esse virtutis, tanquam nemo possit aduersus hostes fortiter dimicare, nisi fuerit ira concitatus. Quo planè ostendunt nec quid sit virtus scire se, nec cur homini attribuerit iram Deus. Quæ si nobis ideo data est, vt ea vtamur ad occidendos homines, quid immanius homine, quid similius feris belluis existimandum est, quàm id animal, quod ad communionem, & innocentiam Deus fecit? Tres sunt igitur affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido. Propterea Poetæ tres Furias esse dixerunt, *b* quæ mentes hominum exagitent. Ira vltionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Sed his omnibus Deus certos limites statuit, quos si transcēderint, maioresq; esse cœperint, necesse est, naturam suam deprauent, & in morbos, ac vitia vertantur. Qui autem sint isti limites, non est magni laboris ostendere. Cupiditas ad ea comparanda nobis data est, quæ sunt ad vitam necessaria; libido ad sobolem procreandam; iræ affectus ad coercēda peccata eorum, qui sunt in nostra potestate, idest, vt arctiore disciplina minor ætas ad probitatem, iustitiamq; formetur, quæ nisi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium, & facinus euadet. Itaq; vt ira vti aduersum minores & iustum est, & necessarium, sic & aduersum pares & perniciosum est, & impium. Impium, quòd violatur humanitas; perniciosum, quod illis repugnantibus aut perdere necesse est, aut perire. Hanc autem, quam dixi esse rationem, cur homini sit iræ affectus datus, ex ipsius Dei præceptis intelligi potest, qui iubet, vti *c* maledicis, & lædentibus non irascamur; manus autem nostras supra minores semper habeamus, hoc est vt peccantes eos assiduis verberibus corrigamus, ne amore inutili, & indulgen-

a ap Cic. Lucullus.

b Orph. Thyn. Eumenid virg. 12

c Matth. 5.

dulgentia nimia educentur ad malum, &
a Prouerb. 13. Eccl. 30
ad vitia nutriantur. a Sed rerum imperiti,
& rationis ignari eos affectus, qui sunt ho-
mini ad vsus bonos dati, exterminauerũt,
& latiùs, quam ratio postulat, euagantur.
Inde iniustè, atq; impiè viuitur. Vtuntur
ira contra pares. Hinc dissidia, hinc ex-
pulsiones, hinc bella contra iustitiam na-
ta sunt. Vtuntur cupiditate ad congre-
gandas opes. hinc fraudes, hinc latroci-
nia, hinc omnia scelerũ genera orta sunt.
Vtuntur libidine ad capiendas tantùm vo-
luptates. hinc stupra, hinc adulteria, hinc
corruptelæ omnes extiterunt. Quicunq;
igitur illos affectus intra fines suos redege-
rit, quod ignorantes Deum facere non
possunt, hic patiens, hic fortis, hic iu-
stus est.

CAPVT XX.

RESTAT, vt contra quinq; sensuũ
voluptates dicam breuiter: nam &
ipsius libri mensura iam modum flagitat.
quæ omnes, quoniam vitiosæ, ac morti-
feræ sunt, virtute superari, atq; opprimi
debent, vel (quod paulo ante dicebam de
affectibus) ad rationem suam reuocari.
Cæteræ animantes præter vnam volupta
tem, quæ ad generandum pertinet, nul-
lam sentiunt. Vtuntur ergo sensibus ad
naturæ suæ necessitatem. Vident, vt ap-
petant ea, quibus opus est ad vitam tuen-
dam: audiunt inuicem, seq; dignoscunt,
vt possint congregari. Quæ vtilia sunt ad
victum aut ex odore inueniut, aut ex sapo
re percipiunt; inutilia respuunt, aut recu-
sant. Edendi, aut bibendi officium ven-
tris plenitudine metiuntur. Homini verò
solertissimi artificis prouidentia dedit vo-
luptatem infinitam, & in vitium cadentẽ,
quia proposuit ei virtutem, quæ cum vo-
luptate semper, tanquam cum domestico
hoste pugnaret. Cicero in Catone maio-
36 re, [36] STVPRA verò (inquit) & adulteria,
& omne flagitium nullis excitari alijs ille-
cebris, nisi voluptatis. Cumq; homini
siue Natura, siue quis Deus nihil mente
præstabilius dedisset, huic diuino muneri,
ac dono nihil tam inimicum, quam volu-
ptatem. Nec enim libidine dominante
temperantiæ locum esse, neq; in volupta-
tis regno virtutem posse consistere.] Sed
è contrario Deus icciercò virtutem dedit,
vt expugnaret, & vinceret voluptatem,
eamq; egredientem fines sibi datos, intra
præscriptum coerceret, ne hominem sua-
uitatibus delinitum, atq; captum ditioni
suæ subijceret, ac sempiterna morte mul-
taret. Voluptas oculorum varia, & mul-
tiplex est, quæ capitur ex aspectu rerum,
quæ sunt in vsu hominum vel natura, vel
opere delectabiles. Hanc Philosophi re-
ctissimè sustulerunt. Aiunt enim multò
esse præclarius, & homine dignius Cœlum
potius, quam cælata intueri; & hoc pul-
cherrimum opus intermicantibus astrorũ
luminibus, tamquam floribus adornatum,
quàm picta, & ficta, & gemmis distincta
mirari. Sed cum disertè ad contemptum
terrestrium nos exhortati sunt, & ad Cœli
spectaculum excitauerunt, [37] tamen specta 37
cula hæc publica non contemnunt. Itaq;
his & delectantur, & libenter intersunt.
Quæ quoniam maxima sunt irritamenta
vitiorum, & ad corrumpendos animos po
tissimè valent, tollenda sunt nobis, quia
non modo ad beatam vitam nihil confe-
runt, sed etiam nocent plurimum. Nam
qui hominem quamuis ob merita damna-
tum in conspectu suo iugulari pro volupta
te computat, conscientiam suam polluit,
tam scilicet, quam si homicidij, quod fit
occultè, spectator, & particeps fiat. Hos
tamen ludos vocant, in quibus humanus
sanguis effunditur. Adeo longè ab homi-
nibus recessit humanitas, vt cum animas
hominum interficiant ludere se opinetur,
nocentiores ijs omnibus, quorum sangui-
nem voluptati habent. Quæro nunc, an
possint pij, & iusti homines esse, qui con-
stitutos sub ictu mortis, ac misericordiam
deprecantes, non tantum patiuntur occi-
di, sed efflagitant, feruntq; ad mortem
crudelia, & inhumana suffragia nec vul-
neribus satiati, nec cruore contenti: quin
etiam percussos, iacentesq; repeti iubent,
& cadauera ictibus dissipari, ne quis illos
simulata morte deludat. Irascuntur etiam
pugnantibus, nisi celeriter alter è duobus
occisus est, & tanquam humanum sangui-
nem sitiant. oderunt moras. Alios illis cõ-
pares dari poscunt recentiores, vt quam-
primum oculos suos satient. Hac con-
suetudine imbuti humanitatem perdide-
runt. Itaq; non parcunt etiam innocen-
tibus, sed exercent in omnes quod in ma-
lorum trucidatione didicerunt. Huius igi-
tur

tur publici homicidij socios, & participes esse non conuenit eos, qui iustitiæ viam tenere nituntur. Non enim cum occidere
a Exod. 20. Deus vetat, a latrocinari nos tantum prohibet,
Matth. 5. quod ne per leges quidem publicas licet, sed ea quoq; ne fiant monet, quæ apud homines pro licitis habentur. Ita
38 [38] neq; militare iusto licebit, cuius militia
39 est in ipsa iustitia, [39] neque verò accusare quemquam crimine capitali, quia nihil distat, vtrumne ferro, an verbo potius occidas, quoniam occisio ipsa prohibetur.
40 [40] Itaq; in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occi-
41 dere hominem sit semper nefas, [41] quem Deus sanctum animal esse voluit. Ergo ne illud quidem concedi aliquis existimet, vt recens natos liceat oblidere, quæ vel maxima est impietas: ad vitam enim Deus inspirat animas, non ad mortem. Verùm homines, ne quod sit facinus, quo manus suas non polluant, rudibus adhuc, & simplicibus animis abnegant lucem non a se datam. Expectet verò aliquis, vt alieno sanguini parcant, qui non parcunt suo. Sed hi sine vlla controuersia scelerati, & iniusti. Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus obijciunt; & quantum in ipsis est, crudelius necant, quàm si strangulassent. Quis dubitet, quin impius sit, qui alienæ misericordiæ locum non tribuit? qui, etiam si contingat ei, quod voluit, vt alatur, addixit certè sanguinem suum vel ad seruitutem, vel ad lupanar. Quæ autem possint, vel soleant accidere in vtroq; sexu vel per errorem quis non intelligit? quis ignorat? Quod vel vnius Oedipodis declarat exemplum duplici scelere confusum. Tam igitur nefarium est exponere, quàm necare. At enim parricidæ facultatum angustias conqueruntur, nec se pluribus liberis educandis sufficere posse prætendunt, quasi verò aut facultates in potestate sint possidentium, aut non quotidie Deus ex diuitibus pauperes, & ex pauperibus diuites faciat. Quare si quis liberos ob paupertatẽ non poterit educare, satius est, vt ab vxoris congressione contineat, quam sceleratis manibus Dei opera corrumpat. Ergo si homicidium facere nullo modo licet, nec interesse omnino conceditur, ne conscientiam perfundat vllus cruor; si quidem populo sanguis ille præstatur. In scenis quoq; nescio an sit corruptela vitiosior. Nam & Comicæ fabulę de stupris virginũ loquuntur, aut amoribus meretricum; & quo magis sunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi, & ornati. Item tragicæ historiæ subijciunt oculis parricidia, & incesta regum malorum, & cothurnata scelera demonstrant. Histrionum quoq; impudicissimi motus, quid aliud nisi libidines docent, & instigãt? quorum eneruata corpora, & in muliebrem incessum, habitumq; mollita impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de Mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam? qui docent adulteria, dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera? Quid iuuenes, aut virgines faciant, cum hæc & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernũt? Admonentur vtiq; quid facere possint, & inflammantur libidine, quæ aspectu maximè concitatur, ac se quisq; pro sexu in illis imaginibus præfigurat, probantq; illa, dum rident, & adhærentibus vitijs corruptiores ad cubicula reuertuntur: nec pueri modo, quos præmaturis vitijs imbui nõ oportet, sed etiam senes, quos peccare iam non decet. Circensium quoq; ludorum ratio quid aliud habet nisi leuitatem, vanitatem, insaniam? Tanto namq; impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur, vt iam plus spectaculi exhibeant qui spectandi gratia veniunt, cum exclamare, & efferri, & exilire cœperint. Vitanda ergo spectacula omnia, non solum ne quid vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata, & pacifica esse debent, sed ne cuius nos voluptati cõsuetudo deliniat, & a Deo, atq; a bonis operibus auertat. Nam ludorum celebrationes Deorum festa sunt: si quidem ob natales eorum, vel templorum nouorum dedicationes sunt constituti. Et primitùs quidem venationes, quæ vocantur munera Saturno attributæ sunt; ludi autem scenici Libero, Circenses Neptuno. Paulatim verò & cæteris Dijs idem honos tribui cœpit; singuliq; ludi numinibus eorum consecrati sunt; sicut Sisinnius Capito in libris spectaculorum docet. Si quis igitur spectaculis interest, ad quæ religionis gratia cõuenitur, discessit a Dei cultu, & ad Deos se cõtulit, quorũ natales, & festa celebrauit.

CAPVT XXI.

AVRIVM voluptas ex vocum, & cātuum suauitate percipitur, quæ scilicet tam vitiosa est, quàm oblectatio illa, de qua diximus, oculorum. Quis enim non luxuriosum, ac nequam putet eum, qui scenicas artes domi habeat? Atqui nihil refert, vtrumnè luxuriam solus domi, an cum populo exerceas in theatro. Sed iam de spectaculis dictum est. Restat vnū, quod est nobis expugnandum, ne capiamur iis, quę ad sensum intimum penetrāt. Nam illa omnia, quæ verbis carent, idest aeris, & neruorum suaues soni possunt facile contemni, quia non adhærent, nec scribi possunt. Carmen autem compositum, & oratio cum suauitate decipiens capit mentes, & quo voluerit impellit. Inde homines literati, cum ad Dei Religionem accesserint, ab aliquo imperito doctore fundati minus eredunt. Assueti enim dulcibus, & politis siue orationibus, siue carminibus diuinarum literarum simplicem, communemq; sermonem pro sordido aspernantur. Id enim quærunt, quod sensum demulceat. Persuadetq; quicquid suaue est, & animo penitus, dum delectat, insidet. Num igitur & Deus & mentis, & vocis, & linguæ artifex disertè loqui non potest? Immo verò summa prouidentia carere fuco voluit &, quæ diuina sunt, vt omnes intelligerent, quę ipse omnibus loquebatur. Ergo qui veritati studet, qui non vult ipse se decipere, abiiciat inimicas, ac noxias voluptates, quæ animam sibi vinciant, vt corpus cibi dulces. præferantur vera falsis, æterna breuibus, vtilia iucundis. Nihil aspectu gratum sit, nisi quod piè, quod iustè fieri videas, nihil auditu suaue, nisi quod alit animam, melioremq; te reddit. Maximèq; hic sensus nō est ad vitium detorquēdus, qui nobis ideo datus est, vt doctrinam Dei percipere possemus. Itaq; si voluptas est audire cantus, & carmina; Dei laudes canere, & audire iucundum sit. Hæc est voluptas vera, quæ comes, & socia virtutis est. Hæc est non caduca, & breuis, vt illę, quas appetūt, qui corpori vt pecudes seruiunt, sed perpetua, & fine vlla intermissione delectans. Cuius terminos si quis excesserit, nihilq; aliud ex voluptate petierit, nisi ipsam voluptatem, hic mortem meditatur; quia sicut vita perpetua in virtute est, ita mors in voluptate. Qui enim temporalia maluerit carebit æternis; qui terrena prætulerit, cælestia non habebit.

CAPVT XXII.

AD voluptates autem saporis, & odoris, qui duo sensus ad solum corpus pertinent, nihil est, quod a nobis disputetur, nisi fortè quis exigit, vt dicamus, turpe esse sapienti, ac bono, si ventri, & gulæ seruiat, si vnguentis oblitus, ac floribus coronatus incedat; quod qui facit, vtiq; insipiens, ineptus, & nihil est, & quē ne odor quidem virtutis attigerit. Fortasse quispiam dixerit. Cur ergo illa facta sunt, nisi vt iis fruamur? At enim iam sæpe dictum est, virtutem nullam fuisse futuram, nisi haberet, quæ opprimeret. Itaq; fecit omnia Deus ad instruendum certamen rerum duarum. Ergo illecebrę istæ voluptatum arma sunt illius, cuius opus vnum est, expugnare virtutem, iustitiamq; ab omnibus excludere. His blādimentis, & suauitatibus titillat animas. Scit enim quia mortis est fabricatrix voluptas. Nam sicut Deus hominem ad vitam non nisi per virtutem, ac laborem vocat; ita ille ad mortem per delitias, ac voluptates; & sicut ad verum bonum per fallacia mala, sic ad verum malum per fallacia bona peruenitur. Cauenda sunt igitur oblectamenta ista tanquam laquei, & plagæ, ne suauitudinum mollicie capti sub ditionem mortis cum ipso corpore redigamur, cui nos mancipauimus.

CAPVT XXIII.

VENIO nunc ad eam, quæ percipitur ex tactu, voluptatem, qui sensus est quidem totius corporis. Sed ego non de ornamentis, aut vestibus, sed de sola libidine dicendum mihi puto, quę maximè coercenda est, quia maximè nocet. Cum excogitasset Deus duorum sexuum rationem, attribuit iis, vt se inuicem appeterent, & coniunctione gauderent. Itaq; ardentissimam cupiditatem cunctorum

ani-

animantium corporibus admiscuit, vt in hos affectus auidissimè ruerent, eaq; ratione propagari, & multiplicari genera possent. Quæ cupiditas, & appetentia in homine vehementior, & acrior inuenitur, vel quia hominum multitudinem voluit esse maiorem, vel quoniam virtutem soli homini dedit, * vt esset laus, & gloria in coercendis voluptatibus, & abstinentia sui. Scit ergo aduersarius ille noster, quanta sit vis huius cupiditatis, quam quidam necessitatem dicere maluerunt, eamq; à recto, & bono ad malum, & prauum transfert Illicita enim desideria immittit, vt aliena contaminent, quibus habere propria sine delicto licet. Obijcit quippe oculis irritabiles formas, suggeritq; fomenta, & vitijs pabulum subministrat. tum intimis visceribus stimulos omnes conturbat, & commouet; & naturalē illum incitat, atq; inflammat ardorem, donec irretitum hominem, implicatumq; decipiat. Ac ne quis esset, qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria quoq; constituit, & pudorem infelicium mulierum publicauit, vt ludibrio haberet tam eos, qui faciunt, quàm quas pati necesse est. His obscœnitatibus animas ad sanctitatem genitas velut in cęni gurgite demer
42 sit, pudorem extinxit, [41] pudicitiam flagitauit. Idem etiam mares maribus admiscuit, & nefandos coitus contra naturam, contraq; institutum Dei machinatus est. Sic imbuit homines, & armauit ad nefas omne. Quid enim potest esse sanctum ijs, qui ætatem imbecillam, & præsidio indigentem libidini suæ depopulandam, fædandamq; substrauerint? Non potest hęc res pro magnitudine sceleris enarrari. Nihil amplius istos appellare possum, quàm impios, & parricidas, quibus non sufficit sexus à Deo datus, nisi etiam suum profanè, ac petulanter illudant. Hæc tamen apud illos leuia, & quasi honesta sunt. Quid dicam de ijs, qui abhominandam non libidinem, sed insaniam potius exercent? Piget dicere. Sed quid his fore credamus, quos non piget facere? & tamen dicendum est, quia fit. De istis loquor, quorum teterrima libido, & execrabilis
43 furor [41] ne capiti quidem parcit. Quibus hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas prosequar? vincit officium linguæ sceleris magnitudo. Cum igitur libido, hæc edat opera, & hæc facinora designet, armandi aduersus eam virtute maxima sumus. Quisquis affectus illos frenare nō potest, cohibeat eos intra præscriptum legitimi tori, *a* vt & illud, quod auidè expetit, assequatur, & tamen in peccatum non incidat. Nam quid sibi homines perditi volunt? Nempe honesta opera voluptas sequitur. Si ipsam per se appetunt, iusta, & legitima frui licet. Quod si aliqua necessitas prohibebit, tum verò maxima adhibenda virtus erit, vt cupiditati continentia reluctetur. Nec tantum alienis toris, quæ attingere non licet, [41] verum etiam publicis, vulgatisq; corporibus abstinendum Deus præcepit, docetq; nos, *b* cū duo inter se corpora fuerint copulata vnū corpus efficere. Itaq; qui se ceno immerserit, cęno sit oblitus necesse est; & corpus quidē cito ablui potest, mens autē contagione impudici corporis inquināta non potest, nisi & longo tempore, & multis bonis operibus ab ea, quæ inhæserit, colluuione purgari. Oportet ergo sibi quęq; præponere duorū sexuum coniunctionem generandi causa datam esse viuentibus; eamq; legem his affectibus positam, vt sue cessionem parent. Sicut autem dedit nobis oculos Deus, non vt spectemus, voluptatemq; capiamus, sed vt videamus propter eos actus, qui pertinent ad vitæ necessitatem, ita genitalem corporis partem, quod nomen ipsum docet nulla alia causa, nisi efficiendæ sobolis accepimus. Huic diuinæ legi summa deuotione parendum est. Sint omnes, qui Dei discipulos se profitebuntur ita morati, & instituti, vt imperare sibi possint. Nam qui voluptatibus indulgent, qui libidini obsequuntur, ij animam suam corpori mancipant, ad mortemq; condemnant, quia se corpori addixerunt, in quo habet mors potestatem. Vnusquisq; igitur, quantum potest, formet se ad verecundiam, pudorem colat, castitatem conscientia, & mentem tueatur: nec tantum legibus publicis pareat, sed sit supra omnes leges, qui legem Dei sequitur. Quibus bonis si assueuerit, iam pudebit eum in deteriora descendere, modo placeant recta, & honesta, quę melioribus iucundiora sunt, quam praua, & inhonesta peioribus. Nondum omnia castitatis officia executus sum, quam non modo Deus intra priuatos parietes, sed etiam præscripto lectuli terminat; vt cum quis habeat vxorem, neq; seruam, neq; liberam

* Fort. vt esset ei la* &c.

a 1. ad Cor. cap. 7.

44 (beside "toris, quæ attingere non licet")

b 1. ad Cor. cap. 6.

liberam habere insuper velit, sed matrimonio fidem seruet. Non enim, sicut iuris publici ratio est, sola mulier adultera est, quę habet alium, maritus autem etiam si plures habeat à crimine adulterij solutus est. Sed diuina lex *a* ita duos in matrimonium, quod est in corpus vnũ, pari iure coniungit, vt adulter habeatur quisquis compagem corporis in diuersa distraxerit. Nec ob aliam causam Deus, cum cæteras animantes suscepto fœtu maribus repugnare voluisset, ** solam omnium mulierum patientem viri fecit, scilicet ne fœminis repugnantibus libido cogeret viros aliud appetere, eoq; facto castitatis gloriam non tenerent. Sed neq; mulier virtutem pudicitiæ caperet, si peccare non posset. Nam quis mutum animal pudicum esse dixerit, quod suscepto fœtu mari repugnat? quod ideo facit, quia necesse est in dolorem, atq; in periculum veniat, si admiserit. Nulla igitur laus est non facere, quod facere non possis. Ideo autem pudicitia in homine laudatur, quia non naturalis est, sed voluntaria. Seruanda igitur fides ab vtroq; alteri est, immo exemplo continentiæ docenda vxor, vt se castè gerat, ** Iniquum est enim, vt id exigas, quod præstare ipse non possis. Quæ iniquitas effecit profectò, vt essent adulteria, fæminis ægrè ferentibus præstare se fidem nõn exhibentibus mutuam charitatem. Deniq; nulla est tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc causam uitijs suis prætendat; iniuriam se peccando non facere, sed referre. Quod optimè Quintilianus expressit. HOMO (inquit) neq: alieni matrimonij abstinens, neq; sui custos, quę inter se natura connexa sunt.] Nam neq: maritus circa corrumpendas aliorum coniuges occupatus potest uacare domesticæ sanctitati, & uxor, cum in tale incidit matrimonium, exemplo ipso incitata aut imitari se putat, aut uindicare. Cauendum igitur, ne occasionem vitijs nostra intemperantia demus; sed assuescant inuicem mores duorum, & iugum paribus animis ferant. Nos ipsos in altero cogitemus. Nam ferè in hoc iustitiæ summa consistit, vt non facias alteri quicquid ipse ab altero pati nolis. *b* Hæc sunt, quę ad continentiam præcipiuntur a Deo. Sed tamen, ne quis diuina præcepta circumscribere se putet posse, adduntur illa, vt omnis calumnia, & occasio fraudis remoueatur; adulterum esse, qui à marito dimissam duxerit, *a* & eum, qui præter crimen adulterij vxorem dimiserit, vt alteram ducat. *b* Dissociari enim corpus, & distrahi Deus noluit. Prætera non tantum adulterium esse vitandũ, sed etiam cogitationem, ne quis aspiciat alienam, & animo concupiscat. *c* Adulteram enim fieri mentem, si vel imaginem voluptatis sibi ipsa depinxerit. Mens est enim profectò, quæ peccat, quæ immoderatæ libidinis fructum cogitatione complectitur: in hac crimen est, in hac omne delictum. Nam & si corpus nulla sit labe maculatum, non constat tamen pudicitiæ ratio, si animus incestus est; nec illibata castitas videri potest, vbi conscientiam cupiditas inquinauit. Nec verò aliquis existimet, difficile esse, frenos imponere voluptati, eamq; vagam, & errantem castitatis, pudicitiæq; limitibus includere, cum propositum sit omnibus hominibus etiam vincere, ac plurimi beatam, atq; incorruptam corporis integritatem retinuerint, multiq; sint, qui hoc cœlesti genere vitæ felicissimè perfruantur. Quod quidem non ita Deus fieri præcepit tanquam astringat, *d* quia generari homines oportet, sed tantum quam sinat. Scit enim, quantam his affectibus imposuerit necessitatem. SI quis hoc (inquit) facere potuerit, habebit eximiam, incomparabilemq; mercedem.] Quod continentiæ genus quasi fastigium est, omniumq; consumatio virtutum. Ad quam si quis eniti, atq; eluctari potuerit, hunc seruum dominus, hunc discipulum magister agnoscet; hic terram triumphabit, hic erit consimilis Deo, qui virtutem Dei cepit. Hæc quidem difficilia videntur, sed de eo loquimur, cui calcatis omnibus terrenis iter in Cœlũ paratur. Nam, quia virtus in Dei agnitione consistit, omnia grauia sunt, dum ignores: vbi cognoueris, facilia. Per ipsas difficultates nobis exeundum est, qui ad summum bonum tendimus.

Margin (left): *a* Matt. 19. Marc. 10. 1. ad Corinth 7. ad Ephes. 5. — 45 (beside "teras animantes") — 46 (beside "vt se castè gerat") — *b* Tobi 4. Luc. 6.

Margin (right): *a* Luc. 6. — *b* Matt. 19. — *c* Matth. 5. — *d* Matt. 19. 1. ad Corinth. 7.



CAPVT XXIV.

Nec tamen deficiat aliquis, aut de se ipse desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus ad iniustitiæ viam lapsus est. Potest enim reduci, ac liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora conuersus satis Deo faciat; quod fieri posse Cicero non putauit, cuius hæc in
47 Academico tertio verba sunt. [47] Quod si liceret, vt ijs, qui in itinere deerrassent,
48 sic vitam deuiam [48] secutis corrigere errorem pœnitendo, facilior esset emendatio temeritatis.] Licet planè. Nam si liberos nostros, cum delictorum suorum cernimus pœnitere, correctos esse arbitramur, & abdicatos, abiectosq; rursus tamen suscipimus, fouemus, amplectimur, cur desperemus, clementiam Dei patris pœnitendo posse placari? Ergo idem Dominus, ac parens indulgentissimus remissurum se pœnitentibus peccata promittit, & obliturum omnes iniquitates eius, qui iustitiam denuo cœperit operari. *a* Sicut enim nihil prodest malè viuenti anteactæ vitæ probitas, quia superueniens nequitia iustitiæ opera deleuit, ita nihil officiut peccata vetera correcto, quia superueniens iustitia labem vitæ prioris aboleuit. Quem enim facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit. Ideoq; Græci melius, & significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos possumus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatq; se ipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius viuendum: tum illud ipsum maximè cauet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur. Deniq; muta quoq; animalia, cum fraude capiuntur, si aliquo se modo in fugam extricauerint, fiunt postmodum cautiora, vitantq; semper ea omnia, in quibus dolos, insidiasq; senserunt. Sic hominem pœnitentia cautum, ac diligentem facit ad euitanda peccata, in quæ semel fraude deciderit. Nemo enim potest esse tam prudens, tam circumspectus, vt non aliquando labatur. *b* Et icciirco Deus imbecillitatem nostram sciens pro sua pietate aperuit homini portum salutis, vt huic necessitati, cui fragilitas carnis subiecta est, medicina pœnitentiæ subueniret. Ergo quicunq; aberrauerit referat pedem, seq; quam primum recipiat, ac reformet.

Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras
Hoc opus, hic labor est. *a*

Degustatis enim male iucundis voluptatibus, vix diuelli ab ijs possunt. Facilius recta sequerentur, si earum suauitates non attigissent. Sed si eripiant se malæ seruituti, condonabitur ijs omnis error, si errorē suum vita meliore correxerint. Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habebit. Scit enim ille omnia, in cuius conspectu viuimus, nec si vniuersos homines cælare possumus, Deum possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. *b* Qua exhortationes suas Seneca mirabili sententia terminauit. [49] 49
Magnum (inquit) nescio quid, maiusq; quàm cogitari potest, numen est, cui viuendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodest inclusam esse conscientiam, patemus Deo] Quid verius dici potest ab eo, qui Deum nosset, quàm dictum est ab homine verę religionis ignaro? nam & maiestatem Dei expressit, maiorem esse dicendo, quam vt eam cogitatio mentis humanæ capere posset, & ipsū veritatis attigit fontem, sentiendo, vitam hominum superuacuam non esse, vt Epicurei volunt; sed Deo ab ijs operam viuendo dari, siquidem iustè, ac piè vixerint. Potuit esse verus Dei cultor, si quis illi monstrasset: ac contempsisset profectò Zenonem, & magistrum suum Socionem, si veræ sapientiæ ducem nactus esset. HVIC nos (inquit) approbemus] Cœlestis prorsus oratio, nisi antecederet ignorantiæ confessio. NIHIL potest inclusam esse conscientiam, patemus Deo] Nullus ergo mendacio, nullus dissimulationi locus est; quia parietibus oculi hominum submouentur; Dei autem diuinitas nec visceribus submoueri potest, quo minus totum hominem perspiciat, & norit. Idem in eiusdem operis primo. QVID agis? (inquit) quid machinaris? quid abscondis? Custos te tuus sequitur. Alium tibi peregrinatio subduxit, alium mors, alium valetudo. Hæret hic quo carere nunquam potes. Quid locum abditum legis, & arbitrum remoues? Putas tibi contigisse, vt oculos omnium effugias demens? Quid tibi prodest non habere conscium

a Ezech. 18 Es. 45. Hierem. 3. Matth. 18.
b Prouerb. 20. & 24. Ioan. 1. Iacob. 3.
a Virg. 6.
b Eccl. 15. ad Hebr. 4.

ſcium habenti conſcientiam?] Non minus mirabiliter de conſcientia, & Deo Tullius. *a* MEMINERIT (inquit) Deum ſe habere teſtem, ideſt (vt ego arbitror) mentem ſuam, qua nihil homini dedit Deus ipſe diuinius.] Item cum de bono, & iuſto viro loqueretur. Itaq; talis vir (inquit *b*) non modo facere, ſed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non audeat prædicare.] Purgemus igitur conſcientiam, quæ oculis Dei eſt peruia, & (vt ait idem *c*) ſemper ita viuamus, vt rationem nobis reddendam arbitremur.] Putemusq; nos momentis omnibus non in aliquo (vt ille dixit *d*) orbis terræ theatro ab hominibus, ſed deſuper ſpectari ab eo, qui & iudex, & teſtis idem futurus eſt, cui rationem vitæ repoſcenti actus ſuos inficiari non licebit. Ergo ſatius eſt aut effugere conſcientiam, aut nos ipſos vltro aperire animum, & perniciem reſciſſis vulneribus effundere, quibus nemo alius mederi poteſt, niſi ſolus ille, qui greſſum claudis, viſum cæcis reddidit, maculata purgauit membra, mortuos excitauit. Ille ardorem cupiditatis extinguet, extirpabit libidines, inuidiam detrahet, iram mitigabit. Ille reddet veram, & perpetuam ſanitatem. Appetenda eſt hæc omnibus medicina, quoniam maiori periculo vexatur anima, quam corpus, & quam primum latentibus morbis adhibenda eſt curatio. Neq; enim ſi vtatur aliquis oculorum acie clara, membris omnibus integris, firmiſſima totius corporis valetudine, tamen eum dixerim ſanum, ſi efferatur ira, ſuperbia tumidus infletur, libidini ſeruiat, cupiditatibus inardeſcat; ſed eum potius, qui ad alienam felicitatem non attollat oculos, opes non admiretur, alienam mulierem ſanctè videat, nihil omnino appetat, nihil concupiſcat alienum, non inuideat vlli, non faſtidiat quenquam, ſit humilis, miſericors, beneficus, mitis, humanus, pax in animo eius perpetua verſetur. Ille homo ſanus, ille iuſtus, ille perfectus eſt. Quiſquis igitur his omnibus præceptis cœleſtibus obtemperauerit, hic eſt verus Dei cultor, cuius ſacrificia ſunt manſuetudo animi, & vita innocens, & actus boni. Quæ omnia qui exhibet, toties ſacrificat, quoties bonum aliquid, ac pium fecerit. Deus enim non deſiderat victimam neq; muti animalis, neq; mortis, ac ſanguinis ſed hominis, & vitæ.
50 Ad quod ſacrificium neq; verbenis opus eſt, neq; fibris, neq; ceſpitibus, quæ ſunt vtiq; vaniſſima, ſed ijs, quæ de intimo corde proferuntur. Itaq; in aram Dei, quæ verè maxima eſt, & quæ in corde hominis collocata, coinquinari non poteſt ſanguine, iuſtitia imponitur, patientia, fides, innocentia, caſtitas, abſtinentia. Hic eſt veriſſimus ritus: hæc
51 illa. LEX Dei (vt à Cicerone eſt dictum) præclara, & diuina, ſemper quæ recta, & honeſta iubet, vetatq; praua, & turpia, cui parentem ſanctiſſimæ, ac certiſſimæ legi, iuſtè, ac legitimè neceſſe eſt viuere.] Cuius legis pauca equidem capita poſui, quòd ſum pollicitus, ea me tantummodo eſſe dicturum, quæ ſummum faſtigium virtuti, & iuſtitiæ imponerent. Si quis volet cætera omnia comprehendere, ex fonte ipſo petat, vnde ad nos riuus iſte manauit.

a Cic. 3. offic. c. 3. sub initium.

b Cic. eod. c. 3. ad fin.

c Cic. action. 4. in Verr. sub initium incipit, multa mihi

d Cic. act. vlum. in Verr.

CAPVT XXV.

NVNC de ſacrificio ipſo pauca dicemus. Ebur (inquit Plato, *a* non
52 caſtum donum Deo. Quid ergo? Picta, ſcilicet, & texta pretioſa? Immo verò non caſtum donum Deo quicquid ſurripi, quicquid corrumpi poteſt. Sed ſicut hoc vidit, non oportere viuenti offerre aliquid, quod ſit ex mortuo corpore, cur illud non vidit, non debere in corporali corporale munus offerri? Quanto melius Seneca, & verius? Vultis ne vos (inquit) Deum cogitare magnum, & placidum, & maieſtate leni verendum amicum, & ſemper in proximo? Non immolationibus, & ſanguine multo colendum (quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas eſt?) ſed mente pura, honeſtoq; propoſito. NON templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis exſtruenda ſunt: in ſuo cuiq; conſecrandus eſt pectore.] Veſtes igitur, gemmas, & cætera, quæ habentur in pretio, ſi quis putet Deo chara, is planè quid ſit Deus neſcit, cui putat voluptati eſſe eas res, quas etiam homo ſi quis contempſerit, iure laudabitur. Quid ergo caſtum, quid Deo dignum, niſi quod ipſe in illa diuina lege ſua popoſcit? Duo ſunt quæ offerri debeant,

a Plat. 12. de leg. circa med.

donum,

donum, & ſacrificium, donum in perpe-
53 tuum, ſacrificium ad tempus. [53] Verum
apud iſtos, qui nullo modo rationem
diuinitatis intelligunt, donum eſt quic-
quid auro, argentoq; fabricatur; Item
quicquid purpura, & ſerico texitur; ſacri-
ficium eſt victima, & quæcumq; in ara
cremantur. Sed vtroq, non vtitur Deus,
quia & ipſe incorruptus eſt, & illud to-
54 tum corruptibile. [54] Itaq; Deo vtrumq;
incorporale offerendum eſt, quo vtitur.
Donum eſt integritas animi: ſacrificium
laus, & hymnus. Si enim Deus non vi-
detur, ergo his rebus coli debet, quæ non
videntur. Nulla igitur alia religio eſt ve-
ra, niſi quæ virtute, ac iuſtitia conſtat.
Quo modo autem Deus iuſtitia hominis
vtatur, intellectu facile eſt. Si enim
iuſtus fuerit homo, accepta immortalita-
te in æternum Deo ſeruiet. Homines au-
tem non niſi ad iuſtitiam naſci tum Philo-
ſophi veteres, tum etiam Cicero ſuſpica-
tur. Differens enim de legibus, SED om-
a Cic. 1. de legib. nium (inquit *a*) quæ in hominum docto-
rum diſputatione verſantur, nihil eſt pro-
fecto præſtabilius, quam plane intelligi,
nos ad iuſtitiam eſſe natos.] Id ergo ſo-
lum Deo exhibere, atq; offerre debemus,
ad quod capiendum nos ipſe generauit.
Hoc autem duplex ſacrificij genus quàm
ſit veriſſimum Triſmegiſtus Hermes ido-
neus teſtis eſt, qui nobiſcum, ideſt cum
Prophetis, quos ſequimur, tam verbis,
b Her Triſmegiſt. Pimand c. 12. quàm re congruit, ſicq; de iuſtitia locu-
tus eſt. *b* HOC verbum, ò fili, adora,
& cole.] Cultus autem Dei vnus eſt, ma-
55 lum non eſſe. Item [55] in illo ſermone per-
fecto, cum exaudiſſet Aſclepium quæren-
tem à filio ſuo, vtrum placeret patri eius
offerri thus, & alios odores ad ſacrificium
56 Dei, exclamauit. *c* [56] BENE ominare
c Her. Triſmeg. in Aſclep. c. vlt.
[57] ò Aſclepi; eſt enim maxima impietas 57
tale quid de illo vno, ac ſingulari bono in
animum inducere. Hæc, & his ſimilia
huic non conueniunt. Omnium enim,
quæcunq; ſunt, plenus eſt, & omnium
minimè indigens. NOS verò gratias
agentes adoremus Huius enim ſacrifi-
cium ſola benedictio.] Et rectè. Verbo
enim ſacrificari oportet Deo, ſi quidem
Deus verbum eſt, vt ipſe confeſſus eſt. *a* *a Ioann. 1. in princ.*
Summus igitur colendi Dei ritus eſt ex
ore iuſti hominis ad Deum directa lauda-
tio, quæ tamen ipſa, vt Deo ſit accepta
humilitate, & timore, & deuotione ma-
xima opus eſt, ne quis fortè integritatis,
& innocentiæ fiduciam gerens, tumoris,
& arrogantiæ crimen incurrat, *b* eoq; *b Luc. 18.*
facto gratiam virtutis amittat. Sed vt ſit
Deo carus, omniq; macula careat, miſe-
ricordiam Dei ſemper imploret, nihilq;
aliud præcetur, niſi peccatis ſuis veniam,
c licet nulla ſint. Si quid aliud deſideraue- *c Matth. 6.*
rit, non eſt opus dicto ſcienti, quid veli- *Luc. 11.*
mus. *d* Si quid ei boni euenerit, gratias *d Matth. 6.*
agat; Si quid mali, ſatisfaciat, & illud
ſibi ob peccata ſua fateatur eueniſſe: &
nihilominus etiam in malis gratias agat,
& in bonis ſatisfaciat, vt idem ſit ſemper,
& ſtabilis, & immutabilis, & inconcuſ-
ſus. Nec tantum hoc in templo putet ſibi
eſſe faciendum, ſed & domi, & in ipſo
etiam cubili ſuo. Secum deniq; habeat
Deum ſemper in corde ſuo conſecratum,
quoniam ipſe eſt Dei templum. Quòd ſi
Deo patri, ac domino hac aſſiduitate, hoc
obſequio, hac deuotione ſeruierit, con-
ſummata, & perfecta iuſtitia eſt, quam
qui tenuerit, hic (vt ante teſtati ſumus)
Deo paruit, hic religioni, atq; officio ſuo
ſatisfecit.

Libri Sexti Diuinarum Inſtitutionum finis.



LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS GENTES.

Liber Septimus.

DE DIVINO PRÆMIO, IDEST DE VITA BEATA, ET VLTIMO FVTVRO IVDICIO.

CAPVT PRIMVM.



a sic. pro Muren. 1. denat. Deor.

BENE habet. Iacta sunt fundamenta, vt ait eximius Orator. *a* Verùm nos non fundaměta solu iecimus, quæ firma, & idonea essent operi perferendo, sed magnis, robustisq; molibus ædificium totũ penè vsq; ad summa perduximus. Restat id, quod est multo facilius vel tegere, vel ornare, sine quo tamen priora opera & inutilia sunt, & ingrata. Nam quid prodest aut falsis religionibus liberari, aut intelligere veram? quid aut vanitatem falsæ sapientiæ peruidere, aut quæ sit vera cognoscere? quid (inquam) prodest cœlestem illam iustitiam defendere? quid cum magnis difficultatibus cultum Dei tenere, quæ est summa virtus, nisi eum diuinum præmiũ beatitudinis perpetuæ subsequatur, de qua nobis est in hoc libro disserendum, ne priora omnia irrita, & infructuosa videantur, si hoc, cuius causa illa suscepta sunt, in incertum relinquamus: ne quis fortè arbitretur, tantos labores incassum suscipi, dum eorum cælesti mercede diffidit, quam Deus statuit ei, qui hæc suauia terræ bona pro sola, nudaq; virtute contempserit. Satis & huic parti faciamus cum testimonijs diuinarum literarũ, tum etiam probabilibus argumentis, vt æquè clarum sit, & futura præsentibus, & diuina terrenis, & perpetua breuibus esse anteponenda; quoniam temporalia sunt prǫmia vitiorum, sempiterna virtutum. Exponam igitur rationem mundi, vt facile possit intelligi, quando, & quare sit effectus a Deo, quod Plato, qui de mundi fabricatione disseruit, *a* nec scire potuit, nec explicare, quippe qui cœleste mysterium, quod non nisi Prophetis, ac Deo docente discitur, ignorabat; ideoq; in perpetuum dixit esse fabricatum. quod longe secus est, quoniam quicquid est solido, ac graui corpore, vt initium cepit aliquando, ita finem capiat necesse est. Nam Aristoteles, cum non videret, quemadmodum posset tanta rerum magnitudo interire, & hanc præscriptionem vellet effugere semper ait *b* fuisse mundum, ac semper futurũ.

a Plato in Timæ.

b Arist. 1. Cæl. tex. 101. & seqq.

Pror-

Prorſus nihil vidit, quia quicquid eſt, aliquando habuerit principium neceſſe eſt, nec omnino quicquam poteſt eſſe, niſi ceperit. Nam cum terram, & aquam, & ignem diſperire, conſumi, extinguiq; videamus, quæ ſunt vtiq; mundi partes, intelligitur, id totum eſſe mortale, cuius membra ſunt mortalia. Ita fit, vt natum ſit quicquid poteſt interire. Sed & omne, quod ſub viſum oculorum venit, & corpo-
1 rale (, vt ait Plato *a*) & ſolubile fit neceſ-
ſe eſt. Vnus igitur Epicurus authore Democrito veridicus in hac re fuit, qui ait
2 & ortum aliquando, & aliquando eſſe periturum. Nec tamen rationem illam reddere potuit, ſcilicet aut quibus de cauſis hoc tantum opus, aut quo tempore reſoluatur. Quod quoniam nobis Deus reuelauit, nec coniecturis id aſſequimur, ſed traditione cœleſti; docebimus ſedulò, vt tandem ſtudioſis veritas appareat, nec vidiſſe, nec comprehendiſſe veritatem, ſed ita leuiter odoratos, vt tamen vnde eos odor ille ſapientiæ tam ſuauis, tam iucundus afflarit, nullo modo ſenſerint. Interim neceſſarium puto admonere lectoros, quod hæc noſtra, quæ tradimus prauæ, vitioſæq; mentes aut omnino non intelligent (hebetatur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ ſenſus omnes grauant, imbecilleſq; reddunt) aut etiam ſi intelligent, diſſimulabunt tamen, & hæc vera eſſe nolent, quia trahuntur à vitijs, & ſcientes malis ſuis fauent, quorum ſuauitate capiuntur, & virtutis viam deſerunt, cuius acerbitate offenduntur. Nam qui auaritia, & opum inexplebili quadam ſiti flagrant, quia non poſſunt venditis, aut dilargitis, quæ amant, tenui cultu vitam degere; ſine dubio malunt id eſſe fictum, quo deſiderijs ſuis renunciare coguntur. Item qui libidinum ſtimulis incitati (vt ait Poeta *b*)

a Plato in Phædon.

b Virg. 3.

In furias, ignemq; ruunt ——————

vtiq; incredibilia nos afferre dicunt, quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, quæ illos voluptatibus ſuis prohibent, quibus animam ſuam cum corpore adiudicauerunt. Qui verò ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne ſtudium ſuum ad honores acquirendos contulerunt, ne ſi Solem quidem ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos iubet, omnipotentia, & honore contempto, humiles viuere, atq; ita humiles, vt accipere iniuriã poſſint, & referre nolint, ſi acceperint. Hi ſunt homines, qui contra veritatem clauſis oculis quo quomodo latrant. Qui autem ſani erunt, ideſt non ita vitijs immerſi, vt ſanabiles non ſint, & credent his, & libenter accedent, & quæcunq; dicimus aperta, & plana, & ſimplicia, & (quod maximè opus eſt) vera, & inexpugnabilia illis videbuntur. Nemo virtuti fauet, niſi qui ſequi poteſt; ſequi autem non facile eſt omnibus. Ii poſſunt, quos paupertas, & rerum indigentia exercuit, & capaces virtutis effecit. Nam ſi virtus eſt tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem qui ſemper in bonis fuerunt, quia mala neq; experti ſunt, neq; ferre poſſunt aſſuetudine, ac deſiderio bonorum, quæ ſola nouerunt. Eo fit, vt pauperes, & humiles Deo credant facilius, qui ſunt expediti, quam diuites; qui ſunt impedimentis plurimis implicati, immo vero catenati, & compediti ſeruiunt ad nutum dominæ cupiditati, quæ illos inextricabilibus vinculis irretiuit, nec poſſunt in Cœlum aſpicere, quoniam mens eorum in terram prona, humiq; defixa eſt. Virtutis autem via non capit magna onera portantes. Anguſtus admodum trames eſt, per quem iuſtitia hominem deducit in Cœlum. Hunc tenere non poteſt, niſi qui fuerit expeditus, & nudus. Nam iſti locupletes multis, & ingentibus ſarcinis onerati per viam mortis incedunt, quæ latiſſima eſt, quoniam latè perditio dominatur. His acerba ſunt, his venena, quæ Deus ad iuſtitiã præcepit, quæq; nos Dei magiſterio de virtute, ac veritate diſſerimus. Quibus ſi repugnare audebunt, neceſſe eſt, hoſtes ſe eſſe virtutis, iuſtitiæq; fateantur. Aggrediar nunc quod ſupereſt, vt finis operi poſſit imponi. Id autem ſupereſt, vt de iudicio Dei diſſeramus, quod tunc conſtituetur, cum dominus noſter redierit in terram, vt vnicuiq; pro merito aut præmium perſoluat, aut pœnam. Itaq; vt in quarto libro de aduentu eius diximus, ſic in hoc ſecundũ referamus aduentum, quẽ Iudæi quoq; & confitentur, & ſperant, ſed fruſtra; quoniam neceſſe eſt ad eos cõſolandos reuertatur, ad quos conuocandos prius venerat. Nam qui violauerunt impiè humilem, ſentient in poteſtate victorem; eaq; omnia, quæ legunt, & non intelligunt, Deo rependante patientur;

quip-

quippe qui peccatis omnibus inquinati, & insuper sancto cruore perfusi, ab illo ipso, cui nefandas manus intulerunt, sint ad æterna supplicia destinati. Sed erit nobis contra Iudæos separata materia, in qua illos erroris, & sceleris conuincemus.

CAPVT II.

NVnc ignaros veritatis instruamus. Dispositione summi Dei sic ordinatum, vt iniustum hoc seculum decurso temporum spatio terminum sumat, extinctaq; protinus omni malitia, & piorum animis ad beatam vitam reuocatis, quietum, tranquillum, pacificum, aureum deniq; (vt Poetæ vocant) seculum Deo ipso regnante florescat. In primis causa errorũ omnium philosophis hæc fuit, quòd rationem mundi, quæ totam sapientiam continet, non comprehenderunt. Ea verò sensu proprio, & interna intelligentia non potest comprehendi, quod illi sine doctore per se ipsos facere voluerũt. Itaq; in varias, sibiq; sæpe contrarias sententias inciderunt, ex quibus exitum non haberent, & in eodem luto (sicut Comicus ait a) hæsitauerunt; scilicet assumptionibus eorum non respondente ratione; cum assumpsissent quidem vera (sed quæ affirmari, probariq; non possent sine scientia veritatis, rerumq; cælestium, quæ (vt sæpe iam dixi) non potest esse in homine, nisi Deo docente percepta. Nam si potest homo intelligere diuina, potest & facere: nam intelligere est quasi è vestigio subsequi. Non potest autem facere quæ Deus, quia mortali corpore indutus est. Ergo nec intelligere quidem potest, quæ fecit Deus. Quod autem fieri non possit, ex immensitate rerum, atq; operum diuinorum facile est vnicuiq; metiri. Nam si mundum cum omnibus, quæ sunt in eo contemplari velis, intelliges profectò, quantum Dei opus humanis operibus antestet. Ita quantum inter opera diuina, & humana interest, tãtum distare inter Dei, hominisq; sapientiam necesse est. Nam quia Deus incorruptus, atq; immortalis est, & ideo perfectus, quia sempiternus est, sapiẽtia quoq. eius perindè vt ipse perfecta est: nec obstare illi quicquã potest, quia nulli rei Deus ipse subiectus est. Homo autem quia subiectus est passioni, subiecta est & sapientia eius errori: & sicut hominis vitam multæ res impediunt, quo minus possit esse perpetua, ita sapientiam quoq; eius multis rebus impediri necesse est, quo minus in perspicienda penitus veritate perfecta sit. Ergo nulla est humana sapientia, si per se ad notionem veri, sciẽtiamq; nitatur, quoniam mens hominis cum fragili corpore illigata, & in tenebroso domicilio inclusa neq; liberius euagari, neq; clarius perspicere veritatem potest, cuius notio diuinæ conditionis est. Deo enim soli opera sua nota sunt; homo autem non cogitando, aut disputando assequi eam potest, sed discendo, & audiendo ab eo, qui scire solus potest, & docere. Ideo M. Tullius sententiam Socratis de Platone transferens a dicentis, venisse tempus, vt ipse migraret è vita, illos autem, apud quos causam suam perorabat, agere vitam: VTRVM melius sit (inquit) Dij immortales sciunt, hominem autem arbitror scire nemmem.] Qua re necesse est, omnes philosophiæ sectas alienas esse a veritate, quia homines erant, qui eas constituerunt; nec vllum fundamentum, aut firmitatem possunt habere, quæ nullis diuinarum vocum fulciuntur oraculis.

a Terẽt in Phormion. act. 5. scen. 2. vt sup. l. 2. c. 9.

a Cic. p. Tuscul. ex Apolog. Socrat. in fin. apud Platon.

CAPVT III.

ET quoniam de Philosophorum erroribus loquimur, 1 Stoici naturam in duas diuidunt partes, vnam, quæ efficiat, alteram, quæ se ad faciendum tractabilem præbeat. In illa prima esse vim sentiendi, in hac materiam, nec alterum sine altero posse. Quomodo idem esse potest quod tractat, & quod tractatur? Si quis dicat idem esse figulum quod lutum, aut lutum idem esse quod figulum, nonnè aperte insanire videatur? At isti vno naturæ nomine duas res diuersissimas comprehendunt, Deum, & Mundum, artificem, & opus; dicuntq alterum sine altero nihil posse, tanquam natura sit Deus mundo terminatus; nam interdum sic confundunt, vt sit Deus ipse mens mundi, & mundus sit corpus Dei. Quasi verò simul esse cœperint mundus, & Deus, ac non ipse mundum fecerit; quod & ipsi fatentur alias, cum hominum causa prædicant esse fabricatum, & sine mundo esse, si velit possit. 3

SI quidem Deus est diuina mens, & æterna, corpore soluta, & libera a] cuius vim, maiestatemq; quoniam intelligere non poterant, miscuerunt eum mundo, idest operi suo. Vnde est illud Virgilianum. b

a Cicer. ex Plat. in cõsol. & 1. Tusculan. vt sup. lib. 1. c. 5.

——— *totamq; infusa per artus*
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

b Virg. 6. Æn.

Vbi est ergo illud quod ijdem ipsi aiunt, & factum esse diuina prouidentia, & regi? Si enim fecit mundum, fuit ergo sine mundo. Si regit, non vtiq; sicut mens corpus regit, sed tanquam dominus domum, nauim gubernator, auriga currum: nec tamen misti sunt ijs rebus, quas regunt. Nam si hęc omnia, quæ videmus, Dei membra sunt; iam insensibilis ab his constituitur Deus, quoniam membra sensu carent, & mortalis, quoniam videmus membra esse mortalia. Possum enumerare, quoties repen-
4 tinis quassatæ motibus, vel hiauerint ter-
5 ræ, vel descenderint in abruptum, quoties demersæ fluctibus & vrbes, & insulæ abierint in profundum; frugiferos campos paludes inundauerint; flumina, & stagna siccauerint; montes etiam vel deciderint abrupti, vel planis fuerint adæquati; plu-
6 rimas regiones,[6] & multorum fundamenta montium latens, & internus ignis absumit. Et hoc parum est, si membris suis nõ parcit Deus, nisi etiam homini liceat ali-
7 8 quid in Dei corpus? maria extruuntur,[8]
9 montes exciduntur,[9] & ad eruendas opes interiora terræ viscera offodiuntur. Quid quòd ne arari quidem sine laceratione diuini corporis potest? vt iam scelerati, & impij simus, qui Dei membra violemus. Patiturnè ergo vexari corpus suum Deus, & debilem se vel ipse facere, vel ab homine fieri sinit? nisi fortè diuinus ille sensus, qui mundo, & omnibus mundi partibus permistus, primam terræ faciem reliquit, ac se in ima demersit; ne quid doloris de assidua laceratione sentiret. Quòd si hoc vanum, & absurdum est; tam igitur ipsi eguerunt, quam hæc indigent sensu, qui non perspexerunt, diuinum quidem spiritum esse vbiq; diffusum, eoq; omnia contineri; non tamen ita, vt Deus ipse, qui est incorruptus, grauibus, & corruptibilibus elementis misceatur. Illud ergo rectius, quod a Platone sumpserunt, a Deo factum esse mundum, & eiusdem prouidentia gubernari. Oportebat igitur & Platonem, & eos, qui idem senserunt, docere, atq; explicare, quæ causa, quæ ratio fuerit tanti operis fabricandi; quare hoc, aut cuius gratia fecerit. At ijdem stoici, hominum (inquiunt) causa mundus effectus est. Audio. Sed Epicurus ignorat, ipsos homines quare, aut quis effecerit. Nam Lucretius, cum diceret mundũ non esse a Dijs constitutum, sic ait: a

Dicere porro hominum causa voluisse parare
Præclaram mundi naturam. ———

a Lucret. 5. de nat. rer. sub initium.

Deinde intulit b

Desipere est, quid enim immortalibus, atq; beatis
Gratia nostra queat largirier emolumenti,
Vt nostra quicquam causa gerere aggrediatur?

b Ibid paulò inf.

Et merito. Illi enim nullam rationem afferebant, cur humanum genus vel creatũ, vel institutum esset a Deo. Nostrum hoc officium est, sacramentum mundi, & hominis exponere, cuius illi expertes sacrarium veritatis nec attingere, nec videre potuerunt. Ergo (vt paulò ante dicebam) cum assumpsissent id quod erat verũ, idest mundum à Deo factum, & hominum causa esse factum, tamen, quoniam eos in consequentibus ratio defecit, non potuerunt defendere id, quod assumpserant. Deniq; Plato, ne Dei opus imbecillum, & ruinosum faceret, in æternum dixit esse mansurum. c Si hominum causa factus est, & ita factus est, vt esset æternus, cur ergo ipsi, quorum causa factus est, non sunt sempiterni? Si mortales, propter quos factus est, ergo & ipse mortalis, atq; solubilis. Neq; enim pluris est ipse, quam ij, quorum gratia factus est. Quòd si ei ratio quadraret, intelligeret, periturum esse, quia factus est, nec posse in æternum manere, nisi quod tangi non potest. Qui autem negat, hominum causa esse factum, hic nullam rationem tenet. Si enim dicit, ipsum fabricatorem sua causa tanta hæc opera esse molitum, cur ergo nos nati sumus? Cur mundo ipso fruimur? Quid sibi vult humani generis, cæterorumq; animantium fictio? Cur aliena commoda intercipimus? Cur deniq; augemur, minuimur, interrimus? Quid habet rationis ipsa generatio? quid perpetua successio? Nimirum videre nos Deus voluit, & suis varijs imaginibus tanquam sigilla contingere, quibus se oblectaret: & nihilominus tamen, si ita esset, curæ haberet animantes, præcipuèq; hominem, cuius imperio cuncta subiecit. Qui autem dicunt, semper fuisse

c Plat. in Tima.

fuisse mũdum; omitto illud, quod esse ipsũ
sine aliquo principio non potest; vnde
extricare se nequeunt: sed hoc dico, si mũ
dus semper fuit, nullam potest habere ra-
tionem. Quid enim potuit in eo ratio mo
liri, quod nunquam sumpsit exordium?
Nam prius quam fiat aliquid, aut struatur,
opus est consilio, vt disponi possit, quem-
admodum fiat; nec incipi quicquam po-
test sine prouisione rationis. Itaq; omne
opus ratio præcedit. Non habet ergo ra-
tionem quod factum non est. Atqui mun-
dus rationem habet, qua & constat, & re-
gitur. ergo & factus est: si factus est, & sol-
uetur. Reddant ergo isti rationem, si pos-
sunt, cur aut factus in principio sit, aut
postea resoluatur. Quod quia docere non
poterat Epicurus, siue Democritus, sua
sponte natum esse dixit, seminibus inter
se passim coeuntibus, quibus iterum reso-
lutis, dissidium, atq; interitum secuturum.
Corrupit ergo quod rectè viderat; & totã
rationem penitus ignorantia rationis euer
tit; redegitq; mundum, & omnia, quæ in
eo geruntur ad similitudinem cuiusdam
vanissimi somnij; si quidem rebus humanis
10 ratio nulla subsistat. [10] Cum verò mundũ,
omnesq; partes eius, vt videmus, mirabi-
lis ratio gubernet; cum Cœli temperatio,
& æqualis in ipsa varietate cursus astro-
rum, luminumq; cœlestium; temporum
constans, ac mira descriptio, terrarum
varia fœcunditas, plana camporum, mu-
nimenta, & aggeres montium, viriditas,
vbertasq; syluarum, fontium saluberrima
eruptio, fluminum oportuna inundatio,
maris opulenta, & copiosa interfusio, ven-
torum diuersa, & vtilis aspiratio, cęteraq;
omnia ratione summa constent, quis tam
cæcus est, vt existimet, sine causa esse fa-
cta, in quibus mira dispositio prouidentis-
simæ rationis elucet? Si ergo sine causa
nec est, nec fit quicquam omnino, si &
prouidentia summi Dei ex dispositione re-
rum, & virtus ex magnitudine. & potestas
ex gubernatione manifesta est, hebetes
ergo, & insani, qui prouidentiam non es-
se dixerunt. Non improbarem, si Deos
iccirco non esse dicerent, vt vnum dice-
rent. Cum autem ideo, vt nullum, qui
eos delirasse non putat, ipse delirat.

CAPVT IV.

SED de prouidentia satis in primo libro
diximus; quæ si est, vt apparet ex mi-
rabilitate operum suorum, necesse est,
etiam hominem, cæteraq; animantes ea-
dem prouidentia creauit. Videamus ergo,
quæ ratio fuerit fingendi generis humani;
quoniam constat id quod Stoici dicunt,
hominum causa mundum esse fabricatũ; [a] *a Stoici ap.*
quamquam in hoc ipsõ non mediocriter *Cicer. lucul.*
peccent, quod non hominis causa dicunt, *vid. inf c 7.*
sed hominum. Vnius enim singularis ap- *& de ira*
pellatio totum comprehendit humanum *Dei c. 13.*
genus. Sed hoc ideo, quia ignorant, vnũ
hominem a Deo esse formatu, [11] putantq; 11
homines in omnibus terris, & agris tan-
quam fungos esse generatos. At Hermes [b] *b Her. Tris-*
non ignorauit hominem & à Deo, & ad *meg. initio*
Dei similitudinem factum. Sed redeo ad *Pimandr.*
propositum. Nihil est (vt opinor) quod
sit propter se ipsum factum, sed quicquid
omnino fit, ad vsum aliquem fieri necesse
est. Quis est enim vel tam ineptus, vel tã
ociosus, vt aggrediatur facere aliquid fru-
stra, ex quo nullam vtilitatem, nullum
commodum speret? Qui domum ædifi-
cat, non ideo ædificat, vt tantummodo
domus fit, sed vt in ea possit habitari. Qui
nauem fabricat, non ideo insumit operã,
vt tantùm nauis appareat, sed vt in ea na-
uigetur. Item qui vas aliquod instituit, ac
format, non propterea id facit, vt tantùm
fecisse videatur, sed vt vas illud effectum
capiat aliquid necessarium. Similiter cæ-
tera quæcunq; fiunt, non vtiq; in super-
uacuum, sed ad vsus aliquos vtiles labo-
rantur. Mundus igitur a Deo factus est,
non vtiq; propter ipsum mundum; [12] neq; 12
enim aut calore Solis, aut lumine, aut as-
piratione ventorum, aut humore imbriũ,
aut alimonia frugum, cum sensu careat,
indiget. Sed ne illud quidem dici potest,
quòd Deus propter se ipsum fecerit mun-
dum, quoniam potest esse sine mundo, si-
cut fuit antea, & ijs omnibus, quæ in eo
sunt, quæq; generantur, Deus ipse non
vtitur. Apparet ergo, animantium cau-
sa mundum esse constructum, quoniam
rebus ijs, quibus constat, animantes fru-
untur, quæ vt viuere, vt constare possint,
omnia ijs necessaria temporibus certis
subministrantur. Rursus cæteras animã-

tes hominis causa esse factas ex eo clarum est, quod homini seruiunt, & tutelæ eius, atq; vsibus datæ sunt, quoniam siue terrenæ sunt, siue aquatiles, non sentiunt mundi rationem, sicut homo. Respondendum est hoc loco Philosophis, maxi-
13 meq; Ciceroni, qui ait. *a* "CVR Deus omnia nostri causa cum faceret, tantam vim natricum, viperarumq; fecerit? cur tam multa pestifera terra, mariq; dispersit?] Ingens ad disputandum locus, sed vt in transcursu breuiter stringendus est. Quoniam homo ex rebus diuersis, ac repugnantibus configuratus est, animo, & corpore, idest Cœlo, atq; terra, tenui, & comprehensibili, æterno, ac temporali, sensibili, atq; bruto, luce prædito, atq; tenebroso, ipsa ratio, ac necessitas exigebat, & bona homini proponi, & mala; bona, quibus vtatur, mala, quæ vitet, & caueat. Ideirco enim data est illi sapientia, vt cognita bonorum, malorumq; natura, in appetendis bonis, & malis declinandis vim suæ rationis exerceat. Nam cæteris animalibus quia sapientia data nô est, & munita indumentis naturalibus, &
14 armata sunt. "Homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem dedit solam. Itaq; nudum formauit, & inermem, vt eum sapientia & muniret, & tegeret. Munimenta, & ornatum eius non foris, sed intus, non in corpore, sed in corde constituit. Nisi ergo essent mala, quæ caueret, quæ à bonis, vtilibusq; distingueret, non esset ei sapientia necessaria. Sciat ergo M. Tullius aut ideo homini datam esse rationem, vt & pisces caperet vsus sui gratia; & natrices, viperasq; vitaret salutis suæ causa; aut ideirco ei bona, malaq; proposita, quia sapientiam acceperat, cuius vis omnis in discernendis bonis, malisq: versatur. Magna igitur, & recta, & admirabilis est vis, & ratio, & potestas hominis, propter quem mundum ipsum, & vniuersa, quæcunq: sunt, Deus fecit, tantumq: illi honoris habuit, vt eû præficeret vniuersis, quoniam solus pote-
15 rat Dei opera mirari. Optimè igitur "Asclepiades noster de prouidêtia summi Dei differens in eo libro, quem scripsit ad me. ATQ. ideo (inquit) merito quis arbitretur, proximum sibi locum diuinam prouidentiam dedisse ei, qui potuerit intelligere ordinationem suam.] Nam Sol iste est, quis eum videt ita vt intelligat, quia Sol est, & quantum gratiæ afferat cæteris institutis? Hoc Cœlum est, quis id suspicit? terra hæc; quis eam colit? hoc pelagus, quis nauigat? hic ignis est, quis eo vtitur? Instituit ergo summus Deus non propter se, quia nihilo indiget, sed propter hominem, qui his congruenter vteretur.

a Cic. in Lucull. ad fin.

CAPVT V.

REDDAMVS nunc rationem, quare hominem ipsum fecerit. Quod si Philosophi sciissent, aut defendissent illa, quæ vera inuenerant, aut in maximos errores non incidissent. Hæc enim summa, hic cardo rerum est, quem qui non tenuerit, veritas illi omnis elabitur. Hoc est deniq: quod efficiat illis non quadrare rationem; quæ illis si affulsisset, si sacramentû hominis omne cognouissent, nunquam disputationes eorum & omnem philosophiam de transuerso Academia iugulasset. Sicut ergo mundum non propter se Deus fecit, quia commodis eius non indiget, sed propter hominem, qui eo vtitur, ita ipsum hominem propter se. Quæ vtilitas Deo in homine (inquit Epicurus) vt eum propter se faceret? Scilicet vt esset, qui opera eius intelligeret, qui prouidentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi & sensu admirari, & voce proloqui posset. Quorum omnium summa hæc est, vt Deum colat. Is enim colit, qui hæc intelligit, is artificem omnium rerum, is verum patrem suum debita veneratione prosequitur, qui virtutem maiestatis eius de suorum operum inuentione, incœptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri potest & mundum hominis, & hominem sui causa Deum fecisse, quam quòd ex omnibus animantibus solus ita formatus est, vt oculi eius ad Cœlum directi, facies ad Deum spectans, vultus cum suo parente communis sit? vt videatur hominem Deus quasi porrecta manu alleuatum ex humo ad contemplationem sui excitasse. Quid ergo (inquit) Deo cultus hominis confert beato, & nulla re indigenti? vel si tantum honoris homini habuit, vt ipsius causa mundum fabricaret, vt instrueret eum sapientia, vt dominum viuentium faceret, eumq; diligeret tanquam filium, cur mortalem

talem, fragilemq; constituit? cur omnibus malis quem diligebat obiecit? cum oporteret & beatum esse hominem tanquam coniunctum, & proximum Deo, & perpetuum, sicut est ipse, ad quem colendum, & contemplandum figuratus est. Quamquam hæc ferè in prioribus libris sparsim docuimus, tamen quoniam propriè id materia nunc exigit, quia de vita beata disserere propositum est, explicanda sunt ista diligentius, & plenius, vt dispositio Dei, & opus, voluntasq; noscatur. Cum posset semper spiritibus suis immortalibus innumerabiles animas procreare, sicut Angelos genuit, quibus immortalitas sine vllo malorum periculo, aut metu constat; excogitauit tamen inenarrabile opus, quemadmodum infinitam multitudinem crearet animarum, quas primo fragilibus,
16 [16]& imbecillis corporibus illigatas constitueret inter bonum, malumq; medias, vt constantibus ex vtrisq; naturis virtutem proponeret, ne immortalitatem delicatè assequerentur, ac molliter, sed ad illud æternæ vitæ ineloquibile præmium summa cum difficultate, ac magnis laboribus peruenirent. Ergo vt eas grauibus, & vexabilibus membris indueret, quoniam cõsistere in medio inani non poterant, ponderibus, & grauitate corporis deorsum premente, sedem illis, ac domicilium primo condendum esse decreuit. Itaq; ineffabili virtute, ac potentia præclara mundi opera molitus est, suspensis in altitudine leuibus elementis, & grauibus in ima depressis; & cælestia firmauit, & terrena constituit. Non est necesse nunc exequi
a Cap. 10 & seqq. singula, quoniam in secundo libro *a* vniuersa executi sumus. Lumina igitur posuit in Cœlo, quorum moderatio, & claritas, & motus aptissimè ad vtilitates viuentium temperatus est. Terræ autem, quam sedem voluit esse, fœcunditatem varia gignendi, ac proferendi dedit, vt vbertate frugum, & herbarum, viuentium pro natura, & vsu cuiusq; generis alimoniam ministraret. Tum perfectis omnibus, quæ ad conditionem mundi pertinebant, hominem finxit ex ipsa terra, quam illi à principio in habitaculum præparauit, idest spiritum suum terreno corpore induit, & inuoluit, vt & compactus ex rebus diuersis, ac repugnantibus bonum, ac malum caperet, & sicut terra ipsa fœcunda est ad fruges pariendas, ita corpus hominis, quod assumptum est è terra, generandi copiam, facultatemq; procreandæ sobolis accepit, vt quoniam fragili materia formatus in æternum manere non poterat, peracto temporalis vitæ spatio cederet; & illud, quod fragile, atq; imbecillum gerebat, perpetua successione renouaret. Cur igitur eum mortalem finxit, & fragilem, cũ illius causa mundum ædificasset? Primùm vt infinita vis animarum gigneretur, omnemq; terram multitudine oppleret, deinde vt proponeret homini virtutem, idest
[17] tolerantiam malorum, ac laborum, per 17
quam posset præmium immortalitatis adipisci. Nam quia homo ex duabus rebus constat corpore, atq; anima, quorum alterum terrenum est, alterum cæleste, duæ vitæ homini attributæ sunt, vna temporalis, quæ corpori assignatur, altera sempiterna, quæ animæ subiacet. Illam nascendo accepimus, hanc assequimur laborando, ne immortalitas homini (vt ante diximus) sine vlla difficultate constaret. Illa terrena est, sicut corpus, & ideo finitur, hæc verò cælestis, sicut anima, & ideo terminum non habet. Illam primam nescientes accepimus, hanc secundam scientes; virtuti enim, non naturæ datur, quia voluit nos Deus vitam nobis in vita comparare. Iccirco hanc præsentem dedit, vt illam veram, & perpetuam aut vitijs amittamus, aut virtute mereamur. In hac corporali non est summum bonum, quoniam sicut necessitate diuina nobis data est, ita rursum diuina necessitate soluetur. Ita quod finem habet, summum bonum non habet. In illa vero spiritali, quã per nos ipsi acquirimus, summum bonum continetur, quia nec malum potest habere, nec finem. cuius rei argumentum natura, & ratio corporis præbet. Cætera namq; animalia in humum vergunt, quia terrena sunt, nec capiunt immortalitatem, quæ de Cœlo est. Homo autem rectus in Cælum spectat, quia proposita est illi immortalitas; nec tamen venit, nisi tribuatur homini à Deo. Nam nihil interesset inter iustum, & iniustum, si quidem omnis homo natus immortalis fieret. Ergo immortalitas non sequela naturæ, sed merces, præmiumq; virtutis est. Deniq; homo non statim quàm natus est rectus ingreditur, sed quadrupes primo, quia ratio corporis, & huius præsentis vitæ cõmunis est nobis cum mutis animalibus.

post

post deinde confirmatis viribus erigitur,& lingua eius in eloquium soluitur,& mutum animal esse desinit. Quę ratio docet,mortalem nasci hominem; postea verò immortalem fieri, cum cœperit ex Deo viuere, idest iustitiam sequi, quæ continetur in Dei cultu, cum excitauerit hominem Deus ad aspectum Cæli, ac sui. Quod tũ fit, cum homo cælesti lauacro purificatus exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris; & incremento diuini vigoris accepto fit homo perfectus, ac plenus. Ergo quia virtutem proposuit homini Deus, licet anima, & corpus consociata sint, tamen contraria sunt, & impugnant inuicē. Animi bona mala sunt corporis, idest opũ fuga, voluptatum interdictio, doloris, mortisq; contemptus. Item corporis bona mala sunt animi, hoc est cupiditas, & libido, quibus & opes appetuntur,& suauitates variarũ voluptatum, quibus eneruatus animus extinguitur. Ideo necesse est, iustum,& sapientem in omnibus malis esse, quoniam malorum victrix est fortitudo; iniustos autem in diuitijs, in honore, in potestate; hæc enim bona corporalia, & terrena sunt. illi autem terrenam vitam agunt, nec assequi immortalitatem queunt, quia se voluptatibus dediderunt, quæ sunt virtutis inimicæ. Itaq; vita hæc temporalis illi æternæ debet esse subiecta, sicut corpus animæ. Quisquis ergo vitam animæ maluerit, vitam corporis contemnat necesse est, nec aliter eniti ad summũ bonum poterit, nisi quæ sunt ima despexerit. Qui autem corporis vitam fuerit amplexus, & cupiditates suas in terram deiecerit, illam superiorem vitam consequi non potest. Sed qui mault bene viuere in æternum, malè viuet ad tempus, & afficietur omnibus molestijs, & laboribus, quamdiu fuerit in terra, vt habeat diuinũ, & cœleste solatium. Et qui maluerit benè viuere ad tempus, malè viuet in æternum; damnabitur enim sententia Dei ad æternã pœnam, quia cœlestibus bonis terrena præposuit. Propterea igitur coli se Deus expetit, & honorari ab homine tanquam pater, vt virtutem, ac sapientiam teneat, quę sola immortalitatem parit. Nam quia nullus alius præter ipsum donare eam potest, quia solus possidet, pietatem hominis, qua Deum honorauerit, hoc afficit præmio, vt sit in æternũ beatus, sitq;
18 apud Deum, [18] & cum Deo semper.

CAPVT VI.

NVNC totam rationem breui circumscriptione signemus. Iccirco mundus factus est, vt nascamur; ideo nascimur, vt agnoscamus factorem mundi, ac nostri Deũ; ideo agnoscimus, vt colamus; ideo colimus, vt immortalitatem pro mercedę laborum capiamus, quoniã maximis laboribus cultus Dei cõstat; ideo præmio immortalitatis afficimur, vt similes Angelis effecti summo Patri, ac Domino in perpetuum seruiamus, & simus æternum Deo Regnum. *a* Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi, à quo sunt alieni, qui sequentes præsentem voluptatem terrestribus, & fragilibus bonis se addixerunt, & animas ad cælestia genitas suauitatibus mortiferis tanquam luto, cęnouè demerserunt. Quęramus nunc vicissim, an in cultu Deorum ratio vlla subsistat, qui si multi sunt, si ideo tantùm ab hominibus coluntur, vt præstent illis opes, victorias, honores, & quę alia nonnisi ad præsens valent; si sine causa gignimur; si in hominibus procreandis prouidentia nulla versatur; si casu nobismetipsis, ac voluptatis nostræ gratia nascimur; si nihil post mortem sumus, quid potest esse tam superuacuum, tam inane, tam vanum, quam humana res, & quam mundus ipse, qui cum sit incredibili magnitudine tam mirabili ratione constitutus, tamen rebus ineptis vacet? Cur enim ventorum spiritus cient nubes? Cur emicent fulgura, tonitrua mugiant, imbres cadant, vt fruges terra producat, vt varios fœtus alat? Cur deniq; omnis natura rerum laboret, ne quid desit earum rerum, quibus vita hominum sustinetur, si est inanis, si ad nihilum interimus, si nihil est in nobis maioris emolumenti Deo? Quod si est dictu nefas, nec putandum est fieri posse, vt non ob aliquam maximam rationem fuerit constitutum, quòd videas maxima ratione constare, quæ potest esse ratio in his erroribus prauarum religionum, & in hac persuasione philosophorũ, qua putant animas interire? Profectò nulla. Quid enim habent dicere, cur Dij hominibus tam diligenter suis quæq; temporibus exhibeant? An vt illis far, & merum demus, & odorem thuris, & sanguinem

a Apocalyp. p. & 5.

pecudum

pecudum? quæ neq; immortalibus grata esse possunt, quia sunt fragilia, neq; viui esse expertibus corporum, quia hæc ad vsum corporalium data sunt. Et tamen, si ea desiderarent, sibi ipsi possent exhibere, cum vellent. Siue igitur intereunt animæ, siue in æternum manent, quam rationem continet cultus Deorũ? aut à quo mundus constitutus est? Cur, aut quando, aut quousq; quatenus homines, aut quamobrem procreati? Cur nascuntur, intereunt, succedunt, renouantur? Quid Dij ex cultibus eorum assequuntur, qui post mortem nihil futuri sunt? Quid præstant? quid pollicentur? quid minantur aut hominibus, aut Dijs dignum? Vel si manẽt animæ post mortem, quod de his faciunt, facturiuè sunt? Quid illis opus est thesauro animarum? Ipsi illi ex quo fonte oriuntur? Quo modo, aut quare, aut vnde multi sunt? Ita fit, vt si ab illa rerum summa, quam superius comprehendimus aberraueris, omnis ratio intereat, & ad nihilum omnia reuoluantur.

CAPVT VII.

QVAM summam quia Philosophi nõ comprehenderunt, nec veritatem comprehendere potuerunt; quãuis ea ferè, quibus summa ipsa constat, & viderint, & explicauerint. Sed diuersi, ac diuersè illa omnia protulerunt nõ annectentes nec causas rerum, nec consequentias, nec rationes, vt summam illam, quæ continet vniuersa, & compingerent, & implerent. Facile est autem docere, penè vniuersam veritatem per Philosophorum sectas esse diuisam. Non enim sic philosophiam nos euertimus, vt Academici solent, quibus ad omnia respondere propositum est, quod est potius calumniari, & illudere: sed docemus, nullam sectam fuisse tam deuiam, nec Philosophorũ quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subuertunt, non tantum illis veritas elapsa est, quam se quærere simulabant, sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt. Quòd si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasq; diffusam colligeret in vnum, ac redigeret in corpus, is profectò non dissentiret a nobis. Sed hoc nemo facere nisi veri peritus, ac sciens potest. Verum autem scire non nisi eius est, qui sit doctus a Deo. Nemo enim potest aliter repudiare, quæ falsa sunt, eligere, ac probare quæ vera. Sed si vel casu id effeceret, certissimè philosopharetur. Et quamuis non posset diuinis testimonijs illa defendere, tamen se ipsam veritas illustraret suo lumine. Quare incredibilis est error illorum, qui cum aliquam sectam probauerint, eiq; se addixerint, cæteras damnãt, tanquam falsas, & inanes, armantq; se ad prœliandum, nec quid defendere debeant scientes, nec quid refutare: incursantq; passim sine delectu omnia, quæ afferunt quicunq; dissentiunt. Ob has eorũ pertinacissimas contentiones nulla extitit philosophia, quæ ad verum propius accederet, nam particulatim veritas ab his tota comprehensa est. Factum esse mundum à Deo dixit Plato *a*. Idem Prophetæ loquuntur *b*; idemq; ex Sibyllæ carminibus apparet *c*. Errant ergo qui omnia vel sua sponte nata esse dixerunt, vel minutis seminibus conglobatis, quoniam tanta res, tam ornata, tam magna neq; fieri, neq; disponi, & ordinari sine aliquo prudentissimo authore potuit, & ea ipsa ratio, qua constare, ac regi omnia sentiuntur, solertissimę mentis artificem confitetur. Hominum causa mundum, & omnia, quæ in eo sunt, esse facta Stoici loquuntur; *d* idem nos diuinę literæ docent *e*. Errauit ergo Democritus, qui vermiculorum modo putauit effusos esse de terra nullo authore, nullaq; ratione *f*. Cur enim formatus sit homo diuini sacramenti est; quod quia ille scire non poterat, humanã vitam deduxit ad nihilum. Ad virtutem capescendam nasci homines Aristoteles disseruit *g*. Idem nos monemur, ac discimus a Prophetis. Igitur falsus Aristippus, qui hominem voluptati, hoc est malo, tãquam pecudem subiugauit. *h* Immortales esse animas Pherecydes *i*, & Plato *k* dixerunt. Hæc verò propria est in nostra religione doctrina *l*. Ergo Dicæarchus cum Democrito errauit, qui perire cum corpore, ac dissolui argumentatus est *m*. Esse inferos Zenon Stoicus docuit, & sedes piorum ab impijs esse discretas, & illos quidem quietas, ac delectabiles incolere regiones, hos vero luere pœnas in tenebrosis

a Pl. ĩ Tim. b Gen. p. Ps. 32. Eccl. 18. c In Carm. Sibyl. ser. p. d ap Cic Lucull. & de ira Dei c. 13 e Genes p. Psal. 8 p. ad Corinth. 15. ad Heb 2. f. s l 3. c. 12. g Arist. ap. Ci. 2. de fin. h Cic. 2. fin. ad Lucul et 3. Off et ap. Laer. in Ari. i ap Cic. sub init. p Tusc. k pl ĩ phędr. phędon 10. de Rep. Men. & ap. Cic p. Tuscul. &c. l Sapiẽt. 3. & 11. Mat. 25. Apoc. 6. m ap. Cic. p. Tuscul.

brosis locis, atq; in cæni voraginibus hor-
a Psal. 30. rendis. Idem nobis Prophetæ palàm fa-
Luc. 13. 2. ciunt. a Ergo Epicurus errauit, qui Poe-
de Corin. 5. tarum id esse figmentum putauit, & il-
las inferorum pœnas, quæ ferantur, in
b ap. Lucr. hac esse vita interpretatus est b. Totam
ad finem 3. igitur veritatem, & omne diuinæ religio-
nis arcanum Philosophi attigerunt. Sed
alijs refellentibus defendere id, quod in-
uenerant, nequiuerunt; quia singulis ra-
tio non quadrauit; nec ea, quæ vera sen-
serant, in summam redigere potuerunt,
sicut superius nos fecimus.

CAPVT VIII.

VNVM est igitur summum bonum,
immortalitas; ad quam capiendam
& formati à principio, & nati sumus. Ad
hanc tendimus, hanc spectat humana na-
tura, ad hanc nos prouehit virtus. Quod
bonum quia deprehendimus, superest etiã,
vt de ipsa immortalitate dicamus. Plato-
nis argumenta quamuis ad rem multum
conferant, tamen parum habent firmita-
tis ad probandam, & implendam verita-
tem, quoniam nec rationem totius myste-
rij magni consummauerat, in vnumq; col-
legerat, nec summum bonum comprehen-
derat. Nam licet verum de immortalita-
te animæ sentiret, tamen non ita de illa,
tanquam de summo bono differebat. Nos,
igitur certioribus signis eligere possumus
veritatem, qui eam non ancipiti suspitio-
ne collegimus, sed diuina traditione co-
20 gnouimus. [20] Plato autem sic argumenta-
c Plat. in Phædr. tus est c. Immortale esse quicquid per se
ap. Cic. p. Tu ipsum & sentit, & semper mouetur. Quod
scul. & in so enim principium motus non habet, nec
mn. Scip. finem habiturum, quia deseri à semetipso
non potest. Quod argumentum etiam
mutis animalibus æternitatem daret, nisi
21 adiectione sapientiæ discreuisset. [21] Addi-
d Plat. ap. dit igitur, d vt effugeret hanc communi-
Cic. p. Tusc. tatem, fieri non posse, quin sit immorta-
& ad fin. (a lis animus humanus, cuius miranda soler-
ton. maior. tia inueniendi, & celeritas cogitandi, &
siue de sene- facilitas percipiendi, atq; discendi, & me-
ct. & in Cō- moria præteritorum, & prouidentia futu-
sol. vt inf l. rorum, & artium plurimq; innumerabi-
de ira Dei c. lium scientia, qua cæteræ careant ani-
10. ad fin. mantes, diuina, & cœlestis appareat, quia
& origo animi, qui tanta capiat, tanta
contineat, nulla reperiatur in terra; si-
quidem ex concretione terrena nihil ha-
beat admistum, sed necesse esse in terram
resolui, quod est in homine ponderosum,
& dissolubile: quod autem tenue, atq;
subtile, id vero esse indiuiduum, ac domi-
cilio corporis velut carcere liberatum, ad
Cœlum, & ad naturam suam peruolare.
Hæc ferè Platonis collecta breuiter, quæ
apud ipsum latè, copioseq; explicantur.
In eadem sententia fuit etiam Pythagoras,
antea, eiusdemq; præceptor Pherecydes,
quem Cicero tradit a primum de æterni- a Cicer. p.
tate animarum disputasse. Qui omnes li- Tuscul.
cet eloquentia excellerent, tamen in hac
duntaxat contentione non minus autho-
ritatis habuerunt, qui contra hanc sen-
tentiam differebant, Dicearchus primo,
deinde Democritus, postremo Epicurus,
adeo vt res ipsa de qua inter se pugnabãt,
in dubium vocaretur. Deniq; & Tullius
expositis horum omnium de immortalita-
te, ac morte sententijs, nescire se quid sit b Cicer. p.
verum pronunciauit. HARVM (inquit b) Tusc. nō lon
sententiarum quæ vera sit Deus aliquis vi- ge a princ.
derit.] Et rursus alibi. [22] QVONIAM 22
vtraq; (inquit) earum sententiarum do-
ctissimos habuit authores, nec quid certi
sit diuinari potest.] Verùm nobis diuina-
tione opus non est, quibus veritatem di-
uinitas ipsa patefecit.

CAPVT IX.

HIs itaq; argumentis, quæ nec Pla-
to, nec vllus alius inuenit, anima-
rum æternitas probari, ac perspici potest,
quæ nos breuiter colligemus, quoniam
properat oratio ad narrandum iudicium
Dei maximum, quod in terra propinquã-
te seculorum fine celebrabitur. Ante om-
nia, quoniam Deus ab homine videri non
potest, ne quis tamen ex eo ipso putaret,
Deum non esse, quia mortalibus oculis nõ
videretur, inter cætera institutorum suo-
rum miracula fecit etiam multa, quorum
vis quidem apparet, substantia tamen nõ
videtur, sicut est vox, odor, ventus; vt ha-
rum rerum argumento, & exemplo, etiam
Deum, licet sub oculos non veniret, de
sua tamẽ vi, & effectu, & operibus cerne-
remus. Quid voce clarius, aut vento for-
tius, aut odore violentius? Hæc tamen

cum per aerem feruntur, ad sensusq; nostros veniunt, & eos potentia sua impellunt, non cernuntur acie luminum, sed aliis corporis partibus sentiuntur. Similiter Deus non aspectu nobis, aliove fragili sensu comprehendendus est, sed mentis oculis intuendus: cum opera eius præclara, & miranda videamus. Nam illos qui nullum omnino Deum esse dixerunt, non modo philosophos, sed ne homines quidem fuisse dixerim, qui mutis simillimi ex solo corpore constiterunt, nihil cernentes animo, & ad sensum corporis cuncta referentes; qui nihil putabant esse, nisi quod oculis contuebantur. Et quia videbant aut bonis accidere aduersa, aut malis prospera, fortuitu geri omnia crediderunt, & natura mundum, non prouidentia constitutum. Hinc iam prolapsi sunt ad deliramenta, quæ talem sententiam necessario sequebantur. Quòd si est Deus & incorporalis, & inuisibilis, & æternus, ergo non idcirco interire animam credibile est, quia non videtur, postquam recessit a corpore, quoniam constat esse aliquid sentiens, ac vigens, quod non veniat sub aspectum. At enim difficile est animo comprehendere, quemadmodum possit anima retinere sensum sine iis partibus corporis, in quibus inest officium sentiendi. Quid de Deo? Num facile est comprehendere, quemadmodum vigeat sine corpore? Quod si Deos esse credunt, qui si sunt, vtiq; sunt expertes corporum, necesse est, humanas animas eadem ratione subsistere; quoniam ex ipsa ratione, ac prouidentia intelligitur esse quædam in homine, ac Deo similitudo. Denique illud argumentum, quod etiam M. Tullius vidit, *a* satis firmum est, ex eo æternitatem animæ posse dignosci, quia nullum sit aliud animal, quod habeat notitiam aliquam Dei, & religioq; sit penè sola, quæ hominem discernat a mutis. Quæ cum in hominem solum cadat, profecto testatur, id affectare nos, id desiderare, id colere, quod nobis familiare, quod proximum sit futurum. An aliquis cum cæterarum animantium naturam considerauerit, quas pronis corporibus abiectas, in terramq; prostratas summi Dei prouidentia effecit, vt ex hoc intelligi posset, nihil eas rationis habere cum cœlo, potest non intelligere, solum ex omnibus cæleste, ac diuinum animal esse hominem? cuius corpus ab humo excitatum, vultus sublimis, status rectus originem suam quærit, & quasi contempta humilitate terræ ad altum nititur, quia sentit, summum bonum in summo sibi esse quærendum, memorq; conditionis suæ, qua Deus illum fecit eximium, artificem suum spectat. Quam spectationem Trismegistus θεοπτίαν rectissimè nominauit, *a* quæ in mutis animalibus nulla est. Cum autem sapientia, quæ soli homini data est, nihil aliud sit, quam notitia Dei, apparet, animam non interire, neq; dissolui, sed manere in sempiternum, quia Deum, qui sempiternus est, & quærit, & diligit, ipsa cogente natura, sentiens vel vnde orta sit, vel quò reditura. Præterea non exiguum immortalitatis argumentum est, quòd homo solus cœlesti elemento vtitur. Nam cum rerum natura his duobus elementis, quæ repugnant sibi, & inimica sunt, constet, igne, & aqua, quorum alterum cælo, alterum terræ attribuitur, cæteræ animantes, quia terrenæ, mortalesq; sunt, terreno, grauiq; vtuntur elemento; homo solus ignem in vsu habet, quod est elementum leue, sublime, cæleste. Ea verò, quæ ponderosa sunt, ad mortem deprimunt, & quæ leuia sunt, ad vitam subleuant, quia vita in summo est, mors in imo. Et vt lux esse sine igne non potest, sic vita sine luce. Igitur ignis elementum est lucis, ac vitæ, vnde apparet, hominem, qui eo vtitur, immortalem sortitum esse conditionem, quia id illi familiare est, quod facit vitam. Virtus quoque soli homini data magno argumento est, immortales esse animas, quæ non 23
erit secundum naturam, si anima extinguitur; huic enim præsenti vitæ nocet. Nam vita ista terrena, quam communem cum mutis animalibus ducimus & voluptatem expetit, cuius fructibus variis, ac suauibus delectatur, & dolorem fugit, cuius asperitas naturam viuentium acerbis sensibus lædit, & ad mortem perducere nititur, quæ dissoluit animantem. Si ergo virtus & prohibet iis bonis hominem, quæ naturaliter appetuntur, & ad sustinenda mala impellit, quæ naturaliter fugiuntur, ergo malum est virtus, & inimica naturæ, stultumq; iudicari necesse est, qui eam sequitur, quoniam se ipse lædit & fugiendo bona præsentia, & appetendo æque mala sine spe fructus amplioris. Nam cum 24
liceat nobis iucundissimis frui voluptatibus

a Cic. 1. de legib.

a Her. Trismeg. Pimandr. c. 12. 13. & 14.

bus, nonnè sensu carere videamur, si malimus in humilitate, in egestate, in contemptu, in ignominia viuere, aut ne viuere quidem, sed dolere, cruciari, & mori? ex quibus malis nihil amplius assequamur, quo possit voluptas omissa pensari? Si autem virtus malum non est, facitq; honestè, quòd voluptates vitiosas, turpesq; contemnit, & fortiter, quòd nec dolorem, nec mortem timet, vt officium seruet; ergo maius aliquod bonum assequatur necesse est, quam sunt illa, quæ spernit. At verò morte suscepta quod vlterius bonum sperari potest, nisi æternitas?

CAPVT X.

TRANSEAMVS nunc vicissim ad ea, quæ virtuti repugnant, vt etiam ex his immortalitas animæ colligatur. Vitia omnia temporalia sunt, ad præsens enim commouentur. Iræ impetus recepta vltione sedatur; libidinis voluptas corporis finis est; cupiditatem autem satietas earũ rerum, quas expetit, aut aliorum affectuum commotiones interimũt; ambitio post quam honores, quos voluit, adepta est, consenescit. Item cætera vitia consistere, ac permanere non possunt, sed ipso fructu, quem expetunt, finiuntur. Recedunt ergo, & redeunt. Virtus autem sine vlla intermissione perpetua est, nec discedere ab eo potest, qui eam semel cepit. Nam si habeat interuallum, si aliquando ea carere possumus, redibunt protinus vitia, quæ virtutem semper impugnant. Non est igitur comprehensa, si deserit, si aliquando secedit. Cum verò sibi domicilium stabile collocauit, in omni actu versari eam necesse est; nec potest fideliter depellere vitia, & fugare, nisi pectus, quod insederit, perpetua statione munierit. Ipsa ergo virtutis perpetuitas indicat, humanum animum, si virtutem ceperit, permanere, quia & virtus perpetua est, & solus animus humanus virtutem capit. Quoniam igitur contraria sunt vitia virtuti, omnis ratio diuersa, & contraria sit necesse est, quia vitia commotiones, & perturbationes animi sunt; virtus è contrario lenitudo, & tranquillitas animi est: quia vitia temporalia, & breuia sunt, virtus perpetua, & constans, & par sibi semper; quia vitiorum fructus, id est voluptates æquè vt ipsa, breues, temporalesq; sunt. Virtutis ergo fructus, ac præmium sempiternum est; quia vitiorum commodum in præsenti est, virtutis igitur in futuro. Ita fit, vt in hac vita virtutis præmium nullum sit; quia virtus adhuc ipsa est. Nam sicut vitia cum in actu suo finiuntur, voluptas, & præmia eorum sequuntur, ita virtus cum finita est, merces eius insequitur. Virtus autem nunquam nisi morte finitur, quoniam & in morte suscipienda summum eius officiũ est. Ergo præmium virtutis post mortem est. Deniq; Cicero in Tusculanis, quamuis dubitanter, tamen sensit, summum homini bonum non nisi post mortem contingere. FIDENTI animo (inquit a) si ita res feret gradietur ad mortem, in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognouimus.] Mors igitur non extinguit hominem, sed ad præmium virtutis admittit. Qui autem se (vt ait idem b) vitijs, ac sceleribus contaminauerit, voluptatiq; seruierit, is verò damnatus æternam luet pœnam, quam diuinæ literæ secundam mortem nominant c, quæ est perpetua, & grauissimis cruciatibus plena. Nam sicut duæ vitæ propositæ sunt homini, quarum altera est animæ, altera corporis, ita & mortes duæ propositæ sunt, vna pertinens ad corpus, qua cunctos secundum naturam fungi necesse est, altera pertinens ad animam, quæ scelere acquiritur, virtute vitatur. Vt hæc vita temporalis est, certosq; terminos habet, quia corporis est, sic & mors æquè temporalis est, certumq; habet finem, quia corpus attingit.

a Cicer. 1. Tuscul. ad fin.

b Cicer. in Consol & 1. Tuscul. vt supra lib. 3. c. 19.

c Apoc. 20. & 21.

CAPVT XI.

IMPLETIS ergo temporibus, quæ Deus morti statuit, terminabitur ipsa mors. Et quia temporalem vitam temporalis mors sequitur, consequens est vt resurgant animæ ad vitam perennem, quia finem mors temporalis accipit. Rursum sicut vita animi sempiterna est, in qua diuinos, & ineloquibiles immortalitatis suæ fructus capit, ita & mors eius perpetua sit necesse est, in qua perennes pœnas, & infinita tormenta pro peccatis suis pendet. Ergo in ea conditione res posita

sita est, vt qui beati sunt in hac vita corporali, atq; terrena, semper miseri sint futuri, quia iam bonis, quæ maluerunt, positi sunt. quod ijs euenit, qui Deos adorant, at Deum negligunt. Deinde qui iustitiam sequentes in hac vita miseri fuerint, & contempti, & inopes, & ob ipsam iustitiam contumelijs, & iniurijs sæpe vexati, quia nec aliter virtus teneri potest, semper beati sunt futuri, vt quia mala iam pertulerunt, etiam bonis fruantur: quod his vtiq; contingit, qui contemptis terrestribus Dijs, & fragilibus bonis, cœlestem religionem Dei sequuntur, cuius bona, sicut ipse, qui tribuit, sempiterna sunt. Quid opera corporis, atq; animi? Nonnè indicant esse animam mortis expertem? Nam corpus, quia ipsum fragile est, atq; mortale, quæcunq; opera molitur, æquè caduca sunt. Nihil enim Tullius *a* ait esse, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur vel iniuria hominum, vel ipsa confectrice omnium vetustate. At verò animi opera videmus æterna. Nam quicunq; contemptui presentium studentes, in memoriam monumenta ingeniorum, factorumq; magnorum reliquerunt, ij planè mentis, ac virtutis suæ nomen indelebile quæsierunt. Ergo si opera corporis ideo mortalia sunt, quia ipsum mortale est, sequitur, vt anima ex eo immortalis appareat, quia videmus, opera eius non esse mortalia. Eodem modo desideria quoq; corporis, animiq; declarant, alterum esse mortale, alterum sempiternum. Corpus enim nihil nisi temporale desiderat, idest cibum, potum, indumentum, quietem, voluptatem: & tamen hæc ipsa sine nutu, & adminiculo animi nec cupere, nec assequi potest. Animus autem per se multa desiderat, quæ ad officium, fructumuè corporis non redundent; eaq; non fragilia, sed æterna sunt, vt fama virtutis, vt memoria nominis. Nam cultum Dei, qui constat abstinentia cupiditatum, ac libidinum, patientia doloris, contemptu mortis, etiam contra corpus anima concupiscit. Vnde credibile est, non interire animam, sed dissociari a corpore, quia corpus sine anima nihil potest, animus verò potest multa, & magna sine corpore. Quid, quod ea, quæ visibilia sunt oculis, & tangibilia manu, quia externam vim pati possunt, æterna esse non possunt? Ea verò, quæ neq; sub tactum, neq; sub visum veniunt, sed tantummodo vis eorum, & ratio, & effectus apparet, æterna sunt, quia nullam vim patiuntur extrinsecus. Corpus autem si ideo mortale est, quia visui pariter, & tactui subiacet, ergo & anima icciro immortalis est, quia nec tangi potest, nec videri.

a Cic. pro M. Marcel. vt supra li. 6. c. 11. in fin.

CAPVT XII.

NVNC argumenta eorum, qui contradixerunt, refellamus, quæ Lu-
cretius tertio libro executus est. Quoniã 26
cum corpore (inquit) anima nascitur, cũ corpore intereat necesse est. At non est par vtriusq; ratio. Solidum enim, & comprehensibile corpus est, & oculis, & manu videtur, & tangitur; anima verò tenuis, & tactum, visumq; fugiens. Corpus ex terra fictum, atq; consolidatum est, anima in se nihil concreti, nihil terreni ponderis habet, vt Plato differebat *a*. Nec enim tantam posset habere solertiam, tantam vim, tantam celeritatem, nisi originem traheret è cœlo. Corpus igitur quoniam fictum ex ponderoso, & corruptibili elemento & tangibile est, & visibile, corrumpitur, atq; occidit, nec vim repellere potest, quia sub aspectum, & sub tactum venit. Anima autem, quia tenuitate sua omnem tactum fugit, nullo ictu dissolui potest. Ergo quamuis inter se se coniuncta, & sociata nascantur, & alterum, quod est de terrena concretione formatum quasi vasculum sit alterius, quod est a cælesti subtilitate deductum, cum vis aliqua vtrumq; discreuerit, quæ discretio mors vocatvr, tum vtrumq; in naturam suam recedit: quod ex terra fuit, id in terram resoluitur; quod ex cœlesti spiritu, id constat, ac viget semper, quoniam diuinus spiritus sempiternus est. Deniq; idem Lucretius oblitus, quid assereret, & quod dogma defenderet, hos versus posuit. *b*

Cedit item retro de terra quod fuit ante 27
In terram, sed quod missum est ex atheris oris
Id rursus cæli fulgentia templa receptant.

Quod eius non erat dicere, qui perire animas cum corporibus differebat; sed victus est veritate, & imprudenti ratio vera surrepsit. Præterea id ipsum quod colligit, dissolui animam, hoc est simul cũ corpore

a Plat. apud Cic. p. Tusc. & in fin. Caton. vt sup. c. 8.

b Lucret. 2.

interire, quoniam simul nascantur, & fal-
sum est, & in contrarium conuerti potest.
Non enim simul interit, sed anima disce-
dente integrum per multos dies manet, &
plerunq; medicatum diutissime durat. Nã
si vt simul nascuntur, simul interirent, non
discederet repente anima, corpusq; dese-
reret; sed vno temporis puncto vtrumq;
pariter dissiparetur, & tam celeriter etiam
corpus adhuc spiritu in eo manente, deli-
quesceret, ac periret, quàm celeriter ani-
ma secedit. Immo verò dissoluto corpo-
28 re anima vanesceret, [28] velut humor fra-
cto vase diffusus. Nam si terrenum, & fra-
gile corpus post secessum animæ non
statim defluit, in terramq; tabescit, ex qua
illa origo est, ergo anima, quæ fragilis nõ
est, in æternum manet, quoniam origo
29 eius æterna est. [29] Quoniam crescit (inquit)
a Lucret. 3. a sensus in pueris, & in iuuenibus viget, &
in senibus diminuitur, apparet esse mor-
30 talem. [30] Primum non est idem mens, &
anima. Aliud est enim, quo viuimus, aliud
31 quo cogitamus. [31] nam dormientium
32 mens, non anima sopitur; [32] & in furiosis
mens extinguitur, anima manet, & ideo
33 non exanimes, sed [33] dementes vocantur.
Mens ergo, id est intelligentia vel augetur,
vel minuitur pro ætate. Anima in statu
suo semper est, & ex quo tempore spiran-
di accepit facultatem, eadem vsq; ad vlti-
mum durat, donec emissa corporis clau-
stro ad sedem suam reuolet. Deinde quod
anima quamuis a Deo sit inspirata, tamen
quia tenebroso domicilio terrenæ carnis
inclusa est, scientiam non habet, quæ est
diuinitatis. Audit ergo, ac discit omnia,
& sapientiam discendo, & audiendo capit;
& senectus non minuit sapientiam, sed au-
get; si tamen iuuenilis ætas virtute decur-
sa est. Sed si nimia senectus fregerit mem-
bra, non est animæ vitium, si viuus eua-
nuit, si lingua torpuit, si auditus obsurduit,
34 sed corporis. [34] At enim memoria defecit.
Quid mirum si labentis domicilij ruina
premitur mens, & præterita obliuiscitur,
non aliter futura diuina, quam si carce-
35 rem, quo cohibetur, effugerit? [35] Verùm
b Lucret. eod. 3. eadem (inquit b) dolori, & luctui obnoxia
est, & ebrietate dementit; vnde fragilis, &
mortalis apparet. Iccirco igitur virtus, &
sapientia necessaria est, vt & mœror, qui
contrahitur indigna patiendo, ac videndo,
fortitudine repellatur, & voluptas non
modo potandi, sed etiam rerum cætera-
rum abstinentia superetur. Nam si careat
virtute, si voluptatibus dedita molliatur,
morti fiet obnoxia, quoniam & virtus (vt
docuimus) immortalitatis est fabricatrix,
& voluptas mortis. Mors autem (sicut
ostendi) non funditus perimit, ac delet, sed
æternis afficit cruciatibus. Nam interire
prorsus anima non potest, quoniam ex
Dei spiritu, qui æternus est, originem
cepit. [36] Anima (inquit a) etiam morbum 36
corporis sentit, [37] & obliuionem sui pati- a Lucr. eod.
tur: & sicut ægrescit, ita etiam sæpe sana- 37
tur. Hoc est ergo, cur maximè virtus ad-
hibenda sit, ne vllo corporis dolore fran-
gatur, & obliuionem sui non anima, sed
mens patiatur. Quæ quoniam certa cor-
poris regione consistit, cum eam partem
vis aliqua morbi vitiauerit, mouetur loco,
& quasi conquassata de sede sua migrat,
reditura scilicet, cum medela, & sanitas
domicilium suum reformauerit. Nam
quia iuncta est anima cum corpore, si vir-
tute careat, [38] contagio eius ægrescit, & 38
imbecillitas de societate fragilitatis redun-
dat ad mentem. Cum autem dissociata
fuerit à corpore, vigebit ipsa per se, nec
vlla iam fragilitatis cõditione tentabitur,
quia indumentum fragile proiecit. [39] Sicut 39
oculus (inquit b) euulsus à corpore, ac se- b Lucr. eod.
paratus nihil potest videre, ita & anima se
parata nihil sentire, quia & ipsa pars est
corporis. Falsum hoc, & dissimile est.
Anima enim non pars corporis, sed in
corpore est. [40] sicut id, quod vase conti- 40
netur vasis pars non est, nec ea, quæ in
domo sunt, partes domus esse dicun-
tur, ita nec anima pars est corporis,
quia corpus vel vas animæ est, vel re-
ceptaculum. Iam illud argumentum
multo magis inane est, quo ait, c [41] Ani- 41
mam, quia non citius emittatur è corpore, c Lucr. eod.
mortalem videri; sed paulatim se ex om-
nibus membris explicet à summis pedibus
incipiens: tanquam, si esset æterna, vno
temporis momento erumperet, quod fit in
iis, qui ferro intereunt; quos autem mor-
bus interimit, spiritum diutius exhalant,
& paulatim frigescentibus membris ani-
ma efflatur: quæ, cum materia sanguinis
contineatur, sicut lumen oleo, ea mate-
ria febrium calore consumpta, necesse est
membrorum summa queq; frigescere,
quoniam venæ exiliores in extrema cor-
poris poriguntur, & extremi, ac tenuiores
riui deficiente vena fontis arescunt. Neç
tamen,

tamen, quia sensus corporis deficit, animæ sensum extingui, & occidere putandum est. Non enim anima corpore deficiente, sed corpus anima decedente putrescit, quia sensum omnem trahit secum. Cum autem præsens anima sensum suum tribuat corpori, & viuere id efficiat, fieri non potest, vt non ipsa per se & viuat, & sentiat, quoniam ipsa est & sensus, & vita. Nam quod ait. a

a Lucr. eod.

42 —— *Quòd si immortalis nostra foret mens,*
Non tam se moriens dissolui conquereretur,
Sed magis ire foras, vestemq; relinquere vt anguis
Gauderet ——————

Equidem nunquam vidi, qui se quereretur, in morte dissolui, sed ille fortasse Epicureum aliquem viderat etiam dum moritur philosophantem, ac de sui dissolutione in extremo spiritu disserentem. Quo modo sciri potest, vtrum dissolui se sentiat, an corpore liberari, cum in exitu lingua mutescat? Nam dum sentit, & loqui potest, nondum dissolutus est: vbi dissolutus est, iam nec sentire, nec loqui potest. Ita queri de dissolutione aut nondum potest, aut iam non potest. At enim non priusquã dissoluatur, intelligit se dissolutum iri. Quid quòd videmus, plerosq; morientium non dissolui conquerentes (vt ait) sed exire se, & ambulare testantes, idq; aut gestu significant, aut, si adhuc possunt & voce pronunciant? Vnde apparet, non dissolutionem fieri, sed separationem, quæ declarat, animam permanere. Cætera Epicurei dogmatis argumenta Pythagoræ repugnant differenti, migrare animas de corporibus vetustate, ac morte confectis, & insinuare se nouis, ac recens natis; & easdem semper renasci modo in homine, modo in pecude, modo in bestia, modo in volucre, & hac ratione immortales esse, quòd sæpe variorum, ac dissimilium corporum domicilia commutent. Quæ sententia deliri hominis quoniam ridicula est, & mimo dignior, quam schola fuit, ne refelli quidem serio debuit, quod qui facit, videtur vereri, ne quis id credat. Prætereunda sunt igitur nobis ea, quæ pro falso contra falsum disserebantur. Satis est ea refutasse, quæ contra verum disputata sunt.

❧❧❧

CAPVT XIII.

DECLARAVI (vt opinor) animam non esse solubilem. Superest citare testes, quorum authoritate argumenta firmentur. Neq; nunc Prophetas in testimonium vocabo, quorum ratio, & diuinatio in hoc solo posita est, vt ad cultum Dei, & ad immortalitatem ab eo accipiendam creari hominem doceant; sed eos potius, quibus istos, qui respuunt veritatem, credere sit necesse. Hermes naturam hominis describens, vt doceret, quemadmodum esset à Deo factus, hæc intulit. a καὶ τὸ αὐτὸ ἐξ ἀμφοτέρων φύσεων τῆς τε ἀθανάτου καὶ τῆς θνητῆς μίαν ἐποίει φύσιν ἀνθρώπου, τὸν αὐτὸν πῆ μὲν ἀθάνατον, πῆ δὲ θνητὸν ποιήσας, καὶ τοῦτον φέρων ἐν μέσῳ θείας καὶ ἀθανάτου φύσεως, καὶ τῆς θνητῆς, καὶ μεταβλητοῦ κατεστήσατο, ἵνα ὁρῶν ἅπαντα, ἅπαντα καὶ θαυμάσῃ. Sed hunc fortasse aliquis in numero Philosophorum computet, quamuis in Deos relatus Mercurij nomine ab Ægyptijs honoretur, nec plus ei authoritatis tribuat, quàm Platoni, aut Pythagoræ. Maius igitur testimonium requiramus. Polytes quidam consuluit Apollinem Milesium, vtrumnè maneat anima post mortem, an resoluatur. Et respondit his versibus.

a Her. Trismeg. in Asclep. c. 4.

ψυχὴ μὲν μέχρις οὗ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται,
φθαρτὰ νοοῦσα πάθη θνηταῖς ἀλγηδόσιν εἴκει.
Ἡνίκα δ' ἀνάλυσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαρανθὲν 43
ὠκίστην εὕρηται, ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται
αἰὲν ἀγήραος οὖσα, μένει δ' εἰς πάμπαν ἀτειρής.
πρωτόγονος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε πρόνοια.

Quid carmina sibyllina? Nonne hoc ita esse declarant, cum fore aliquando denunciant, vt à Deo de viuis, ac mortuis iudicetur? quorum exempla post inferemus. Falsa est ergo Democriti, & Epicuri, & Dicæarchi de animi dissolutione sententia, qui profectò non auderent de interitu animarum mago aliquo præsente disserere, qui sciret certis carminibus cieri ab inferis animas, & adesse, & præbere se humanis oculis videndas, & loqui, & futura prædicere: & si auderent, re ipsa, & documentis præsentibus vincerentur. Sed quia non peruidebant animæ rationem, quæ

tam

tam ſubtilis eſt, vt oculos humanæ mentis effugiat, interire dixerunt. Quid Ariſtoxenus, qui negauit omnino, vllam eſſe
44 animam etiam cum viuit in corpore? Sed ſicut in fidibus ex intentione neruorum effici concordem ſonum, atq; cantum, quem Muſici harmoniam vocant, ita in corporibus ex compage viſcerum, ac vigore membrorum vim ſentiendi exiſtere. Quo nihil dici delirius poteſt. Verùm ille oculos quidem habuit incolumes, cor tamen cæcum, qui viuere ſe, & habere mentem, qua id ipſum cogitauerat, non videbat. Sed pleriſq; hoc Philoſophis accidit, vt putarent, omnino non eſſe quicquid oculis non apparet; cum mentis acies multò clarior eſſe debeat, quàm corporis ad ea perſpicienda, quorum vis, ac ratio ſentitur potius, quam videtur.

CAPVT XIV.

QVONIAM de immortalitate diximus animæ, ſequitur, vt doceamus, quatenus homini, & quando tribuatur, vt in hoc quoq; prauitatis, ac ſtultitiæ ſuæ perſpiciant errores, qui mortales quoſdã decretis, placitiſq; mortalium Deos eſſe factos opinantur, vel quòd artes inuenerant, vel quòd vſum quarumdam frugum docuerant, vel quòd vtilia vitæ hominũ prodiderant, vel quòd immanes beſtias interemerant. Quæ merita quam longe ab immortalitate remota ſint, & docuimus in prioribus libris, & nunc docebimus, vt appareat, ſolam eſſe iuſtitiam quæ vitam homini pariat æternam, & ſolum Deum, qui æternæ vitæ præmium largiatur. Nam illi, qui ſuis meritis immortales facti eſſe dicuntur; quia nec iuſtitia, nec vlla in ijs vera virtus fuit non immortalitatem ſibi ſed mortem peccatis ac libidinibus quæſierunt; nec cœleſte præmium, ſed inferna ſupplicia meruerunt, quæ pendent ſimul cum ijs omnibus, qui eos coluerunt. Cuius iudicijs propinquare tempus oſtendam, vt & iuſtis merces digna ſoluatur, & pœna merita
45 impijs irrogetur. Plato, a & multi alij (a Plat. in Timæ. ſub initium.) Philoſophorum, cum ignorarent originem rerum, ſupremumq; illud tempus, quo mundus eſſet effectus, multa millia ſeculorum fluxiſſe dixerunt, ex quo hic pulcherrimus mundi ornatus extiterit, 46
ſecuti fortaſſe Chaldæos, qui (vt Cicero tradidit in libro de Diuinatione primo) quadringẽta ſeptuaginta millia annorum monumentis comprehenſa ſe habere delirant; in quo quia ſe poſſe argui non putabant, liberum ſibi crediderunt eſſe mentiri. Nos autem, quos diuinæ literæ ad ſcientiam veritatis erudiunt, principium mundi, finemq; cognouimus, de quo nunc in fine operis diſſeremus, quoniam de principio in ſecũdo libro a explicauimus. (a Cap 9. & ſeqq.) Sciant igitur Philoſophi, qui ab exordio mundi ſeculorum millia enumerant, nondum 47
ſextum millesimum annum eſſe concluſum; quo numero expleto conſumatio- 48
nem fieri neceſſe eſt, & humanarum rerum ſtatum in melius reformari. Cuius rei argumentum prius eſt enarrandum, quo ratio eluceſcat. Mundum Deus, & hoc rerum naturæ admirabile opus (ſicut arcanis ſacræ ſcripturæ continetur b) ſex (b Geneſ. 1.) dierum ſpacio conſummauit, diemq; ſeptimum, quo ab operibus requieuit, ſanxit c. Hic eſt autem dies Sabbati, qui 49
lingua Hebræorum a numero nomen accepit; vnde ſeptenarius numerus legitimus, ac plenus eſt. (c Geneſ. 2. Exod. 20. Deuter. 5. ad hebræ. 4.) Nam & dies ſeptem ſunt, quibus per vicem reuolutis, orbes conficiunt annorum, & ſeptem ſtellæ, quæ non occidunt, & ſeptem ſydera, quæ vocantur errantia, quorum diſpares curſus, & inæquales motus rerum, ac temporum varietates efficere creduntur. Ergo quoniam ſex diebus cuncta Dei opera perfecta ſunt, per ſecunda ſex, ideſt annorum ſex millia manere in hoc ſtatu mundum neceſſe eſt. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, ſicut in- 50
dicat Propheta dicens: d ANTE oculos (d Pſal. 89.) tuos domine mille anni, tanquam dies vnus. Et ſicut Deus ſex illos dies in tantis rebus fabricandis laborauit, ita & religio eius, & veritas in his ſex millibus annorum laborare neceſſe eſt, malitia præualente, ac dominante. Et rurſus quoniam perfectis operibus requieuit die ſeptimo, eumq; benedixit, neceſſe eſt, vt in fine ſexti milleſimi anni malitia omnis aboleatur è terra & regnet per annos mille iuſtitia, ſitq; tranquillitas, & requies à laboribus, quos mundus iam diu perfert. Verum quatenus id eueniat, ordine ſuo explicabo. Sæpe diximus, minora, & exigua magnorum figuras, & præmonſtratio-

strationes esse, vt hunc diem nostrum, qui ortu Solis, & occasu finitur, diei magni speciem gerere, quem circuitus annorum mille determinat. Eodem modo etiã figuratio terreni hominis cœlestis populi præferebat in posterum fictionem. Nam sicut perfectis omnibus, quæ in vsum hominis molitus est Deus, ipsum hominem sexto die vltimum fecit, eumq; induxit in hunc mundum, tamquam in domum iam diligenter instructam; ita nunc sexto die magno verus homo verbo Dei fingitur, idest sanctus populus doctrina, & præceptis Dei ad iustitiam figuratur. Et sicut tunc mortalis, atq; imperfectus è terra fi-
51 ctus est, [51] vt mille annis in hoc mundo viueret, ita nunc ex hoc terrestri seculo perfectus homo fingitur, vt viuificatus à Deo in hoc eodem mundo per annos mille dominetur. Quo modo autem consummatio futura sit, & qualis exitus humanis rebus impendeat, si quis diuinas literas fuerit scrutatus, inueniet. Sed & secularium prophetarum congruentes cum cœlestibus voces, finem rerum, & occasum post breue tempus annunciant, describentes quasi fatigati, & delabentis mundi vltimam senectutem. Quæ verò à Prophetis, & vatibus futura esse dicantur priusquam superueniat extrema illa conclusio, collecta ex omnibus, & coaceruata subnectam.

CAPVT XV.

Est in arcanis sanctarum literarum, transcendisse in Ægyptum cogente inopia rei frumentariæ principem Hebræorum cum omni domo, & cognatio-
a Genes. 42. ne. a Cuius posteri, cum diutius in Ægypto commorantes in magnam gentem creuissent, & graui, atq; intolerando serui-
b Exod. 1. tutis iugo premerentur, b percussit Ægyp-
Esdr. 2. c. 9. tum Deus insanabili plaga, c & populum
c Exod. 7. suum liberauit traductum medio mari di-
& seqq. scissis fluctibus, & in vtramq; partem di-
d Exod. 14 motis, vt per siccum populus graderetur. d
Ps. 77. 104 Conatusq; Rex Ægyptiorum profugos in-
& 113. sequi, coeunte in statum suum pelago cum
e Exod. 14. omnibus copijs interceptus est. e Quod
ad Hebræ. facinus tam clarum, tamq; mirabile,
11. quamuis ad præsens virtutem Dei hominibus ostenderet, tamen præsignificatio, & figura maioris rei fuit, quam Deus idem in extrema temporum consumatione facturus est. Liberabit enim plebem suam de graui seruitute mundi. Sed quoniam tunc vna plebs Dei, & apud vnam gentem fuit, Ægyptus tunc sola percussa est. Nunc autem, quia Dei populus ex omnibus linguis congregatus apud omnes gentes commoratur, & ab his dominantibus premitur, necesse est, vniuersas nationes, idest orbem totum cœlestibus plagis verberari, vt iustus, & cultor Dei populus liberetur. Et sicut tunc signa facta sunt, quibus futura clades Ægypti ostenderetur, ita in vltimo fient prodigia miranda per omnia elementa mundi, quibus imminens exitus vniuersis gentibus intelligatur. Propinquante igitur huius seculi termino, humanarum rerum statum commutari necesse est, & in deterius nequitia inualescente prolabi,
a vt iam nostra hæc tempora, quibus ini- a Matt. 24.
quitas, & malitia vsq; ad summum gradum creuit, in illius tamen insanabilis mali comparatione felicia, & propè aurea possint iudicari. Ita etenim iustitia rarescet, ita impietas, & auaritia, & cupiditas, & libido crebrescent, vt si qui tum fortè fuerint boni, prędę sint sceleratis, ac diuexentur vndiq; ab iniustis; soli autẽ mali opulenti sint; boni verò in omnibus contumelijs, atq; in egestate iactentur. Confundetur omne ius, & leges interibunt. Nihil tunc quisquam habebit, nisi aut quęsitum, aut defensum manu: audacia, & vis omnia possidebũt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit, atq; ita neq; securitas neq; regimen, neq; requies à malis vlla. Omnis enim terra tumultuabitur, frement vbiq; bella, omnes gentes in armis erunt, & se
inuicem oppugnabũt. b Ciuitates finitimę b Matt. 24.
inter se præliabuntur. Et prima omnium Marc. 13.
Ægyptus stultarum superstitionum luet Luc. 21.
pœnas, & sanguine velut flumine operietur. Tunc peragrabit gladius orbem metens omnia, & tamquam messem cuncta prosternens. Cuius vastitatis, & confusio-
nis hæc erit causa, [52] quòd Romanum 52
nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, & imperium in Asiam reuertetur, ac rursus oriens dominabitur, atq; occidens seruiet. Nec mirum cuiquam debet videri, si regnum tanta mole fundatum, ac tam diu per tot,

& tales

& tales viros auctum, tantis deniq; opibus corroboratum, aliquando tamen corruet. Nihil eſt enim humanis viribus laboratum, quod non humanis æquè viribus deſtrui poſſit; quoniam mortalia ſunt opera mortalium. Sic & alia prius Regna, cum diutius floruiſſent, nihilominus tamen occiderunt. Nam & Ægyptios, & Perſas, & Græcos, & Aſſyrios proditum eſt, regimen habuiſſe terrarum, quibus omnibus deſtructis ad Romanos quoq; rerum ſumma peruenit. Qui quanto cæteris omnibus regnis anteſtant, tanto maiore decident lapſu, quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ ſunt cæteris altiora. Non
53 inſcitè. [53] Seneca Romanæ vrbis tempora diſtribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam ſub Rege Romulo fuiſſe, à quo & genita, & quaſi educata ſit Roma. Deinde pueritiam ſub cæteris Regibus, à quibus & aucta ſit, & diſciplinis pluribus, inſtitutiſq; formata. At verò Tarquinio regnante, cum iam quaſi adulta eſſe cœpiſſet, ſeruitium non tuliſſe, & reiecto ſuperbæ dominationis iugo, maluiſſe legibus obtemperare, quam Regibus. Cumq; eſſet adoleſcentia eius fine Punici belli terminata, tum deniq; confirmatis viribus cœpiſſe iuueneſcere. Sublata igitur Carthagine, quæ tam diu æmula Imperij Romani fuit, manus ſuas in totum orbem terra, mariq; porrexit, donec regibus cunctis, & nationibus ſubiugatis, cum iam bellorum materia deficeret, viribus ſuis malè vteretur, quibus ſe ipſa confecit. Hæc fuit prima eius ſenectus, cum bellis lacerata ciuilibus, atq; inteſtino malo preſſa, rurſus ad regimen ſingularis imperij recidit, quaſi ad alteram infantiam reuoluta. Amiſſa enim libertate, quam Bruto duce, & authore defenderat, ita conſenuit, tanquam ſuſtentare ſe ipſa non valeret, niſi adminiculo regentium niteretur. Quod ſi hæc ita ſunt, quid reſtat, niſi vt ſequatur interitus ſenectutem? Et id futurum breui conſentiens Pro-
a Daniel 2. phetarum denunciant a ſub ambage alio-
& 7. Apoc. rum nominum, ne facile quis intelligat.
14. & 17. Sibyllæ tamen apertè interituram eſſe
b In Cam. Romam loquuntur, b & quidem iudicio
Sibyll. ſer 3. Dei, quod nomen eius habuerit inuiſum,
& 8. & inimica iuſtitiæ alumnum veritatis po-
54 pulum trucidarit. [54] Hyſtaſpes quoq; qui
55 fuit Medorum Rex antiquiſſimus, [55] à quo
amnis quoq; nomen accepit, qui nunc
Hydaſpes dicitur, [56] admirabile ſomnium 56
ſub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam poſteris tradidit, ſublatum iri ex orbe Imperium, nomenq; Romanum multo ante præfatus, quam illa Troiana gens conderetur.

CAPVT XVI.

QVo modo autem id futurum ſit, ne quis incredibile arbitretur, oſtendam. In primis multiplicabitur regnum, & ſumma rerum poteſtas per plurimos diſſipata, & conciſa minuetur.
Tunc diſcordiæ ciuiles in perpetuum ſe- a Matt. 24.
rentur, nec vlla requies bellis exitialibus Marc. 13.
erit, a donec reges decem pariter exiſtant, Luc. 21.
qui orbem terræ non ad regendum, ſed [57] 57
ad conſumendum partiantur. Hi exercitibus in immenſum auctis, & agrorum cultibus deſtitutis, quod eſt principium euerſionis, & cladis diſperdent omnia, & com-
minuent, & vorabunt. Tum repente 58
aduerſus eos hoſtis potentiſſimus ab extremis finibus plagæ ſeptentrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Aſiam obtinebunt, aſſumetur in ſocietatem à cæteris, ac princeps omnium conſtituetur. Hic inſuſtentabili dominatione vexabit orbem; diuina, & humana miſcebit; infanda dictu, & execrabilia molietur; noua conſilia in pectore ſuo volutabit, vt proprium ſibi conſtituat imperium; leges commutabit; ſuas ſanciet contaminabit, diripiet, ſpoliabit, occidet. Deniq; immutato nomine, atq; imperij ſede tranſlata confuſio, ac perturbatio humani generis conſequetur. Tum verò deteſtabile, atq; abominandum tempus exiſtet, quo nulli hominum ſit vita iucunda. Euertentur funditus Ciuitates, atq; interibunt non modo ferro, atq; igni, verum etiam terræ motibus aſſiduis, & eluuie aquarum,
& morbis frequentibus, & fame crebra. b b Matt. 24.
Aer enim viciabitur, & corruptus, ac pe- Marc. 13
ſtilens fiet, modo importunis imbribus, Luc. 21.
modo inutili ſiccitate, nunc frigoribus, nunc æſtibus nimijs. nec terra homini dabit fructum, nec ſeges quicquam, non arbor, non vitis feret. Sed cum in flore ſpem maximam dederint, in fruge decipient. Fontes quoq; cum fluminibus areſcent, vt ne potus quidem ſuppetat, &

aquæ

aquæ in sanguinem, aut amaritudinem
mutabuntur. Propter hæc deficiunt & in
terra quadrupedes, & in aere volucres, &
in mari pisces. Prodigia quoq; in Cœlo
mirabilia mentes hominum maximo ter-
rore confundent, & crines Cometarum,
& Solis tenebræ, & color Lunæ, & caden-
a Matth. tium Syderum lapsus *a*. Nec tamen hæc
Marc. Luc. vsitato modo fient, sed existent subito &
vbi supra. ignota, & inuisa oculis astra. Sol in perpe-
tuum fuscabitur, vt vix inter noctē, diemq;
b Matth. discernatur *b*. Luna iam non tribus defi-
vbi sup. in ciet horis, sed perpetuo sanguine offusa
Car. Sibyll. meatus extraordinarios peraget; vt non
serm. 5. sit homini promptum aut Syderū cursus,
aut ratione temporū agnoscere. fiet enim
vel æstas in hyeme, vel hyems in æstate.
Tunc annus breuiabitur, & mensis minue-
tur, & dies in angustum coarctabitur. Stel-
c Matth. læ verò creberrimæ cadent, *c* vt Cælū om-
Marc. vbi ne cæcum sine vllis luminibus appareat.
supra. Montes quoq; altissimi decident, & planis
æquabuntur; mare innauigabile constitue
tur. Ac ne quid malis hominum, terræq;
desit, audietur è Cœlo tuba: quod hoc mo-
d In Carm. do Sybilla denunciat dicens. *d*
Sibyll Acro Σάλπιγξ οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει.
stich. ser. 8. Itaq; trepidabunt omnes, & ad luctuosum
ad fin. illum sonitum contremiscent. Tunc verò
per iram Dei aduersum homines, qui iusti-
tiam non agnouerunt, sæuiet ferru, ignis,
fames, morbus, & super omnia metus sem
per impendens. Tunc orabunt Deum, &
non exaudiet; optabitur mors, & non ve-
niet; nec nox quidem requiem timori da-
bit, nec ad oculos somnus accedet; sed ani
mas hominum solicitudo, ac vigilia mace-
rabit: plorabunt, & gement, & dentibus
stridebunt; gratulabūtur mortuis, & viuos
plangent. His, & alijs pluribus malis soli-
tudo fiet ī terra, & erit deformatus orbis,
atq; desertus: quod in Carminibus Sibyl-
e In Carm. linis ita dicitur. *e* [πων.
Sibyll. ser. 7. Ἔσται κόσμος ἄκοσμος ἀπολλυμένων ἀνθρώ-
Ita enim cōficietur humanū genus, vt vix
decima pars hominū relinquatur, & vnde
mille processerāt, vix prodient centū. De
cultoribus etiā Dei duæ partes interibunt,
& tertia, quę fuerit probata remanebit.

CAPVT XVII.

SED planius, quo modo id eueniat, ex-
ponam. Imminente iam temporum
59 coclusione,[59] propheta magnus mittetur à
Deo, *a* qui cōuertat homines ad Dei agni- *a Apoc. 11.*
tionem, & accipiat potestatem mirabilia
faciendi. Vbicunq; non audierint eum ho-
mines claudet Cælū, & abstinebit imbres,
& aquam conuertet in sanguinem, & cru-
ciabit illos siti, ac fame, & quicunq; cona-
bitur eum lædere, procedet ignis de ore
eius, atq; amburet illum. His prodigijs,
atq; virtutibus cōuertet multos ad Dei cul-
tum:[60] peractisq; operibus ipsius, alter Rex 60
orietur ex Syria [61] malo spiritu genitus, 61
euersor, ac perditor generis humani, qui
reliquias [62] illius prioris mali cū ipso simul 62
deleat. Hic pugnabit aduersus Prophetam
Dei, & vincet, & interficiet eum, & insepul
tum iacere patietur. Sed post diem tertiū
reuiuiscet, atq; inspectantibus, & miranti-
bus cunctis rapietur in Cœlum. *b* Rex verò *b Apocal. d.*
ille teterrimus erit quidem & ipse, sed men *c. 11.*
daciorū propheta, *c* & se ipsum cōstituet, *c Matt. 24.*
ac vocabit Deum, & se coli iubebit, vt Dei *4. ad Thes-*
filium. *d* Et dabitur ei potestas, vt faciat si- *salon. 2.*
gna, & prodigia, quibus visis irretiat homi *d Eod. c. 2.*
nes, vt adorent eum. Iubebit ignem descē-
dere de Cælo, & Solē a suis cursibus stare,
& imaginem loqui, & fient hæc sub verbo *e Apoc. 13.*
eius, *e* quibus miraculis etiam sapientium *d. 2 ad Thes*
plurimi alliciētur ab eo. Tunc eruere tem- *salon. 2.*
plum Dei conabitur, & iustū populū perse- *f Daniel 7.*
quetur, *f* & erit pressura, & contritio, qua- *Matth.*
lis nunquam fuit à principio mundi. *g* Qui- *Marc. Luc.*
cunq; crediderint, atq; accesserint ei, [63] si- 63
gnabuntur ab eo tanquam pecudes. *h* Qui *g Matth.*
autem recusauerint notam eius, aut in mō *Marc. Luc.*
tes fugient, aut comprehensi exquisitis cru *h Apocal. d.*
ciatibus necabūtur. Idem iustos homines *c. 13.*
obuoluet libris Prophetarum, atq; ita cre-
mabit, & dabitur ei desolare orbem terræ
mensibus quadraginta duobus. *i* Id erit *i Daniel 7.*
tempus, quo iustitia proijcietur, & innocē- *Apocal. 11.*
tia odio erit, quo mali bonos hostiliter prę
dabuntur. Non lex, aut ordo, aut militiæ
disciplina seruabitur; non canos quisquam
reuerebitur, non officium pietatis agno-
scet, non sexus, aut infantiæ miserebitur.
Confundentur omnia, & miscebuntur cō-
tra fas, contra iura naturæ. Ita quasi vno,
communiq; latrocinio terra vniuersa va-
stabitur. Cum hæc facta erunt, tunc iusti,
& sectatores veritatis segregabunt se à
malis, & fugient in solitudines. Quo audi-
to impius Rex inflammatus ira veniet cū
exercitu magno, & admotis omnibus co-
pijs circundabit montem, in quo iusti mo-
rabuntur, vt eos comprehendat. Illi verò
vbi se clausos vndiq; atq; obsessos viderint,

 excla-

exclamabunt ad Deũ voce magna,& auxilium cœleste implorabunt,& exaudiet eos Deus,& emittet Regẽ magnũ de Cęlo,qui eos eripiat,ac liberet,omnesq; impios ferro, igniq; disperdat.

CAPVT XVIII.

HÆc ita futura esse cùm Prophetæ omnes ex Dei spiritu,tum etiã vates ex instinctu Dæmonũ cecinerunt. Hystaspes enim, quẽ superius nominaui, descripta iniquitate seculi huius extremi, pios, ac fideles à nocentibus segregatos, ait, cum fletu,& gemitu extensuros esse ad cęlũ manus,& imploraturos fidem iouis; Iouem respecturum ad terram, & auditurum voces hominum, atq; impios extincturum. Quæ omnia vera sunt,præter vnum,quod Iouẽ dixit illa facturum,quæ Deus faciet. Sed & illud nõ sine Dæmonũ fraude subtractum est; missum iri à patre tunc filium Dei,qui deletis omnibus malis pios liberet. quod Hermes tamen nõ dissimulauit.In eo enim libro,qui λόγος τέλειος inscribitur,post enumerationem malorũ,de quibus diximus,subiecit hæc. a ἐπὰν δὴ ταῦτα γένηται, ὦ Ἀσκληπιέ, τότε ὁ κύριος, καὶ πατὴρ, καὶ θεὸς καὶ τοῦ πρώτου, καὶ ἑνὸς θεοῦ δημιουργὸς ἐπιβλέψας τοῖς γενομένοις, καὶ τῇ ἑαυτοῦ βουλήσει τοῖς τοιούτοις, τὸ ἀγαθὸν ἀντερείσας τῇ ἀταξίᾳ, καὶ ἀνακαλεσάμενος τὴν πλάνην, καὶ τὴν κακίαν ἐκκαθάρας πῆ μὲν ὕδατι πολλῷ κατακλύσας, πῆ δὲ πυρὶ ὀξυτάτῳ διακαύσας. ἐνίοτε δὲ πολέμοις, καὶ λοιμοῖς ἐκπιέσας ἤγαγεν ἐπὶ τὸ ἀρχαῖον, καὶ ἀποκατέστησε τὸν ἑαυτοῦ κόσμον. Sibyllæ quoq; non aliter fore ostendunt, quam vt Dei filius a summo patre mittatur, qui & iustos liberet de manibus impiorum, & iniustos cum tyrannis sæuientibus deleat: è quibus vna sic tradidit. b

a Her. Trismegist. Asclep. c. 9.

64 “ἥξει καὶ μακάρων ἐθέλων πόλιν ἐξαλαπάξαι
καί κέν τις θεόθεν βασιλεὺς πεμφθεὶς ἐπ' αὐτὸν
πάντας ὀλεῖ βασιλεῖς μεγάλους, καὶ φῶτας
ἀρίστους,
65 εἶθ' οὕτως κρινεῖται ὑπ'[55] ἀφθίτου ἀνθρώποισι.

b In Carm. Sibyll. ser. 5. sub initium.

Item alia Sibylla. c

“καὶ τότ' ἀπ' ἠελίου πέμψει θεὸς βασιλῆα,
66 ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.

c In Carm. Sibyll. ser. 3.

Et rursus alia. d

—————— “ὑμετέρας δουλείας
67 ζυγὸν δυσβάστακτον ἐπ' αὐχένι κείμενον ἄρῃ
καὶ θεσμοὺς ἀθέους λύσῃ, δεσμούς τε βιαίους.

d In Carm. Sibyll. ser. 8.

CAPVT XIX.

OPpresso igitur orbe terræ, cum ad destruendam immensarũ virium tyrannidem humanę opes defecerint; si quidem capto mundo cum magnis latronum exercitibus incubabit,diuino auxilio tanta illa calamitas indigebit. Commotus igitur Deus & periculo ancipiti, & miserãda cõploratione iustorum mittet protinus liberatorẽ. Tunc aperietur cælũ mediũ intempesta,& tenebrosa nocte; vt ĩ orbe toto lumen descẽdentis Dei tanquã fulgur appareat. quod Sibylla his versibus locuta est.

—————— “ἐπὰν δ' ἂν ἔλθῃ 68
πῦρ, ἔσται σκότος ἐν τῷ μεσῷ νυκτὶ μελαίνῃ.

Hęc est nox,quæ à nobis propter aduentũ regis, ac Dei nostri peruigilio celebratur. cuius noctis duplex ratio est, quòd in ea & vitam tum recepit,cum passus est,[69] & postea orbis terræ regnũ recepturus est. Hic 69
est enim liberator,& iudex,et vltor,& rex, & Deus,quem nos Christum vocamus,qui priusquã descendat hoc signũ dabit. “Cadet repente gladius è cœlo, vt sciant iusti, 70
ducem sanctæ militiæ descensurum; & descendet comitantibus Angelis a in mediũ terræ, & antecedet eum flãma inextinguibilis, b & virtus Angelorũ tradet in manus iustorum multitudinẽ illam, quæ montem circunsederit;& concidetur ab hora tertia vsq; ad vesperũ; & fluet sanguis more torrentis; deletisq; omnibus copijs impius solus effugiet,& peribit ab eo virtus sua.Hic est autem,qui appellatur Antichristus; sed se ipse Christũ mentietur; c & contra verũ dimicabit, & victus effugiet, & bellũ sępe renouabit, & sępe vincetur, donec quarto prælio cõfectis omnibus impijs debellatus, & captus, tandẽ scelerũ suorũ luat pœnas. Sed & cæteri principes, ac tyranni,qui cõtriuerunt orbem, simul cum eo vinctis adducentur ad Regem, & increpabit eos, & coarguet, et exprobrabit ijs facinora ipsorum,& damnabit eos, ac meritis cruciatibus tradet. Sic extincta malitia, & impietate cõpressa requiescet orbis, qui per tot secula subiectus errori, ac sceleri nefandã pertulit seruitutem. Nõ colentur vlterius Dij manufacti, sed à templis, & puluinaribus suis deturbata simulachra igni dabuntur,& cum donis suis mirabilibus ardebũt. Quod etiam Sibylla cum Prohetis congruens futurum esse predixit. d

“Ὄψονται δ' ἄδικοι βροτοὶ, καὶ πλῆτον ἅπαν- 71

a Matt. 25.
b Psal. 69. Esai. vltim.
c 2. ad Thessalonic. 2.
d In Carm. Sibyll. acrosticb. ser. 8.

Ery-

a In Carm. Erytrhæa quoq; idem ſpopondit. a
Sibyll ſer. 3. [72] Ἔργα δὲ χειροποίητα θεῶν συνεκκαύσονται.
72

CAPVT XX.

73 [73] POst hæc aperientur inferi, & reſur
b Ezech. 73. gent mortui, b de quibus iudicium
Apoc. 20. magnũ idem ipſe Rex, ac Deus faciet, cui ſummus Pater iudicãdi, & regnandi dabit maximã poteſtatem; de quo iudicio, ac regno apud Erythræã Sibyllã ſic inuenitur. c
74 [74] Ὁππότε καὶ τὸ λάβῃ τέλος αἴσιμον ἤδη
c In Carm. βροτοῖσι,
Sibyll. ſer. 3. καὶ δὴ ἀφίξεται κρίσις ἀθανάτοιο θεοῖο,
d In Carm. ἥξει ἐπ' ἀνθρώπους μεγάλη κρίσις, ἠδὲ καὶ ἀρ-
Sibyll. acro- Deinde apud aliam. d [χή.
ſtich. ſer. 8. ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα,
75 ἥξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ [75] βασιλῆες ἅπαντες
e In Carm. Et alio loco apud eandem. e
Sibyll. eod. Οὐρανὸν εἱλίξω γαίης κευθμῶνας ἀνοίξω,
ſerm. 8. καὶ τότ' ἀναστήσω νεκροὺς μοῖραν ἀναλύσας,
καὶ θανάτου κέντρον, καὶ ὕστερον εἰς κρίσιν ἥξω,
κρίνων εὐσεβέων καὶ δυσσεβέων βίον ἀνδρῶν.

Nec tamen vniuerſi tunc à Deo iudicabũtur, ſed ij tantum, qui ſunt in Dei religione verſati. Nam qui Deum non agnouerunt, quoniam ſentẽtia de his in abſolutionem ferri nõ poteſt, iã iudicati, damnatiq; ſunt,
76 ſanctis literis conteſtantibus, [76] f non reſur
f Psalm. 1. recturos impios in iudicium. Iudicabuntur ergo qui Deum ſcierunt, & facinora eorũ, ideſt mala opera cum bonis collata ponderabuntur; vt ſi plura, & grauia fuerint bona, iuſtaq; dentur ad vitã beatam: ſi autem mala ſuperauerint, condemnentur ad pœnam. Hic fortaſſe dixerit quiſpiam. Si eſt immortalis anima, quomodo patibilis inducitur, ac pœnæ ſentiens? Si enim ob merita punietur, ſentiet vtiq; dolorẽ, atq; ita etiam mortem. Si morti non eſt obnoxia, nec dolori quidem. Patibilis igitur nõ eſt. Huic quæſtioni, ſiue argumento à Stoicis ita occurritur: animas quidem hominũ permanere, nec interuentu mortis in nihilum reſolui; ſed eorum, qui iuſti fuerũt, puras, & impatibiles, & beatas ad ſedem cœleſtem, vnde illis origo ſit, remeare, vel in campos quoſdã fortunatos rapi, vbi fruãtur miris voluptatibus: impiorũ verò, quoniam ſe malis cupiditatibus inquinauerũt, mediam quandam gerere inter immortalem, mortalemq; naturã, & habere aliquid imbecillitatis ex contagione carnis, cuius deſiderijs, ac libidinibus addictæ; ineluibilẽ quendam fucum trahãt, labemq; terrenã, quæ cũ temporis diuturnitate penitus inhæſerit, eius naturę reddi animas, vt ſi nõ extinguibiles in totũ, quoniã ex Deo ſunt, tamen cruciabiles fiant per corporis maculam; quæ peccatis inuſta ſenſum doloris attribuit. Quam ſententiam Poeta ſic explicauit. a a Virg. 6.

Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit,
Nõ tamen omne malũ miſeris, nec funditus oẽs
Corporeæ excedunt peſtes, penituſq; neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt. ———

Hæc propemodum vera ſunt. Anima enim, cum diuortium fecit à corpore, eſt b b Virg. 2.
(vt idem ait Poeta, b Æneid.
[77] *Par leuibus ventis volucriq; ſimillima ſomno.* 77
Quia ſpiritus eſt, & ipſa tenuitate incõprehenſibilis, ſed nobis, qui ſumus corporales. Deo autem, cui ſubiacet poſſe omnia, comprehenſibilis.

CAPVT XXI.

[78] PRimvm igitur dicimus, tantam eſſe 78
Dei poteſtatẽ, vt etiã incorporalia comprehendat, & quemadmodũ voluerit afficiat. Nam & Angeli Deũ metuũt, quia caſtigari ab eo poſſunt inenarrabili quodã modo; & Dæmones reformidant, quia torquentur ab eo, ac puniuntur. Quid ergo mirum, ſi, cũ ſint immortales animæ, tamen patibiles ſint Deo? Nam cum in ſe nihil habeant ſolidum, et cõtrectabile, a ſolidis, et corporalibus nullam vim pati poſſunt; ſed quia in ſolis ſpiritibus viuunt, à ſolo Deo tractabiles ſunt, cui virtus, ac ſubſtantia ſpiritalis eſt. Sed tamen docent nos ſanctę literæ, quemadmodũ pœnas impij ſint laturi. [79] Nã quia peccata in corporibus cõ 79
traxerunt, rurſus carne induentur, c vt in c Ioann 5.
corporibus piaculum ſoluant. [80] Et tamen ad Corinth.
non erit caro illa, quã Deus homini ſuperiecerit, huic terrenæ ſimilis, ſed inſolubilis, 15. 80
ac permanens in ęternum, vt ſufficere poſſit cruciatibus, & igni ſempiterno, [81] cuius 81
natura diuerſa eſt ab hoc noſtro, quo ad vitæ neceſſaria vtimur, qui niſi alicuius materię fomite alatur, extinguitur. At ille diuinus per ſe ipsũ ſemper viuit, ac viget ſine vllis alimentis, [82] nec admiſtũ habet fumũ; 82
ſed eſt purus, ac liquidus, & in aquæ modũ fluidus. Non enim vi aliqua ſurſum verſus vrgetur, ſicut noſter, quem labes terreni corpo-

corporis, quo tenetur, & fumus intermi-
ſtus exilire cogit,& ad cœleſtem naturã cũ
trepidatione mobili ſubuolare. Idem igi-
tur diuinus ignis vna, eademq; vi atq;
potentia & cremabit impios,& recreabit,
& quantũ è corporibus abſumet, tantum
reponet; ac ſibi ipſe æternũ pabulum ſub-
a Homer. Il. miniſtrabit; quod Poetæ *a* in vulturẽ Tity
Odiſſ. Virg. tranſtulerunt. Ita ſine vllo vireſcentiũ cor
6. Tibull. 1. porũ detrimento aduret tantum, ac ſenſu
eleg. 3. Ouid. doloris afficiet. Sed & iuſtos cũ iudicauerit
1. de Pont. etiã igni eos examinabit. Tum quorũ pec-
Eleg. 2. cata vel põdere, vel numero pręualuerit,
perſtringẽtur igni, atq; amburentur. quos
autem plena iuſtitia, & maturitas virtutis
incoxerit, ignem illum nõ ſentient. Habẽt
.n. aliquid in ſe Dei, quod vim flãmę repellat,
ac reſpuat. Tanta vis eſt innocentię, vt ab
ea ignis ille refugiat innoxius, qui accipit à
Deo hãc poteſtatem, vt impios vrat, iuſtis
83 obtemperet.[81] Nec tamẽ quiſquam putet,
animas poſt mortẽ protinus iudicari. Om-
nes in vna, cõmuniq; cuſtodia detinentur,
donec tempus adueniat, quo maximus iu-
dex meritorũ faciat examen. Tum quorũ
fuerit probata iuſtitia, ij præmium immor-
talitatis accipient; quorũ autem peccata,
& ſcelera detecta, non reſurgent, ſed cum
impijs in eandem tenebras recondentur ad
certa ſupplicia deſtinati.

CAPVT XXII.

FIGMENTA hæc eſſe Poetarum qui-
dam putant, ignorantes vnde illa
Poetæ acceperint; ac negant hęc fieri poſ-
ſe; nec mirũ eſt ita illis videri. Aliter enim,
quam res habet, traditur à Poetis, qui licet
ſint multo antiquiores, quam hiſtorici, &
oratores, & cætera genera ſcriptorum, ta-
men quia myſterium diuini ſacramenti ne-
ſciebant, & ad eos mentio reſurrectionis
futuræ obſcuro ore peruenerat, eam verò
temerè, ac leuiter auditam in modũ com-
mentitiæ fabulæ prodiderunt. Et tamen
ijdem teſtati ſunt, non authorẽ ſe certum,
b Virg. 6. ſed opinionem ſequi, vt Maro, qui ait. *b*
Sit mihi fas audita loqui ———
Quamuis igitur veritatis arcana in parte
corruperint, tamẽ ipſa res eo verior inue-
nitur, quòd cum Prophetis in parte cõſen
tiunt; quod nobis ad probationem rei ſatis
eſt. Errori tamen eorum ſubeſt ratio non-
nulla. Nam cum Prophetæ aſſiduis cõcio-
nibus prędicarent, iudicaturũ eſſe de mor-
tuis filium Dei, & hęc annunciatio non la-
teret, quoniam rectorem cæli non aliũ pu-
tabãt eſſe quàm Iouem, iudicare apud in-
feros Iouis filium tradiderunt. Sed tamen
non Apollinem, aut Liberum, aut Mercu-
rium, qui cęleſtes putantur, ſed Deũ, qui &
mortalis fuerit, & iuſtus, vel Minoem, vel
Æacum, vel Rhadamantum. Corruperunt
igitur poetica licentia, quod acceperant;
vel opinio veritatem per diuerſa ora, ſer-
moneſq; varios diſſipata mutauit. Nam
quod peractis apud inferos mille annis
rurſus ad vitam reſtitui cecinerunt, Maro-
ne ita dicente. *a* a Virg. 6.
Has omnes vbi mille rotam voluere per annos, in fin.
Lethæũ ad fluuiũ Deus euocat agmine magno;
Scilicet immemores ſupera vt conuexa reuiſant
Rurſus, & incipiant in corpora velle reuerti.
Hæc eos ratio fefellit, quòd reſurgent de-
functi non poſt mille annos mortis ſuę, ſed
vt reſtituti rurſus in vitã mille annis cum
Deo regnent. Deus enim veniet, vt orbe
hoc ab omni labe purgato, rediuiuas iuſto
rum animas corporibus innouatis ad ſem-
piternam beatitudinem ſuſcitet. Itaq; prę-
ter aquã obliuionis vera ſunt cætera, quã
idcirco finxerunt, ne quis illis opponeret.
Cur ergo non meminerunt, ſe aliquando
vixiſſe, aut qui fuerint, aut quæ geſſerint?
Sed nihilominus tamen veriſimile non pu-
tatur, & res tota velut licẽter, & fabuloſè
ficta reſpuitur. Nobis autẽ de reſurrectio-
ne affirmãtibus, & docentibus, animas ad
alteram vitam non oblitas ſui, ſed in eodẽ
ſenſu, ac figura eſſe redituras illud opponi-
tur. Tot iam ſecula trãſierunt, quis vnquã
vnus ab inferis reſurrexit, vt exemplo eius
fieri poſſe credamus? At enim reſurrectio
fieri non poteſt, dominante adhuc iniuſti-
tia. Hoc enim ſeculo necantur homines vi,
ferro, inſidijs, venenis; afficiuntur iniurijs,
egeſtate, carceribus, tormẽtis, proſcriptio-
nibus. Eò accedit, quòd iuſtitia inuiſa eſt,
quòd omnes, qui Deum ſequi volunt, non
tantum odio habentur, ſed vexantur om-
nibus contumelijs, & excruciantur multi-
plici genere pœnarum, & ad impios cultus
manufactorum Deorum non ratione, aut
veritate, ſed nefanda corporũ laceratione
cogũtur. Num igitur oportet ad hæc eadẽ
reſurgere, ac reuerti homines ad vitam, in
qua tuti eſſe non poſſint? Cum ergo iuſti tã
viles habeantur, tam facile tollantur, quid
putemus futurũ fuiſſe, ſi quis ab inferis re-
diens vitam poſt liminio recepiſſet? Aufer-
retur profecto ab oculis hominum, ne viſo

eo,

eo, vel audito Deos vniuersi relinquerent, & ad vnius se Dei cultū, religionemq; conuerterent. Ergo semel fieri resurrectionē necesse est, cum malum fuerit ablatū, quoniam eos, qui resurrexerint, nec mori iam vlterius, nec violari vllo modo fas est, vt beatam possint agere vitam, quarū mors resignata est. Poetæ verò, cum scirent, hoc seculum malis omnibus redūdare, obliuionis amnem induxerūt, ne laborum, ac malorum memores animę reuerti ad superos recusarent. Vnde Virgilius. *a*

a Virg. 6.

O pater anne aliquas ad cęlū hic ire putādū est.
Sublimes animas, iterumq; ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?

Ignorabant enim quo modo, aut quando id fieri oportet. Itaq; renasci eas putauerunt, & denuo ad vterum reuolui, atq; ad infantiam regredi. Vnde etiā Plato de anima differens, ex hoc ait *b* posse cognosci, animas esse immortales, atq; diuinas, quòd in pueris mobilia sunt ingenia, & ad percipiendum facilia, quòd ea, quæ discant, ita celeriter rapiant, vti non tunc primum discere illa videantur, sed recognoscere, atq; reminisci. In quo vir sapiens poetis ineptissimè credidit.

b Plato in Menon. & in Apolog. Socr. quem refert. Cic. 1. Tusc.

CAPVT XXIII.

NON igitur renascentur, quod fieri nō potest, sed resurgent, & a Deo corporibus induētur, & prioris vitę, factorūq; omnium memores erunt, & in bonis cœlestibus collocatæ, ac fruentes iucūditate innumerabilium copiarū præsenti Deo gratias agēt, quòd malū omne deleuerit, quòd eos ad regnū, vitamq; perpetuā suscitarit. Qua de anastasi philosophi quoq; dicere aliquid conati sunt tā corruptè, quam poetæ. Nā Pythagoras transire animas in noua corpora disputauit, sed ineptè, quòd ex hominibus in pecudes, & ex pecudibus in homines, & se ipsum ex Euphorbo esse reparatum. Melius Chrysippus, quem Cicero ait *c* fulcire porticū Stoicorū, qui in libris, quos de prouidentia scripsit, cum de innouatione mūdi loqueretur, hęc intulit. τούτου δὲ οὕτως ἔχοντος, δῆλον ὡς οὐδὲν ἀδύνατον, καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι, πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου εἰς ὃ νῦν ἐσμὲν καταστήσεσθαι σχῆμα. Sed nos ab huma

c Cic. in Lucul.

84 nis ad diuina redeamus. Sibylla dicit hæc. *d*

[84] Δύσπιστον γὰρ ἅπαν μερόπων γένος. ἀλλ'
ὅταν ἤδη

d In Carm. Sibyll. ser. 4. sub initium.

κόσμῳ, καὶ θνητοὺς ἐγερεῖ κρίσις, ἐν δ' ἑαυτοῖς
ποιήσει, κρίνων εὐσεβέας θ' ἅμα δυσσεβέας τε,
καὶ τότε δυσσεβέας μὲν ὑπὸ ζόφον ἐν πυρὶ
πέμψει,
ὅσσοι δ' εὐσεβέουσι πάλιν ζήσονται ἐπὶ γαίης,
πνεῦμα θεοῦ δόντος, τιμὴν ἅμα, καὶ βίον αὐτοῖς.

Quòd si nō modo Prophetę, sed etiā vates, & Poetę, & Philosophi anastasim mortuorum futuram esse consentiunt, nemo quærat a nobis, quemadmodū fieri possit. Nec enim diuinorū operum reddi potest ratio. Sed si a principio Deus hominē nescio quo inenarrabili modo instituit; credamus, ab eodem restitui veterē posse, qui nouū fecit.

CAPVT XXIV.

NVNC reliqua subnectiam. Veniet igitur summi, & maximi Dei filius, vt viuos, ac mortuos iudicet, testante, atq; dicente Sibylla. *a*

a In Carm. Sibyll. ser. 8. sub initium.

τάσσει γ' ἐργάζεται τότε θνητῶν εὐγενὴς ἔσται,
αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ ἐπ' ἂν ἔλθῃ βήματι
κρῖναι
ζώντων, καὶ νεκύων ψυχὰς, καὶ κόσμον ἅπαντα

Verùm ille, cum deleuerit iniustitiam, iudiciumq; maximum fecerit, ac iustos, qui à principio fuerunt, ad vitam restaurauerit,
[85] mille ānis inter homines versabitur, eosq; 85
iustissimo imperio reget. Quod alibi Sibylla vaticinans, furensq; proclamat. χε.
[86] κλῦτε δέ μου μέροπες. βασιλεὺς αἰώνιος ἄρ- 86
[87] Tum qui erunt in corporibus viui nō mo 87
rientur, sed per eosdem mille annos infinitam multitudinē generabunt, & erit soboles eorū sancta, & Deo chara. Qui autem ab inferis suscitabuntur, ij præerunt viuentibus velut iudices. Gentes verò non extinguentur omnino; sed quædā relinquentur in victoriam Dei, vt triumphentur a iustis, ac subiugentur perpetuæ seruituti. [88] Sub 88
idem tempus etiā princeps Dæmonū, qui est machinator omniū malorum, catenis vincietur, *b* & erit in custodia mille annis cœlestis imperij, quo iustitia in orbe regnabit, ne quid malum aduersus populum Dei moliatur. Post cuius aduentum congregabuntur iusti ex omni terra, [89] peractoq; iu- 89
dicio Ciuitas sancta *c* cō stituetur in medio terrę, in qua ipse conditor Deus cum iustis dominantibus commoretur, quam Ciuitatem Sibylla dissignat cum dicit. *d*

b Apoc. 20.

c Apoc. 21.

καὶ πόλιν, ἣν ἐποίησε θεὸς, ταύτην ἐποίησε
λαμπροτέραν ἄστρων, καὶ ἡλίου, ἠδὲ σελήνης.

d In Carm. Sibyll. ser. 5. propè fin.

Tunc

Tunc auferētur à mūdo tenebræ illæ, quibus offundetur, atq; obcæcabitur Cælū, & Luna claritudinem Solis accipiet, nec minuetur vlterius. *a* Sol autem septies tanto, quā nunc est, clarior fiet. Terra verò aperiet fœcunditatem suam, & vberrimas fruges sua sponte generabit: rupes montium melle sudabunt: per riuos vina decurrent, & flumina lacte inūdabūt. Mundus deniq; ipse gaudebit, & omnis rerū natura lætabitur erepta, & liberata dominio mali, & impietatis, & sceleris, & erroris. Nō bestiæ per hoc tempus sanguine alentur, nō aues prçda; sed quieta, & placida erūt omnia: *b* Leones, & vituli ad prçsepe simul stabunt: Lupus Ouem non rapiet: canis non venabitur: accipitres, & aquilæ non nocebunt, infans cum serpentibus ludet. Deniq; tunc fient illa, quę poetę aureis temporibus facta esse iam Saturno regnāte dixerunt. *c* Quorū error hinc ortus est, quod Prophetæ futurorum pleraq; sic proferūt, & enunciāt, quasi iam peracta. Visiones enim diuino spiritu offerebantur oculis eorum, & videbāt illa in conspectu suo quasi fieri, ac terminari. Quæ vaticinia eorum cum paulatim fama vulgasset, quoniam profani à sacramento ignorabāt, quatenus diceretur, completa iam esse veteribus seculis illa omnia putauerunt; quæ vtiq; fieri, compleriq; non poterant homine regnante. Cum verò deletis religionibus impijs, & scelere compresso, subiecta erit Deo terra.

Cadet & ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem.
Robustus quoq; iam tauris iuga soluet arator.
Tunc etiam molli flauescet campus arista,
Incultisq; rubens pendebit sentibus vua,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella,
Nec varios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Ipse lacte domum referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta Leones.

90 Quę Poeta[90] *d* secundū Cumeę Sibyllę carmina prçlocutus est. Erythrça verò sic ait *e*

[91] οὐδὲ λύκοι σὺν ἄρνεσιν ὄρεσιν ἀμιλλῶνται:
91
χόρτον γὰρ λύγκες τ' ἐρίφοισιν ἅμα βόσκονται,
ἄρκτοι σὺν μόσχοισιν ὁμοῦ καὶ πᾶσι βροτοῖσι,
σαρκοβόρος τε λέων φάγετ' ἄχυρον παρὰ φάτναις,
σὺν βρέφεσίν τε δράκοντες ἀμάτορες κοιμήσονται.

Et alio loco de vbertate rerum. *a*

Καὶ τότε δὴ χαρὰν μεγάλην θεὸς ἀνδράσι δώσει.
καὶ γὰρ γῆ καὶ δένδρα καὶ ἄσπετα θρέμματα γαίης
δώσουσιν καρπὸν τὸν ἀληθινὸν ἀνθρώποισι
οἴνου, καὶ μέλιτος γλυκεροῦ, λευκοῦ τε γάλακτος,
καὶ σίτου, ὅπερ ἐστὶν βροτοῖσι κάλλιστον ἁπάντων.

Et alia eodem modo. *b*

[92] Εὐσεβέων δὲ μόνων ἁγία χθὼν πάντα τάδ' οἴσει, 92
νᾶμα μέλιτος ἀπὸ πέτρης, ἠδ' ἀπὸ πηγῆς,
καὶ γάλακτ' ἀμβροσίης ῥεύσει πάντεσσι δικαίοις.

Viuent itaq; homines tranquillissimam vitam, & copiosissimam, & regnabunt cum Deo pariter, & reges gētium veniēt à finibus terrę cum donis, ac muneribus, vt adorent, & honorificēt regem magnum, cuius nomen erit præclarum, ac venerabile vniuersis nationibus, quæ sub cœlo erūt, & regibus, qui dominabuntur in terra.

CAPVT XXV.

HÆc sunt, quę à Prophetis dicuntur, quorum testimonia, & verba ponere opus non esse duxi, quoniam esset infinitū, nec tantam rerum multitudinem mensura libri caperet, tā multis vno spiritu similia dicentibus, simulq; ne fastidium legentibus fieret, si ex omnibus collecta, & translata congererem; præterea vt ea ipsa, quę dicerem non nostris, sed alienis potissimū literis confirmarē, doceremq; nō modo apud nos, verùm etiā apud eos ipsos, qui nos insectantur, veritatem consignatam teneri, quam recusant agnoscere. Qui autem diligentiùs hæc voluerit scire, ex ipso fonte hauriat, & plura quàm nos in his libris cōplexi sumus admirabilia reperiet. Fortasse quispiam nunc requirat, quando ista, quæ diximus, sint futura. Iam superius ostendi, completis annorum sex millibus mutationem istā fieri oportere, & iam propinquare summū illum conclusionis extremæ diē de signis, quæ dicta sunt à Prophetis licet noscere. Prædixerunt enim signa, quibus consummatio temporum & expectāda sit nobis in singulos dies, & timenda. Quando tamen cōpleatur hęc summa docent ij qui de temporibus scripserunt, colligentes ea ex literis sanctis, & ex varijs historijs, quātus sit numerus annorū ab exordio mundi;

qui

a Esai. 30.
b Esai. 11. & 65. in fin.
c Virg. in 4. Eclog. & in fin. 2 Georg. Ouid Initio 1. Metamor.
d Virg. Edog 4.
e In Carm. Sibyll. ser. 3.
a In Carm. Sibyll. eod. ser. non procul à fin.
b In Carm. Sibyll ser. 5. paulò post med.

qui licet varient, et aliquantulum numeri
93 eorum summa dissentiat, [93] omnis tamen
expectatio nõ amplius, quã ducentorũ vi-
detur ãnorũ. Etiã res ipsa declarat, lapsũ,
ruinamq; rerũ breui fore. Nisi quod incolu
mi vrbe Roma nihil istius videtur esse me-
tuendũ. At vero cũ caput illud orbis occi-
94 derit, & ῥύμη [94] esse cęperit, quod Sibyllę fo
a In Crim. re aiunt, *a* quis dubitet, venisse iam finẽ re
Sibyll. ser. 3. bus humanis, orbiq; terrarũ? Illa est enim
circa med. Ciuitas, quæ adhuc sustentat omnia; precã
& serm. 8. dusq; nobis, & adorandus est Deus Cœli, si
sub initium. tamen statuta eius, & placita differri pos-
sunt, ne citius quàm putemus tyrannus ille
abominandus veniat, qui tantum facinus
moliatur, ac lumen illud effodiat, cuius in-
teritu mundus ipse lapsurus est. Nunc ad
cætera exequenda redeamus, quæ dein-
ceps secutura sunt.

CAPVT XXVI.

DIXIMVS paulò ante, in principio re-
gni sancti fore, vt à Deo princeps
95 Dæmonũ vinciatur. [95] Sed idem cum mille
anni regni, hoc est septem millia cæperint
terminari, soluetur denuo, & custodia
emissus exibit, atq; omnes gentes, quę tunc
erunt sub ditione iustorũ concitabit, vt in-
b Apoc. 20. ferant bellum sanctæ Ciuitati. *b* Et collige
tur ex omni orbe terræ innumerabilis po-
c Apoc. ib. pulus nationum, & obsidebit, & circunda-
96 bit Ciuitatẽ. *c* [96] Tũc veniet nouissima ira
d Apoc. 16. Dei super gẽtes, *d* & debellabit eas vsq; ad
97 vnum. Ac primum [97] concutiet terrã quã
98 validissimè, [98] & à motu eius scindẽtur mõ-
tes Syriæ, & subsident colles in abruptum,
99 & muri omnium ciuitatum corruent, [99] &
100 statuet Deus Solem triduo ne occidat, [100] &
inflãmabit eum, & descendet ęstus nimius,
& adustio magna supra perduelles, & im-
101 pios, populos, & imbres sulphuris, [101] &
grãdines lapidũ, & guttę ignis; & liquescet
spiritus eorũ in calore, & corpora conte-
rentur in grandine; & ipsi se inuicẽ gladio
102 ferient [102] & replebũtur mõtes cadaueribus,
103 & cãpi operientur ossibus. *e* [103] Populus au
e Ezech. 39. tem Dei tribus illis diebus sub concauis ter
Apoc. 19. ræ occupabitur, donec ira Dei aduersus
gentes extremum iudiciũ terminet. Tunc
exibunt iusti de latebris suis, & inuenient
omnia cadaueribus, atq; ossibus tecta. Sed
& genus omne impiorum radicitus interi-
bit; nec erit in hoc mundo vlla iam natio
amplius præter solam gentem Dei. Tum

per annos septem perpetes intactæ erunt
syluæ, nec excidetur de montibus lignum:
sed arma gẽtium comburentur, & iam nõ
erit bellũ, sed pax, & requies sempiterna. *a*
Cum verò completi fuerint mille anni, [104] 104
renouabitur mũdus à Deo; *b* & Cælũ com- a Ezech. d.
plicabitur; & terra mutabitur; & transfor- c. 39.
mabit Deus homines in similitudinem An b Esai. 65.
gelorum, & erunt candidi sicut nix; & ver- & 66. &
sabuntur semper in cõspectu omnipoten- Apoc. 21.
tis, & domino suo sacrificabunt, & seruient
in æternum. *c* Eodem tempore fiet secun- c Apoc. 21.
da illa, & publica omnium resurrectio, [105] in 105
qua exterminabuntur impij ad cruciatus
sempiternos. Ij sunt, qui manufacta colue
runt, qui dominũ mundi, ac parentem vel
nescierunt, vel abnegauerunt. [106] Sed & do 106
minus illorum cum ministris suis compre-
hendetur, *d* ad pœnamq; damnabitur, cũ d Apoc. 20.
quo pariter omnis turba impiorũ pro suis
facinoribus in conspectu Angelorum, atq;
iustorũ perpetuo igni cremabitur in æter-
num. Hęc est doctrina sanctorum Prophe
tarum, quam Christiani sequimur: hæc no
stra sapientia, quam isti, qui vel fragilia co
lunt, vel inanem philosophiã tuentur, tan-
quam stultitiã, vanitatemq; derident, quia
nos defendere hanc publicè, atq; asserere
non solemus, Deo iubente, vt quieti, ac si-
lentes arcanum eius in abdito, atq; intra
nostrã conscientiam teneamus, nec aduer-
sus istos verè profanos, qui nõ discendi, sed
arguendi atq; illudẽndi gratia inclementer
Deũ, ac religionem eius impugnant, perti-
naci contẽtione certemus. Abscõdi enim,
tegiq; mysteriũ quã fidelissimè oportet, ma-
ximè a nobis, qui nomen fidei gerimus. Ve-
rũ illi hanc taciturnitatẽ nostrã veluti con
scientiam malam criminãtur. Vnde etiam
quasdã execrabiles opiniones de pudicis,
& innocentibus fingunt, & libenter his, [107] 107
quæ finxerunt, credunt.

CAPVT XXVII.

QVONIAM decursis propositi operis sep
tẽ spacijs ad metã prouecti sumus,
superest, vt exhortemur oẽs ad su
scipiẽdã cũ vera religione sapientiã; cuius
vis, & officiũ in eo vertitur, vt contemptis
terrestribus, & abiectis erroribus, quibus
antea tenebamur, fragilibus seruientes, &
fragilia concupiscentes, ad ęterna cœlestis
thesauri præmia dirigamur; quę vt capere
possimus, quãprimũ omittendæ sunt huius
præ-

præſentis vitæ illicibiles voluptates, quæ animas hominū pernicioſiſſima ſuauitate deliniunt. Quanta felicitas exiſtimāda eſt, ſubtractum his labibus terræ proficiſci ad illum æquiſſimū iudicem, parētemq; indulgētiſſimū, qui pro laboribus requiem, pro morte vitam, pro tenebris claritatem, pro terrenis, ac breuibus bonis æterna, & cęleſtia largiatur. cum qua mercede acerbitates, ac miſerię, quas perpetimur in hoc mūdo facientes opera iuſtitiæ, cōferri, & coęquari nullo modo poſſunt. Proinde ſi ſapiētes, ſi beati eſſe volumus, cogitāda, ac proponēda ſunt nobis nō tātū Terētiana illa *a*

a Terent. Phorm. act. 2. ſcen. 1.

Molendum vſq; in piſtrino, vapulandū, habendæ compedes.

Sed his multo atrociora, carcer, catenę, tormenta patiēda, ſuſtinēdi dolores, mors deniq; ipſa & ſuſcipienda eſt, & ferenda, cū liqueat conſcientię noſtrę, nec fragilē iſtā voluptatem ſine pœna, nec virtutem ſine diuino prēmio fore. Vniuerſos igitur oportet operam dare, vt ſe quamprimum ad rectám viam dirigāt, vt ſuſceptis, operatiſq; virtutibus, & huius vitæ laboribus patiēter exactis, conſolatorem Deū habere mereamur. Pater enim noſter, ac dominus, qui condidit, firmauitq; Cælum, qui Solem cū cæteris Syderibus induxit, qui libratá magnitudine ſua terram vallauit montibus, mare circundedit, amnibuſq; diſtinxit, & quicquid eſt in hoc opere mūdi conflauit, ac perfecit è nihilo, pſpectis erroribus hominū ducem miſit, qui nobis iuſtitiæ viam panderet. Hunc ſequamur omnes, hunc audiamus, huic deuotiſſimè pareamus, quoniam ſolus (vt ait Lucretius *b*)

b Lucr. 6 de nat. rer. in princ.

Veridicis hominum purgauit pectora dictis,
108 *[108] Et finem ſtatuit cupedinis, atq; timoris*
Expoſuitq; bonum ſummum, quò tendimus oēs,
109 *Quid foret, atq; viā mōſtrauit[109] limite paruo,*
Qua poſſemus ad id recto contendere curſu.

Nec mōſtrauit tātum, ſed etiam præceſſit, nē quis difficultatis gratia iter virtutis horreret. Deſeratur (ſi fieri poteſt) via perditionis, & fraudis, in qua mors voluptatis illecebris adoperta cælatur. Et quanto quiſq; annis in ſenectutē vergentibus appropinquare cernit illū diem, quo ſit ei ex hac vita migrandū, cogitet, quā purus abſcedat, quam innocēs ad iudiciū veniat, non vt faciunt quidam cæcis mentibus nixi, qui iam deficiētibus corporis viribus in hoc admonentur inſtantis vltimæ neceſſitatis, vt cupidius, & ardentius hauriendis libidinibus intēdāt. Qua ex voragine liberet ſe quiſq; dum licet, dum facultas adeſt, ſeq; ad Deū tota mente conuertat, vt illū diem ſecurus expectet, quo prēſes, dominuſq; mundi Deus de ſingulorū factis, cogitationibuſq; iudicabit: quæcunq; hic expetuntur non tātū negligat, ſed & fugiat, potioremq; animā ſuam iudicet, quàm bona iſta fallacia, quorū incerta, & caduca poſſeſſio eſt. migrant enim quotidie, & multo velocius exeunt, quam intrauerant: & tamen ſi nobis vſq; ad vltimū liceat iſtis frui, alijs certè relinquenda ſunt. Nihil nobiſcum ferre poſſumus, niſi vitam bene, atq; innocenter actā. Ille ad Deū copioſus, ille opulentus adueniet, cui aſtabunt continentia, miſericordia, patientia, charitas, fides. Hęc eſt hereditas noſtra, quæ nec eripi cuiquá, nec trāſferri ad álium poteſt. Et quis eſt, qui hæc bona parare, ac adquirere ſibi velit? Veniant qui eſuriunt, vt cœleſti cibo ſaturati ſempiternam famem ponant. Veniant qui ſitiunt, vt aquam ſalutarem de perēni, cæleſtiq; fonte pleniſsimis faucibus trahant. Hoc cibatu, atq; potu Dei & cæci videbunt, & ſurdi audient, & muti loquentur, & claudi ambulabūt, & ſtulti ſapiēt, & ęgroti valebunt, & mortui reuiuiſcent. Quiſquis enim corruptelas terrę virtute calcauerit, hunc arbiter ille ſummus, & verax ad lucē, vitamq; perpetuam ſuſcitabit. Nemo diuitijs, nemo faſcibus, nemo etiam regia poteſtaţe confidat; immortalem iſta non faciunt. Nam quicunq; rationem hominis abiecerit, ac præſentia ſecutus in humū ſe ipſe proſtrauerit, tanquam deſertor domini, & imperatoris, & patris ſui punietur. Intendamus ergo iuſtitiæ, quæ nos inſepabilis comes ad Deum ſola perducet, &

——— *dum ſpiritus hos regit artus, a*

a Virg. 4. Æneid.

infatigabili militia Deo militemus, ſtationes, vigiliaſq; celebremus. Congrediamur cū hoſte, quem nouimus, fortiter, vt victores, ac deuicto aduerſario triumphantes præmium virtutis, quod ipſe promiſit, à Domino conſequamur.

Libri Septimi Diuinarum Inſtitutionum finis.



LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI
DIVINARVM INSTITVTIONVM EPITOME ἈΚΈΦΑΛΟΣ.

CAPVT PRIMVM.


AM si iustitia est veri Dei
cultus (quid enim tam
iustum ad æquitatem ,
tam pium ad honorem ,
tam necessarium ad sa-
lutem , quàm Deum co-
gnoscere vt parentem ,
venerari vt dominum , eiusq; legi , aut
† Lib.5.In- præceptis obtemperare ?) † Nescierunt
stit.c.16. ergo iustitiam Philosophi , quia nec ipsum
1 Deum agnouerunt , [1] nec cultum eius , le-
† Lib.5.In- gemq; tenuerunt ; † & ideo refelli potue-
stit.c.17. runt a Carneade , cuius hæc fuit disputa-
tio , nullum esse ius naturale; itaq; omnes
animantes ipsa ducente natura commoda
sua defendere ; & ideo iustitiam , si alienis
vtilitatibus consulet , suas negliget , stul-
titiam esse dicendam . Quòd si omnes po-
puli , penès quos sit imperium , ipsiq; Ro-
mani , qui orbem totum possedere , iusti-
tiam sequi velint , ac suum cuiq; restitue-
re , quod vi , & armis occupauerunt , ad
casas , & egestatem reuertentur . Quod si
fecerint , iustos dicemus quidem , sed ta-
men stultos iudicare necesse est , qui , vt
alijs prosint , sibi nocere contendant . De-
inde si reperiat aliquis hominem , qui aut
aurum pro aurichalco , aut argentum pro
plumbo vendat per errorem; atq; id eme-
re necessitas cogat , vtrum dissimulabit , &
2 emet paruo , an potius indicabit ? [2] Si in-
dicabit , iustus vtiq; dicetur , quia non fe-
fellit , sed idem stultus , qui alteri fecit lu-
crum , sibi damnum . Sed facile de damno
est . Quid si vita eius in periculum veniet ,
vt eum aliquando necesse sit [3] aut occide- 3
re aut mori , quid faciet ? potest hoc eue-
nire , vt naufragio facto inueniat aliquem
imbecillem tabulæ inhærentem ; aut victo
exercitu fugiens reperiat aliquem vulne-
ratum equo insidentem ; vtrumne aut il-
lum tabula , aut hunc equo deturbabit , vt
ipse possit euadere ? Si volet iustus esse ,
non faciet ; sed idem stultus iudicabitur ,
qui dum alterius vitę parcit , suam perdet.
Si faciet , sapiens quidem videbitur , quia
sibi consulet , sed & idem malus , [4] * quia 4
nocebit † Acuta ista sanè ; sed respondere * F. quia
ad ea facile possumus . Imitatio enim no- alij noce-
minum facit , vt sic esse videatur . Nam bit.
& iustitia imaginem habet stultitiæ , non † Lib.5.In-
tamen est stultitia : & malitia imaginem stit.c.18.
sapientiæ , non tamen sapientia est . Sed
sicut malitia ista in conseruandis vtilitati-
bus suis [5] intelligens , & arguta non sa- 5
pientia , sed calliditas , & astutia est ; ita
& iustitia non debet stultitia , sed innocen-
tia nominari , quia necesse est , iustum esse
sapientem , & eum qui sit stultus iniustum.
Nam neq; ratio , neq; natura ipsa permit-
tit , vt is , qui iustus est , sapiens non sit ,
quoniam iustus nihil vtiq; facit , nisi quod

 rectum,

rectum, & bonum eſt; prauum, & ma-
lum ſemper fugit. Quis autem diſcernere
bonum, & malum, prauum, & rectum
poterit, niſi qui ſapiens fuerit? Stultus
autem male facit, quia bonum, & ma-
lum quid ſit ignorat; ideo peccat, quia
non poteſt recta, & praua diſcernere.
6 [6] Nõ poteſt igitur neq; ſtulto iuſtitia, neq;
iniuſto ſapientia conuenire. Ergo ſtultus
non eſt, qui nec tabula naufragum, nec
equo ſaucium deiecerit, quia ſe abſtinuit
à nocendo, quod eſt peccatum; peccatum
† Lib.5.Inſtit.c.19. autem vitare ſapientis eſt. † Sed vt ſtultus
prima facie videatur, illa res efficit, quòd
extingui animam cum corpore exiſtimat,
idcirco omne commodum ad hanc vitam
referunt. Si enim poſt mortem nihil eſt,
vtiq; ſtultè facit, qui alterius animæ par-
cit cum diſpendio ſuæ, aut qui alterius lu-
cro magis, quam ſuo conſulit. Si mors
7 animam delet, danda eſt opera, [7] quo di-
utius, commodiuſq; viuamus. Si autem
vita poſt mortem ſuper eſt æterna, & bea-
ta, hanc vtiq; corporalem cum omnibus
terræ bonis iuſtus, ac ſapiens contemnet,
quia ſciet, quale à Deo ſit præmium re-
cepturus. Teneamus igitur innocentiam;
teneamus iuſtitiam; ſubeamus imaginem
ſtultitiæ, vt veram ſapientiam tenere poſ-
ſimus. Et ſi hominibus videtur ineptum,
ac ſtultum torqueri, & mori velle, cum
liberè liceat abire ſine noxa; nos tamen
omni virtute, omniq; patientia fidem
Deo exhibere nitamur. Non mors terre-
at, nec dolor frangat, quo minus vigor
animi, & conſtantia inconcuſſa ſeruetur.
Stultos vocent, dummodo ipſi ſtultiſſimi
ſint, & cæci, & hebetes, & pecudibus æ-
quales, qui non intelligunt, eſſe mortife-
rum, relicto Deo viuo, proſternere ſe,
8 atq; adorare terrena; qui neſciunt [8] & il-
los æternam pœnam manere, qui figmen-
ta inſenſibilia fuerint venerati, & eos,
qui nec tormenta, nec mortem pro cul-
tu, & honore veri Dei recuſauerint, vi-
tam perpetuam conſecuturos. Hæc eſt
fidiſſima, hæc eſt vera ſapientia, hæc per-
fecta iuſtitia. Nihil ad nos attinet, quid
iudicent ſtulti, quid homunculi ſentiant.
Nos iudicium Dei expectare debemus, vt
eos poſt modum, qui de nobis iudicaue-
rint, iudicemus.

CAPVT II.

† Lib.6.Inſtit.c.1.& 2.

† DIXI de iuſtitia quid eſſet, ſequitur
vt oſtendam, [9] quod ſit verum ſa- 9
crificium Dei, quis iuſtiſſimus ritus colen-
di; ne quis arbitretur aut victimas, aut
odores, aut [10] dona pretioſa deſiderari à 10
Deo, à quo ſi fames, ſi ſitis, ſi algor, ſi
omnium rerum terrenarum cupiditas ab-
eſt, non ergo vtitur iis omnibus, quæ
templis, [11] Dijſq; fictilibus inferuntur; ſed 11
ſicut corporalibus corporale, ſic vtiq; in-
corporalibus incorporale ſacrificium ne-
ceſſarium eſt. Illis, quæ in vſum tribuit
homini Deus, ipſe non indiget, cum
omnis terra in ipſius ſit poteſtate; non
indiget templo, cuius domicilium mun-
dus eſt; non indiget ſimulachro, qui eſt &
oculis, & mente incomprehenſibilis; non
indiget terrenis luminibus, qui Solem
cum cæteris aſtris in vſum hominibus po-
tuit accendere. Quid igitur ab homine
deſiderat Deus, niſi cultum mentis, qui
eſt purus, & ſanctus? [12] Nam illa, quæ 12
aut digitis fiunt, aut extra hominem ſunt,
inepta, fragilia, ingrata ſunt. Hoc eſt
ſacrificium verum non quod ex arca, ſed
quod ex corde profertur; non quod ma-
nu, ſed quod mente libatur: hæc accepta-
bilis victima eſt, quam de ſe ipſo animus
immolat. Nam quid hoſtiæ? quid thura?
quid veſtes? quid aurum? quid argentum?
quid pretioſi lapides conferunt, ſi colen-
tis pura mens non eſt? Sola ergo iuſtitia
eſt, quam Deus expetit. In hac ſacrifi-
cium; in hac Dei cultus eſt, de quo nunc
mihi diſſerendum eſt, docendumq; in
quibus operibus iuſtitiam neceſſe ſit con-
tineri.

CAPVT III.

† Lib 6.Inſtit.c.3.

† DVAS eſſe humanæ vitæ vias nec
Philoſophis ignotum fuit, nec
poetis; ſed eas vtriq; diuerſo modo indu-
xerunt. Philoſophi alteram induſtriæ,
alteram inertiæ eſſe voluere: Sed hoc mi-
nus rectè, quòd eas ad ſola vitæ commo-
da retulerunt. Melius poetæ, qui alteram
iuſtorum, alteram impiorum eſſe dixe-
runt. Sed in eo peccant, quòd eas non in

hac

hac vita, ſed apud inferos eſſe aiunt. Nos
vtiq; rectius, qui alteram vitæ, alteram
mortis, & hic tamen has vias eſſe dicimus.
Sed illa dexterior, qua iuſti gradiuntur,
non in Elyſium ferre, ſed in cælum. Im-
mortales enim fiunt. Siniſterior ad tarta-
13 rum; æternis enim cruciatibus [13] addicun-
14 tur iniuſti. [14] Tenenda eſt a nobis iuſtitiæ
† Lib.5. Inſtit. c.19. in fin. li.6. c.9. via, quæ ducit ad vitam. † Primum autem
iuſtitiæ officium eſt Deum agnoſcere vt
parentem, eumq; metuere, vt dominum,
a Exod.20. Deuter.5. pſalm.80. diligere vt patrem. *a* Idem enim, qui nos
genuit, qui vitali ſpiritu animauit, qui alit,
qui ſaluos facit, habet in nos non modo vt
pater, verùm etiam vt dominus licentiam
verberandi, & vitæ, ac nec is poteſtatem;
vnde illi ab homine duplex honos, ideſt
† Lib 6. Inſtit. c.10. amor cum timore debetur. † Secundum
iuſtitiæ officium eſt, hominem agnoſcere
15 velut fratrem. [15] Si enim idem Deus nos
fecit, & vniuerſos ad iuſtitiam, & ad vi-
tam æternam pari conditione generauit,
fraterna vtiq; neceſſitudine cohæremus;
quam qui non agnoſcit, iniuſtus eſt. Sed
origo huius mali, quo ſocietas inter ſe
hominum, quo neceſſitudinis vinculum
diſſoluitur, ab ignorantia veri Dei naſci-
tur. Qui enim fontem illum benignitatis
ignorat, bonus eſſe nullo modo poteſt.
† Lib.5. Inſtit. c.5. & ſeqq. † Inde eſt, quod ex eo tempore, quo mul-
ti Dij conſecrari ab hominibus, coliq; cæ-
perunt, fugata eſt (ſicut Poetæ aiunt *b*)
b Heſiod. in opib. Virg. in fin. ſecũdi Geor. Arat. in Phæn. Ouid. 1. Meta. Senec. in Octau. iuſtitia. Sic diremptum eſt omne fœdus,
dirempta ſocietas iuris humani, cum ſibi
quiſq; conſulere, ius in viribus computa-
re, nocere inuicem, fraudibus aggredi,
dolis circumſcribere, commoda ſua alio-
rum incommodis adaugere; non cogna-
tis, non liberis, nec parentibus parcere,
ad necem hominum pocula temperare,
obſidere cum ferro vias, mare infeſtare,
libidini autem, quò furor duxerit, frena
laxare, nihil deniq; ſancti habere, quod
cupiditas infanda non violaret. Cum
hæc fierët, tum leges ſibi homines condi-
derunt pro vtilitate communi, vt ſe inte-
rim tutos ab iniurijs facerent. Sed metus
legum non ſcelera comprimebat, ſed li-
centiam ſubmouebat. Poterant enim le-
ges delicta punire, conſcientiam punire
non poterant. Itaq; quæ ante palam
fiebant, clam fieri cœperunt. Circum-
ſcribi etiam iura; ſiquidem ipſi præſides
legum præmijs, muneribuſq; corrupti,
vel in remunerationem maiorum, vel in
perniciem iuſtorum ſententias vendita-
bant. His accedebant diſſenſiones, &
bella, & mutuæ deprædationes, & op-
preſſis legibus ſæuiendi poteſtas licenter
aſſumpta. In hoc ſtatu cum eſſent huma-
næ res miſertus eſt noſtri Deus: reuelauit
ſe nobis, & oſtendit; vt in ipſo religionem,
fidem, caſtitatem, miſericordiam diſce-
remus, [16] vt errore vitæ prioris abiecto, 16
ſimul cum ipſo Deo noſmetipſos, quos
impietas diſſociauerat, diſceremus, le-
gemq; diuinam, quæ humana cum cœle-
ſtibus copulat, tradente ipſo domino ſu-
meremus; qua lege vniuerſi, quibus [17] ir- 17
retiti fuimus, errores cum vanis, & impijs
ſuperſtitionibus tollerentur. Quid enim
homini debeamus eadem illa lex diuina
præſcribit, quæ docet, quicquid homini
præſtiteris Deo præſtare. *a* Sed radix iu- *a Matt.25.*
ſtitiæ, & omne fundamentum æquitatis
eſt illud; vt ne facias vlli, quod pati nolis;
b ſed alterius animum de tuo metiaris. Si *b Iob.4.*
acerbum eſt iniuriam ferre, & qui eam fe- *Luc.6.*
cerit videtur iniuſtus, transfer in alterius
perſonam quod de te ſentis, & in tuam
quod de altero iudicas; & intelliges, tam
te iniuſtè facere, ſi alteri noceas, quàm
alterum, ſi tibi. Hæc ſi mente voluemus,
innocentiam tenebimus, in qua iuſtitia
velut in primo gradu conſiſtit. Primus eſt
enim non nocere proximo, ſed prodeſſe.
Et ſicut in rudibus agris priuſquam ſerere
incipias, euulſis ſentibus, & omnibus ſtir-
pium radicibus amputatis arua purganda,
ſic de noſtris animis prius vitia detrahen-
da, & tunc demum virtutes inſerendæ, de
quibus ſeminatæ per verbum Dei fruges
immortalitatis oriantur.

CAPVT IV.

† TRES affectus, vel (vt ita dicam) † *Lib 6. Inſtit. c.19.*
tres furiæ ſunt, quæ in animis ho-
minum tantas perturbationes ciunt; [18] & 18
interdum cogunt ita delinquere, vt nec
famæ, nec periculi ſui reſpectum habere
permittant; ira, quæ vindictam cupit;
auaritia, quæ deſiderat opes; libido, quæ
appetit voluptates. His vitijs [19] ante om- 19
nia reſiſtendum eſt, hæ ſtirpes eruendæ,
vt virtutes ſeri poſſint. † Hos affectus Stoi- † *Lib 6 Inſtit. cap.14. 15.16.19.*
ci amputandos, Peripatetici temperan-
dos putant. Neutri eorum rectè, quia

neq; detrahi poſſunt; ſi quidē natura inſiti
habent certam, magnamq; rationem, neq;
minui, quoniam, ſi mala ſunt, carendum eſt
etiā mediocribus, ſi bona, integris aduenien-
dum eſt. Nos verò neq; detrahendos neq;
minuendos eſſe dicimus. Non enim per
ſe mala ſunt, quæ Deus homini rationali-
ter inſeruit; ſed cum ſint vtiq; naturà bo-
na, quoniam ad tuendam vitam ſunt at-
tributa, malè vtendo fiunt mala; ſicut ſi
fortiſſimè pro patria dimices, bonum eſt,
ſi contra patriam, malum. Sic & affe-
ctus ſi ad vſus bonos habeas, virtutes erūt,
ſi ad malos, vitia dicentur. Ira igitur ad
coertionem peccatorum, ideſt ad regen-
dam ſubiectorum diſciplinam data eſt à
Deo, vt metus licentiam comprimat, &
compeſcat audaciam; ſed qui terminos
eius ignorat, iraſcitur paribus, aut etiam
fortioribus: Inde ad immania facinora
proſilitur; inde ad cædes, inde ad bella
conſurgitur. Cupiditas verò ad deſide-
randa, & conquirenda vitę neceſſaria tri-
buta eſt. Sed qui neſciunt fines eius, inſa-
tiabiliter opes congerere nituntur: hinc
venena, hinc circumſcriptiones, hinc fal-
ſa teſtamenta, hinc omnium fraudum ge-
nera erupere. Libidinis autem affectus ad
procreandos filios inſitus, & innatus eſt:
ſed qui limites eius animo non tenent,
vtuntur eo ad ſolam voluptatem: Inde
illiciti amores, inde adulteria, & ſtupra,
inde omnes corruptelæ oriuntur. Redi-
gendi ergo ſunt iſti affectus intra fines
ſuos, & in viam rectam * redigendi, in (* Fort. dirigendi.)
qua etiamſi ſunt vehementes, culpam ta-
men habere non poſſunt.

CAPVT V.

(† Lib.6. Inſtit. c.18.) † COHIBENDA eſt ira, cum patimur
iniuriam, & vt malum comprima-
tur, quod ex certamine impendet, & vt
duas maximas virtutes, innocentiam, &
20 patientiam teneamus. † Auaritia fran-
(† Lib.6.Inſtit. c.12. ad fin.) gatur, cum habemus, quod ſatis eſt. Quis
enim furor eſt, in his congerendis labora-
re, quæ aut latrocinio, aut proſcriptione,
aut morte ad alios facile ſit peruenire?
(† Lib 6 Inſtit. c.23.) † Libido extra legitimum torum non e-
getur, ſed creandis liberis ſeruiat: appe-
tentia enim nimia voluptatis & periculum
parit, & infamiam generat, & (quod eſt
maximè cauendum) mortem acquirit æ-
ternam. Nihil eſt enim tam inuiſum Deo,
quàm mens inceſta, & animus impurus.
Nec hac ſola voluptate abſtinendum ſibi
putet, quæ capitur ex fœminei corporis
copulatione, † ſed & cæteris voluptatibus († Lib.6. Inſtit. c. 20. & ſeqq.)
ſenſuum reliquorum; quia & ipſæ ſunt vi-
tioſæ, & eiuſdem virtutis eſt eas contem-
nere. Oculorum voluptas percipitur ex
rerum pulchritudine; aurium de vocibus
canoris, & ſuauitatibus; narium de odo-
re iucundo; ſaporis de cibis dulcioribus;
quibus omnibus virtus repugnare fortiter
debet, ne his illecebris irretitus animus à
cœleſtibus ad terrena, ab æternis ad tem-
poralia, à vita immortali ad perpetuam
pœnam deprimatur. In ſaporis, & odo-
ris voluptate hoc periculum eſt, quod tra-
here ad luxuriam poterit. Qui enim fue-
rit his deditus aut non habebit vllam rem
familiarem, aut ſi habuerit, abſumet, &
aget poſtmodum vitam deteſtabilem. Qui
autem rapitur auditu (vt taceam de canti-
bus, qui ſenſus intimos ita ſæpe deliniunt,
vt etiam ſtatum mentis furore perturbent
compoſitis certè orationibus, numeroſiſq;
carmininibus, aut argutis diſputationibus)
ad impios cultus facilè traducitur. Inde
eſt, quod ſcriptis cœleſtibus, quia viden-
tur incompta non facilè credunt, quia aut
ipſi ſunt diſerti, aut diſerta legere malunt.
Non quærunt vera, [21] ſed dulcia; immo 21
illis hæc videntur veriſſima eſſe, quæ auri-
bus blandiuntur. Ita reſpuunt veritatem,
dum ſermonis ſuauitate capiuntur. Vo-
luptas verò, quæ ſpectat ad viſum, multi-
formis eſt. Nam quæ percipitur ex rerum
pretioſarum pulchritudine, auaritiam
concitat, quæ aliena eſſe debet a ſapiente,
atq; iuſto: quæ autem capitur de ſpecie
mulierum in alteram rapit voluptatem,
de qua iam ſuperius locuti ſumus.

CAPVT VI.

† SVPEREST de ſpectaculis dicere, († Lib.6. Inſtit. c.24.)
quæ quoniam potentiora ſunt ad
corrumpendos animos, vitanda ſapienti-
bus, [22] & cauenda ſunt, quòd ad celebran- 22
dos Deorum honores inuenta memoran-
tur. Nam munerum editiones Saturni fe-
ſta ſunt. Scena Liberi patris eſt. Ludi ve-
rò Circenſes Neptuno dicati putantur; vt
iam

fam qui ſpectat, vel intereſt, relicto Dei
cultu ad profanos ritus tranſiſſe videatur.
Sed ego de re malo dicere, quam de origi-
ne. Quid tam horribile, tam tetrum,
quàm hominis trucidatio? Ideo ſeueriſſi-
23 mis legibus [23] vita noſtra munitur: ideo
bella execrabilia ſunt. Inuenit tamen con-
ſuetudo, quatenus homicidiũ ſine bello, ac
24 ſine legibus faciant; [24] & hoc ſit voluptas,
quod ſcelus vindicauit cædibus. Quod ſi
intereſſe homicidio ſceleris conſcientia
eſt, & eodem facinore ſpectator obſtri-
ctus eſt, quo & admiſſor, ergo & his gla-
diatorum ſceleribus non minus cruore
perfunditur qui ſpectat, quàm ille, qui fa-
cit; nec poteſt eſſe immunis à ſanguine,
qui voluit effundi; aut videri non interfe-
ciſſe, qui interfectori & fauet, & præmium
poſtulauit. Quid ſcena? num ſanctior? in
qua Comœdia de ſtupris, & amoribus,
Tragœdia de inceſtis, & parricidijs fabula-
tur. Hiſtrionici etiam impudici geſtus,
quibus infames fœminas imitantur, libi-
dines, quas ſaltando exprimunt, docent.
Nam mimus corruptelarum diſciplina eſt,
in quo fiunt per imaginem quæ non ſunt,
vt fiant ſine pudore quæ vera ſunt. Spe-
ctant hæc adoleſcentes, quorum lubrica
ætas, quæ frenari, ac regi debet, ad vitia,
& peccata his imaginibus eruditur. Cir-
cus non innocentior æſtimatur; ſed ma-
ior hic furor eſt; ſi quidem mentes ſpe-
ctantium tanta efferuntur inſania, vt non
modo in conuicia, ſed etiam in rixas, nec
† Lib 6 In- non & in prælia, & contentiones ſæpe
ſtit. c. 18. conſurgant. Fugienda igitur omnia ſpe-
a Luc. 6. Iac. ctacula, vt tranquillum mentis ſtatum te-
3. ad Rom. nere poſſimus: renunciandum noxijs vo-
12. 1. ad Co luptatibus, ne deliniti ſuauitate peſtifera
rinth. 6. in mortis laqueos incidamus. Placeat ſo-
b Leuit. 19. la virtus, cuius merces immortalis eſt, cum
exod. 20. vicerit voluptatem. † Suppoſitis autem
Deutbor. 5. affectibus, & perdomitis voluptatibus fa-
Matth. 1. ad cilis in comprimendis cæteris labor eſt ei,
Thimoth. 1. qui ſit Dei, veritatiſq; ſectator. Non ma-
c Matth. 5. ledicet vnquam, a qui expectabit a Deo
Iacob. 5. benedictionem. [25] Hic non peierabit, b ne
25 Deum ludibrio habeat; ſed ne iurabit qui-
d Pſalm. 5. dem, c ne quando vel neceſſitate, vel con-
Zach 8. ad ſuetudine in periurium cadat. Nihil ſub-
Epheſ. 4. dolè, nihil diſſimulanter loquetur; d neq;
e Ad Rom. abnegabit quod ſpoponderit, e neq; pro-
13. mittet, quod facere non poſſit. Non in-
f Ad Gal. 5. uidebit cuiquam f qui eſt de ſuo conten-
g Iacob. 4. tus, nec detrahet, g aut malè alteri volet,

in quem forſitan beneficia Dei proniora a Exod. 20.
ſunt. Non furabitur, a nec omnino quic- Matt. 5. ad
quam concupiſcet alienum. b Non dabit Epheſ 4.
in vſura pecuniam. c Hoc eſt enim de a- b Exod. 20.
lienis malis lucra captare. Nec tamen c Pſalm. 14.
negabit; ſiquidem neceſſitas cogit mutua Ezech. 18.
ri. d Non erit aſper in filium, e nec in d Deut. 15.
ſeruum: meminerit, quod ipſe patrem ha- Matth 5.
beat, ac dominum: ita cum his aget, Luc 6.
quemadmodum ſecum agi vellet. f Mu- e Ad Eph.
nera ſuperabundantia non recipiet g ate- 6 ad Coll 3.
nuioribus: nec enim iuſtum eſt, augeri pa- f Ecc. 7. &
trimonia locupletum per damna miſero- 33. ad Eph.
rum. Vetus præceptum eſt non occidere; 6.
h quod ſic accipi debet, non tanquam iu- g Tob. 4.
beamur ab homicidio tantum, quod etiam Luc. 6
legibus publicis vindicetur, manus abſti- h Iob. 15. pſ.
nere; ſed hac iuſſione interpoſita nec ver- 25. Prou. 5
bo licebit periculum mortis inferre, nec i Exod. 20.
infantem necare, aut exponere, nec ſe Matth. 5.
ipſum voluntaria morte damnare. Item Iacob 2.
non adulterare. i Sed hoc præcepto non k Ad Rom.
ſolum corrumpere alienum matrimoniũ 13. pr. ad
prohibemur, quod etiam communi gen- Corinth. 6.
tium iure damnatur, verum etiam proſti- l Ead. 1. ad
tutis corporibus abſtinere. k Supra leges Corint c. 6.
lex enim Dei eſt. Ea quoq; quæ pro licitis m Matth. 5.
habentur, vetat, vt iuſtitiam conſummet. l n Exod. 20.
† Eiuſdem legis eſt, falſum teſtimonium Deuter. 5.
non dicere; m quod & ipſum latius patet, † Lib 6 In-
[26] ſi falſum teſtimonium mendacio nocet ſtit. c. 18.
ei, contra quem dicitur, & fallit eum, apud 26
quem dicitur. [27] Nunquam igitur mẽtien- 27
dum eſt, n quia mendacium ſemper aut o Ecc. 7. pſ.
fallit, aut nocet. [28] Eſt ergo vir iuſtus, 5. 1. ad Ti-
qui non (etiam ſine noxa in otioſo ſermo- moth. 5.
ne) mentitur. Hinc verò [29] nec adulari li- 28
cet: o pernicioſa eſt enim, ac deceptrix 29
adulterio. Sed vbiq; cuſtodiat veritatem, p Ezech. 13.
quæ licet ad præſens ſit inſuauis, tamen Eſai. 1.
cum fructus eius, atq; vtilitas apparuerit, q Terent.
non odium pariet, vt ait poeta, p ſed gra- Andr. act.
tiam. 1. Scen. 1.

C A P V T V I I.

DIxi de ijs, quæ vetantur; dicam † Lib. 6. In-
nunc breuiter, quæ iubentur. † In- ſtit. c. 10 &
nocentiæ proxima eſt miſericordia. q Illa ſ. qq.
enim malum non facit, & hæc bonum r Oſee 6
operatur. Illa inchoat iuſtitiam, hæc Matth. 12.
complet. Nam cum imbecillior ſit homi- Luc. 6. ad
num natura, quam cæterarum animan- Colloſ. 3.
tium

tium, quas Deus & instructas ad inferendam, & munitas ad vim repellendam figurauit, affectum nobis misericordiæ dedit, vt omne præsidium vitæ nostræ in mutuis auxilijs poneremus. Si enim facti ab vno Deo, & orti ab vno homine, consanguinitatis iure sociamur, omnem igitur hominem diligere debemus. Itaq; non tantum inferre iniuriam non oportet, *a* sed ne illatam quidem vindicare, *b* vt sit in nobis perfecta innocentia. Et ideo iubet nos Deus etiam pro inimicis precem facere semper. *c* Ergo animal commune, atq; consors esse debemus, vt nos inuicem præstandis, recipiendisq; auxilijs muniamus. In multis enim casibus, & incommodis fragilitas nostra subiecta est. Speres tibi accidere posse quod alteri accidit. Ita demum excitaberis ad opem ferendam; si
30 sumpseris eius animum, [30] qui opem tuam
in malis constitutus implorat. Si quis vi-
31 ctu indiget impertiamur. *d* [31] Si quis nudus occurrerit, vestiamus. *e* Si quis à potentiori iniuriam sustinet, eruamus. *f* Pateat domicilium nostrum vel peregrinis, vel indigentibus tecto. *g* Pupillis defensio, viduis tutela nostra non desit. *h* Redimere ab hoste captiuos magnum misericordiæ opus est. *i* Item ægros pauperes visitare, atq; fouere. *k* * Inopes, aut pauperes, si obierint, non patiamur insepultos iacere. *l* Hæc sunt opera, hæc officia misericordiæ, quæ si quis perfecerit, verum, & acceptum sacrificium Deo immolabit. Hæc litabilior victima est apud Deum, *m* qui non pecudu sanguine, sed hominis pietate placatur, *n* quem Deus, quia iustus est, sua & ipsum lege, sua & conditione prosequitur. Miseretur ei, quem viderit misericordem. *o* Inexorabilis est ei, quem præcantibus cernit immitem. *p* Ergo vt hæc omnia, quæ Deo placent, facere possimus, contemnenda est pecunia, & ad cælestes transferenda thesauros, vbi fur non effodiet, nec rubigò consumet, nec tyrannus eripiet: sed nobis ad æternam opulentiam Deo custode seruabitur. *q*

a 1. ad Corinth. 10. 2. ad Corinth. 6. ad Colloss. 3. *b* Deut. 32. ad Rom. 12. ad Thessal. 5. 1. Petri 3. *c* Matth. 5. *d* Ezechiel. 18. Esa. 58. Matth. 25. *e* Ezech. Es. Matth. vbi supra. *f* Ecc. 4. * For. peregrinos. *g* Es. Matt. vbi supra. *h* Ecc. 4. Iob. 31. Iaco. 1. *i* Matt. 25. *k* Ecclesi. 7. Matth. 25. ad Thess. 5. *l* Tob. 1. 2. 12. *m* Osee 6. Matt. 9. & 12. *n* 2. ad Timoth. 4. *o* Matth. 5. *p* Matt. 18. Iacobi 1. *q* Matth. 6. Luc. 12. 1. ad Timot. 6.

CAPVT VIII.

FIDES quoq; magna iustitiæ pars est, quæ maximè à nobis, qui nomen fidei gerimus, conseruanda est, præcipuè in religione, quia Deus prior est, & potentior, quam homo. Et si est gloriosum pro amicis, pro parentibus, pro liberis, idest pro homine suscipere mortem, & qui hoc fecerit, diuturnam memoriam, laudemq; consequitur, quanto magis pro Deo, qui potest æternã vitam pro temporali morte præstare? Itaq; cum inciderit huiusmodi necessitas vt discedere à Deo, atq; ad ritus gentium transire cogamur, nullus nos metus, nullus terror inflectat, quo minus traditam nobis fidem custodiamus. Deus sit ante oculos, sit in corde, cuius interno auxilio dolor viscerum, & adhibita corpori tormenta superentur. Nihil tunc aliquid, quam vitæ immortalis præmia cogitemus. Ita facile, etiamsi dissipandi, aut vrendi artus fuerint, tolerabimus vniuersa, quæ in nos tyrannicæ dominationis amentia molietur. Postremo ipsam mortem non inuiti, aut timidi, sed libenter, & interriti subire nitamur, vt sciamus, quali apud Deum gloria sumus futuri triũphato seculo ad promissa venientes: quibus bonis quanta beatitudine breuia hæc pœnarum mala, & huius vitæ damna pensemus. Quòd si facultas huius gloriæ deerit, habebit fides etiam in pace mercedem.
† Teneatur ergo in omnibus vitæ officijs, teneatur in matrimonio. Non enim satis est, si alieno toro, aut lupanari abstineas. *a* Qui habet coniugem nihil quærat extrinsecus sed contentus ea sola carnem castis stiget, casti, & inuiolati cubilis sacramenta custodiat. Adulter enim Deo est perinde, atq; incestus, qui abiecto iugo vel in liberam, vel in seruam peregrina voluptate luxuriat. Sed sicut fœmina castitatis vinculis obligata est, ne alium concupiscat, ita vir eadem lege teneatur. [32] *b* 32
quia Deus & viro vxorem vnius corporis
compage solidauit. *c* Ideo præcepit, *d*
non dimitti vxorem, nisi crimine [33] adulte- 33
rij reuictam, [34] vt nunquam coniugalis fœ- 34
deris vinculum, nisi quod perfidia ruperit,
resoluatur. Illud quoq; ad consummandam pudicitiam iungitur, vt non modo peccatum absit, verum etiam cogitatio. *e* Pollui enim mentem quamuis innani cupi-
ditate manifestum est. [35] Itaq; iustum 35
hominem quod sit secus nec facere oportere, nec velle. Purganda est igitur conscientia, quam Deus peruidet, qui falli non potest. Emaculetur omni labe pectus,

† Lib. 6. Instit. c. 23. *a* 1. ad Corinth. 6. *b* 1. ad Corinth. 7. *c* Genes. 2. Marc. 10 *d* Matt 5. & 19 Mar. 10 *e* Matth. 5.

vt

vt templum Dei esse possit, quod non auri,
nec eboris nitor, sed fidei, & castitatis ful-
gor illustrat. Sed enim hæc omnia diffici-
lia sunt homini, nec patitur conditio fra-
a 3. Reg. c. gilitatis, esse quemquam sine macula. a
8. 2. Paral. † Vltimum ergo remedium illud est, vt
cap 6. Eccl. confugiamus ad pœnitentiam, quæ non
7. Prouer. minimum locum inter virtutes habet, quia
20. sui correctio est: vt cum forte aut re, aut
† Lib 6. In- verbo lapsi fuerimus, statim resipiscamus,
stit. c. 24. ac nos deliquisse fateamur, oremusq; a
Deo veniam, quam pro sua misericordia
non negabit, nisi perseuerabimus in erro-
b Ezechiel. re. Magnum est pœnitentiæ auxilium, b
18. magnum solatium. Illa est vulnerum, pec-
catorumq; sanatio, illa spes, illa portus
salutis, quam qui tollit, viam vitæ sibi
amputat, quia nemo esse tam iustus po-
test, vt nunquam sit ei pœnitentia neces-
saria. Nos verò etiam si nullum sit pec-
catum, confiteri tamen debemus Deo, &
pro delictis nostris identidem deprecari,
36 gratias agere etiam in malis. [36] Hoc sem-
per obsequium domino deferamus, humi-
litas enim tam chara, & amabilis Deo est.
37 [37] c Qui cum magis suscipiat peccatorem
c Luc. 14. & confitentem, quam iustum superbum,
18. Iacob. 4 quanto magis iustum suscipiet confiten-
p. Petr. 5. tem, eumq; in regnis cœlestibus faciet pro
† Lib. 6. In- humilitate sublimem? † Hæc sunt, quæ
stit. c. 25. debet cultor Dei exhibere. Hæ sunt victi-
mæ, hoc sacrificium placabile. Hic ve-
rus est cultus, cum homo mentis suæ pi-
gnora in aram Dei confert. Summa illa
38 maiestas hoc cultore lætatur. [38] Hunc vt
filium suscipit, eiq; donum immortalitatis
impertitur, de qua nunc mihi disserendum
est, & arguenda est persuasio eorum, qui
extingui animas cum corporibus putaue-
runt; qui quia nec Deum sciebant, nec
arcanum mundi perspicere poterant, ne
hominis quidem, animæq; rationem com-
prehenderunt. Quo modo enim possent
39 sequentia prouidere, [39] qui summam non
habebant?

CAPVT IX.

40 [40] † NEGANTES ergo prouidentiam
† Lib. 7. In- esse vllam, vtiq; Deum, qui fons,
stit. c. 2. & & caput rerum est, negauerunt. Seque-
3. batur, vt ea, quæ sunt, aut semper fuisse
dicerent, aut sua sponte esse nata, aut
minutorum seminum conglobatione con-
creta. Semper fuisse dici non potest, quia
quicquid est, esse sine aliquo initio non
potest. Sua sponte autem nihil nasci po-
test, quia nulla est [41] sine generante natu- 41
ra. Semina verò principalia quo modo
esse potuerunt, [42] cum & semina ex rebus 42
oriantur, & vicissim res ex seminibus?
Nullum igitur semen est, quod originem
non habeat. Sic factum est, vt, cum pu-
tarent, mundum nulla prouidentia fa-
ctum, ne hominem quidem putarint [43] ali- 43
qua ratione generatum. Quod si nulla
esset in fingendo homine ratio versata,
mortalem igitur animam esse posse. Alij
verò ex aduerso & Deum esse vnum, [44] & 44
ab eo mundum factum, & hominum cau-
sa esse factum, & animas immortales exi-
stimauere. Sed cum ea senserint, huius
tamen diuini operis, atq; consilij nec cau-
sas, nec rationes, nec exitus perspexerunt,
vt omne veritatis arcanum consumma-
rent, atq; veluti fine concluderent. Sed
quod illi facere non potuerunt, quia veri-
tatem perpetuò non tenebant, nobis fa-
ciendum est, qui eam cognouimus, Deo
annunciante. Consideremus igitur, quæ
ratio fuerit huius tanti, tamq; immensi
operis fabricandi. Fecit Deus mundum,
sicut Plato existimauit, sed cur fecit non
ostendit. Quia bonus (inquit) a & inui- a Plato in
dens nulli fecit quæ bona sunt. † Atqui Time. non
videmus in rerum natura & bona esse & lõgè à pric.
mala. Potest ergo existere peruersus ali- † Lib. 7. In-
quis, qualis fuerit ἄθεος ille Theodorus, & stit. cap. 4.
Platoni respondere. Immo quia malus
est, fecit quæ mala sunt. Quo modo illum
redarguet? Si quæ bona sunt Deus fecit,
vnde igitur mala eruperunt, quæ plerunq;
etiam bonis præualent? In materia (in-
quit) continebantur. [45] Si mala ergo, & 45
bona sint, aut nihil fecit Deus, aut si bo-
na tantum fecit, æterniora sunt mala, quę
facta non sunt, quam bona quæ habue-
runt exordium. Finem igitur habebunt,
quæ aliquando cœperunt; & permane-
bunt, quæ semper fuerunt. Mala igitur
potiora sunt. Si autem potiora esse non
possunt, ne æterniora quidem possunt.
Ergo aut vtraq; semper fuerunt, & Deus
otiosus, aut vtraq; ex vno fonte fluxerunt.
Est enim conuenientius, vt Deus omnia
fecerit potius, quam nihil. [46] Ergo secun- 46
dum sententiam Platonis ideo Deus & bo-
nus est, quia bona facit, & malus, quia
mala.

47 mala. Quod si fieri non potest, [47] apparet,
à Deo factum esse mundum, quia mundus
bonus est; omnia enim complexus est, bo-
na, & mala; nec fecit propter se quic-
quam, sed propter aliud. Domus ædifi-
catur non ad hoc solum, vt sit domus, sed
vt suscipiat, & tueatur habitantem. Item
48 nauis fabricatur [48] non vt nauis tantum
videatur, sed vt in ea possint homines na-
uigare. Vasa autem fiunt non vt vasa sint
solum; sed vt capiant quæ sunt viui neces-
saria. Sic & mundum Deus ad vsum ali-
quem fecerit necesse est. Stoici aiunt, ho-
minum causa factum esse, & rectè. Ho-
mines enim fruuntur his omnibus bonis,
quæ mundus in se continet. Sed ipsi homi-
nes cur facti sint, aut quid in illis vtilitatis
habeat illa rerum fabricatrix prouidentia,
non explicant. Immortales esse animas
idem Plato affirmat; *a* sed cur, aut quan-
do, aut quo modo, aut per quem immor-
talitatem assequantur, aut quodnam sit
omnino tantum illud mysterium, cur ij,
qui sunt immortales futuri, prius mortales
nascantur, deinde decurso temporalis vi-
tæ spatio, atq; abiectis fragilium corpo-
rum exuuijs ad æternam illam beatitudi-
nem transferantur, non comprehendit.
Deniq; nec iudicium Dei, nec discrimen
iusti, & iniusti explicauit; sed animas, quę
se sceleribus immerserint, hactenus con-
demnari putauit, vt in pecudibus rena-
scantur; & ita peccatorum suorum luere
pœnas, donec rursus ad figuras hominum
49 reuertantur; & hoc fieri semper, [49] nec
esse finem transmeandi. Ludum mihi ne-
scio quem inducit somnio similem, cui nec
ratio vlla, nec Dei gubernatio, nec con-
silium aliquod inesse videatur.

a Plato in Phędr. Phędon. Gor. x. de leg. alibi.

CAPVT X.

50 DICAM nunc, [50] quæ sit illa summa,
quam nec ij quidem, qui vera dixe-
runt, collatis in vnum causis, atq; ratio-
nibus connectere potuerunt. † Factus à
Deo mundus, vt homines nascerentur.
Nascuntur autem homines, vt Deum pa-
trem agnoscant, * vt colant, in quo iusti-
tia est; colunt, vt mercedem immortali-
tatis accipiant. Accipiunt immortalitatē,
vt in æternum Deo seruiant. Videtne
quemadmodum sibi connexa sint, & pri-
ma cum medijs, & media cum extremis?
Inspiciantur singula, & videamus, vtrum-
ne illis ratio quoq; subsistat. Fecit ergo
Deus mundum propter hominem. Hoc
qui non peruidet, non multum distat a pe-
cude. Quis cœlum suspicit nisi homo? quis
Solem? quis astra? quis opera Dei mira-
tur nisi homo? quis colit terram? quis ex
ea fructum capit? quis nauigat mare? quis
pisces, quis volatilia, quis quadrupedes
habet in potestate nisi homo? Cuncta igi-
tur propter hominem Deus fecit, quia
vsui hominum cuncta cessere. Rectè ergo
[51] viderunt hoc Philosophi, sed illud quod 51
sequitur, non viderunt, quod ipsum ho-
minē propter se fecerit. Erat enim conse-
quens, & necessarium, & pium, vt cum ho-
minis causa tantam operā molitus sit, cum
tantos illi honores, tantum potestatis tri-
buerit, vt dominetur mundo; homo agno-
sceret dominum tantorum beneficiorum
authorē, qui fecit mundum propter ipsum,
& ei cultum, & honorem debitum redde-
ret. Hic Plato aberrauit, hic perdidit, quā
primum arripuerat, veritatem; cum de
cultu eius Dei quem conditorem rerum, ac
parentem fatebatur, obticuit: nec intel-
lexit, hominem Deo potestatis vinculis
esse religatum; vnde ipsa religio nomina-
tur. Hoc esse solum, propter quod im-
mortales animæ fiant. † Sensit tamen,
æternas esse, sed non per gradus ad eam
sententiam descendit: amputatis enim
medijs [52] incidit potius in veritatem, quasi 52
per abruptum aliquod præcipitium; nec
vlterius progressus est, quoniam casu ad
eā non ratione peruenerat. Colendus est
igitur Deus, vt per religionem, quæ ea-
dem iustitia est, accipiat homo a Deo im-
mortalitatem, nec est vllum aliud pręmiū
piæ mentis. Quæ si est inuisibilis, non po-
test ab inuisibili Deo nisi inuisibili mercede
donari. Plurimis verò argumentis colli-
gi potest, æternas esse animas. Plato ait.
[53] *a* Quod per se ipsum semper mouetur, 53
nec principium motus habet, etiam finem
non habere animum autem hominis per
se semper moueri, quia sit ad cogitandum
mobilis, ad inueniendum solers, ad perci-
piendum facilis, ad discendum capax, vt
qui præterita teneat, præsentia compræ-
hendat, futura prospiciat, multarumq;
rerum, & artium scientiam complectatur;
immortalem esse, si quidem nihil habeat
in se de terreni ponderis labe concretum.

† Lib. 7. Instit. c. 5. & 6

* Fort. agnoscunt, vt colant.

† Lib. 7. Instit. c. x. & seqq.

a Plat. in Phædr. ap. Cic. p. Tusc. & in Somn. Scip. & ad fin. Caton. maior.

Præ-

Præterea ex virtute, an voluptate intelligitur æternitas animæ? voluptas omnibus communis animalibus; virtus solius est hominis. Illa vitiosa est, hæc honesta. Illa secundum naturam, hæc aduersa naturæ, nisi anima immortalis est. Virtus enim pro fide, pro iustitia nec egestatem timet, nec exilium metuit, nec carcerem perhorrescit, nec dolorem reformidat,
54 nec mortem recusat. [54] quæ quia naturæ contraria sunt, aut stultitia est virtus, si & commoda impedit, & vitæ nocet; aut si stultitia non est, ergo anima immortalis est; & ideo præsentia bona contemnit, quia sunt alia potiora quæ post dissolutionem corporis assequatur. Illud autem maximum argumentum immortalitatis est, quod Deum solus homo agnoscit. In mu-
55 tis nulla suspicio religionis, [55] quia terrena prostrata iacent. Homo ideo rectus Cælum aspicit, vt Deum quærat. An potest igitur nō esse immortalis qui immortalem desiderat? Non potest esse solubilis, qui cum Deo & vultu, & mente communis est. Denique cælesti elemento, quod est ignis, homo solus vtitur. Si enim lux per ignem, vita per lucem; apparet eum, qui vsum ignis habet, non esse mortalem, quoniam id illi proximum, id familiare est, sine quo non potest nec lux, nec vita constare. Sed quid argumentis colligimus, æternas esse animas, cum habeamus testimonia diuina? Id enim sacræ literæ, ac
a Sapiēt. 3. & 1. Matt. 25 Apoc. 6 voces Prophætarum docent. *a* Quod si cui parum videatur, legat carmina Sibyllarū Apollinis quoq; Milesij responsa consideret, vt intelligat, delirasse Democritum, & Epicurum, & Dicæarchum, qui soli omnium mortalium, quod est euidens, negauerunt.

C A P V T XI.

† Lib. 7. Instit. c. 14 Confirmata immortalitate superest docere, à quo ei tribuatur. † Cum ce..a, & constituta diuinitus tempora compleri cæperint, & interitum, & consumationem rerum fieri necesse est, vt innouetur à Deo mundus. Id verò tempus in proximo est, quantum de numero an-
56 norum, deq; signis, quæ prædicta sunt [56] à Prophetis colligi potest. Sed cum sint innumerabilia, quæ de fine sæculi, & consummatione temporum dicta sunt, ea ipsa, quę dicuntur, nuda ponenda sunt, quoniam vt testimonijs vtamur immensum est. Si quis illa desiderat, aut nobis minus credit, adeat ad sacrarium cælestium literarum, quarū fide instructior errasse Philosophos sentiat, qui aut æternum esse hunc mundum, aut infinita esse annorum millia putauerunt, ex quo fuerit instructus. Nondum enim sex millia completa sunt; quo numero consummato tum demum malum omne tolletur, vt regnet sola iustitia; quod quatenus euenturum sit, paucis explicabo. † Hæc autem à Prophetis, & a Vatibus futura dicuntur, cum cæperit mundo finis *† Lib. 7. Instit. c. 15.* vltimus propinquare: malitia inualescet; *a* omnia vitiorum, & fraudum genera *a Matt. 24.* crebrescent; iustitia interibit; fides, pax, misericordia, pudor, veritas non erit; vis, & audacia præualebit; nemo quicquam habebit nisi male partum, manuq; defensum; si qui erunt boni, prædæ, ac ludibrio habebuntur; nemo pietatem parentibus exhibebit; nemo infantis, aut senis miserebitur; auaritia, libido vniuersa corrumpet; erunt cædes, & sanguinis effusiones; erunt bella non modo externa, & finitima, verum etiam intestina; *b* Ciuitates *b Matt. 24. Marc. 13. Luc. 21.* inter se belligerabunt; omnis sexus, & omnis ætas arma tractabunt; non imperij dignitas conseruabitur, non militiæ disciplina; sed more latrocinij deprædatio, & vastitas fiet. † Regnum multiplicabitur, & *† Lib. 7. Instit. c. 16.* decem viri occupabunt orbem, & partientur, & vorabunt; & existet longe potētior, ac nequior, qui tribus deletis Asiam possidebit, cæteris in potestate sua redactis, & a Scitis; vorabit omnem terram: leges nouas statuet, veteres abrogabit; rem publicam suam faciet; nomen imperij, sedemq; mutabit. Tunc erit tempus infandum, & execrabile, quo nemini libeat viuere. Denique in eum statum res cadet, vt viuos lamentatio, mortuos gratulatio sequatur; Ciuitates, & oppida interibunt modo ferro, & igni, modo terræ motibus crebris, modo aquarum inundatione, modo pestilentia, & fame; *c* terra nihil feret *c Matth. Marc. Luc. vbi supra.* aut rigoribus nimijs, aut caloribus sterilis; aqua omnis partim mutabitur in cruorem, partim amaritudine vitiabitur, vt nihil sit nec ad cibos vtile, nec ad potum salubre. [57] His malis accedent prodigia 57 hominibus ad timorem. *d* Cometæ crebro *d Matth. Luc. ibid.* apparebunt; Sol perpetuo squalore fusca-

bitur; Lunam color sanguinis obumbrabit, nec amissæ lucis damna reparabit; stellæ omnes decident; nec temporibus sua ratio constabit hyeme, ac æstate confusis. Tunc & annus, & mensis, & dies breuiabitur: Et hanc esse mundi senectutem, &
a Her. Trismeg. in Asclep. cap. 9. defectionem Trismegistus elocutus est. *a* quæ cum venerit, adesse tempus sciendū est, quo Deus ad commutandum seculum
† Lib. 7. Instit. cap. 17. reuertatur. † Inter autem hæc mala exsurget Rex impius non modo generi hominū, sed etiam Deo inimicus. Hic reliquias illius prioris tyranni conteret, cruciabit, vexabit, interimet. Tunc etiam lachrymę,
58 luctus, & gemitus perpetes, [58] & ad Deum cassæ præces. Nulla requies ad formidinem, nec somnus ad quietem. Dies cladem, nox metus augebit semper. Sic orbis terrarum penè ad solitudinem hominū redigetur. Tunc impius iustos homines, ac dicatos Deo duobus, & quadraginta
b Apoc. 11. & 13. mensibus persequetur, *b* & se coli iubebit vt Deum. *c* Se enim dicet esse Deum, cum
59 sit Antichristus, [59] qui vt erit aduersarius,
c 2. ad Thess. salon. c. 2. & credi ei possit, accipiet potestatem mirabilia faciendi; vt ignis descendat de Cælo; vt Sol desistat a cursu, vt imago, quam
d Apoc. & 2. ad Thes. salon. vbi su pra. potuerit, loquatur. *d* Quibus prodigijs alliciet multos, vt adorent eum, signumq; eius in manu, aut fronte suscipiant. *e* Et qui non adorauerit, signumq; susceperit,
e Apoc. d. cap. 13. exquisitis cruciatibus morietur. Ita ferè duas partes exterminabit, tertia in deser-
60 tas solitudines fugiet. [60] Sed ille vecors ira implacabili furens adducet exercitum, & obsidebit montem, quo iusti confugerint.
† Lib. 7. Instit. c. 19. † Qui, cum se viderint circumcissos, implorabunt auxilium Dei voce magna, & exaudiet eos Deus, & immittet eis liberatorem. Tunc Cælum intempesta nocte patenet, & descendet Christus in virtute magna, &
f Psal. 69. Esai. vlt. antecedet eum claritas ignea *f* & virtus inæstimabilis Angelorum, *g* & extinguetur
g Matt. 25. omnis illa multitudo impiorum; & torrentes sanguinis current; & ipse ductor effugiet, atq; exercitu sæpe reparato quartum prœlium faciet, quo captus cum omnibus tyrannis tradetur exustioni. Sed & ipse dæmonum princeps author, & machinator malorum catenis igneis alligatus custo
h Apoc. 20. diæ dabitur, *h* vt pacem mundus accipiat,
61 [61] & vt vexata tot seculis terra requiescat.
† Lib. 7. Instit. c. 20. † Pace igitur parta, compressóq; omni malo, Rex ille iustus, & victor iudicium magnum de viuis, & mortuis faciet super terram, & viuentibus quidem iustis tradet in seruitutem gentes vniuersas; mortuos autem ad æternam vitam suscitabit, & in terra cum his ipse regnabit. † Et condet *† Lib. 7 Instit. c. 24.*
sanctam Ciuitatem; *a* & erit Regnum iustorum mille annis. Per idem tempus Stel- *a Apoc. 11.*
læ candidiores erunt, & claritas Solis augebitur, & Luna non patietur diminutionem. *b* Tunc descendet à Deo pluuia be- *b Esai. 30.*
nedictionis matutina, & vespertina; & omnem frugem terra sine labore hominum procreabit: stillabunt mella de rupibus; lactis, & vini fontes exuberabunt; bestiæ deposita feritate mansuescent; *c* Lupus in- *c Esai. 11. & 65.*
ter pecudes errabit innoxius; vitulus cum Leone pascetur; columba cum accipitre congregabitur; serpens virus non habebit; nullum animal viuet ex sanguine: omnibus enim Deus copiosum, atq; innocentem victum dabit. † Peractis verò mille annis, *† Lib. 7. Instit. c. 26.*
ac ressoluto dæmonum principe rebellabunt gentes aduersus iustos, & veniet innumerabilis multitudo ad expugnandam, delendamq; sanctorum gentem. *d* * Con- *d Apoc. d. cap 11.*
cutiet enim à fundamentis suis terram, & corruent Ciuitates; & pluet super impios ignem cum sulphure, & grandine, & ardebunt, & se inuicem trucidabunt: iusti verò paulisper sub terra latebunt, donec perditio fiat gentium; & exibunt post diem tertium, & videbunt campos cadaueribus ** In lacuna supplenda suas aliqua ex iact. lib. 7. Inst. vid. not.*
opertos. *e* Tunc fient terremotus, & scindent se montes, & subsident in latitudine *e Ezech. 39. Apoc. 19.*
vallis profundæ, & congerentur in ea corpora mortuorum, & vocabitur nomen
eius πολυάνδριον. *f* [62] Post hæc renouabit 62
Deus mundum, *g* & transformabit iustos *f Ezech. d. cap. sec. Septuag.*
in figuram Angelorum, vt immortalitatis veste donati seruiant Deo in sempiternum. *h* [63] Tunc etiam impij resurgent non *g Esai. 65. & 66. Ap. 21.*
ad vitam, sed ad pœnam: [64] Eos quoque 63
secunda resurrectione facta Deus excita- 64
bit, vt ad perpetua tormenta damnati, & *h Apoc. 21.*
æternis ignibus traditi merita pro sceleribus suis persoluant. Hæc omnia vera,
omnium [65] consona adnunciatione prædi- 65
cta, cum eadem Trismegistus, eadem
[66] Hystaspes, eadem Sibyllæ cecinerunt, 66
[67] dubitari non potest, quin spes omnis vi- 67
tæ, ac salutis in sola Dei religione sit po-
sita. † Itaque nisi homo susceperit, [68] quem 68
Deus ad liberationem misit, atq; missurus est; nisi summum Deum per eum *† Lib. 7. Instit. c. vlt.*

cogno-

cognouerit; nisi mandata eius, legemq; seruauerit, in eas incidet pœnas, de quibus locuti sumus. Proinde fragilia contemnenda sunt, vt solida consequamur, spernenda terrena, vt cœlestibus oneremur, temporalia fugenda, vt ad æterna veniamus. Erudiat se quisq; ad iustitiam, firmet ad continentiam, pręparet ad agonem, instruat ad virtutem, vt si fortè aduersarius indixerit bellum, nulla vi, nullo terrore, nullis cruciatibu, à recto, & bono diuellatur. Non se substernat insensibilibus figmentis, sed verum, & solum Deum rectus agnoscat. Abijciat voluptates, quarum illecebris anima sublimis deprimitur ad terram. Teneat innocentiam; prosit quamplurimis; incorruptibiles sibi thesauros bonis operibus acquirat, vt possit Deo iudice pro virtutis suæ meritis vel coronam fidei, vel præmium immortalitatis adipisci.

Libri Epitome finis.





LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI

1 DE IRA DEI AD DONATVM LIBER.

CAPVT PRIMVM.



Nimadverti sæpe, Donate, plurimos existimare (quod etiam nonnulli Philosophorum putauerunt) non irasci Deum, quoniam vel benefica sit tantummodo natura diuina, nec cuiquam nocere præstantissimæ, atq; optimæ congruat potestati, vel certè nil curet omnino, vt neque ex beneficientia eius quicquam boni perueniat ad nos, neque ex maleficientia quicquam mali. Quorum error quia maximus est, & ad euertendum vitæ humanæ statum spectat, coarguendus est a nobis, ne ipse fallaris impulsus authoritate hominū, qui se putant esse sapientes. Nec tamen nos arrogantes sumus, vt comprehensam nostro ingenio veritatem gloriemur; sed doctrinam Dei sequimur, qui scire solus potest, & reuelare secreta. Cuius doctrinæ Philosophi expertes, existimauerunt, naturam rerum coniectura posse deprehendi. Quod nequaquam fieri potest, quia mens hominis tenebroso corporis domicilio circumsepta longe à veri perspectione summota est: & hoc differt ab humanitate diuinitas, quòd humanitatis est ignoratio, diuinitatis scientia. Vnde nobis aliquo lumine opus est ad depellendas tenebras; quibus offusa est hominis cogitatio, quoniam in carne mortali agentes nostris sensibus diuinare non possumus. Lumen autem mentis humanæ Deus est, quem qui cognouerit, & in pectus admiserit, illuminato corde mysterium veritatis agnoscet. Remoto autem Deo, cœlestiq; doctrina, omnia erroribus plena sunt, recteq; Socrates, cum esset omnium philosophorum doctissimus, tamen vt cæterorum argueret inscitiam, qui se aliquid tenere arbitrabantur, ait, *a* se nihil scire nisi vnum, quod nihil sciret. Intellexit enim, doctrinam illam nihil habere in se certi, nihil veri; nec, vt putabant quidam, dissimulauit ipse doctrinam, vt alios refelleret; sed vidit ex parte aliqua veritatem, testatusq; est etiam in iudicio (sicut traditur à Platone *b*) quod nulla esset humana sapientia; adeoq; doctrinam, qua tum Philosophi gloriabantur, contempsit, derisit, abiecit, vt idipsum pro summa doctrina profiteretur, quod nihil scire didicisset. Si ergo nulla est sapientia humana, vt Socrates docuit, vt Plato tradidit, apparet esse diuinam, nec vlli alij, quam Deo veritatis notitiam subiacere. Deus igitur noscendus est, in quo solo veritas est. Ille mundi

a Ap. Platon. in Apolog. Socr. sub initium. & Cicer. 1 Acad. quæst.

b Plato in Apolog.

parens

parens, & conditor rerum, qui oculis non videtur, mente vix cernitur. Cuius religio impugnari solet ab ijs, qui neq; veram sapientiam tenere potuerunt, neque magni, & cælestis arcani comprehendere rationem.

CAPVT II.

NAM cum sint gradus multi, per quos ad domicilium veritatis ascenditur, non est facile cuilibet euehi ad summum. Caligantibus enim veritatis fulgore luminibus, qui stabilem gressum tenere non possunt, reuoluuntur in planum. Primus autem gradus est intelligere falsas religiones, & abijcere impios cultus Deorum humana manu fabricatorum. Secundus verò perspicere animo, quod vnus sit Deus summus, cuius potestas, ac prouidentia effecerit à principio mundum, & gubernet in posterum. Tertius cognoscere ministrũ eius, ac nuncium, quem legauit in terram, quo docente liberati ab errore, quo implicati tenebamur, formatiq; ad veri Dei cultum, iustitiam disceremus. Ex quibus omnibus gradibus (vt dixi) pronus est lapsus, & facilis ad ruinam, nisi pedes inconcussa stabilitate figantur. De primo gradu eos excuti videmus, qui, cum falsa intelligant, tamen verum non inueniunt; contemptisq; terrenis, fragilibusq; simulachris non ad colendum se Deum conferunt, quem ignorant, sed mundi elementa mirantes, Cælum, Terram, Mare, Solem, Lunam, cæteraq; Astra venerantur. Sed imperitiam horum iam coarguimus in

a Cap 5 & seqq. secundo Diuinarum Institutionum libro. a De secundo verò gradu eos dicimus cadere, qui consentiunt, vnum esse summum Deum: ijdem tamen à Philosophis irretiti, & falsis argumentationibus capti, aliter de vnica illa maiestate sentiunt, quam veritas habet, qui aut figuram negant habe-

2 re vllam Deum, [2] aut nullo affectu commoueri putant; quia sit omnis affectus imbecillitatis, quæ in Deo nulla est. De tertio verò ij præcipitantur, qui cum sciant legatum Dei, eundemq; diuini, & immortalis templi conditorem, tamen aut non accipiunt eum, aut aliter accipiunt, quam fides poscit, quos ex parte iam refutauimus in quarto supradicti operis libro, & refutabimus postea diligentius, cum respondere ad omnes sectas cœperimus, quæ

veritatem [3] dum disputant perdiderunt. 3

Nunc vero contra eos differemus, qui de secundo gradu lapsi praua de summo Deo sentiunt. Aiunt enim quidam nec gratificari eum cuiquam, nec irasci, sed securum, & quietum immortalitatis suæ bonis per-

frui. [4] Alij verò iram tollunt, gratiam re- 4

linquunt Deo. Naturam enim summa virtute præstantem vt non maleficam, sic beneficam esse debere. Ita omnes Philosophi de ira consentiunt, de gratia discrepant. Sed vt ad propositam materiam per ordinem descendat oratio, huiusmodi facienda nobis, & exequenda partitio est, cum diuersa, & repugnantia sint, ira, & gratia. Aut ira tribuenda est Deo, & gratia detrahenda, aut vtrumque pariter detrahendum. Aut ira demenda est, & gra-

tia tribuenda, [5] aut vtrumque tribuendum. 5

Aliud amplius præter hæc nihil potest capere natura; vt necesse sit in vno istorum aliquo verum, quod quæritur inueniri. Consideremus singula, vt nos ad latebras veritatis & ratio, & ordo deducat.

CAPVT III.

PRIMVM illud nemo de Deo dixit vnquam, irasci eum tantummodo, & gratia non moueri. Est enim disconueniens Deo vt eiusmodi potestate sit præditus, qua noceat, & obsit, prodesse verò, ac benefacere nequeat. Quæ igitur ratio,

quæ spes salutis hominibus proposita est, [6] 6

si malorum tantummodo author est Deus? Quod si fit, iam maiestas illa venerabilis non ad iudicis potestatem, cui licet seruare, ac liberare, sed ad tortoris, & carnificis officium deducitur. Cum autem videamus, non modo mala esse in rebus huma-

nis, sed etiam bona [7] vtiq; si Deus non est, 7

authorem esse alterum necesse est, qui contraria Deo faciat, & det nobis bona. Si est, quo nomine appellandus est? aut cur nobis, qui malè facit notior est, quam ille, qui bene? Si autem nihil potest esse præter Deum, absurdum est, & vanum, diuinam putare potestatem, qua nihil est maius, nihil melius, nocere posse, prodesse non posse. Et ideo nemo extitit, qui auderet id dicere, quia nec rationem ha-

bet,

bet, nec vllo modo potest credi. Quod quia conuenit, transeamus, & veritatem aliubi requiramus.

CAPVT IV.

QVOD sequitur de schola Epicuri est; sicut iram in Deo non esse, ita nec gratiam quidem. Nam cum putaret Epicurus, alienum esse à Deo malum facere, quod ex affectu iracundiæ plerumq; nascitur, ademit ei etiam beneficientiam;
8 quoniam videbat, consequens esse, [8] vt si habeat iram Deus, habeat & gratiam. Itaq; ne illi vitium concederet, etiam virtutis fecit expertem. Ex hoc (inquit) [a] beatus, & incorruptus est, quia nihil curat, neq; habet ipse negotium, neq; alteri exhibet. Deus igitur non est, si nec mouetur, quod est proprium viuentis, nec facit aliquid impossibile homini, quod est proprium Dei, si omnino nullam habet voluntatem, nullum actum, nullam denique administrationem, quæ Deo digna sit. Et quæ maior, & quæ dignior administratio Deo assignari potest, quàm mundi gubernatio, quàm cura viuentium, maximèq; generis humani, cui omnia terrena subiecta sunt? Quæ igitur in Deo potest esse beatitudo, si semper quietus, & immobilis torpet? Si precantibus surdus, si colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam prouidentia? Sed si nihil curat, nihil prouidet, amisit omnem diuinitatem. Qui ergo totam vim, totam Deo substantiam tollit, quid aliud dicit, nisi Deum omnino non esse? Deniq; M. Tullius a Possidonio dictum refert, [b] id Epicurum sensisse, nullos Deos esse, sed ea, quæ de Dijs locutus sit, depellendæ inuidiæ causa dixisse. Itaq; verbis illum Deos relinquere, re autem ipsa tollere, quibus nullum motum, nullum tribuit officium. Quod si ita est, quid eo fallacius? quòd à sapiente, & graui viro debet esse alienum. Hic verò si aliud sensit, & aliud locutus est, quid aliud appellandus est, quam deceptor, bilinguis, malus, & propterea stultus? Sed non erat tam versutus Epicurus, vt fallendi studio ita loqueretur, cum hæc etiam scriptis ad æternam memoriam consignaret sed ignorantia veritatis errauit. Inductus enim à principio verisimilitudine vnius falsæ sententiæ, necessario in ea, quæ sequebantur, incurrit. Prima enim sententia fuit, iram Deo non conuenire. Quod cum illi verum, & inexpugnabile videretur, non poterat consequentia resecare, quia vno affectu amputato, etiam cæteros affectus adimere Deo necessitas ipsa cogebat. Ita qui non irascitur, vtiq; nec gratia mouetur, quod est iræ contrarium; iam si non ira in eo, nec gratia est, vtiq; nec metus, nec lætitia, nec mœror, nec misericordia. Vna est enim ratio cunctis affectibus, vna commotio, quæ in Deum cadere non potest. Quòd si nullus affectus in Deo est, quia quidquid afficitur, imbecillum est, ergo nec cura vllius rei, nec prouidentia est in eo. Hucusq; peruenit sapientis hominis disputatio. Cætera, quæ sequuntur, obticuit; scilicet, quia nec cura sit in eo, nec prouidentia, ergo nec cogitationem aliquam, nec sensum in eo esse vllum, quo efficitur, vt non sit omnino. Itaq; cum gradatim descendisset, in extremo gradu constitit, quia iam præcipitium videbat. Sed quid podest reticuisse, ac periculum dissimulasse? Necessitas illum vel inuitum cadere coegit. Dixit enim quod noluit, quia argumentum sic ordinauit, vt ad illud, quod euitabat, necessario deueniret. Vides igitur, quò perueniatur ira sublata, & Deo adempta. Deniq; aut nullus id credit, aut admodum pauci, & quidem scelerati, ac mali qui sperant peccatis suis impunitatem. Quòd si & hoc falsum inuenitur, nec iram esse in Deo, nec gratiam, veniamus ad illud, quod tertio loco positum est.

[a] Ap. Cic. 1. de nat. Deo. Laert. in Epicur. Lucr. in 1. vt inf. c. 8.

[b] Cic. ad fin. 1. de nat. Deor.

CAPVT V.

EXSISTIMANTVR Stoici, & alij nonnulli aliquanto melius de deuinitate sensisse, qui aiunt, [9] gratiam in Deo esse, 9
iram non esse. Fauorabilis admodum, ac popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi pusillitatem, vt ab vllo se læsum putet, qui lædi non potest, vt quieta illa, & sancta maiestas concitetur, perturbetur, insaniat; quod est terrenæ fragilitatis. Iram enim commotionem mentis esse, ac perturbationem, quæ sit a Deo aliena. Quòd si hominem quoq; qui modo sit sapiens, & grauis ira non deceat (si quidem

cum

10 cum in animum cuiusquam incidit, [10] velut sæua tempestas tantos excitet fluctus, vt statum mentis immutet, ardescant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis multum maculet nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens) quanto magis Deum non deceat tam fœda mutatio? Et si homo, qui habet imperium, ac potestatem, latè noceat per iram, sanguinem fundat, vrbes subuertat, populos deleat, prouincias ad solitudinem redigat, quanto magis Deum, qui habeat totius generis humani, & ipsius mundi potestatem, perditurum fuisse vniuersa, si irasceretur? Abesse igitur ab eo tam magnum, tam perniciosum malum oportere: & si absit ab eo ira, & concitatio, quia & deformis, & noxia est, nec cuiquam malè faciat, nihil aliud superesse, nisi vt sit lenis, tranquillus, propitius, beneficus, conseruator. Ita enim demum & communis omnium pater, & optimus, & verè maximus dici poterit; quod expetit diuina, cælestisq; natura. Nam si inter homines laudabile videtur prodesse potius, quàm nocere, viuificare quàm occidere, saluare quam perdere (nec immeritò innocentia inter virtutes numeratur) & qui hæc fecerit diligitur, præfertur, honoratur, benedictis omnibus, votisq; celebratur, deniq; ob merita, & beneficia Deo simillimus iudicatur, quanto magis ipsum Deum par est diuinis, perfectisq; virtutibus præcellentem, atq; ab omni terrena labe summotum diuinis, & cælestibus beneficijs omne genus humanum promereri? Speciosè ista, populariterq; dicuntur, & multos illiciunt ad credendum. Sed qui hæc sentiunt, ad veritatem quidem propius accedunt, sed in parte labuntur, naturam rei parum considerantes. Nam si Deus non irascitur impijs, & iniustis, nec pios vtiq; iustosq; diligit. Ergo constantior est error illorum, qui & iram simul, & gratiam tollunt. In rebus enim diuersis aut in vtramq; partem moueri necesse est, aut in neutram. Itaq; qui bonos diligit, & malos odit; & qui malos non odit, nec bonos diligit; quia & diligere bonos ex odio malorum venit, & malos odisse ex bonorum charitate descendit. Nemo est, qui amet vitam sine odio mortis; qui appetat lucem, nisi qui tenebras fugit; adeò natura ista connexa sunt, vt alterum sine altero fieri nequeat. Si quis dominus habens in familia seruos bonum, ac malum, non vtiq; aut ambos odit, aut ambos beneficijs, & honore prosequitur, quod si faciet & iniquus, & stultus est; sed bonum, & alloquitur amicè, & ornat, & domui, ac familiæ, suisq; omnibus præficit; malum verò maledictis, verberibus, nuditate, fame, siti, compedibus punit, vt & hic exemplo cæteris sit ad non peccandum, & ille ad promerendum, vt alios metus coerceat, alios honor prouocet. Qui ergo diligit & odit. qui odit & diligit; sunt enim qui diligi debeant, sunt qui odio haberi. Et sicut is, qui diligit, confert bona in eos, quos diligit; ita qui odit irrogat mala ijs, quos odio habet. Quod argumentum, quia verum est, dissolui nullo pacto potest. Vana ergo, & falsa est sententia eorum, qui alterum Deo tribuunt, alterum detrahunt, [11] non minus quàm 11
illorum, qui vtrumq; detrahunt. Sed illi (vt ostendimus) ex parte non errant, sed id, quod melius est ex duobus, retinent. Si verò, quos ratio, & veritas argumenti huius inducit, falsa omnino sententia suscepta, in maximum errorem cadunt. Non enim sic oportebat eos argumentari. Quia Deus non irascitur, ergo nec gratia commouetur. Sed ita. Quia Deus gratia mouetur, ergo & irascitur. Si enim certum, & indubitatum fuisset non irasci Deũ, tunc ad illud alterum veniri esset necesse. Cum autem magis sit ambiguum de ira, penè manifestum de gratia, absurdum est, ex incerto certum velle subuertere, cum sit promptius de ceteris incerta firmare.

CAPVT VI.

HÆ sunt de Deo Philosophorum sententiæ. Aliud præterea nihil quisquam dixit. Quòd si hæc quæ dicta sunt, falsa esse deprehendimus, vnum illud extremum superest, in quo solo possit veritas inueniri, quod à Philosophis nec susceptum est vnquam, nec aliquando defensum; consequens esse, vt irascatur Deus, quoniam gratia commouetur. Hæc tuenda nobis, & asserenda sententia est. In ea enim sũma omnis, & cardo religionis, pietatisq; versatur. Nam neq; honos vllus deberi potest Deo, si nihil præstat colenti, nec vllus metus, si non irascitur non colenti.

CA-

CAPVT VII.

CVM sæpe Philosophi per ignoran-
tiam veritatis a ratione desciuerint,
atq; in errores inciderint inextricabiles (id
enim solet his euenire, quod viatori viam
nescienti, & non fatenti se ignorare; vt
vagetur, dum percontari obuios erubescit;
illud tamen nullus Philosophus asseruit vn-
12 quam, [12] nihil inter hominem, & pecudem
interesse; nec omnino quisquam, modo
qui sapiens videri vellet, rationale animal
cum mutis, & irrationabilibus coæquarit:
quod faciunt quidam imperiti, atq; ipsis
pecudibus similes, qui, cum ventri, ac vo-
luptati se velint tradere, aiunt, eadem ra-
tione se natos, qua vniuersa, quæ spirant.
quod dici ab homine nefas est. Quis enim
tam indoctus est, vt nesciat, quis tam im-
prudens, vt non sentiat, aliquid inesse in
homine diuini? Nondum venio ad virtu-
tes animi, & ingenij, quibus homini cum
Deo manifesta cognatio est; nonne ipsius
corporis status, & oris figura declarat,
non esse nos cum mutis pecudibus æquales?
Illarum natura in humum, pabulumq;
prostrata est, nec habet quicquam com-
mune cum cœlo, quod non intuetur. Ho-
mo autem recto statu, ore sublimi ad con-
templationem mundi excitatus confert
cum Deo vultum, & rationem ratio co-
gnoscit. Propterea nullum est animal (vt
ait Cicero *a*) præter hominem, quod ha- *a Cic. 1. de legib.*
beat aliquam notitiam Dei. Solus enim
sapientia instructus est, vt religionem solus
intelligat: & hæc est hominis, atq; muto-
rum vel præcipua, vel sola distantia. Nam
cætera, quæ videntur hominis esse propria,
& si non sint talia in mutis, tamen similia
videri possunt. Proprius homini sermo; est
tamen & in illis quædam similitudo sermo-
nis. nam & dignoscunt inuicem se vocibus,
& cum irascuntur, edunt sonum iurgio si-
milem, & cum se ex interuallo vident, gra-
tulandi officium voce declarant. Nobis
quidem voces eorum videntur inconditæ,
13 sicut illis fortasse nostræ, sed ipsis, [13] quæ se
intelligunt, verba sunt. Deniq; in omni
affectu certas vocis notas exprimunt, qui-
bus habitum mentis ostêdant. Risus quoq;
est homini proprius; & tamen videmus in
alijs animalibus quædam signa lætitiæ,
cum ad lusum gestiunt, aures demulcent,
rictum contrahunt, frontem serenant,
oculos in lasciuiam resoluunt. Quid tam
proprium homini quam ratio, & proui-
dentia futuri? Atqui sunt animalia, quæ
latibulis suis diuersos, & plures exitus
pandant; vt si quod periculum inciderit,
fuga pateat obsessis; quod non facerent,
nisi inesset illis intelligentia, & cogitatio.
Alia prouident in futurum; vt

——— *Ingentem formicæ farris aceruum* *a Virg. 4*
Comportãt hyemis memores, tectoq; reponunt. a *Æne.*
[14] *Vt apes, quæ* 14
—— [15] *Patriã solæ, & certos nouere penates,* 15
Venturaq; hyemis memores æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt. b *b Virg. 4*

Longum est, si exequi velim, quæ a singu- *Georg.*
lis generibus animalium fieri soleant hu-
manæ solertiæ simillima. Quòd si horum
omnium, quæ ascribi homini solent, [16] in 16
mutis quoq; deprehenditur similitudo, ap-
paret, solam esse religionem, cuius in mu-
tis nec vestigium aliquod, nec vlla suspicio
inueniri potest. Religionis est propria iu-
stitia, quam nullum aliud animal attingit.
Homo enim solus imperat: cætera sibi con-
ciliata sunt. Iustitiæ autem Dei cultus ascri-
bitur, quem qui non suscipit, hic a natura
hominis alienus vitam pecudum sub huma-
na specie viuit. Cum verò a cæteris ani-
malibus hoc penè solo differamus, quod
soli omnium diuinam vim, potestatemq;
sentimus; in illis autem nullus sit intelle-
ctus Dei, certè illud fieri non potest, vt in
hoc vel muta plus sapiant, vel humana
natura desipiat, cum homini ob sapiêtiam
& cuncta, quæ spirant, & omnis rerum
natura subiecta sit. Quare si ratio, si ius
hominis hoc præcellit, & superat cæteras
animantes, quod solus notitiam Dei capit,
apparet, religionem nullo modo posse
dissolui.

CAPVT VIII.

DISSOLVITVR autem religio, si *c Lucr. initio 1. de nat.*
credamus Epicuro illa dicenti. *c* *rer.*

[17] *Omnis enim per se diuum natura necesse est* 17
Immortali æuo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, seiunctaq; longe.
[18] *Nam priuata dolore omni, priuata periclis,* 18
Ipsa suis pollens opibus, [19] nihil indiga nostri 19
Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Quæ cum dicit, vtrum aliquem cultum
Deo

Deo putat esse tribuendum, an euertit omnem religionem? Si enim Deus nihil cuiquam boni tribuit, si colentis obsequio nullam gratiam refert, quid tam vanum, tam stultum, quam templa ædificare, sacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, vt nihil assequamur? At enim naturam excellẽtem honorari oportet. Quis honos deberi potest nihil curanti, & ingrato? An aliqua ratione obstricti esse possumus ei, qui nihil habeat commune nobiscum? Deus (inquit Cic. a) si talis est, vt nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat. [20] Quid enim dicam, propitius sit? esse enim propitius potest nemini.] QVID contemptius dici potuit in Deum? Valeat (inquit) idest abeat, & recedat, quando quidem prodesse nulli potest. Quòd si negocium Deus nec habet, nec exhibet, cur non ergo delinquamus, quoties hominum conscientiam fallere licebit, ac leges publicas circumscribere? Vbicunq; nobis latendi occasio arriserit, consulamus rei, auferamus aliena vel sine errore, vel etiam cum sanguine; si præter leges nihil est amplius, quod verendum sit. Hæc dum sensit Epicurus religionem funditus delet, qua sublata confusio, ac perturbatio vitæ sequitur. Quòd si religio tolli non potest, vt & sapientiam, qua distamus à belluis, & iustitiam retineamus, qua communis vita sit tutior, quo modo religio ipsa sine metro tueri, aut custodiri potest? quod enim non metuitur, contemnitur, quod contemnitur vtiq; non colitur. Ita fit, vt religio, & maiestas, & honor metu constet. Metus autem non est vbi nullus irrascitur. Siue igitur gratiam Deo, siue iram, siue vtrumq; detraxeris, religionem tolli necesse est, sine qua vita hominum stultitia, scelere, immanitate completur. Multũ enim refrænat homines conscientia, si credamus, nos in conspectu Dei viuere, si non tantum quæ gerimus videri desuper, sed etiam quæ cogitamus, aut loquimur audiri à Deo putemus. At enim prodest id credere (vt quidam putãt) non veritatis gratia, sed vtilitatis, quoniam leges conscientiam punire non possunt, 21 nisi aliquis desuper [21] terror impendeat ad cohibenda peccata. Falsa est igitur omnis religio, & diuinitas nulla est; sed a viris prudentibus vniuersa conficta sunt, quo rectius innocentiusq; viuatur. Magna hæc, & à materia, quam proposuimus, aliena quæstio est; sed quia necessariò incidit, debet quamuis breuiter attingi.

a Cic. 1. de nat. Deor. in fin.

CAPVT IX.

CVM sententiæ Philosophorum prioris temporis de prouidentia consentirent, nec vlla esset dubitatio, qui mundus à Deo & ratione esset instructus, & ratione regeretur, primus omnium Protagoras extitit temporibus Socratis, qui sibi diceret non liquere, vtrum esset aliqua diuinitas, nec ne. Quæ disputatio eius adeo impia, & contra veritatem, & religionem iudicata est, vt & ipsum Athenienses expulerint suis finibus, & libros eius in concione, quibus hæc continebantur, exusserint. a De cuius sententia non est opus disputare, quia nihil certi pronunciauit. Post hæc Socrates, & auditor eius Plato, & qui de schola Platonis tamquam riuuli diuersi in partes profluxerunt, Stoici, & Peripatetici in eadem fuere sententia, qua priores. Post ea verò Epicurus Deum quidem esse dixit, quia necesse sit, esse aliquid in mundo præstans, & eximium, & beatum; prouidentiam tamen nullam. Itaq; mundum ipsum nec ratione vlla, nec arte, nec fabrica instructum; sed naturam rerum quibusdam minutis seminibus, & insecabilibus conglobatam. Quo quid repugnantius dici possit non video. Etenim, si est Deus, vtiq; prouidens est, vt Deus, nec aliter ei potest diuinitas attribui, nisi & præterita teneat, & præsentia sciat, & futura prospiciat. Cum igitur prouidentiam sustulit, etiam Deum negauit esse. Cum autem Deum esse professus est, & prouidentiam simul esse concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest. Verùm ijs postea temporibus, quibus iam philosophia defloruerat, extitit [22] Athenis 22 quidam Diagoras, qui nullum esse omnino Deum diceret, ob eamq; sententiam nominatus est ἄθεος; Item Cyreneus Theodorus. Ambo, quia nihil noui poterant reperire omnibus iam dictis, & inuentis, maluerunt contra veritatem id negare, in quo priores vniuersi sine ambiguitate consenserant. Ij sunt, qui tot seculis, & ingenijs assertam, atq; defensam prouidentiam calumniati sunt. Quid ergo? Vtrumne istos minutos, & inertes Pgilosophos

a Cic. 1. de natu. Deor. Minut. in Octau.

ratione, an verò authoritate præſtantium
virorum refellemus? an potius vtroque?
Sed properandum eſt, ne longius a mate-
ria deuagetur oratio.

CAPVT X.

QVI nolunt diuina prouidentia fa-
ctum eſſe mundum, aut principijs
inter ſe temerè coeuntibus dicũt
eſſe concretum, aut repente natura exti-
tiſſe. Natura verò (vt ait Straton a) ha-
bere in ſe vim gignendi, & viuendi, ſed
eam nec ſenſum habere vllum, nec figu-
ram: vt intelligamus, omnia quaſi ſua
ſponte eſſe generata, nullo artifice, nec
authore. Vtrumq; vanum, & impoſſibi-
le. Sed hoc euenit ignorantibus verita-
tem, vt quiduis potius excogitent, quam
id ſentiant, quod ratio depoſcit. Primum
minuta illa ſemina, quorum concurſu for-
tuito totum cohęſiſſe mundum loquuntur,
23 vbi, aut vnde ſint quæro. [23] Quis illa vi-
dit vnquam? quis ſenſit? quis audiuit? An
ſolus Leucippus oculos habuit, ſolus men-
tem? qui profectò ſolus omnium cæcus, &
excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec
æger quiſquam delirare, nec dormiens
poſſit ſomniare. Quatuor elementis con-
ſtare omnia Philoſophi veteres diſſerebãt.
Ille noluit, ne alienis veſtigijs videretur in-
ſiſtere; ſed ipſorum elementorum alia vo-
luit eſſe primordia, quæ nec videri poſſint,
nec tangi, nec vlla corporis parte ſentiri.
Tam minuta ſunt (inquit) vt nulla ſit acies
ferri tam ſubtilis, qua ſecari, ac diuidi poſ-
ſint: vnde illis nomen impoſuit atomorum.
Sed occurrebat ei, quòd ſi vna eſſet omni-
bus, eademq; natura, non poſſent res ef-
ficere diuerſas, tanta varietate, quantam
videmus ineſſe mundo. Dixit ergo leuia
eſſe, & aſpera, & rotunda, & angulata,
& hamata. Quanto melius fuerat tacere,
quam in vſus tam miſerabiles, tam inanes
habere linguam. Et quidem vereor, ne
non minus delirare videatur, qui hæc pu-
tet refellenda. Reſpondeãmus tamen ve-
lut aliquid dicenti. Si leuia ſunt, & rotun-
da, vtiq; non poſſunt inuicem ſe apprehen-
dere, vt aliquod corpus efficiant; vt ſi quis
milium velit in vnam coagmentationem
conſtringere, leuitudo ipſa granorum in
24 maſſam coire non ſinat. [24] Si aſpera, &
angulata ſunt, & hamata, vt poſſint co-
herere, diuidua ergo, & ſecabilia ſunt;
hamis enim neceſſe eſt, & angulis emi-
nere, vt poſſint amputari. Itaq; quod am-
putari, ac diuelli poteſt, & videri poterit,
& teneri. Hæc (inquit) per inane irrequie-
tis motibus volitant, & huc, atq; illuc fe-
runtur, ſicut pulueris minutias videmus in
Sole, cum per feneſtram radios, ac lumen
immiſerit. Ex his arbores, & herbæ, &
fruges omnes oriuntur, ex his animalia,
& aqua, & ignis, & vniuerſa gignuntur, &
rurſus in eadem reſoluuntur. Ferri hoc po-
teſt quamdiu de rebus paruis agitur. Ex his
etiam mundus ipſe concretus eſt. Imple-
uit numerum perfectæ inſaniæ, vt nihil vl-
terius adijci poſſet: ſed inuenit tamen ille
quid adderet. Quoniam eſt omne (inquit)
infinitum, nec poteſt quicquam vacare,
neceſſe eſt ergo innumerabiles eſſe mun-
dos. Quæ tanta vis fuerat atomorum, vt
moles tam inæſtimabiles ex tam minutis
conglobarentur? Ac primum requiro, quę
ſit iſtorum ſeminum vel ratio, vel origo.
Si enim ex illis ſunt omnia, ipſa igitur vn-
de eſſe dicemus? quæ natura tantam co-
piam ad efficiendos innumerabiles mũdos
ſubminiſtrauit? Sed concedamus, vt im-
pune de mundis delirauerit: de hoc loqua-
mur, in quo ſumus, & quem videmus. Ait,
omnia ex indiuiduis corpuſculis fieri. Si
hoc ita eſſet, nulla res vnquam ſui generis
ſemine indigeret. Sine ouis alites naſce-
rentur, ac oua ſine partu; item cætera vi-
uentia ſine coitu. Arbores, & quæ gignũ-
tur è terra, propria ſemina non haberent,
quæ nos quotidie tractamus, & ſerimus.
Cur ex frumento ſeges naſcitur, & rurſus
ex ſegete frumentum? Deniq; atomorum
coitio, & conglobatio efficeret omnia, &
in aere vniuerſa concreſcerent, ſi quidem
per inane atomi volitant: cur ſine terra,
ſine radicibus, ſine humore, ſine ſemine
non herbæ, non arbor, non fruges oriri,
aut generari poſſunt? Vnde apparet, ni-
hil ex atomis fieri, quando quidem vna
quæq; res habet propriam, certamq; na-
turam, ſuum ſemen, ſuam legem ab exor-
dio datam. Deniq; Lucretius quaſi obli-
tus atomorum, quos aſſerebat, vt redar-
gueret eos, qui dicunt, ex nihilo fieri om-
nia, his argumentis vſus eſt, quæ contra
ipſum valerent: ſic enim dixit. a

Nam ſi de nihilo fierent, [25] ex omnibus rebus
Omne genus naſci poſſet: nil ſemine egeret. 25

a Apud Cic. 1. de nat. Deo. non lõge à princ. & in Lucul. propè fin.

Supra lib. 3. Inſtit. c. 17.

a Lucret. ſub initiũ lib. 1.

Item

a Lucr. ibi. *Item postea.* a
Paulo inf. *Nil igitur fieri* [26] *de nilo posse fatendum est;*
26 *Semine quando opus est rebus, quo quaq; create*
Aeris in teneras possint proferrier auras.
Quis hunc putat habuisse cerebrũ, cum hęc diceret, nec videret sibi esse cõtraria? Nihil enim ματομος fieri exinde apparet, quod semẽ cuiusq; rei certũ est, nisi fortè & ignis, & aquæ naturam ex atomis esse credcimus. Quid, quòd, durissimi rigoris materiæ si ictu vehementiore collidantur, ignis excutitur? Num in ferro, aut silice atomi latent? quis inclusit? aut cur sua sponte nõ emicant? aut quo modo semina ignis in materia frigidissima permanere potuerunt? Omitto silicem, ac ferrum. Orbem vitreum plenum aquæ si tenueris in Sole, de lumine, quod ab aqua refulget ignis accenditur etiam in durissimo frigore. Num etiam in aqua ignem esse credendum est? Atqui de Sole ignis ne æstate quidem accendi potest. Si ceræ inhanelaueris, vel si vapor leuis aliquid attigerit, aut crustam marmoris, aut laminam; paulatim per minutissimos rores aqua concrescit. Item de halitu terræ, aut maris nebula existit, quæ aut dispersa humefacit quicquid texerit, aut collecta in arduos montes in sublime vento rapta, stipatur in nubem, atq; imbres maximos deijcit. Vbi ergo dicimus, liquores natos esse? Num in vapore? num in halitu? num in vento? Atqui nihil potest consistere in eo, quod nec tangitur, nec videtur. Quid ego de animalibus loquar, in quorum corporibus nihil sine ratione, sine ordine, sine vtilitate, sine specie figuratum videmus? Adeò vt solertissima, & diligentissima omnium partium, membrorumq; descriptio casum, ac fortunam depellat. Sed putemus artus, & ossa, & neruos, & sanguinem de atomis posse concrescere. quid sensus, cogitatio, memoria, ingenium quibus seminibus coagmentari possunt? Minutissimis (inqui). Sunt ergo alia maiora. Quo-
27 modo igitur insecabilia? [27] Denique si ex inuisibilibus sunt quæ non videntur, consequens est, vt ex visibilibus sint, quæ videntur. Cur igitur nemo videt? Sed siue inuisibilia, quæ sunt in homine, consideret, siue tractabilia, quæ veniunt sub aspectum, ratione vtraque constare quis non videt? Quomodo ergo sine ratione coeuntia possunt aliquid efficere rationale? Videmus enim, nihil esse in omni mundo, quod non habeat in se maximam, mirabilemq; rationem. Quæ quia supra hominis sensum, & ingenium est, cui rectius, quam diuinæ prouidentiæ tribuenda est? An si simulachrum hominis, & statuam ratio, & ars fingit, ipsum hominem de frustis temere concurrentibus fieri putabimus? Et quid simile veritatis in ficto, cum summum, & excellens artificium nihil aliud, nisi vmbrã, & extrema corporis lineamenta possit imitari: num potuit humana solertia dare operi suo aut motum aliquem, aut sensum? Omitto sensum videndi, audiendi, odorandi, cæterorumq; membrorum vel apparentium, vel latentium mirabiles vtilitates. Quis artifex potuit aut cor hominis, aut vocem, aut ipsam fabricare sapientiam? Quisquam ne igitur sanus existimat, quod homo ratione, & consilio facere non possit, id concursu atomorum passim cohærentium perfici potuisse? Vides in quæ deliramenta inciderunt, dum nolunt effectionem, curamq; rerum Deo dare? Concedamus tamen his, vt ex atomis fiant, quæ terrena sunt: num etiam cœlestia? Deos aiunt incorruptos, æternos, beatos esse; solisq; dant immunitatem, ne concursu atomorum concreti esse videantur: si enim Deos quoq; ex illis constituissent, dissipabiles fierent, seminibus aliquando resolutis, atq; in naturam suam reuertentibus. Ergo si est aliquid, quod atomi non effecerint, cur non cætera eodem modo intelligamus? Sed quæro antequam mundum primordia ista generarent, cur sibi Dij habitaculum non ædificauerunt? Videlicet nisi atomi coijssent, Cœlumq; fecissent, adhuc Dij per medium inane penderent. Quo igitur consilio, qua ratione de confuso aceruo se atomi congregauerunt, vt ex alijs inferius terra conglobaretur, Cœlum desuper tenderetur tanta siderum varietate distinctum, vt nihil vnquam excogitari possit ornatius? Tanta ergo qui videat, & talia potest existimare, nullo effecta esse consilio, nulla prouidentia, nulla ratione diuina; sed ex atomis subtilibus, exiguis concreta esse tanta miracula? Nonne prodigio simile est, aut natum esse hominem, qui hæc diceret, aut extitisse, qui crederet? vt Democritum, qui auditor eius fuit, vel Epicurum, in quem vanitas omnis de Leucippi fonte profluxit. At enim (sicut alij dicunt) natura mundus effectus est, quæ sensu, & figura caret. Hoc verò multo est absurdius. Si natura mundum fecit

fecit, consilio, & ratione fecerit necesse est. Is enim facit aliquid, qui aut voluntatem faciendi habet, aut scientiam. Si caret sensu, ac figura, quomodo potest ab ea fieri, quod & sensum habeat, & figuram? Nisi forte quis arbitretur, animalium fabricam tam subtilem, tamq; mirabilem a non sentiente formari, animariq; potuisse, aut istam Cœli speciem tam prouidenter ad vtilitates viuentium temperatam nescio quo casu sine conditore, sine artifice subito extitisse. Si quid est (inquit Chrysippus) quod efficiat ea, quæ homo licet ratione sit præditus, facere non possit, id profecto est maius, & fortius, & sapientius homine. Homo autem non potest facere Cælestia, ergo illud quod hæc efficiet, vel efficerit superat hominem arte, consilio, prudentia, potestate. Quis igitur potest esse nisi Deus? Natura verò, quam veluti matrem esse rerum putant, si mentem non habet, nihil efficiet vnquam, nihil molietur. Vbi enim non est cogitatio, nec motus est vllus, nec efficacia. Si autem cõsilio vtitur ad incipiendum aliquid, ratione ad disponendum, arte ad efficiendum, virtute ad consummandum, potestate ad regendum, & continendum, cur natura potius, quam Deus nominetur? Aut si concursus atomorum, vel carens mente natura ea, quæ videmus, effecit, quæro cur facere Cœlum potuerit; vrbem, aut domum non potuerit? Cur montes marmoris fecerit; columnas, & simulachra non fecerit? At qui debuerant atomi etiã ad hæc efficienda concurrere; si quidem nullam positionem relinquunt, quam non experiantur. Nam de natura, quæ mentem non habeat, non est mirandum, quod hæc facere oblita sit. Quid ergo est? Vtiq; Deus cum inchoaret hoc opus mundi, quo nihil potest esse nec dispositius ad ordinẽ, nec aptius ad vtilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec maius ad molem, quę fieri ab homine non poterant, fecit ipse, in quibus etiam hominem ipsum: cui particulam de sua sapientia dedit, & instruxit eum ratione, quantum fragilitas terrena capiebat, vt ipse sibi efficeret, quæ ad vsus suos essent necessaria. Si vero in huius mundi (vt ita dixerim) Republica nulla prouidentia est, quæ regat, nullus Deus, qui administret, nec omnino sensus vllus in hac rerũ natura pollet, vnde igitur mens humana tam solers, tam intelligens orta

esse credetur? Si enim corpus hominis ex
humo factum est, [28] vnde homo nomen 28
accepit; animus ergo, qui sapit, qui rector est corporis, cui membra obsequuntur tãquam Regi, & Imperatori, qui nec aspici, nec comprehendi potest, non potuit ad hominem nisi à sapiente natura peruenire. Sed sicut omne corpus mens, & animus gubernat, ita & mundum Deus. Nec enim verisimile est, vt minora, & humilia regimen habeant, maiora, & summa non habeant. Deniq; M. Cicero in Tusculanis, & in Consolatione. a Animorum (inquit) nul-
la in terris origo inueniri potest. [29] nihil est 29
enim (inquit) in animis mistum, atq; con-
cretum, aut quod ex terra natum, [30] atq; 30
factum esse videatur, [31] nihilue aut humi- 31
dum quidem, aut flabile, aut igneum; [32] 32
his enim naturis nihil inest, quod vim me-
moriæ, mentis, cogitationis habeat, [33] 33
quod & præterita teneat, & futura [34] pro- 34
uideat, & complecti possit præsentia, quæ
sola diuina sunt. Nec enim [35] inuenietur 35
vnquã, vnde ad hominem venire possint, nisi a Deo.] Exceptis igitur duobus, tribusuę calumniatoribus vanis, cum constet, diuina prouidentia mundum regi, sicut & factus est, nec sit quisquam, qui Diagorę, Theodoriq; sententiam, vel Leucippi inane commentum, vel Democriti, Epicuriq; leuitatem præferre audeat authoritati vel illorum septem priorum, qui sunt appellati sapientes, vel Pythagoræ, vel Socratis, vel Platonis, cæterorumq; summorum Philosophorum, qui esse prouidentiam iudicauerunt, falsa igitur est & illa sententia, qua putant terroris, ac metus gratia religionem a sapientibus institutam, quo se homines imperiti a peccatis abstinerent. Quod si verum sit, ergo derisi ab antiquis sapientibus sumus. Quod si fallendi nostri, atq; adeo totius generis humani causa cõmenti sunt religionem, sapientes igitur non fuerunt, quia in sapiente non cadit mendacium. Sed fuerint sapientes; quæ tanta felicitas mentiendi, vt non tantummodo indoctos, sed Platonem quoq; ac Socratem fallerent; & Pythagoram, Zenonem, Aristotelem maximarum sectarum principes tam facile deluderent? Est igitur diuina prouidentia, vt senserunt ij homines, quos nominaui, cuius vi, ac potestate omnia, quæ videmus & facta sunt, & reguntur. Nec enim tanta rerum magnitudo, tanta dispositio, tanta in seruandis ordi-

a Vt supra lib. 7. Instit. cap. 8.

ordinibus, temporibusq; constantia aut olim potuit sine prouido artifice oriri, aut constare tot seculis sine incola potenti, aut in perpetuum gubernari sine pertio, ac sciente rectore: quod ratio ipsa declarat. Quicquid est enim: quod habet rationem, ratione sit ortum necesse est. Ratio autem sentientis, sapientisq; naturæ est. Sapiens verò, sentiensq; natura nihil aliud potest esse, quam Deus. Mundus autem, quoniam rationem habet, qua & regitur, & constat, ergo a Deo factus est. Quòd si est conditor, rectorq; mundi Deus, rectè igitur, ac verè religio constituta est. Authori enim rerum, parentiq; communi honos, veneratioq; debetur.

CAPVT XI.

QVONIAM constitit de prouidentia; sequitur, vt doceamus. vtrumne multorum Deorum esse credenda sit, an potius vnius. Satis (vt opinor)
a Lib. 1. c. 3. ostendimus in nostris Institutionibus, a
& seqq. Deos multos esse non posse, quòd diuina vis, ac potestas si di trahatur in plures diminui eam necesse sit; quod autem minuitur, mortale est. Si autem mortalis non est, nec minui, nec diuidi potest. Deus igitur vnus est in quo vis, & potestas consummata est, nec minui potest, nec augeri. Si autem sunt multi. dum habent singuli potestatis aliquid, ac numinis, summa ipsa decrescit; nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus; vnicuiq; tantum deerit, quantum cæteri possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores, nec in vna domo multi domini, nec in naui vna multi gubernatores, nec in armento, aut grege duces multi, nec in vno examine multi reges. Sed nec in Cœlo quidem multi Soles esse poterunt, sicut nec animæ plures in vno corpore, adeo in vnitate natura vniuersa consentit. Quòd si mundum.

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet,

b Virg. 6. Apparet testimonio Poetæ, b vnum esse
Æneid. mundi habitatorem Deum; siquidem corpus omne nisi ab vna mente incoli, regiq; non potest. Omnem igitur diuinam potestatem necesse est in vno esse, cuius nutu, & imperio regantur omnia, & ideo tantus est, vt ab homine non possit aut verbis enarrari, aut sensibus æstimari. Vnde igitur ad homines opinio multorum Deorum persuasione peruenit? Nimirum ij omnes, qui coluntur, vt Dij, homines fuerunt, & ijdem primi, ac maximi reges; sed eos aut ob virtutem, quia profuerant hominum generi, diuinis honoribus affectos esse post mortem, aut ob beneficia, & inuenta, quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam consecutos quis ignorat? Nec tantum mares, sed & fœminas. Quod cum vetustissimi Græciæ scriptores, quos illi θεολόγους nuncupant, tum etiam Romani Græcos secuti, & imitati docent. quorum præcipue Euhemerus, ac noster Ennius, qui eorum omnium natales, coniugia, progenies, imperia, res gestas, obitus, sepulcra demonstrant. Et secutus eos Tullius tertio de Natura Deorum libro dissoluit publicas religiones, sed tamen veram, quam ignorabat, nec ipse, nec alius quisquam potuit inducere. adeo & ipse testatus est falsum quidem apparere, veritatem tamen latere. Vtinam (inquit) a tam facile vera in- a Cic. 1. de
uenire possem, quàm falsa conuincere.] nat. Deor.
Quod quidem non dissimulanter vt Academicus, sed vere atq; ex animis sententia proclamauit, quia veritas humanis sensibus erui non potest. quod assequi valuit humana prouidentia id assecutus est, vt falsa
detegeret. Quicquid enim fictum, & com- b Plato in
mentitiū est, quia nulla ratione subnixū est, Tima lōgiu
facile dissoluitur. Vnus est igitur princeps, sculi à pric.
& origo rerum Deus, b sicut Plato in Ti- 36
mæo & sensit, & docuit, cuius maiestatem 37
tantam esse declarat, b vt nec mente com- c Her. Tris-
prehendi, nec lingua exprimi possit. Y meg. ap. Sto
Idem testatur Hermes, c quem Cicero ait ba. ser 80.
d in numero Deorum apud Ægyptios ha- De Dijs.
beri, eum scilicet, qui ob virtutem, mul- d Cic. 3. de
tarumq; artium scientiā Trimegistus no- natiu Deor.
minatus, & erat non modo Platone, verum Paulo post
etiam Pythagora, septemq; illis sapienti- med. vt 1.
bus longè antiquior. n Apud Xenophon- Institut. c. 6.
tem Socrates disputans ait, e formam Dei 38
non oportere conquiri. Et Plato in legum e Xenoph 4.
libris: f quid omnino sit Deus non esse memor. dict.
quærendum, quia nec inueniri possit, nec & f. Et Soc.
enarrari. Pythagoras quoq; vnum Deum cir. med.
confitetur, dicens incorporalem esse men- f Plato 7 de
tem, quæ per omnem rerum naturam dif- leg & apud
fusa, & intenta vitalem sensum cunctis Cic. de nat.
ani- Deorum.

a Pytagb. apud Cic. 1. de nat. Deo. b Aristoteles ap. Cic. vbi supra. c Arist. & Zeno vbi supra vt 1. Instit. c. 5.

animantibus tribuat. *a* Antistenes autem in Physico vnum esse naturalem Deum dixit, quamuis gentes, & vrbes suos habeant populares. *b* Eadem ferè & Aristoteles cum suis Peripateticis, & Zenon cum suis Stoicis. *c* Longum est enim singulorum sententias exequi, qui licet diuersis nominibus sint abusi, ad vnam tamen potestatem, quæ mundum regeret, concurrerunt. Sed tamen summum Deum cum & Philosophi, & Poetæ, & ipsi deniq; qui Deos colunt, sæpè fateantur; de cultu tamen, & honoribus eius nemo vnquam requisiuit, nemo disseruit, ea scilicet persuasione, qua semper beneficum, incorruptumq; credentes, nec irasci eum cuiquam, nec vllo cultu indigere arbitrantur. adeo religio esse non potest, vbi metus nullus est.

CAPVT XII.

NVNC quoniam respondimus impiæ quorundam, detestabiliq; imprudentiæ, vel potius amentiæ, redeamus ad propositum. Diximus religione sublata, nec sapientiam teneri posse, nec iustitiam,
39 [39] quia sapientia est diuinitatis intellectus, quo differimus à belluis: in homine solo reperiri iustitiam, quia nisi cupiditates nostras Deus, qui falli non potest, coercue-
40 rit, scelerate, [40] impieq; viuemus. Spectari ergo actus nostros a Deo non modo ad vtilitatem communis vitæ attinet, sed etiã ad veritatem, quia religione, iustitiaq; detracta vel ad stultitiam pecudum amissa ratione deuoluimur, vel ad bestiarum immanitatem; immo verò amplius; siquidem bestiæ sui generis animalibus parcunt. Quid erit homine truculentius, quid immitius, si dempto metu superiore vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Timor igitur Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor aufertur, si fuerit homini persuasum, quòd iræ sit expers Deus, quem moueri, & indignari non modo cum iniusta fiunt communis vtilitas, sed etiam ratio ipsa, & veritas persuadet. Rursus nobis ad superiora redeundum est; vt quia docuimus à Deo factum esse mundum, doceamus quare sit effectus.

CAPVT XIII.

a Stoici ap. Cic. lucull. vt supra Instit. lib. 7. cap. 4. & 7.

SI consideret aliquis vniuersam mundi administrationem, intelliget profectò, quàm vera sit sententia Stoicorum, qui aiunt, nostri causa mundum esse constructum. *a* Omnia enim, quibus constat, quæq; generat ex se mundus, ad vtilitatem hominis accommodata sunt. Homo vtitur igni ad vsum calefaciendi, & luminis, & coquendorum ciborum, ferriq; fabricandi: vtitur fontibus ad potum, & ad lauacra, fluminibus ad agros irrigandos, terminandasq; regiones: vtitur terra ad percipiendam fructuum varietatem, collibus ad conserenda vineta, montibus ad vsum arborum, atq; lignorum, planis ad segetem: vtitur mari non solum ad comertia, & copias ex longinquis regionibus ferendas, verùm etiam ad vbertatem omnis generis piscium. Quòd si his elementis vtitur, quibus est proximus, non est dubium, quin & cœlo, quoniam & cœlestium rerum officia ad fertilitatem terræ, ex qua viuimus, temperata sunt. Sol irrequietis cursibus, & spatijs inæqualibus orbes annuos conficit, & aut oriens diem promit ad laborem, aut Occidens noctem superducit ad requiem, & tum abscessu longius ad meridiem, tum accessu proprius ad septemtrionem hyemis, & æstatis vicissitudines facit, vt & hybernis humoribus, ac pruinis in vbertatem terra pinguescat, & æstiuis caloribus vel herbidæ fruges maturitate durentur, vel quæ sunt in humidis, incocta, & feruefacta mitescant. Luna quoq; nocturni temporis gubernatrix, & amissi, ac recepti luminis vicibus menstrua spatia moderatur, & cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore suæ claritatis illustrat, vt æstiua itinera, & expeditiones, & opera sine labore, ac molestia confici possint. Si quidem.

b Virg. 1. Georgic.

Nocte leues melius stipulæ, nocte arida prata Tondentur. b——————

Astra etiam cætera vel ortu, vel occasu suo certis stationibus opportunitates temporum subministrant. Sed & nauigijs, quo minus errabundo cursu per immensum vagentur, regimen præbent, cum ea rite gubernator obseruans ad portum destinati
litoris [41] peruehatur. [42] Ventorum spiritu 41 42
attrahuntur nubes, vt sata imbribus irrigentur,

gentur, vt vites fœtibus, arbusta pomis
exuberent. Et hæc per orbem vicibus ex-
hibentur, ne desit aliquando, quo vita
hominum sustineatur. At enim cæteras
animantes eadem terra nutrit, & eiusdem
fœtu etiam muta pascuntur. Num etiam
mutorum causa Deus laborauit? Minime.
quia sunt rationis expertia. Sed intelligi-
mus & ipsa eodem modo ad vsum hominis
à Deo facta, partim ad cibos, partim ad
vestium, partim ad operis auxilia; vt cla-
rum sit, diuinam prouidentiam rerum,
& copiarum abundantia hominum vitam
instruere, atq; ornare voluisse; ob eamq;
causam & aerem volucribus, & mare pisci-
bus, & terram quadrupedibus impleuit.
Sed Academici contra Stoicos differentes
a Apud Cic. solent quærere: *a* cur si Deus omnia homi-
in Lucull. vt num causa fecerit, etiam multa contraria,
supra lib. 7. & inimica, & pestifera nobis reperiantur
cap. 4. & 7. tam in mari, quàm in terra. Quod Stoici
veritatem non respicientes ineptissimè re-
pulerunt. Aiunt enim, multa esse in gi-
gnentibus, & in numero animalium, quo-
rum adhuc lateat vtilitas, sed eam proces-
su temporum inueniri, sicut iam plura
prioribus seculis incognita necessitas, &
vsus inuenerit. Quæ tandem vtilitas po-
test in muribus, in blattis, in serpentibus
reperiri, quæ homini molesta, & pernicio-
sa sunt? An medicina in his aliqua latet?
quæ si est, inuenietur aliquando, nempe
aduersus mala, cum id illi querantur, esse
b Plin. lib. omnino malum. Viperam ferunt *b* exu-
29. cap. 4. stam, in cineremq; dilapsam mederi eius-
dem bestiæ morsui. Quanto melius fuerat,
eam prorsus non esse, quàm remedium
contra se ab ipsa desiderari! Breuius igitur,
ac verius respondere potuerunt in hunc
modum. Deus cum formasset hominem
veluti simulachrum suum, quod erat diui-
ni opificij summum, inspirauit ei sapien-
tiam soli, vt omnia imperio, ac ditioni suę
subiugaret, omnibusq; mundi commodis
43 vteretur. [43] Proposuit tamen ei & bona,
& mala, quia sapientiam dedit, cuius om-
nis ratio in discernendis malis, ac bonis
posita est. Non potest enim quisquam eli-
gere meliora, & scire quid bonum sit, nisi
sciat simul reijcere, ac vitare, quæ mala
sunt. Inuicem sibi alterutrum connexa
sunt, vt sublato alterutro vtrumq; tolli sit
necesse. Propositis igitur bonis, malisq;
tum demum opus suum peragit sapientia,
& quidem bonum appetit ad vtilitatem,
malum reijcit ad salutem. Ergo sicut bo-
na innumerabilia data sunt homini, qui-
bus frui posset, sic etiam mala, quæ caue-
ret. Nam si malum nullum sit, nullum
periculum, nihil deniq; quod lædere homi-
nem possit, tollitur omnis materia sapien-
tiæ, nec erit homini necessaria. Positis
enim tantummodo in conspectu bonis,
quid opus est cogitatione, intellectu, scien-
tia, ratione? cum quocunq; porrexerit
manum, id naturæ aptum, & commodum
sit: vt si quis velit apparatissimam cœnam
infantibus, qui nondum sapiant, appone-
re, vtiq; id appetent singuli, quò vnum-
quemq; aut impetus, aut fames, aut etiam
casus attraxerit: & quicquid sumpserint,
id illis erit vtile, ac salubre. Quid igitur
nocebit, eos sicuti sunt permanere, & sem-
per infantes, ac nescios esse rerum? Si au-
tem admisceas vel amarum, vel inutilia,
vel etiam venenata, decipiuntur vtiq; per
ignorantiam boni, ac mali, nisi accedat
ijs sapientia, per quam habeant malorum
reiectionem, bonorumq; delectum. Vides
ergo magis propter mala opus nobis esse
sapientia, quæ nisi fuissent proposita, ra-
tionale animal non essemus. Quòd si hæc
ratio vera est, [44] quam Stoici nullo modo 44
videre potuerunt, dissoluitur etiam argu-
mentum illud Epicuri. Deus (inquit) aut
vult tollere mala & non potest, aut potest,
& non vult, aut neq; vult neq; potest, aut
& vult, & potest. Si vult & non potest im-
becillis est; quod in Deum non cadit. Si
potest, & non vult, inuidus; quod æquè
alienum à Deo. Si neq; vult neq; potest,
& inuidus, & imbecillis est; ideoq; neque
Deus. Si vult, & potest, quod solum Deo
conuenit, vnde ergo sunt mala? aut cur illa
non tollit? Scio plerosq; philosophorũ, qui
prouidentiã defendunt, hoc argumẽto per-
turbari solere, & innitos penè adigi, vt
Deum nihil curare fateantur, quod maxi-
mè quærit Epicurus. Sed nos ratione per-
specta formidolosum hoc argumentum fa-
cile dissoluimus. Deus enim potest quic-
quid velit, & imbecillitas, vel inuidia in
Deo nulla est. Potest igitur mala tollere,
sed non vult, nec ideo tamen inuidus est.
Iccirco enim non tollit, quia & sapientiam
(sicut docui) simul tribuit, & plus boni, ac
iucunditatis in sapientia, quam in malis
molestiæ: [45] sapientia enim facit vt etiam 45
Deum cognoscamus, & per eam cognitio-
nem immortalitatem assequamur; quod
est

est summum bonum, Itaq; nisi prius malum agnouerimus, nec bonum poterimus agnoscere. Sed hoc non vidit Epicurus, nec alius quisquam, si tollantur mala, tolli pariter sapientiam, nec vlla in homine virtutis remanere vestigia, cuius ratio sustinenda, & superanda malorum acerbitate consistit. Itaq; propter exiguum compendium sublatorum malorum maximo, & vero, & proprio nobis bono careremus. Constat igitur, omnia propter hominem proposita, tam mala, quàm etiam bona.

CAPVT XIV.

SEQVITVR, vt ostendam, cur fecerit hominem ipsum Deus. Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se tanquam diuini templi antistitem, spectatorem operum, rerumq; cœlestium. Solus est enim, qui sentiens, capaxq; rationis intelligere possit Deum, qui opera eius admirari, virtutem potestatemq; perspicere. Idcirco enim consilio, mente, prudentia instructus est. Ideo solus præter cæteras animantes rectus corpore, ac statu factus est, vt ad contemplationem parentis sui excitatus esse videatur. Ideo sermonem solus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, vt enarrare maiestatem domini sui possit. Postremo idcirco ei cuncta subiecta sunt vt factori, atq; artifici Deo esset ipse subiectus. Si ergo Deus hominem suum voluit esse cultorem, ideoq; illi tantum honoris attribuit, vt rerum omnium dominaretur, vtiq; iustissimum est & Deum colere, qui tanta præstiterit, & amare hominem, qui sit nobiscum diuini iuris societate coniunctus. Nec enim fas est cultorem Dei a Dei cultore violari. Vnde intelligitur, religionis, ac iustitiæ causa esse hominem figuratum, cuius rei testis est M. Tullius in libris de legibus ita dicens. *a* Sed omnium, quæ in doctorum hominum disputatione versantur, nihil est profectò præstabilius, quàm planè intelligi, nos ad iustitiam esse natos.] Quod si est verissimum, Deus ergo vult, omnes homines esse iustos, idest Deum, & hominem charos habere, Deum scilicet honorare tanquam patrem hominem diligere velut fratrem. In his enim duobus tota iustitia consistit. *b* Qui ergo aut Deum non agnoscit, aut homini nocet, iniustè, & contra naturam suam viuit; & hoc modo rumpit institutum, legemq; diuinam.

a Cic. 1. de legib. circa med.

b Matt. 22. ad Rom. 13. ad Galat. 5.

CAPVT XV.

HIC fortasse quærat aliquis, vnde ad hominem peccata peruenerint, aut quæ prauitas diuini instituti regulam ad peiora detorserit, vt cum sit ad iustitiam genitus, opera tamen efficiat iniusta. Iam superius explanaui,[46] simul Deum proposuisse bonum, ac malum; & bonum quidem diligere, malum autem, quod bono repugnat, odisse; sed ideo malum permisisse, vt & bonum emicaret, quod alterum sine altero (sicut sæpe docui) intelligimus constare non posse. Deniq; ipsum mundum ex duobus elementis repugnantibus, & inuicem copulatis esse concretum, igneo, & humido, nec potuisse lucem fieri, nisi & tenebræ fuissent, quia nec superum potest esse sine infero, nec oriens sine Occidente, nec calidum sine frigido, nec molle sine duro. Sic & nos ex duobus æquè repugnantibus compacti sumus, anima, & corpore, quorum alterum cœlo ascribitur, quia tenue est, & intractabile, alterum terræ, quia comprehensibile est; alterum solidum, & æternum est, alterum fragile, atq; mortale. Ergo alteri bonum adhæret, alteri malum; alteri lux, vita, iustitia; alteri tenebræ, mors, iniustitia. Hinc extitit in hominibus naturæ suæ deprauatio; vt esset necesse constitui legem, qua possent & vitia prohiberi, & virtutis officia imperari. Cum igitur sint in rebus humanis bona, & mala, quorum rationem declaraui, necesse est, ad vtramq; partem moueri Deum, & ad gratiam, cum iusta fieri videt, & ad iram, cum cernit iniusta. Sed occurrit nobis Epicurus, ac dicit. Si est in Deo lætitiæ affectus ad gratiam, & odij ad iram, necesse est habeat & timorem, & libidinem, & cupiditatem, cæterosq; affectus qui sunt imbecillitatis humanæ. Non est necesse, vt timeat, qui irascitur, aut mæreat qui gaudet: deniq; iracundi minus timidi sunt, & natura læti minus mærent. Quid opus est de humanis affectibus dicere, quibus fragilitas nostra succumbit? Consideremus diuinam necessitatem. nolo enim naturam dicere, quia

Deus

Deus noster nunquam creditur natus. Timoris affectus habet in homine materiam; in Deo non habet. Homo quia multis casibus, periculisq; subiectus est, metuit, ne quavis maior existat, quæ illum verberet, spoliet, laceret, affligat, interimat. Deus autem in quem nec egestas, nec iniuria, nec dolor, nec mors cadit, timere nullo pacto potest; quia nihil est, quod ei vim possit inferre. Item libidinis ratio, & causa in homine manifesta est. Nam quia fragilis, & mortalis est effectus, necesse fuit, alterum sexum, diuersumq; constitui, cuius permistione sobolesefficí posset ad continendam generis perpetuitatem. Hæc autem libido in Deo locum non habet, quia & fragilitas, & interitus ab eo alienus est; nec vlla est apud eum fœmina, cuius possit copulatione gaudere, nec successione indiget, qui semper futurus est. Eadem de inuidia, & cupiditate dici possunt, quæ certis, manifestisq; de causis in hominem cadunt, in Deum nullo modo. At verò & gratia, & ira, & miseratio habent in Deo materiam, recteq; illis vtitur summa illa, & singularis potestas ad rerum conseruationem.

CAPVT XVI.

QVærit quispiam, quę sit ista materia. Primum accidentibus malis afflicti homines ad Deum plerunq; confugiunt, mitigant, obsecrant, credentes, eum posse ab ijs iniurias propulsare. Habet igitur Deus causam miserandi: nec enim tam immitis est hominum contemptor, vt auxilium laborantibus deneget. Item plurimi, quibus persuasum est, Deo placere iustitiam, eumq; qui sit dominus, ac parens omnium venerantur, & precibus assiduis, ac frequentibus votis dona, & sacrificia offerunt, nomen eius laudibus prosequuntur, iustis, ac bonis operibus demereri eum laborantes. Ergo est, propter quod Deus & possit, & debeat gratificari. Nam si nihil est tam conueniens Deo, quam beneficentia, nihil autem tam alienum, quam vt sit ingratus, necesse est, vt officijs optimorum, sanct eq; viuentium præstet aliquid, ac vicem reddat, ne subeat ingrati culpam, quæ est etiam homini criminosa. Contra autem sunt alij facinorosi, & nefarij, qui libidinibus omnia polluant, cædibus vexent, fraudent, rapiant, peierent, nec consanguineis, nec parentibus parcant, leges, & ipsum etiam Deum negligant. Habet igitur ira in Deo materiam, non est enim fas eum, cum talia fieri videat, non moueri, & insurgere ad vltionem sceleratorum, & pestiferos, nocentesq; delere, vt bonis omnibus consulat. [47] adeo & in ipsa ira inest gratificatio. 47 Inania ergo, & falsa reperiuntur argumenta vel eorum, qui cum irasci Deum nolunt, gratificari volunt, quia ne hoc quidem fieri sine ira potest, vel eorum, qui nullum animi motum esse in Deo putant. Et quia sunt aliqui affectus, qui non cadunt in Deum, vt libido, timor, auaritia, mœror, inuidia, omni prorsus affectu eum vacare dixerunt. His enim vacat, quia vitiorum affectus sunt eos autem, qui sunt virtutis, idest ira in malos, charitas in bonos, miseratio in afflictos, quoniam diuina potestate sunt digna, proprios, & iustos, & veros habet. Quæ profectò nisi habeat, humana vita turbabitur, atq; ad tantam confusionem deueniet status rerum, vt contemptis, superatisq; legibus sola regnet audacia; vt nemo deniq; tutus esse possit, nisi qui viribus præualeat. Ita quasi communi latrocinio terra omnis depopulabitur. Nunc verò quoniam & mali pœnam, & boni gratiam, & afflicti opem sperant, & virtutibus locus est, & scelera rariora sunt. At enim plerunq; & scelerati feliciores sunt & boni miseriores; & iusti ab iniustis impune vexantur. Considerabimus postea, cur ista fiant. Interim de ira explicemus, an sit aliqua in Deo; vtrum nihil curet omnino, nec moueatur ad ea, quæ impiè geruntur.

CAPVT XVII.

DEvs (inquit Epicurus) nihil curat, nullam igitur habet potestatem. Curare enim necesse est eum, qui habet potestatem; vel si habet, & non vtitur, quæ tanta est negligendi causa, vt ei non dicam nostrum genus, sed etiam mundus ipse sit vilis? Ideo (inquit) incorruptus est, ac beatus, quia semper quietus. Cui ergo ministratio tantarum rerum cessit, si hæc à Deo negligantur, quæ videmus ratione

ſumma gubernari? Aut quietus eſſe quo
modo poteſt, qui viuit, & ſentit? Nam
quies aut ſomni res eſt, aut mortis. ſed
nec ſomnus habet quietem: nam cum ſo-
porati ſumus, corpus quidem quieſcit,
animus autem irrequietus agitatur, ima-
gines ſibi, quas cernat, effingit, vt natu-
ralem ſuum motum exerceat varietate vi-
ſorum, auocatq; ſe à falſis, dum membra
ſaturentur, ac vigorem capiant. Deniq;
requies ſempiterna ſolius mortis eſt; Si au-
tem mors Deum non attingit, Deus igitur
nunquam quietus eſt. Dei verò actio quæ
poteſt eſſe, niſi mundi adminiſtratio? Si
verò mundi curam gerit, curat igitur ho-
minum vitam Deus, ac ſingulorum actus
animaduertit, eoſq; ſapientes, ac bonos
eſſe deſiderat. Hæc eſt voluntas Dei, hæc
diuina lex, quam qui ſequitur, qui obſer-
uat, Deo charus eſt. Neceſſe eſt igitur, vt
ira moueatur aduerſus eum, qui hanc æter-
nam, diuinamq; legem aut violauerit, aut
ſpreuerit. Si nocet (inquit) alicui Deus
iam bonus non eſt. Non exiguo falluntur
errore, qui cenſuram ſiue humanam, ſiue
diuinam acerbitatis, & malitiæ nomine in-
famant, putantes, nocentem dici oporte-
re, qui nocentes afficit pœna. Quod ſi eſt,
nocentes igitur leges habemus, quæ pec-
cantibus ſupplicia ſanxerunt, nocentes iu-
dices, qui ſcelere conuictos pœna capitis
afficiunt. Quòd ſi & lex iuſta eſt, quæ &
nocenti tribuit quod meretur, & iudex in-
teger, ac bonus dicitur, cum malefacta
vindicat (bonorum enim ſalutem cuſtodit,
qui malos punit) ergo & Deus cum malis
obeſt, nocens non eſt: ipſe autem eſt nocens
qui aut innocēti nocet, aut nocēti parcit, vt
pluribus noceat. Libet quærere ab ijs, qui
Deū faciunt immobilē; ſi quis habeat rem,
domum, familiam; ſeruiq; eius contem-
nentes patientiam domini omnia eius
inuaſerint, ipſi bonis eius fruantur, ipſos
familia eius honoret, dominus autem con-
temnatur ab omnibus, derideatur, relin-
quatur, vtrumne ſapiens eſſe poſſit, qui
contumelias non vindicet, ſuiſq; rebus eos
perfrui patiatur, in quos habeat poteſta-
tem? Quæ tanta in quoquam poteſt pa-
tientia reperiri? ſi tamen patientia nomi-
nanda eſt, & non ſtupor quidam inſenſibi-
lis. Sed facile eſt ferre cōtemptum. Quid
a Cic. in ſi fiant illa, quæ a Cicerone dicuntur? a
orat. 4. in Etenim quæro ſi quis paterfamilias liberis
Catilin. ſuis a ſeruo interfectis, vxore occiſa, in-
cenſa domo, [48] ſupplicium de ſeruo nun- 48
quam acerrimum ſumpſerit, vtrum is cle-
mens, ac miſericors, an inhumanus, &
crudeliſſimus eſſe videatur? Quod ſi eiuſ-
modi facinoribus ignoſcere crudelitatis eſt
potius, quam humanitatis, non eſt ergo
virtutis in Deo ad ea, quæ iniuſtè fiunt,
non commoueri. nam Mundus tanquam
Dei domus eſt, & homines tanquam ſerui,
quibus ſi ludibrio ſit nomen eius, qualis,
aut quanta patientia eſt, vt honoribus ſuis
cedat, praua, & iniqua fieri videat, & non
indignetur, quod proprium, & naturale
eſt ei, cui peccata non placeant? Iraſci
ergo rationis eſt: auferuntur enim delicta,
& refrenatur licentia, quod vtiq; iuſtè, ſa-
pienterq; fit. Sed Stoici non viderunt eſſe
diſcrimen recti, & praui; eſſe iram iu-
ſtam, & iniuſtam, & quia medelam rei non
inueniebant, voluerunt eam penitus exci-
dere. Peripatetici verò non excidendam,
ſed temperandam eſſe dixerunt, quibus in
ſexto libro Inſtitutionum ſatis reſpondi-
mus. a Neſciſſe autem philoſophos, quæ a Cap. 14.
ratio eſſet iræ, apparet ex definitionibus & ſeqq.
eorum, quas Seneca enumerauit in libris,
quos de ira compoſuit. Ira eſt (inquit) b b Senec. lib.
cupiditas vlciſcendæ iniuriæ. Alij (vt ait 2. de ira c.
Poſſidonius) cupiditas puniendi eius, à quo 3.
te iniq; putes læſum. Quidam ita definie-
runt. Ira eſt incitatio animi ad nocendum c Ariſt. 2.
ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit. Ari- Rhetor. c. 2.
ſtotelis definitio non multum a noſtra ab- & apud Se-
eſt. Ait enim, c iram eſſe cupiditatem do- nec. vbi ſup.
loris [49] rependendi. Hæc eſt ira de qua ſu- 49
perius diximus, iniuſta, quæ etiam mutis
ineſt; in homine verò cohibenda eſt, ne ad
aliquod maximum malum proſiliat per fu-
rorem. Hæc in Deo eſſe non poteſt, quia
illæſibilis eſt; in homine autem, quia fra-
gilis eſt inuenitur; irritat enim læſio dolo-
rem; & dolor facit vltionis cupiditatem.
Vbi eſt ergo illa ira iuſta, qua mouetur ad-
uerſus delinquentes? quæ vtiq; non eſt cu-
piditas vltionis, quia non præcedit iniuria.
non dico de ijs, qui aduerſus leges peccant,
quibus & iudex ſine crimine iraſci poteſt.
fingamus tamen, eum ſedato animo eſſe
debere, cum ſubijcit pœnæ nocentem, quia
legum ſit miniſter, non animi, aut pote-
ſtatis ſuæ. ſic enim volunt qui iram conan-
tur euellere. Sed de ijs potiſſimum dico,
qui ſunt noſtræ poteſtatis, vt ſerui, liberi,
coniuges, & diſcipuli, quos cum delinque-
re videmus, incitamur ad coercendum.

Necesse est enim bono, ac iusto displicere,
quæ praua sunt; & cui malum displicet,
mouetur, cum id fieri videt. Ergo surgi-
mus ad vindictam, non quia læsi sumus, sed
vt disciplina seruetur, mores corrigantur,
licentia comprimatur. Hæc est ira iusta,
quæ sicut in homine necessaria est ad pra-
uitatis correctionem, sic vtiq; in Deo, à
quo ad hominem peruenit exemplum.
Nam sicuti nos potestati nostræ subiectos
coercere debemus, ita etiam peccata vni-
uersorum Deus coercere debet, quod vt
faciat, irascatur necesse est, quia natura-
le est bono ad alterius peccatum moueri,
& incitari. Ergo definire debuerunt. Ira
est motus animi ad coercenda peccata in-
a Cic. 4. Tusculan. circa med. surgentis. Nam definitio Ciceronis, *a* Ira
est libido vlciscendi.] Non multum à su-
perioribus distat, quam possumus vel furo-
rem, vel iracundiam nominare: hæc ne in
homine quidem esse debet, quia tota vitio-
sa est. Ira verò, quæ ad correctionem vi-
tiorum pertinet nec homini adimi debet,
nec Deo potest, quia & vtilis est rebus hu-
manis, & necessaria.

CAPVT XVIII.

QVID opus est (inquiunt) ira, cùm
sine hoc affectu peccata corrigi pos-
sint? Atqui nullus est, qui pec-
catorem possit videre tranquillè, possit
fortasse, qui legibus præsidet, quia facinus
50 non sub oculis eius admittitur, [50] sed defer-
tur aliunde tanquam dubium, nec vnquam
potest esse scelus tam clarum, vt defensio-
ni locus non sit. Et ideo potest iudex non
moueri aduersus eum, qui potest innocens
inueniri. Cumq; detectum facinus in lucem
venerit, iam non sua, sed legum sententia
vtitur. Sed potest concedi, vt sine ira fa-
51 ciat, [51] quod facit; habet enim quod sequa-
tur. Nos certe cum domi peccatur à no-
stris, siue id cernimus, siue sentimus, indi-
gnari necesse est, ipse enim peccati aspe-
ctus indignus est. Nam qui non mouetur
omnino, aut probat delicta, quod est tur-
pius, & iniustius, aut molestiam castigan-
di fugit, quam sedatus animus, & quieta
mens aspernatur, ac renuit, nisi stimulaue-
52 rit ira, [52] & incitauerit. Qui autem com-
mouetur, tamen intempestiua lenitate, vel
sæpius, quam necesse est, vel etiam semper
ignoscit, is planè & illorum vitam perdit;
quorum audaciam nutrit ad facinora ma-
iora, & sibi ipsi æternam molestiarum ma-
teriam subministrat. Vitiosa est ergo in
peccatis iræ suæ cohibitio. Laudatur [53] 53
Archyta Tarentinus, qui cum in agro cor-
rupta esse omnia comperisset, villici sui
culpam redarguens; Miserum te, inquit,
quem iam verberibus necassem, nisi iratus
essem. Vnicum hoc exemplum temporan-
tiæ putant; sed authoritate ducti non vi-
dent, quam inepta & locutus fuerit, & fe-
cerit. Nam si (vt ait Plato) [54] *a* nemo pru- 54
dens punit, quia peccatum est, sed ne pec- *a Plato in Gorgia ad fin. & apud Senec. in fin. 1. de ira & ad fin. 2. c. 31.*
cetur, apparet, quàm malum vir sapiens
proposuerit exemplum. Si enim senserint
serui, dominum suum sæuire, cum non ira-
scitur, tum parcere, cum irascitur, non
peccabunt vtiq; leuiter, ne verberentur,
sed quantum poterunt grauissimè, [55] vt sto-
machum eius incitent, atq; impune disce- 55
dant. Ego verò laudarem, si, cum fuisset
iratus, dedisset iræ suæ spatium, vt resi-
dente per interuallum temporis animi tu-
more, haberet modum castigatio. Non
ergo propter iræ magnitudinem donanda
erat pœna; sed differenda, ne aut peccan-
ti maiorem iusto dolorem inureret, aut ca-
stiganti furorem. Nunc verò quæ tandem
æquitas, aut quæ sapientia est, vt aliquis
ob exiguum delictum puniatur, ob maxi-
mum non puniatur? Quòd si naturam re-
rum, causasq; didicisset, nunquam tam
importunam continentiam profiteretur;
vt nequam seruus iratum sibi fuisse domi-
num gratularetur. Nam sicut corpus hu-
manum Deus multis, & varijs sensibus ad
vsum vitæ necessarijs instruxit, sic & ani-
mo varios attribuit affectus, quibus vitæ
ratio constaret: vt libidinem producendæ
gratia sobolis dedit, sic iram cohibendorū
causa delictorū. Verùm ij, qui nesciunt fines
bonorū, ac malorum, sicut libidine vtuntur
ad corruptelas, & ad voluptates, sic ira,
& affectu ad nocendum, dum ijs, quos
odio habent irascuntur. [56] Ergo etiam non 56
peccantibus irascuntur etiam paribus, aut
etiam superioribus. Hinc quotidie ad im-
mania facinora prosilitur, hinc tragœdiæ
sæpe nascuntur. Esset igitur laudandus
Archytas, si cum alicui ciui, & pari facien-
ti sibi iniuriam fuisset iratus, repressisset se
tamen, & patientia furoris impetum miti-
gasset. Hæc sui cohibitio gloriosa est, qua
compescitur aliquod imminens magnum

malum. seruorum autem, filiorumq; peccata non coercere peccatum est. Euadent enim ad maius malum per impunitatem.
Hic non cohibenda ira, sed etiam si iacet
57 excitanda est. [57] Quod autem de homine
dicimus, id etiam de Deo, qui hominem
similem sui fecit. Omitto de figura Dei dicere, quia Stoici negant habere vllam formam Deum, & ingens alia materia nascitur, si eos coarguere velimus: de animo tantùm loquor. Si Deo subiacet cogitare, sapere, intelligere, prouidere, præstare; ex omnibus autem animalibus homo solus hæc habet; ergo ad Dei similitudinem factus est. Sed ideo procedit in vitium, quia de terrena fragilitate permistus, non potest id, quòd à Deo sumpsit, incorruptum, purumq; seruare, nisi ab eodem Deo iustitiæ præceptis imbuatur.

CAPVT XIX.

SED quoniam compactus est (vt diximus) è duobus, animo, & corpore, in altero virtutes, in altero vitia continentur, & impugnant se inuicem. Animi enim bona, quæ sunt in continendis libidinibus, contraria sunt corpori; & corporis bona, quæ sunt in omni genere voluptatum, inimica sunt animo. Sed si virtus animi repugnauerit voluptatibus, easq; compresserit, verè Deo similis inuenietur. Vnde apparet, animam hominis, quæ virtutem diuinam capit, non esse mortalem. Sed discrimen illud est, quòd, cum virtus habeat amaritudinem, & sit dulcis illecebra voluptatis, vincuntur plurimi, & abstrahuntur ad suauitatem: ij vero, quia se corpori, rebusq; terrenis addixerunt, premuntur in terram, nec esse qui possunt diuini numinis gratiam, quia se vitiorum labibus inquinauerunt. Qui autem Deum secuti, eiq; parentes corporis desideria contempserint, & virtutem præferentes voluptatibus innocentiam, iustitiamq; seruauerit, hos Deus vt sui similes recognoscit. Cum igitur sanctissimam legem posuerit, velitq; vniuersos innocentes, ac beneficos esse, potestne non irasci, cum videt contemni legem suam, abijci virtutem, appeti voluptatem? Quòd si est mundi administrator (sicut esse debet) non vtiq; contemnit id, quod est in omni mundo vel maximum.
Si est prouidus (vt oportet Deum) consulit vtiq; generi humano, quo sit vita nostra & copiosior, & melior, & tutior. Si est pater, ac Deus vniuersorum, certè & virtutibus hominum delectatur, & vitijs commouetur, ergo & iustos diligit, & impios odit. Odio (inquit) opus non est; semel enim statuit bonis præmium, & malis pœnam. Quod si aliquis iustè, innocenterq;
viuat, & idem Deum nec colat, nec curet
omnino, [58] vt Aristoteles, cæterique philo- 58
sophorum, cedetne huic impune, quòd, cum legi Dei obtemperauerit, ipsum tamen spreuerit? Est igitur aliquid, propter quod Deus possit irasci tanquam fiducia integritatis aduersus eum rebellandi. Si huic potest irasci propter superbiam, cur non magis peccatori, qui legem cum ipso pariter latore contempserit? Iudex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati seruit alienæ, Deus autem potest, quia est legis suę ipse disceptator, & iudex; quam cum poneret, non vtiq; ademit sibi omnem potestatem, sed habet ignoscendi licentiam.

CAPVT XX.

SI potest ignoscere, potest & irasci. Cur ergo (inquiet aliquis) & qui peccant sæpe felices sunt, & qui piè viuunt sæpè miseri? Quia fugitiui, & abdicati liberè viuunt, & qui sub disciplina patris, aut domini sunt, strictius, & frugalius. Virtus enim per mala & probatur & constat, vitia per voluptatem. Nec tamen ille, qui peccat, sperare debet perpetuam impunitatem, quia nulla est perpetua felicitas.

——— Sed scilicet vltima semper
Expectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

Vt ait Poeta non insuauis. a Exitus est, qui arguit felicitatem; & nemo iudicium Dei potest nec viuus effugere, nec mortuus. Habet enim potestatem & viuos præcipitare de summo, & mortuos æternis afficere cruciatibus. Immo (inquit) si irascitur Deus, statim debuit vindicare, & pro merito quemq; punire. At enim si id faceret, nemo superesset. Nullus est enim, qui nihil peccet, & multa sunt, quæ ad peccandum irritent, ætas, violentia, egestas, occasio, præmium. Adeo subiecta est peccato

a Ouid. 3. Metam. sub initium.

cato fragilitas carnis, qua induti sumus, vt nisi huic necessitati Deus parceret, nimium fortasse pauci viuerent. Propter hanc causam patientissimus est, & iram suam continet. Nam quia perfecta est in eo virtus, necesse est, patientiam quoq; eius esse perfectam, quæ & ipsa virtus est. Quam multi ex peccatoribus iusti posterius effecti sunt, ex malis boni, ex improbis continentes. Quam multi in prima ætate turpes, & omnium iudicio damnati, postmodum tamen laudabiles extiterunt. quod vtiq; non fieret, si omne peccatum pœna sequeretur. Leges publicæ manifestos reos damnant: sed plurimi sunt, quorum peccata occultantur, plurimi, qui delatorem comprimunt aut precibus, aut præmio, plurimi, qui iudicia eludunt per gratiam, vel potentiam. Quòd si eos omnes, qui humanam pœnam effugiunt, censura diuina damnaret, esset homo aut rarus, aut nullus in terra. Deniq; vel vna illa causa delendi generis humani iusta esse potuisset, quòd homines contempto Deo viuo terrenis, fragilibusq; figmentis honorem diuinum tanquam cælestibus deferunt adorantes opera humanis digitis laborata. Cumq; illos Deus artifex ore sublimi, statu recto figuratos ad contemplationem cœli, & notitiam Dei excitauerit, curuare se ad terram maluerunt, & pecudum more humi repere. Humilis enim, & curuus, & pronus est, qui ab aspectu cœli, Deiq; patris auersus, terram, quam calcare debuerat, idest de terra ficta, & formata veneratur. In tanta igitur impietate hominum, tātisq; peccatis id assequitur potentia Dei, vt ie ipsi homines damnatis vitæ prioris erroribus corrigant. Deniq; & boni sunt, iustiq; multi, & abiectis terrenis cultibus maiestatem Dei singularis agnoscunt. Sed cum maxima, & vtilissima sit Dei patientia, tamen quamuis serò noxios punit, nec patitur longius procedere, cum eos inemendabiles esse peruiderit.

CAPVT XXI.

a Psal. 36. Eccl. 11. ad Rom. 12. ad Ephe. 4. Iacob. 1.

SVPEREST vna, & extrema quæstio. Nam dixerit fortasse quispiam, adeo non irasci Deum, vt & in præceptis hominem irasci vetet. a Possem dicere, quòd ira hominis refrenanda fuerit, quia iniustè sæpe irascitur, & præsentem habet motum, quia temporalis est. Itaq; ne fierent, ea quæ faciunt per iram & humiles, & mediocres, & magni reges, temperari debuit furor eius, & comprimi, [59] ne mentis impos aliquod inexpiabile facinus admitteret. Deus autem non ad præsens irascitur quia æternus est, perfectæq; virtutis, & nunquam nisi merito irascitur. Sed tamen non ita res se habet. Nam si omnino prohiberet irasci, ipse quodammodo reprehensor opificij sui fuisset, quia à principio iram iecori hominis indidisset, siquidem creditur, causam huius commotionis in humore fellis contineri. Non igitur in totum prohibet irasci, quia is affectus necessariò datus est; sed prohibet in ira permanere. a Ira enim mortalium debet esse mortalis; nam si maneat, confirmantur inimicitiæ ad perniciem sempiternam. Deniq; rursus eum irasci quidem, sed tamen non peccare præcepit. b Non vtiq; euellit iram radicitus, sed temperauit, vt in omni castigatione modum, ac iustitiam teneremus. Qui ergo irasci nos iubet, ipse vtiq; irascitur. Qui placari celerius præcipit, est vtiq; ipse placabilis; siquidem præcipit quæ sunt iusta, & rebus vtilia communibus. Sed quia dixeram, non esse iram Dei temporalem, sicut hominis, qui præsentanea commotione feruescit, [60] nec facile regere se potest propter fragilitatem, intelligere debemus, quia sit æternus Deus, iram quoq; eius in æternum manere: sed rursum, quia virtute sit maxima præditus, in potestate habere iram suam, nec ab ea regi, sed ipsum illam, quemadmodum velit, moderari. quod vtiq; non repugnat superiori. Nam si prorsus immortalis fuisset ira eius, non esset satisfactioni, aut gratiæ post delictum locus, cum ipse homines ante Solis occasum reconciliari iubeat, c Sed ira diuina in æternum manet aduersus eos qui peccant in æternum. Itaq; Deus non thure, non hostia, non pretiosis muneribus, quæ omnia sunt corruptibilia, sed morum emendatione placatur; & qui peccare desinit, iram Dei mortalem facit. Idcirco enim non ad præsens maximum quemque punit, vt habeat homo resipiscendi, & corrigendi sui facultatem.

a Ad Ephes. 4.

b Psal. 4. ad Ephes. 4.

c Ad Ephes. de cap. 4.

CA-

ῥιπῇσι δὲ κατῄξας ἀνέμους, διὰ ζῶντι χά-
λι τήρει;
μοιχείας τὸ φύλασσε, καὶ ἄρσενος ἅπτεσθαι
εὐνήν:
ἰδίαν γένναν παίδων τρέφε, μηδὲ φόνευε:
καὶ γὰρ ὁ ἀθάνατος κεχολώσεται ὅστις ἁμάρ-
τῃ.

CAPVT XXII.

HÆC habui, quæ de ira Dei dicerem Donate chariſſime, vt ſcires, quemadmodum refelleres eos, qui Deum faciunt immobilem. Reſtat, vt more Ciceronis vtamur Epilogo ad perorandum, ſicut ille in Tuſculanis de morte differens fecit. *a* ita nos in hoc opere teſtimonia diuina, quibus credi poſſit, adhibere debemus, vt illorum parſuaſionem reuincamus, qui ſiue ira Deum eſſe credentes, diſſoluunt omnem religionem, ſine qua (vt oſtendimus) aut immanitate belluis, aut ſtultitia pecudibus adæquamur. In ſola enim religione, ideſt in Dei ſummi notione ſapientia eſt. Prophetæ vniuerſi diuino ſpiritu repleti nihil aliud quàm de gratia Dei erga iuſtos, & de ira eius aduerſus impios loquuntur, quorum teſtimonia nobis quidem ſatis ſunt.

a Cic. 1. Tuſcul. quæſt.

61 Verùm ijs quoniam non credunt iſti, qui ſapientiam capillis, & habitu iactant, ratione quoq; & argumentis fuerant à nobis refellendi. Sic enim præpoſterè agitur, vt humana diuinis tribuant authoritatem, cum potius humanis diuina debuerint; quę nunc ſane omittamus, ne nihil apud iſtos agamus, & in infinitum materia procedat. Ea igitur quæramus teſtimonia, quibus illi poſſint aut credere, aut certe non repugnare. Sibyllas multas fuiſſe plurimi, & maximi authores tradiderunt; Græcorum Ariſto Chius, & Apollodorus Erythræus, noſtrorum Varro, & Feneſtella. Hi omnes præcipuam, & nobilem præter cæteras Erythræam fuiſſe cõmemorant. Apollodorus quidem vt de eiui, ac populari ſua gloriatur. Feneſtella verò etiam legatos Erythras à Senatu eſſe miſſos refert, vt huius Sibyllæ carmina Romam deportarentur; & ea Coſſ. Curio, & Octauius in Capitolio, quod tunc erat curante Q. Catulo reſtitutum, ponenda curarent. Apud hanc de ſummo, & conditore rerum Deo huiuſmodi verſus reperiuntur. *b*

ἄφθαρτος κτίστης, αἰώνιος, αἰθέρα ναίων,
τοῖς τ' ἀγαθοῖς ἀγαθὸν προφέρων, πολὺ μείζο-
να μισθὸν,
τοῖς δὲ κακοῖς, ἀδίκοις τε χόλον καὶ θυμὸν
ἐγείρων.

b Sibyll. Erythr. ap. Theophil. ad Autolyc. lib. 2.

Rurſus alio loco enumerans, quibus maximè facinoribus incitetur Deus, hæc retulit. *c*

c In Carm. Sibyll. ſerm. 3. ad fin.

CAPVT XXIII.

VERVM quia plures (vt oſtendi) *a* Sibyllæ à doctiſſimis authoribus fuiſſe traduntur, vnius teſtimonium ſatis non fit ad confirmandam, ſicut intendimus, veritatem. Cumeæ quidem volumina, quibus Romanorum fata conſcripta ſunt in arcanis habentur: cæterarum tamen ferè omnium libelli, quo minus in vſu ſint omnibus non vetantur. Ex quibus alia denuncians vniuerſis gentibus iram Dei ob impietatem hominum, hoc modo exorſa eſt. *b*

a Cap. antec. & 1. Inſtit. cap. 6.

ἐρχομένης ὀργῆς μεγάλης ἐπὶ κόσμον ἀπειθῆ
ἔσχατον εἰς αἰῶνα θεοῦ μηνύματα φαίνω,
πᾶσι προφητεύουσα κατὰ πόλιν ἀνθρώποισι.

b In Carm. Sibyll. ſerm. 8. in princ.

Alia quoq; per indignationem Dei aduerſus iniuſtos cataclyſmum priore ſeculo factum eſſe dixit, *c* vt malitia generis humani extingueretur.

c In Carm. Sibyll. ſerm. 4. ſub initiũ.

ἐξ οὗ μηνίσαντος ἐπουρανίοιο θεοῖο 62
αὐταῖσιν πολίεσσι, καὶ ἀνθρώποισιν ἅπασιν
γῆν ἐκάλυψε θάλασσα κατακλυσμοῖο ῥαγέντος.

Simili modo deflagrationem poſtea futuram vaticinata eſt, *d* qua rurſus impietas hominum deleatur.

d In Carm. Sibyll. ſerm. 4. ad fin.

καὶ ποτε τὴν ὀργὴν θεὸν οὐκ ἔτι πραΰνοντα,
ἀλλ' ἐμβρίθοντα, καὶ ἐξολέοντά τε γένναν
ἀνθρώπων ἅπασαν ὑπ' ἐμπρησμοῦ πέρθοντα.

Vnde apud Naſonem de Ioue ita dicitur. *e*

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tem-
pus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia Cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

e Ouid. 1. Metamor.

Quod tunc fiat neceſſe eſt, cum honor & cultus Dei ſummi apud homines interierit. Eadem tamen placari eum pœnitentia factorum, & ſui emendatione conteſtans hæc addidit. *f*

f In Carm. Sibyll. eod. ſer. 4. ibid.

ἀλλ' ὅταν μετάθησθε βροτοὶ δὲ, μηδὲ πρὸς 63
ὀργὴν
πάντεσιν ἀγάγητε θεὸν μέγαν ——

Item paulo poſt. *g*

g In Carm. Sibyll. ſerm. 4. ibid.

οὐκ ὀλέσει, πάντα δὲ πάλιν χόλον, ὥστ᾽ ἂν ἅπαντες
συντριβέειν περὶ θυμῷ ἐνὶ φρεσὶν ἀσπάσιοντο.

Deinde alia Sibylla cœlestium, terrenorumquè genitorem diligi oportere denuntiat, a ne ad perdendos homines indignatio eius insurgat.

a In carm. Sibyll. serm. 5. non ita procul à fin.

μήποτε θυμωθεὶς θεὸς ἄφθιτος ἐξαπολέσσῃ
πᾶν γένος ἀνθρώπων βίοτον, καὶ φῦλον ἀναιδές.
δεῖ στέργειν γενετῆρα θεὸν σοφὸν ἀεὶν ἐόντα.

Ex his apparet vanas esse rationes Philosophorum, qui Deum putant sine ira: & inter cæteras laudes eius [64] id ponunt, quod est inutilissimum, detrahentes ei, quod est rebus humanis maximè salutare, per quod constat ipsa maiestas. Regnum hoc, imperiumque terrenum nisi metus custodiat, soluitur. Aufer iram Regi non modo nemo parebit, sed etiam de fastigio præcipitabitur. Immo verò cuilibet humili eripe hunc affectum, quis eum non spoliabit? quis non deridebit? quis non afficiet iniuria? Ita nec indumenta, nec sedem, nec victum poterit habere, alijs quicquid habebit diripientibus; ne dum putemus cælestis imperij maiestatem sine ira, & metu posse consistere. Apollo Milesius dè Iudæorum religione consultus, responso hoc indidit.

64

ὃ δὲ θεὸν βασιλῆα, καὶ γεννητῆρα πρὸ πάντων,
ὃν τρέμεται καὶ γαῖα, καὶ οὐρανός, ἠδὲ θάλασσα,
ταρτάρεοί τε μυχοί, καὶ δαίμονες ἐκφρίττουσιν.

Si tam lenis est, quàm Philosophi volunt, quo modo ad nutum eius non modo dæmones, & ministri tantæ potestatis, sed etiam Cœlum, & Terra, & rerum natura omnis contremiscit? Si enim nullus alteri seruit nisi coactus; omne igitur imperium metu constat; metus autem per iram. Nam si non moueatur quis aduersus parere nolentem, nec cogi poterit ad obsequium. Consulat vnusquisque affectus suos, iam intelliget neminem posse sine ira, & castigatione imperio subiugari. Vbi ergo ira non fuerit, imperium quoque non erit. Deus autem habet imperium, ergo & iram, qua constat imperium, habeat necesse est.

CAPVT XXIV.


QVA propter nemo vaniloquentia Philosophorum inductus ad contemptum se Dei erudiat, quod est maximum nefas. Debemus hunc omnes amare, quod Pater est, & vereri, quòd Dominus, & honorificare, quòd beneficus, & metuere, quòd seuerus. Vtraque persona in eo venerabilis. Quis salua pietate non diligat animæ suæ parentem? aut quis impune contemnat eum, qui rerum dominator habeat in omnes veram, & æternam potestatem? Si patrem consideres, ortum nobis ad lucem, qua fruimur, subministrat; per illum viuimus; per illum in hospitium huius mundi intrauimus. Si Deum cogites, ille nos innumerabilibus copijs alit, ille sustentat; in huius domo habitamus, huius familia sumus & si minus obsequens, quam decebat, minusq; officiosa, quam domini, & parentis immortalia merita poscebant: tamen plurimum proficit ad veniam consequendam, si cultum eius, notionemq; teneamus, si abiectis humilibus, terrenisq; tam rebus, quam bonis, cœlestia, & diuina sempiterna meditemur. Quod vt facere possimus, Deus nobis sequendus est, Deus adorandus, [65] & diligendus, quoniam 65
in eo est materia rerum, & ratio virtutum, & fons bonorum. Quid enim Deo aut potentia maius est, aut ratione perfectius, aut charitate luculentius? Qui quoniam nos ad sapientiam genuit, ad iustitiam procreauit, non est fas hominem relicto Deo sensus, ac vitæ datore terrenis, fragilibusq; famulari, aut quærendis temporalibus bonis inhærentem ab innocentia, & pietate discedere. Non faciunt beatum vitiosæ, ac mortiferæ voluptates, non opulentia libidinum incitatrix, non inanis ambitio, non caduci honores, quibus illaqueatus animus humanus, & corpori mancipatus æterna morte damnatur; sed innocentia sola, sola iustitia, cuius legitima, & digna merces est immortalitas, quam statuit a principio Deus Sanctis, & incorruptis mentibus, quæ se à vitijs, & ab omni labe terrena integras, inuiolatasq; conseruant. Huius præmij cœlestis, ac sem-

ſempiterni participes eſſe non poſſunt, qui fraudibus, rapinis, circunſcriptionibus conſcientiam ſuam polluerunt, quique iniurijs hominum, nefarijs commiſſi inclui- biles ſibi maculas inuſſerunt. Proinde vniuerſos oportet, qui ſapientes, qui homines merito dici volunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia deſpicere, vt poſſint cum Deo beatiſſima neceſſitudine copulari. Auferatur impietas; diſcordiæ, diſſenſioneſque turbulentæ, ac peſtiferæ ſopiantur, quibus humanæ ſocietates, & publici fœderis diuina coniunctio rumpitur, dirimitur, diſſipatur. Quantum poſſumus boni, ac benefici eſſe meditemur. Si quid nobis opum, ſi quid ſuppetit copiarum, id non voluptati vnius, ſed multorum ſaluti impartiatur. Voluptas enim tam mortalis eſt, quam corpus, cui exhibet miniſterium: iuſtitia verò, & beneficentia tam immortales, quam mens, & anima, quæ bonis operibus ſimilitudinem Dei aſſequitur. Sit nobis Deus non in templis, ſed in corde noſtro conſecratus. Deſtructibilia ſunt omnia, quæ manu fiunt: mundemus hoc templum, quod non fumo, non puluere, ſed malis cogitationibus ſurdidatur, quod non cereis ardentibus, ſed claritate, ac luce ſapientiæ illuminatur. In quo ſi Deum ſemper crediderimus eſſe præſentem, cuius diuinitati ſecreta mentis patent, ita viuemus, vt & propitium ſemper habeamus, & nunquam vereamur iratum.

Libri de Ira Dei finis.



LV-



LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI DE OPIFICIO DEI, VEL DE FORMATIONE HOMINIS. AD DEMETRIANVM LIBER.

CAPVT PRIMVM.



VA'M minime sim quietus, & in summis necessitatibus ex hoc libello poteris existimare, quem ad te rudibus penè verbis, pro vt ingenij mediocritas tulit, Demetriane perscripsi, vt & quotidianum studium meum nosses, & non deessem tibi præceptor etiam nunc, sed honestioris rei, meliorisq; doctrinæ. Nam si te in literis nihil aliud, quàm linguam instruentibus auditorem satis strenuum præbuisti, quanto magis in his veris, & ad vitam pertinentibus docilior esse debebis? apud quem nunc profiteor nulla me necessitate vel rei, vel temporis impediri, quo minus aliquid excudam, quo Philosophi nostræ sectæ, quam tuemur, instructiores, doctioresq; in posterum fiant, quamuis nunc malè audiant, castigenturq; vulgo, quòd aliter quam sapientibus conuenit, viuant, & vitia sub obtentu nominis cælent, quibus aut mederi oportuit, aut ea prorsus effugere, vt beatum, atq; incorruptum sapientiæ nomen vita ipsa cum præceptis congruente præstarent. Ego tamen, vt nos ipsos simul, & cæteros instruam, nullum laborem recuso. Neq; enim possum obliuisci mei, tum præsertim, cum maximè opus sit meminisse; sic ne tu quidem tui, vt spero, & opto. Nam licet te publicæ rei necessitas à veris, & iustis operibus auertat, tamen fieri non potest, quin subinde in cœlum aspiciat

——— *mens sibi conscia recti*. a

Ego quidem lætor, omnia tibi, quæ pro bonis habentur, prosperè fluere, sed ita, si nihil de statu mentis immutent. Vereor enim, ne paulatim consuetudo, vel iucunditas earum rerum (sicuti fieri solet) in animum tuum sensim repat. Idcoq; te

——— *repetens iterumq; iterumq; monebo*, b

ne oblectamenta ista terræ pro magnis, aut veris bonis habere te credas, quæ sunt non tantum fallacia, quia dubia, verum etiam insidiosa, quia dulcia. Nam & ille colluctator, & aduersarius noster scis quàm sit astutus, & idem sæpe violentus, sicuti

a Virg. ad fin. 1. Æneid.

b Virg. ad fin. 1. Æneid.

sicuti nunc videmus. Is hæc omnia, quæ illicere possunt, pro laqueis habet, & quidem tam subtilibus, vt oculos mentis effugiant, nec possint hominis prouisione vitari. Summa ergo prudentia est pedetentim incedere; quoniam vtrobiq; saluti insidet, & offensacula pedibus latenter opponit. Itaq; res tuas proprias, in quibus nunc agis, suadeo, vt pro tua virtute aut contemnas, si potes, aut non magnopere mireris. Memento & veri parentis tui, & in qua ciuitate nomen dederis, & cuius ordinis fueris. Intelligis profectò quid loquar. Nec enim te superbiæ arguo, cuius in te ne suspicio quidem vlla est; sed ea, quæ dico, ad mentem referenda sunt, non ad corpus. cuius omnis ratio ideo comparata est, vt animo tanquam domino seruiat, & regatur nutu eius. Vas est enim quodammodo fictile, quo animus, idest homo ipse verus continetur, & quidem non à Prometheo fictum (vt Poetæ loquuntur a) sed à summo illo rerum conditore, ac artifice Deo; cuius diuinam prouidentiam, perfectissimamq; virtutem nec sensu comprehendere, nec verbo enarrare possibile est. Tentabo tamen, quoniam corporis, & animi facta mentio est, vtriusq; rationem, quantum pusillitas intelligentiæ meæ peruidet, explicare. Quod officium hac de causa maximè suscipiendum puto, quod M. Tullius vir ingenij singularis in quarto de Republica libro, cum id facere tentasset, nihil prorsus fecit, & materiam latè patentem angustis finibus terminauit, leuiter summa quæq; decerpens. Ac ne vlla esset excusatio, cur eum locum non fuerit executus, ipse testatus est nec voluntatem sibi defuisse, nec curam. [IN libro enim de legibus primo, cum hoc idem summatim stringeret sic ait. Hunc locum satis (vt mihi videtur) in ijs libris, quos legistis, expressit Scipio.] Postea tamen in libro de Natura Deorum secundo hoc idem latius exequi conatus est. Sed quoniam nec ibi quidem satis expressit, aggrediar hoc munus, & summam mihi audacter explicandum, quod homo disertissimus penè omisit intactum. Forsitan reprehendas, quòd in rebus ob-
1 scuris coner aliquid disputare, ' cum videas, tanta temeritate homines extitisse, qui vulgo Philosophi nominantur, vt ea, quæ abstrusa prorsus, atq; abdita Deus esse voluit, scrutarentur, ac naturam rerum cælestium, terrenarumq; conquirerent, quæ a nobis longè remotæ neq; oculis contrectari, neq; tangi manu, neq; percipi sensibus possunt. Et tamen de illarum omnium ratione sic disputant, vt ea, quæ afferunt, probata & cognita videri velint. Quid est tandem, cur nobis inuidiosum quisquam putet, si rationem corporis nostri inspicere, & contemplari velimus? Quæ planè obscura non est, quia ex ipsis membrorum officijs, & vsibus partium singularum quanta vi prouidentiæ quidq; factum sit, intelligere nobis licet.

a *Ovid. initio Meta. Hor. 1. Car. ode 16. Propert. 3. Eleg. 3.*

CAPVT II.

DEDIT enim homini artifex ille noster, ac parens Deus sensum, atq; rationem, vt ex eo appareret, nos ab eo esse generatos, quia ipse intelligentia, ipse sensus, ac ratio est. Cæteris animantibus, quoniam rationalem istam vitam non attribuit, ' quemadmodum ta- 2
men vita eorum tutior esset ante prouidit. Omnes enim suis ex se pellibus texit, quo facilius possent vim pruinam, ac frigora sustinere. Singulis autem generibus ad propulsandos impetus externos sua propria munimenta constituit, vt aut naturalibus telis repugnent fortioribus, aut quæ sunt imbecilliora subtrahant se periculis pernicitate fugendi, aut quæ simul & viribus, & celeritate indigent, astu se protegant, aut latibulis sepiant. Itaque alia eorum vel plumis leuibus in sublime suspensa sunt, vel suffulta vngulis, vel instructa cornibus. quibusdam in ore arma sunt dentes, aut in pedibus adunci vngues; nulliq; munimentum ad tutelam sui deest. Si qua verò in prædam maioribus cedunt, ne tamen stirps eorum funditus interiret, aut in ea sunt relegata regione, vbi maiora esse non possunt, aut acceperunt vberem generandi fœcunditatem, vt & bestijs, quæ sanguine aluntur, victus suppeteret ex illis, & illatam tamen cladem ad conseruationem generis multitudo ipsa superaret. Hominem autem, ratione concessa, & virtute sentiendi, atq; eloquendi data, eorum, quæ cæteris animalibus attributa sunt, fecit expertem,

tem, quia sapientia reddere poterat, quæ illi naturæ conditio denegasset. Statuit nudum, & inermem, quia & ingenio poterat armari, & ratione vestiri. Ea verò ipsa, quæ mutis data, & homini denegata sunt, quam mirabiliter homini ad pulchritudinem faciant, exprimi non potest. Nam si homini ferinos dentes, aut cornua, aut vngues, aut vngulas, aut caudam, aut varij coloris pilos addidisset, quis non sentit, quàm turpe animal esset futurum? Sicut muta, si nuda, & inerma fingerentur; quibus si detrahas vel naturalem sui corporis vestem, vel ea, quibus ex se armantur, nec speciosa poterunt esse, nec tuta; vt mirabiliter, si vtilitatem cogites, instructa, si speciem, ornata videantur. adeo miro modo consentit vtilitas cum decore. Hominem verò, quoniam æternum animal, atq; immortale fingebat, non forinsecus, vt cætera, sed interius armauit; nec munimentum eius in corpore, sed in animo posuit; quoniam superuacuum fuit, cum illi quod erat maximũ tribuisset, corporalibus eum tegere munimentis, cum præsertim pulchritudinem humani corporis impedirent.

CAPVT III.

VNDE ego Philosophorum, qui Epicurum sequuntur, amentiam soleo mirari, qui naturæ opera reprehendunt, vt ostendant, nulla prouidentia instructum esse, ac regi mundum; sed originem rerum insecabilibus, ac solidis corporibus assignant, quorum fortuitis concursionibus vniuersa nascuntur, & nata sunt. Præterea quæ ad ipsum mundum pertinentia vitio dant: in quo ridiculè insaniunt: id sumo, quod ad rem, de qua nunc agimus, pertinet. Queruntur, hominem nimis imbecillum, & fragilem nasci, quàm cætera animalia nascuntur, quę vt sunt edita ex vtero, protinus in pedes suos erigi, & gestire discursibus, statimq; aeri tolerando idonea esse, quòd in lucem naturalibus indumentis munita processerint; hominem contrà, nudum, & inermem tanquam ex naufragio in huius vitæ miserias proijci, & expelli, qui neq; mouere se loco, vbi effusus est, possit, nec alimentum lactis appetere, nec iniuriã temporis ferre. Itaq; naturam non matrem esse humani generis, sed nouercam, quæ cum mutis tam liberaliter se gesserit, hominem verò sic effuderit, vt inops, & infirmus, & omni auxilio indigens nihil aliud possit, quàm fragilitatis suæ conditionem plorare, ac fletibus suis ominari, scilicet.

Cui tantum in vita restet transire malorum. a a Lucret. 5. de nat. rer.

Quæ cum dicunt, vehementer sapere creduntur, propterea quòd vnusquisq; inconsideratè suæ conditioni ingratus est. Ego verò illos nunquam magis desipere contendo, quàm cum hæc loquuntur. Considerans enim conditionem rerum intelligo, nihil fieri aliter debuisse, quàm factum est, vt non dicam potuisse, quia Deus potest omnia: sed necesse est, vt prouidentissima illa maiestas id effecerit, quod erat melius, & rectius. Libet igitur interrogare istos diuinorum operum reprehensores, quid in homine deesse, quia imbecillior nascitur, credant. Num iccirco minus educentur homines? num minus ad summum robur ætatis proueh antur? num imbecillitas, aut incrementum impediat, aut salutem? quoniam quæ desunt ratio deprehendit. At hominis (inquiunt) educatio maximis laboribus constat. Pecudum scilicet conditio melior, quod hæ omnes, cum fœtum ediderint non nisi pastus sui curam gerunt; ex quo efficitur, vt vberibus sua sponte distentis, alimentum lactis fœtibus ministretur, & id cogente natura sine matrum sollicitudine appetant. Quid aues? quarum ratio diuersa est. Nonne maximos suscipiunt in educando labores, vt interdum aliquid humanæ intelligentiæ habere videantur? Nidos enim aut luto ædificant, aut virgultis, & frondibus construunt, & ciborum expertes in cubant ouis; & quoniam fœtus de suis corporibus alere datum non est, cibos conuehunt, & totos dies in huiusmodi discursione consumunt; noctibus verò defendunt, fouent, protegunt. Quid amplius facere homines possunt? nisi hoc solum fortasse, quod non expellunt adultos, sed perpetua necessitudine, ac vinculo charitatis adiunctos habent. Quid, quòd auium fœtus multo fragilior est, quàm hominis? quia non ipsum animal edunt, sed quoq; materni corporis fotu, & calore tepefactum, animal efficiat, quod tamen cum spiritu fuerit animatum.

Id verò implume, ac tenerum non modo volandi, sed ambulandi quoq; vsu caret. Num ergo ineptissimus sit, si quis putet, malè cum volucribus egisse naturam, primum quòd bis nascuntur, deinde quòd tam infirmæ, vt sint quæsitis per laborem cibis à parentibus nutriendæ? Sed illi fortiora eligunt, imbecilliora prætereunt. Quæro igitur ab ijs, qui conditionem pecudum suæ præferunt, quid eligant, si Deus ijs deferat optionem, vtrum malint, humanamne sapientiam cum imbecillitate, an pecudum firmitatem cum illarum natura? Quid optant? quid eligunt? Scilicet non tam pecudes sunt, vt non malint vel fragiliorem multo, quàm nunc est, dummodo humanam, quam illam irrationabilem firmitatem. Sed videlicet prudentes viri neq; hominis rationem volunt cum fragilitate, neq; mutorum firmitatem sine ratione, qua re nihil est tam repugnans, tamq; contrarium; quòd vnumquodq; animal aut ratio instruat necesse est, aut conditio naturæ. Si naturalibus munimentis instruatur, supervacua ratio est: quid enim excogitabit, quid faciet, aut quid molietur? aut in quo lumen illud ingenij ostendet, cum ea, quæ possunt esse rationis, vltro natura concedat? Si autem ratione sit præditum, quid opus erit sepimentis corporis, cum semel concessa ratio naturæ munus possit implere? quæ quidem tantum valet ad ornandum, tuendumq; hominem, vt nihil potuerit maius, ac melius à Deo dari. Deniq; cum & corporis non magni homo, & exiguarum virium, & valetudinis sit infirmæ, tamen quoniam id, quod est maius, accepit, & instructior est cæteris animalibus, & ornatior. Nam cum fragilis, imbecillisq; nascatur, tamen & a mutis omnibus tutus est, & ea omnia, quæ firmiora nascuntur, etiam si vim cœli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt. Ita fit, vt plus homini conferat ratio, quàm natura mutis, quoniam in illis nec magnitudo virium, neq; firmitas corporis efficere potest, quo minus aut opprimantur a nobis, aut nostræ subiecta sint potestati. Potestne igitur ali-
6 quis, cum videt[6] boues, & vaccas, aut equos cum immanissimis corporibus seruire homini, queri de opifice rerum Deo, quòd modicas vires, quòd paruum corpus acceperit? nec beneficia in se diuina pro merito æstimat? quod est ingrati, aut (vt verius loquamur) insani. Melius igitur Plato, vt hos (credo) ingratos refelleret, naturæ gratias egit, quod homo natus esset. quod & ipsum quale sit, non est huius materiæ ponderare. Quanto melius, & sanius, qui sentit, conditionem hominis esse meliorem, quam isti, qui se pecudes natos esse maluerunt: quos si Deus in ea forte conuerterit animalia, quorum sortem præferunt suæ, iam profectò cupiant remigrare, magnisq; clamoribus conditionem pristinam flagitent; quia non est tanti robur, ac firmitas corporis, vt officio linguæ careas, aut auium per aerem libera discursatio, vt manibus indigeas. Plus enim manus præstant, quam leuitas, vsusq; pennarum, plus lingua, quam totius corporis fortitudo. Quæ igitur amentia est ea præferre, quæ si data fuit, accipere detrectes.

CAPVT IV.

7 IIDEM queruntur, hominem morbis, & immaturæ morti esse subiectum. Indignantur videlicet, non Deos se esse natos. Minime (inquiunt) sed ex hoc ostendimus, hominem nulla prouidentia esse factum, quod aliter fieri debuit. Quid si ostendero, idipsum magna ratione prouisum esse, vt morbis vexari possit, & vita sæpe in medio cursus sui spatio rumperetur? Cum enim Deus animal, quod fecerat, sua sponte ad mortem transire cognouisset, vt mortem ipsam, quæ est dissolutio naturæ, capere posset, dedit ei fragilitatem, quæ morti aditum ad dissoluendum animal inueniret. Nam si eius roboris fieret, vt ad eum morbus, & ægritudo adire non posset, ne mors quidem posset, quoniam mors sequela morborum est. Immatura verò mors quo-modo abesset ab eo, cui esset constituta natura? Nempe nullum hominem mori volunt, nisi cum centesimum ætatis compleuerit annum. Quo modo illis in tanta repugnantia rerum ratio poterit constare? Vt enim ante annos centum mori quisq; non possit, aliquod illi roboris, quod sit immortale tribuendum est. Quo concesso, necesse est, conditionem mortis excludi. Id autem ipsum cuius-

cuiusmodi potest esse, quod hominem contra morbos, & ictus extraneos solidum, atq; inexpugnabilem faciat? Cum enim constet ex ossibus, & neruis, & visceribus, & sanguine, quid horum potest esse tam firmum, vt fragilitatem repellat, ac mortem? Vt igitur homo indissolubilis sit ante illud tempus, quod illi putant oportuisse constitui, ex qua ei materia corpus attribuent? Fragilia sunt omnia, quæ videri, ac tangi possunt. Superest, vt aliquid ex cœlo petant, quoniam in terra nihil est, quod non sit infirmum. Cum ergo sic homo formandus esset à Deo, vt mortalis esset aliquando, & per seipsum mobilis semper, res ipsa exigebat, vt terreno, & fragili corpore fingeretur. Necesse est igitur, vt mortem recipiat, quando libet, quoniam corporalis est, corpus enim quodlibet solubile, atq; mortale est. Stultissimi ergo sunt, qui de morte immatura queruntur; quoniam naturæ conditio locum illi facit. Ita consequens erit, vt morbis quoq; subiectus sit. Neq; enim patitur natura, vt abesse possit infirmitas ab eo corpore, quod iccirco non solidum, firmumq; natum est, vt aliquando soluendum sit. Sed putemus fieri posse quemadmodum volunt, vt homo non ea conditione nascatur, qua morbo, mortiue subiectus sit, nisi peracto ætatis suæ spatio ad vltimam processerit senectutem. Non igitur vident, si ita sit constitutum, quid sequatur; hominem vtiq; nisi certo tempore mori nullo modo posse, sed si prohiberi ab altero victu potest, mori poterit. Res igitur exigit, vt homini, qui ante certum diem mori non potest, ciborum alimentis, quia subtrahi possunt, opus non sit. Si opus cibo non erit, iam non homo ille, sed Deus fiet. Ergo (vt superius dixi) qui de fragilitate hominis queruntur, id potissimum queruntur, quod non immortales, & sempiterni sint nati. Nemo nisi senex mori debet. Nempe ideo mori debet, quia Deus non est. Atqui mortalitas non potest cum immortalitate coniungi. Si enim mortalis est in senectute, immortalis esse in adolescentia non potest; nec est ab eo conditio mortis aliena, qui quandoq; moriturus est, nec via immortalitas est, cui sit terminus constitutus. Ita fit, vt & immortalitas excluta in perpetuum, & ad tempus recepta mortalitas hominem constituat in ea conditione, vt sit in qua libet ætate mortalis. Quadrat igitur necessitas vndiq; nec debuisse aliter fieri, nec fas fuisse. Sed isti rationem sequentium non vident, quia semel errauerunt in ipsa summa. Exclusa enim de rebus humanis diuina prouidentia, necessariò sequebatur, vt omnia sua sponte sint nata. Hinc inuenerunt illas minutorum seminum plagas, & concursiones fortuitas, quia rerum originem non videbant. In quas se angustias cum coniecissent, iam cogebat eos necessitas existimare, animas cum corporibus nasci, & item cum corporibus extingui. Assumpserant enim, nihil fieri mente diuina. Quod ipsum non aliter probare poterant, quam si ostenderent, esse aliqua, in quibus videretur prouidentiæ ratio claudicare. Reprehenderunt igitur ea, in quibus vel maximè diuinitas suam prouidentiam mirabiliter expressit, vt illa, quæ retuli, de morbis, & immatura morte; cum debuerint cogitare, his assumptis, quæ necessariò sequerentur. Sequuntur autem illa, quæ dixi. Si morbum non reciperent, neq; tectis neq; vestibus indigerent. quid enim ventos, aut imbres, aut frigora metuerent, quorum vis in eo est, vt morbos afferant? Iccirco enim accepit sapientiam, vt aduersus nocentia fragilitatem suam muniat, sequitur necessariò, vt quoniam retinendæ rationis causa morbos capit, etiam mortem semper accipiat, quia is, ad quem mors non venit, firmus sit necesse est. Infirmitas autem habet in se mortis conditionem; firmitas verò vbi fuerit nec senectus locum potest habere, nec mors, quæ sequitur senectutem. Præterea si mors certæ constituta esset ætati, fieret homo insolentissimus, & humanitate omni careret. Nam ferè iura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu, & conscientia fragilitatis oriuntur. Deniq; imbecilliora, & timidiora quæq; animalia congregantur, vt quoniam viribus tueri se nequeunt, multitudine tueantur. Fortiora verò solitudines appetunt, quoniam robore, viribusq; confidunt. 8 Homo quoq; si eodem modo haberet ad propulsanda pericula suppetens robur, nec vllius alterius auxilio indigeret, quæ societas esset? quæ reuerentia inter se? quis ordo? quæ ratio? quæ humanitas? aut quid esset deterius homine? quid efferatius? quid immanius?

nius? Sed quoniam imbecillis est, nec per se potest sine homine viuere, societatem appetit, vt vita communis & ornatior fiat, & tutior. Vides igitur omnem hominis rationem in eo vel maximè stare, quod nudus, fragilisque nascitur, quod morbis afficitur, quòd immatura morte multatur. Quæ si homini detrahantur, rationem quoq; ac sapientiam detrahi necesse est. Sed nimis diu de rebus apertis disputo, cum fit liquidum, nihil sine prouidentia nec factum esse vnquam, nec fieri potuisse. De cuius operibus vniuersis, si nunc libeat disputare per ordinem, infinita materia est. Sed ego de vno corpore hominis tantum institui dicere; vt in eo diuinæ prouidentiæ potestatem, quanta fuerit, ostendam, his duntaxat in rebus, quæ sunt comprehensibiles, & apertæ. Nam illa, quæ sunt animæ, nec subijci oculis, nec comprehendi queunt. Nunc de ipso vase hominis loquimur, quod videmus.

CAPVT V.

IN principio, cum Deus fingeret animalia, noluit ea in rotundam formæ speciem conglobare atq; colligere, vt & moueri ad ambulandum, & flectere se in quamlibet partem facile possent: sed ex ipsa corporis summa produxit caput. Item produxit membra quædam longius,
9 quæ vocantur pedes, vt alternis motibus solo fixa perducerent animal, quò mens tulisset, aut quò petendi cibi necessitas prouocasset. Ex ipso autem vasculo
10 corporis [10] quatuor fecit extantia, bina posterius, quæ sunt in omnibus pedes. Item bina capiti, & collo proxima, quæ varios animantibus vsus præbent. In pecudibus enim, ac feris sunt pedes posterioribus similes. In homine autem manus, quæ non ad ambulandum,
11 [11] sed ad faciendum, operandumque sunt natæ. Est & tertium genus, in quo priora illa neq; pedes, neq; manus sunt, sed alæ, in quibus pennæ per ordinem fixæ volandi exhibent vsum. Ita vna fictio diuersas species, & vsus habet. Atq; vt ipsam corporis crassitudinem firmiter comprehenderent, maioribus, & breui-
12 bus ossibus inuicem colligatis [12] quasi carinam compegit, quam nos dicimus spinam; eamq; noluit ex vno, perpetuoq; osse formare, [13] ne gradiendi, flectendiq; 13
se facultatem animal non haberet. Ex eius parte quasi media [14] costas, id est transuersa, & plana ossa porrexit in diuersum, 14
quibus clementer curuatis, & in se velut in circulum penè conductis, interna viscera contegantur, vt ea, quæ mollia, & minus valida fieri opus erat, illius solidæ cratis amplexu possent esse munita. In summa verò constructionis eius, quam similem nauis carinæ diximus, [15] caput col- 15
locauit in quo esset regimen totius animantis: datumq; illi hoc nomen est, [16] vt 16
quidem Varro ad Ciceronem scribit, quod hinc capiant initium sensus, ac nerui. Ea verò, quæ diximus de corpore vel ambulandi, vel faciendi, vel volandi causa esse producta, neq; nimium longis propter celerem mobilitatem, neq; nimium breuibus propter firmitatem, sed & paucis; & magnis ossibus constare voluit. Aut enim bina sunt, vt in homine, aut quaterna, vt in quadrupede; quæ tamen non fecit solida, ne in gradiendo pigritia, & grauitas retardaret, sed cauata, & ad vigorem corporis conseruandum medullis intrinsecus plena; eaq; rursus non æqualiter porrecta finiuit, sed summas eorum partes crassioribus nodis conglobauit, vt & substringi neruis facilius, & verti tutius possent; vnde sunt vertibula nominata. Eos nodos firmiter solidatos leni quodam operculo texit, quod dicitur chartilago, scilicet vt sine attritu, & sine sensu doloris aliquo flecterentur. Eosdem tamen non in vnum modum formauit. Alios enim fecit simplices, & in orbem rotundos, in ijs duntaxat articulis, in quibus moueri membra in omnes partes oportebat; vt in scapulis; quoniam manus vtrolibet agitari, & contorqueri necessarium est. alios autem latos, & æquales, & in vnam partem rotundos, & in ijs vtiq; locis, vbi tantummodo curuari membra in omnes partes oportebat; vt in genibus, & in cubitis, & in manibus ipsis. Nam sicut manus ex loco, vnde oriuntur à corpore vbiq; versus moueri speciosum simul, & vtile fuit, sic profectò, si hoc idem etiam cubitis accederet, & superuacuus esset huiusmodi motus, & turpis. Iam enim manus, amissa dignitate, quam nunc habet, mobilitate nimia proboscidi similis

ſimilis videretur, eſſetq; homo planè anguimanus. quod genus in illa immaniſſima bellua mirabiliter effectum eſt. Deus enim qui prouidentiam, & poteſtatem ſuam multarum rerum mirabili varieta-
17 te voluit oſtendere, [17] quoniam caput eius animalis non tam longè porrexerat, vt terram poſſet ore contingere, quod erat futurum horribile, atq; tetrum; & quia os ipſum profuſis dentibus ſic armauerat, vt etiam ſi contingeret, paſcendi tamen facultatem dentes adimerent, produxit inter eos à ſumma fronte molle, ac flexibile membrum, quo prendere, quo tenere quodlibet poſſet, ne rationem victus capiendi vel dentium prominens magnitudo, vel ceruicis breuitas impediret.

CAPVT VI.

NON poſſum hoc loco teneri, quo minus Epicuri ſtultitiam rurſum coarguam. Illius enim ſunt omnia, quæ delirat Lucretius. Qui, vt oſtenderet, animalia non artificio aliquo diuinæ men-
18 tis, ſed (vt ſolet) fortuitò eſſe nata, [18]
a Lucr. lib. dixit, *a* in principio mundi aliaſ quaſdam
5. de nat. innumerabiles animantes miranda ſpe-
rer. cie, & magnitudine fuiſſe natas, ſed eas permanere non potuiſſe, quod illas aut ſumendi cibi facultas aut coeundi, generandiq; ratio defeciſſet. Videlicet vt atomis ſuis locum faceret per infinitum, & inane volitantibus diuinam prouidentiam voluit excludere. Sed cum videret, in omnibus, quæ ſpirant, mirabilem prouidentiæ ineſſe rationem, quæ (malum) vanitas erat dicere, fuiſſe animalia prodigioſa, in quibus naſcendi ratio ceſſaſſet? Quoniam igitur omnia, quæ videmus, cum ratione nata ſunt, id enim ipſum naſci, efficere niſi ratio non poteſt,
19 manifeſtum eſt, [19] nihil omnino rationis expers potuiſſe generari. ante enim prouiſum eſt in ſingulis quibuſq; fingendis quatenus & miniſterio membrorum ad neceſſaria vitæ vteretur, & quatenus adiugatis corporibus elata ſoboles vniuerſas generatim conſeruaret animantes. Nam ſi peritus architectus, cum magnum aliquod ædificium facere conſtituit, primo omnium cogitat, quæ ſumma perfecti ædificij futura ſit, & ante emetitur, quem locum leue pondus expectet, vbi magni operis ſtatura ſit moles, quæ columnarum interualla, qui, aut vbi aquarum cadentium decurſus, & exitus, & receptacula (hæc inquam, prius præuidet; vt quæcunq; ſunt perfecto operi iam neceſſaria, cum ipſis fundamentis pariter ordiatur, cur Deum quiſquam putet machinandis animalibus non ante prouidiſſe, quæ ad viuendum neceſſaria eſſent, quam ipſam vitam daret? quæ vtiq; conſtare non poſſet, niſi prius effecta eſſent, quibus conſtat. Videbat igitur Epicurus in corporibus animalium diuinæ rationis ſolertiam, ſed vt efficeret, quod ante imprudenter aſſumpſerat, adiecit aliud deliramentum ſuperiori congruens. [20] Dixit 20
a enim, neq; oculos ad videndum eſſe *a Lucret. 4.*
natos, neq; aures ad audiendum, neque *de nat rer.*
pedes ad ambulandum, quoniam membra hæc prius nata ſunt quam eſſet vſus videndi, & audiendi, & ambulandi; ſed horum omnia officia ex natis extitiſſe. Vereor, ne huiuſmodi portenta, & ridicula refutare non minus ineptum eſſe videatur. Sed libet ineptire, quoniam cum incepto agimus, ne ſe ille nimis argutum putet. Quid ais Epicure? Non ſunt oculi ad videndum nati. Cur igitur vident? Poſtea (inqnit) vſus eorum apparuit. Videndi ergo cauſa nati ſunt, ſi quidem nihil aliud poſſunt, quam videre. Item membra cætera cuius rei cauſa nata ſint ipſe vſus oſtendit. qui vtiq; nullo modo poſſet exiſtere, niſi eſſent membra omnia tam ordinatè, tam prouidenter effecta, vt vſum poſſent habere. Quid enim ſi dicas, aues non ad volandum eſſe natas, neq; feras ad ſæuiendum, neq; piſces ad natandum, neq; homines ad ſapiendum; cum appareat, ei naturæ, officioq; ſeruire animantes, ad quod eſt quæq; generata? Sed videlicet qui ſummam ipſam veritatis amiſit, ſemper erret neceſſe eſt. Si enim non prouidentia ſed fortuitis atomorum concurſionibus naſcuntur omnia, cur nunquam fortuitò accidit ſic coire illa principia, vt efficerent animal eiuſmodi, quod naribus potius audiret, odoraret oculis, auribus cerneret? Si enim primordia nullum genus poſitionis inexpertum relinquunt, oportuit eiuſmodi quotidie monſtra generari, in quibus membrorum ordo præpoſterus, & vſus longe diuer-

diuersus existeret. Cum verò vniuersa genera, & vniuersa quoq; membra leges suas, & ordines, & vsus sibi attributos tueantur, manifestum est, nihil fortuito esse factum, quoniam diuinæ rationis dispositio perpetua seruatur. Verùm alias refellemus Epicurum; nunc de prouidentia, vt cœpimus, differamus.

CAPVT VII.

21 DEvs igitur solidamenta corporis, [21]
quæ ossa dicuntur, nodata, & ad-
iuncta inuicem neruis alligauit, atq; con-
strinxit; quibus mens, si excurrere, aut
resistere velit tamquam retinaculis vte-
retur, & quidem nullo labore, nulloq;
conatu, sed minimo nutu totius corpo-
ris molem temperaret, ac flecteret. Hæc
autem visceribus operuit, vt quemq; lo-
cum decebat, vt quæ solida essent, con-
22 clusa tegerentur. Item visceribus ipsis [22]
venas admiscuit quasi riuos per corpus
omne diuisos, per quos discurrens humor,
& sanguis vniuersa membra succis vitali-
bus irrigant, & ea viscera formata in
eum modum, qui vnicuiq; generi, ac lo-
co aptus fuit, superiecta pelle contexit;
quam vel sola pulchritudine decorauit, vel
setis adoperuit, vel squamis muniuit, vel
plumis insignibus adornauit. Illud verò
commentum Dei mirabile, quod vna di-
spositio, & vnus habitus innumerabiles
imaginis præferat varietates. Nam in
omnibus ferè, quæ spirant, eadem series
& ordo membrorum est. Primum enim
caput, & huic annexa ceruix. Item col-
lo pectus adiunctum, & ex eo prominen-
tes armi, adhærens pectori venter. Item
ventri subnexa genitalia. Vltimo loco fe-
mora, pedesque. Nec solum membra
suum tenorem, ac situm in omnibus ser-
uant, sed etiam partes membrorum.
Nam in vno capite ipso certam sedè possi-
dent aures, certam oculi, nares item, os
quoque, & in ore dentes, & lingua. Quæ
omnia cum sint eadem in omnibus ani-
mantibus, tamen infinita, & multiplex
diuersitas figurarum est, quòd ea, quæ
dixi, aut productiora, aut contractiora
lineamentis varie differentibus compre-
hensa sunt. Quid illud? nonne diuinum,
quod in tanta viuentium multitudine
vnumquodq; animal in suo genere, &
specie pulcherrimum est? vt si quid vi-
cissim de altero in alterum transferatur,
nihil impeditius ad vtilitatem, nihil defor-
mius ad aspectum videri necesse sit: vt si
elephanto ceruicem prolixam tribuas,
aut camelo breuem, vel si serpentibus pe-
des, aut pilos addas, in quibus porrecti
æqualiter corporis longitudo nihil aliud
exigebat, nisi vt maculis terga distincti,
& squamarum leuitate suffulti in lubricos
tractus sinuosis flexibus laberentur. In
quadrupedibus autem idem artifex con-
textum spinæ à summo capite deductum
longius extra corpus eduxit, & acumi-
nauit in caudā, vt obscœnæ corporis par-
tes vel propter fœditatem tegerentur, vel
propter teneritudinem munirentur; vt
animalia quædam minuta, & nocentia
motu eius arcerentur à corpore. Quod
membrum si detrahas, imperfectum fit
animal, ac debile. Vbi autem ratio, &
manus est, [23] tam non est id necessarium, 23
quàm indumentum pilorum; adeò in suo
quæq; genere aptissimè congruunt, vt
neq; nudo quadrupede, neq; homine te-
cto excogitari quicquam turpius possit.
Sed tamen cum ipsa nuditas hominum
mirè ad pulchritudinem valeat, non ta-
men etiam capiti congruebat. [24] Quanta 24
enim in eo futura deformitas esset ex cal-
uitio apparet. [25] Texit ergo illud pilo: & 25
quia in summo futurum erat, quasi sum-
mum ædificij culmen ornauit. qui orna-
tus non est in orbem coactus, aut in figu-
ram pilei teres factus, ne quibusdam parti-
bus nudis esset informis, sed alicubi effusus,
alicubi retractus pro cuiuiq; loci decentia.
Frons ergo vallata per circuitum, & à tem-
poribus effusi ante aures capilli, & earum
summæ partes in coronæ modum cinctæ,
& occipitium omne contectum, speciem
miri decoris ostentant. [26] Iam barbæ ra- 26
tio incredibile est, quantum conferat vel
ad dignoscendam corporum maturita-
tem, vel ad differentiam sexus, vel ad de-
corem virilitatis, ac roboris; vt videatur
omnino non constatura fuisse totius cor-
poris ratio, si quicquam aliter esset effe-
ctum.



CAPVT VIII.

NVNC rationem totius hominis ostẽ-
dam, singulorumq; membrorum,
quæ in corpore aperta, aut operta sunt,
vtilitates, & habitus explicabo. Cum igi-
tur statuisset Deus, ex omnibus animalibus
solum hominem facere cælestem, cætera
vniuersa terrena, hunc ad Cæli contem-
plationem rigidum erexit, bipedemq; con-
stituit, scilicet, vt eadem spectaret, vnde
illi origo est. Illa verò depressit ad terrã,
vt, quia nulla ijs immortalitatis expecta-
tio est, toto corpore in humum proiecta
ventri, pabuloq; seruirent. Hominis itaq;
solius recta ratio, & sublimis status, &
vultus Deo patri communis, ac proximus
originem suam, fictoremq; testatur. Eius
propè diuina mens, quia non tantum ani-
mantum, quæ sunt in terra, sed etiam sui
corporis est sortita dominatum, in summo
27 capite collocata [27] tanquam in arce subli-
mis speculatur omnia, & consuetur. Hanc
eius aulam Deus non obductam, porre-
ctamq; formauit, vt in mutis animalibus,
28 sed [28] orbi, & globo similem, quòd orbis
rotunditas perfectæ rationis est, ac figuræ.
29 Eo igitur mens, & ignis ille diuinus [29] tan-
quam Cælo tegitur. Cuius cum summum
fastigium naturali veste texisset, priorem
30 partem, quæ dicitur [30] facies, necessarijs
membrorum ministerijs & instruxit pari-
31 ter, & ornauit. [31] Ac primum oculorum
32 orbes concauis foraminibus conclusit; [32] à
quo foratu frontem nominatam Varro
existimauit: & eos neque minus, neq; am-
33 plius, quàm duos esse voluit, [33] quòd ad spe-
ciem nullus est perfectior numerus, quàm
duorum; sicut & aures duas, quarum du-
plicitas incredibile est, quantam pulchri-
tudinem prę se ferat, quòd cũ pars vtraq;
similitudine ornata est, tum vt venientes
altrinsecus voces facilius colligantur. Nã
& forma ipsa mirandum in modum ficta:
34 [34] quòd earũ foramina noluit esse nuda, &
inusepta, quod & minus decorum, & mi-
nus vtile fuisset: quoniam simplicium ca-
uernarum angustias pręteruolare vox pos-
set, & spargi, nisi perceptam per cauos si-
nus, & repercussu retentam foramina ip-
35 sa conueherent illis similia vasculis, [35] qui-
bus impositis solent angustiora vasa com-
pleri. Eas igitur aures (quibus est inditum
nomen à vocibus hauriendis; vnde Vir-
gilius. *a* — *a Virg. 4. Æneid.*
—— *vocemq; his auribus hausi.*
aut quia vocem ipsam Gręci αὐδὴν vocant
ab auditu per immutationem literæ aures
velut audes sunt nominatæ) noluit Deus
artifex mollibus pelliculis informare, ne
pulchritudinem demerent pendulæ, atq;
flaccentes, neque duris, ac solidis ossibus,
ne ad vsum inhabiles essent immobiles, ac
rigentes, sed quod esset horum medium,
excogitauit, vt eas chartilago mollior al-
ligaret, & haberent aptam simul, & fle-
xibilem firmitatem. In his audiendi tan-
tum officium constitutum est, sicut in oc-
culis videndi, [36] quorum præcipuè inexpli- 36
cabilis est, ac mira subtilitas; quia eorum
orbes gemmarum similitudinem præfe-
rentes, ab ea parte, qua videndum fuit,
[37] membranis perlucentibus texit, [38] vt 37 38
imagines rerum contra positarum tanquã
in speculo refulgentes ad sensum intimum
penetrarent. Per eas igitur membranas
[39] sensus ille, qui dicitur mens, [40] ea, 39 40
quæ sunt foris, transpicit; ne forte
existimes aut imaginum incursione
nos cernere (vt Philosophi dixerunt)
quoniam videndi officium in eo debet esse,
quod videt, non in eo, quo d videtur; [41] aut 41
intensione aeris cum acie, [42] aut effusione 42
radiorum, quoniam si ita esset, tardius
quàm oculis aduertimus, videremus, do-
nec intensus aer cum acie, aut effusi radij
ad id, quod videndum esset peruenirent.
Cum autem videamus, eodem momento
temporis; plerunq; verò aliud agentes,
nihilominus tamen vniuersa, quæ contra
sunt posita, intueamur, verius, & mani-
festius est mentem esse, quæ per oculos ea,
quæ sunt opposita, transpiciat [43] quasi 43
per fenestras lucente vitro, aut specula-
ri lapide obductas. Et iccirco mens, &
voluntas ex oculis sæpe dignoscitur.
Quod quidem vt refelleret [44] Lucretius 44
ineptissimo vsus est argumento. Si enim
mens (inquit *b*) per oculos videt, eru- *b Lucret. 3. de nat. rer.*
tis, & effossis oculis magis videret, quo-
niam euulsæ cum postibus fores plus in-
ferunt luminis, quàm si fuerint obductæ.
Nimirum ipsi vel potius Epicuro, qui eum
docuit, effossi oculi erant, ne viderent,
effossos orbes, & ruptas oculorum fibras,

& fluentem per venas sanguinem, & crescentes ex vulneribus carnes, & obductas ad vltimum cicatrices nihil posse lucis admittere; nisi fortè auribus oculos similes nasci volebant, vt non tam oculis, quam foraminibus cernêremus, quo nihil ad speciem fœdius, ad visum inutilius fieri potest. Quantulum enim videre possemus, si mens ab intimis penetralibus capitis per exiguas cauernarum rimulas attenderet: vt si quis vellet transpicere per cicutam, non plus profectò cernat, quam cicutæ ipsius capacitas comprehen-
45 dat. [45] Itaq; ad videndum membris potius
in orbem conglobatis opus fuit, vt visus
46 in latum spargeretur, [46] & quæ in primori facie adhærerent, vt libere possint omnia contueri. Ergo ineffabilis diuinæ prouidentiæ virtus fecit duos simillimos orbes, eosq; ita deuinxit, vt non in totum conuerti, sed moueri tamen, ac flecti cum modo possent. Orbes autem ipsos humoris puri, ac liquidi plenos esse voluit, in quorum media parte scintillæ luminum conclusæ tenerentur, quas pupillas nuncupamus; in quibus puris, ac subtilibus cernendi sensus, ac ratio continetur. Per eos igitur orbes se ipsam mens intendit, vt videat, miraq; ratione in vnum miscetur, & coniungitur amborum luminum visus.

CAPVT IX.

LIBET hoc loco illorum reprehende-
47 re vanitatem, [47] qui dum volunt ostēdere, sensus falsos esse, multa colligunt, in quibus oculi fallantur; inter quæ illud
48 etiam, [48] quòd furiosis, & ebrijs omnia duplicia videantur. Quasi verò eius erroris obscura sit causa. Ideo enim fit, quia duo sunt oculi. Sed quo modo id fiat accipe. Visus oculorum intentione animi constat. Itaq; quoniam mens (vt supra dictum est) oculis tanquam fenestris vtitur, non tantum hoc ebrijs, aut insanis accidit, sed etiam sanis, ac sobrijs. Nam si aliquid propius admoueas, duplex videbitur. certum est enim interuallum, ac spatium, quo acies oculorum coit. Item si retrorsum auoces animum quasi ad cogitandum, & intentionem mentis relaxes, cum acies oculi vtriusq; deducitur, tunc singuli videre incipiunt separatim. Si animum rursus intenderis, aciemq; direxeris, coit in vnū quicquid duplex videbatur. Quid ergo mirum, si mens veneno, ac potentia vini dissoluta dirigere se non potest ad videndum, sicut ne pedes quidem ad ambulandum neruis stupescentibus debiles? aut si vis furoris in cerebrum sæuiens concordiam disiungit oculorum? Quod adeo verum est, vt luscis hominibus, si aut insani, aut ebrij fiant, nullo pacto possit accidere, vt aliquid duplex videant. Quare si ratio apparet, cur illi falluntur, manifestum est, non esse falsos sensus, qui aut non falluntur, si sint puri, & integri, aut si falluntur, mens tamen non fallitur, quæ illorum nouit errorem.

CAPVT X.

SED nos ad Dei opera reuertamur. Vt
igitur oculi munitiores essent ab iniu-
ria, [49] ciliorum tegminibus occuluit, vnde 49
oculos dictos esse Varroni placet. [50] Nam 50
& ipsæ palpebræ, quibus mobilitas inest,
palpitatio vocabulum tribuit, [51] pilis in 51
ordine stantibus vallatæ septum oculis decentissimum præbent. Quarum motus assiduus incomprehensibili celeritate con-
currens [52] & videndi tenorem non impedit, 52
& reficit obtutum. Acies enim, idest membrana illa perlucens, quam siccari, & obarescere non oportet, nisi humore assiduo
tersa purè niteat, obsolescit. [53] Quid ipsa 53
superciliorum fastigia pilis breuibus adornata? Nonne quasi aggeribus, & munimentum oculis, ne quid superne incidat, & speciem simul præstant? Ex quorum
confinio [54] nasus exoriens, & veluti 54
æquali porrectus iugo, vtramque aciem simul & discernit, & munit. In-
ferius quoque [55] genarum non indecens 55
tumor in similitudinem collium leniter exurgens ab omni parte oculos efficit tutiores, prouisumque est ab artifice summo, vt si quis fortè vehementior ictus exciterit, eminentibus repellatur.

Nasi

Nasi verò pars superior vsq; ad medium
solida formata est; inferior autem charti-
lagine adhæret molli, ita vt ad vium digi-
torum possit esse tractabilis. In hoc autem
56 quamuis simplici membro [56] tria sunt offi-
cia constituta; vnum ducendi spiritus, al-
terum capiendi odoris, tertium vt per eius
cauernas purgamenta cerebri defluant.
quas ipse Deus tam mirabili, quàm diuina
ratione molitus est, vt tamen hiatus ipse
nasi oris speciem non deformaret. Quod
erat plane futurum, si vnum, ac simplex
foramen pateret. At id velut pariete per
medium ducto intersepsit, atq; diuisit, fe-
citq; ipsa duplicitate pulcherrimum. Ex
quo intelligitur, quantum dualis numerus
vna, & simpli compage solidatus ad rerum
valeat perfectionem. Nam cum sit cor-
pus vnum, tamen totum ex simplicibus
membris constare non poterat, nisi vt es-
sent partes vel dextræ, vel sinistræ. Itaque
vt pedes duo, & item manus non tantum
ad vtilitatem aliquam, vsumq; vel gradien
di, vel faciendi valent, sed & habitum, de-
coremq; admirabilem conferunt, sic in ca-
pite, quod totius diuini operis quasi cul-
men est & auditus in duas aures, & visus
in duas acies, & odoratio in duas nares à
summo artifice diuisa est, quia cerebrum,
in quo sentiendi ratio est, quamuis sit vnū,
tamen in duas partes membrana interue-
niente discretum est. Sed & cor, quod sa-
pientiæ domicilium videtur, licet sit vnum,
57 [57] duos tamen intrinsecus sinus habet, qui-
bus fontes viui sanguinis continentur, sep-
to intercedente diuisi, vt sicut in ipso mun-
do summa rerum vel de simplici duplex,
vel de duplici simplex & gubernat, & con-
tinet totum, ità in corpore de duobus vni-
uersa compacta indissociabilem pretende-
rent vnitatem. Oris quoq; species, & ri-
ctus ex transuerso patefactus quam vtilis,
quàm decens sit enarrari non potest, cuius
vsus in duobus constat officijs, sumendi vi-
58 ctus, & eloquendi. [58] Lingua intus inclusa,
quę vocem motibus suis in verba discernit,
& est interpres animi. Nec tamèn sola po
test per se loquendi munus implere, nisi acu
men suum palato illiserit, nisi adiuta vel
offensione dentium, vel compressione la-
biorum. Dentes tamen plus conferunt ad
loquendum. Nam & infantes non ante
incipiunt fari, quam dentes habuerint, &
senes amissis dentibus ita balbutiunt, vt ad
infantiam reuoluti denuo esse videantur.
Sed hæc ad hominem solum pertinent, aut
ad aues in quibus acuminata, & vibrata
certis motibus lingua innumerabiles cātu-
um flexiones, & sonorum varios modos
exprimit. Habet præterea & aliud officiū,
quo in omnibus, sed tamen solo in mutis
vtitur, [59] quòd contritos, & commolitos 59
dentibus cibos colligit, & conglobatos vi
sua deprimit, & transmittit ad ventrem.
Itaq; [60] Varro à ligando cibo putat linguæ 60
nomen impositum. Bestias etiā potu adiu-
uat: protenta enim, cauataq; hauriunt
aquam, eamq; comprehensam linguæ si-
nu, ne tarditate, ac mora defluat, ad pa-
latum celeri mobilitate complodunt. Hęc
itaq; palati concauo tanquam testudine
tegitur; [61] eamq; dentium septis Deus quasi 61
muro circumuallauit. Dentes autem ipsos
[62] mirabili modo per ordinem fixos, ne nu- 62
di, ac restricti magis horrori, quàm orna-
mento essent, gingiuis mollibus, quæ à gi-
gnendis dentibus nominantur, [63] ac deinde 63
labiorum tegminibus honestauit. Quorum
durities sicut in molari lapide maior est, &
asperior quàm in cæteris ossibus, [64] vt ad 64
conterendos cibos, pabulumq; sufficerent.
Labra ipsa, quæ quasi antea cohærebant,
quam decenter intercidit, quorum superius
sub ipsa medietate narium lacuna quadam
leui, quasi valle signauit; inferius honesta-
tis gratia foras molliter explicauit. Nam
quod attinet ad saporem capiendum,
[65] fallitur quisquis hunc sensum palato ines- 65
se arbitratur. Lingua est enim, qua sapo-
res sentiuntur, nec tamen tota. Nam par-
tes eius, quæ sunt ab vtroq; latere tenerio-
res, saporem subtilissimis sensibus trahunt.
Et cum neque ex cibo quicquam, neque ex
potione minuatur, tamen inenarrabili mo
do penetrat ad sensum sapor eadem ratio-
ne, [66] qua nihil de quaque materia odoris 66
capio decerpit. Cætera quam decora sint,
vix exprimi potest. Deductum clementer
à genis mentum, & ita inferius conclusum,
vt acumen eius extremum signare videa-
tur leuiter impressa diuisio. Rigidum, ac
teres collum. Scapulæ velut mollibus iugis
à ceruice demissæ. Valida, & substricta
neruis ad fortitudinem brachia. Insigni-
bus toris extantium lacertorum ingens ro-
bur. Vtilis, ac decens flexura cubitorum.
[67] Quid dicam de manibus rationis, ac sa- 67
pientiæ ministris? quas solertissimus arti-

sex plano, ac modicè concauo sinu fictas,
vt, si quid tenendum sit, apte possit inside-
68 re, [68] in digitos terminauit. in quibus dif-
ficile est expedire, vtrumne species, an
vtilitas maior sit. Nam & numerus perfe-
ctus, ac plenus, & ordo, ac gradus decen-
tissimus, & articulorum parium curuatura
69 flexibilis, [69] & forma vnguium rotunda
concauis tegminibus digitorum fastigia
comprehendens, atq; firmans, ne molli-
tudo carnis in tenendo cederet, magnum
præbet ornatum. Illud verò ad vsum mi-
ris modis habile, quòd vnus à cæteris se-
paratus cum ipsa manu oritur, & in diuer-
70 sum [70] manus funditur: qui se velut obuium
cæteris præbens omnem tenendi, facien-
diq; rationem vel solus, vel præcipuè pos-
sidet, tanquam rector omnium, atq; mo-
derator. vnde etiam pollicis nomen acce-
pit, quòd vi, & potestate inter cæteros
polleat. Duos quidem articulos extantes
71 habet, non vt alij trinos; sed vnus [71] ad
manum connectitur pulchritudinis gratia.
Si enim fuisset tribus articulis & ipse discre-
tus, fœda, & indecora species ademisset
72 manibus honestatem. [72] Iam pectoris lati-
tudo sublimis, & exposita oculis mirabi-
lem præ se fert habitus sui dignitatem.
Cuius hæc causa est, quòd videtur homi-
nem solum Deus veluti supinum formasse
(nam ferè nullum aliud animal iacere in
tergum potest) mutas autem animantes
quasi altero latere iacentes finxisse, atque
ad terram compressisse. Iccirco illis angu-
stum pectus, & ab aspectu remotum, &
ad terram versus abiectum; homini autem
patens, & rectum, quia plenum rationis a
cœlo datum humile, atq; indecens esse
73 non debuit. [73] Papillæ quoq; leuiter emi-
nentes, & fuscioribus, ac paruis orbibus
coronatæ nonnihil addunt venustatis, fœ-
minis ad alendos fœtus datæ, maribus ad
solum decus, ne informe pectus, & quasi
mutilum videretur. Huic subdita est pla-
nities ventris, quam mediam ferè vmbili-
cus non indecenti nota signat, ad hoc fa-
74 ctus, [74] vt per eum fœtus, dum est in vtero,
nutriatur.



CAPVT XI.

SEQVITVR necessariò, vt de internis
quoq; visceribus dicere incipiam, qui-
bus non pulchritudo, quia sunt abdita, sed
vtilitas incredibilis attributa est. Quoniam
opus fuerat, vt terrenum hoc corpus suc-
co aliquo de cibis, ac potibus aleretur, si-
cut terra ipsa imbribus, ac pruinis, proui-
dentissimus artifex in medio eius recepta-
culum cibis fecit, quibus concoctis, & li-
quefactis vitales succos membris omnibus
dispertiret. Sed cum homo constet ex cor-
pore, atq; anima, illud, quod supra dixi,
receptaculum soli corpori præstat alimen-
tum; animæ verò aliam sedem dedit. Fe-
cit enim genus quoddam viscerum molle,
atq; rarum, [75] quod pulmonem vocamus, 75
in quod spiritus reciproca vicissitudine
commearet; eumq; non in vteri modum
finxit, ne effunderetur simul spiritus, aut
inflaret simul. [76] ideoq; ne plenum quidem 76
viscus effecit, sed inflabile, atq; aeris ca-
pax, vt paulatim spiritum reciperet, dum
vitalis ventus per illam spargitur rarita-
tem, & eundem rursus paulatim redderet,
dum se ex illo explicat. Ipsa enim vicissi-
tudo flandi, & spirandi, respirandiq; tra-
ctus vitam sustentat in corpore. Quoniam
ergo duo sunt in homine receptacula,
vnum aeris, [77] quod alit animam, alterum 77
ciborum, quod alit corpus, vt flecti ceruix,
ac moueri facile possit, duas esse per col-
lum fistulas necesse est, [78] cibalem, ac spi- 78
ritalem; quarum superior ab ore ad ven-
trem ferat, inferior à naribus ad pulmo-
nem. Quarum ratio, & natura diuersa
est. Ille enim, qui est ab ore transitus,
mollis effectus est, & qui semper clausus co-
hæreat sibi, sicut os ipsum; quoniam po-
tus, & cibus dimota & pateiacta gula,
quia corporales sunt, spatium sibi trans-
meandi faciunt. Spiritus contra, qui est
incorporalis, ac tenuis, quia spatium sibi
facere non poterat, accepit viam paten-
tem, quæ vocatur gurgulio. Is constat ex
ossibus flexuosis, ac mollibus, quasi ex an-
nulis in cicutæ modum inuicem compactis,
& cohærentibus; patetq; semper hic tran-
situs. Nullam enim requiem meandi ha-
bere spiritus potest, quia is, qui semper
cómeat, demissa vtiliter de cerebro mem-
bri

bri portione, cui vua nomen est, velut occursu quodam refrenatur, ne aut teneritudinem domicilij cum impetu veniens attracta pestilenti aura corrumpat, aut totam nocendi violentiam internis receptaculis perferat. Ideoq; etiam nares breui-
79 ter sunt apertæ; [79] quæ iccirco sic nominantur, quia per eas vel odor, vel spiritus
80 nare non desinit, [80] quæ sunt huius fistulæ quasi Ostia. Tamen hæc fistula spiritalis
81 non tantum ad nares, [81] verùm quoq; ad os interpatet in extremis palati regionibus, vbi se colles faucium spectantes vuam tollere incipiunt in tumorem. Cuius rei causa, & ratio non obscura est. loquendi enim facultatem non haberemus, si vt gulæ iter ad os tantum, ita gurgulio ad nares
82 tantum pateret, [82] nec procedens ex eo spiritus efficere vocem sine linguæ ministerio posset. Aperuit igitur viam voci diuina solertia ex illa fistula spiritali, vt posset lingua ministerio suo fungi, & vocis ipsius inoffensum tenorem pulsibus suis in verba concidere. Qui meatus si aliquo modo interceptus sit, mutum faciat necesse est. Errat enim profectò quisquis aliam causam putat, cur homines muti sint. Non enim (vt vulgo creditur) vinctam gerunt linguam, sed ij vocalem illum spiritum
83 per nares [83] quasi mugientes profundunt, quòd voci transitus ad os aut nullus omnino est, aut non sic patens, vt plenam vocem possit emittere. Quod plerunq; natura fit; aliquando etiam casu accidit, vt morbo aliquo hic aditus obseptus vocem non transmittat ad linguam, faciatq; de
84 loquentibus mutos. quod cum acciderit, [84] auditum quoq; obstrui nec sle est, vt qui vocem emittere non potest, ne admittere quidem possit. Loquendi ergo causa patefactus est hic meatus. Illud quoq; præstat, vt in lauacris celebrandis, quia nares calorem ferre non possunt, aer feruens ore ducatur. Item si fortè spiramenta narium frigoris pituita præcluserit, per os auram trahere possimus, ne obstructa meandi facultate spiritus strangulemur. Cibi verò in aluum recepti & cum potus humore permisti, cum iam calore percocti fuerint eorum succus inenarrabili modo per membra diffusus, irrigat vniuersum corpus, &
85 vegetat. [85] Intestinorum quoq; multiplices spiræ, ac longitudo in se conuoluta, & vno tamen substricta vinculo quam mirificum Dei opus est? Nam vbi maceratos ex se cibos aluus emiserit, paulatim per illos internorũ anfractus extruduntur, vt quicquid ipsis inest succi, quo corpus alitur, membris omnibus diuidatur. Et tamen ne qui fortè obhæreant, ac resistant, quod fieri poterat propter ipsorum voluminum flexiones in se sæpe redeuntes, & fieri sine pernicie non poterat, oppleuit ea intrinsecus crassiore succo, vt purgamenta illa ventris ad exitus suos facilius per lubricũ niterentur. Illa quoq; ratio subtilissima est, [86] quòd vesica, [87] cuius vsum volucres 86 87
non habent, cum sint ab intestinis separata, nec vllam habeat fistulam, sic ex illis vrinam trahat, completur tamen, & humore distenditur. Id quo modo fiat non est difficile peruidere. Intestinorum enim partes, quæ ab aluo cibum, potumq; suscipiunt, patentiores sunt, quam cæteræ spiræ, & multo tenuiores. Hæ vesicam circumplectuntur, & continent. ad quas partes cum potus, & cibus mista peruenerint, fimum quidem crassius fit, & transmeat; humor autem omnis per illam teneritudinem percollatur, cumq; vesica, cuius equè tenuis, subtilisq; membrana est, absorbet & colligit, vt foras, quà natura exitum patefacit, emittat.

CAPVT XII.

De vtero quoq; & conceptione, quoniam de internis loquimur, dici necesse est, ne quid præterisse videatur. Quę quanquam in operto latent, sensus tamen, atq; intelligentiam latere non possunt. Vena in maribus, quæ semen continet, duplex est, paulo interior, quàm illud humoris obsceni receptaculum. Sicut enim renes duo sunt, itemq; testes, ita & venæ seminales duæ in vna tantum compage cohærentes: quod videmus in corporibus animalium, cum interfecta patefiunt. Sed ille dexterior masculinum continet semen, sinisterior fœmininum. et omnino in toto corpore pars dextra masculina est, sinistra verò fœminina. Ipsum semen [88] quidam 88
putant ex medullis tantùm, [89] quidam ex 89
omni corpore ad venam genitalem confluere, ibiq; concrescere. Sed hoc humana mens quomodo fiat non potest compre

hendere. Item in fœminis vterus in duas
ſe diuidit partes, quæ in diuerſum diffuiæ,
ac reflexæ circumplicantur, ſicut arietis
cornua. Quæ pars in dextram retorque-
tur maſculina eſt, quæ in ſiniſtram fœmi-
90 91 na. Conceptum igitur [90] Varro, [91] & Ari-
ſtoteles ſic fieri arbitrantur. Aiunt enim,
non tantum maribus ineſſe ſemen, verum
etiam fœminis, & inde plerunque matri-
bus ſimiles procreari; ſed earum ſemen
ſanguine eſſe purgatum: quod ſi recte cum
virili miſtum ſit, vtraq; concreta, & ſimul
92 coagulata informari. [92] Et primum quidē
cor hominis confingi, quòd in eo ſit & vita
93 94 hominis, [93] & ſapientia: [94] deniq; totum
opus quadrageſimo die conſummari. Ex
abortionibus hæc fortaſſe collecta ſunt.
95 [95] In auium tamen fœtibus primum oculos
fingi dubium non eſt, quod in ouis ſæpe de-
prehendimus. Vnde fieri non poſſe arbi-
tror, quin fictio à capite ſumat exordium.
96 [96] Similitudines autem in corporibus filio-
rum ſic fieri putant. Cum ſemina inter ſe
permiſta coaleſcant, ſi virile ſuperauerit,
patri ſimilem prouehi ſiue marem, ſeu fœ-
minam. Si muliebre præualuerit, proge-
niem cuiuſq; ſexus ad imaginem reſponde-
re maternam. Id autem præualet è duo-
bus, quod fuerit vberius. alterum enim
quodammodo amplectitur, ac includit.
Hinc plerunq; fieri ſolet, vt vnius tantum
lineamenta prætendant. Si verò æqua
fuerit ex pari ſemine permiſtio, figuras
quoq; miſceri, vt ſoboles illa communis
aut neutrum referre videatur, quia totum
ex altero non habet, aut vtrunq; quia
partem de ſingulis mutuata eſt. Nam in
corporibus animalium videmus, aut con-
fundi parentum colores, ac fieri tertium
neutri generantium ſimile, aut vtriuſq; ſic
exprimi, vt diſcoloribus membris per om-
97 ne corpus concors miſtura varietur. [97] Di-
ſpares quoq; naturæ hoc modo fieri putā-
tur, cum fortè in læuam vteri partem ma-
ſculinæ ſtirpis ſemen inciderit, marem
quidem gigni opinatio eſt; ſed quia ſit in
fœminina parte cōceptus, aliquid in ſe ha-
bere fœmineum, ſupra quam decus virile
patiatur, vel formam inſignem, vel nimiū
candorem, vel corporis leuitatem, vel ar-
tus delicatos, vel ſtaturam breuem, vel vo
cem gracilem, vel animum imbecillum, vel
ex his plura. Item ſi partem in dextram
ſemen fœminini ſexus influxerit, fœminā
quidem procreari, ſed quoniam in maſcu-
lina parte concepta ſit, habere in ſe aliquid
virilitatis vltra quàm ſexus ratio permit-
tat, aut valida membra, aut immoderatā
longitudinem, aut fuſcum colorem, aut
hiſpidam faciem, aut vultum indecorum,
aut vocem robuſtam, aut animum auda-
cem, aut ex his plura. Si vero maſculinum
in dexteram, fœmininum in ſiniſtram per-
venerit, vtroſq; fœtus recte peruenire, vt
& fœminis per omnia naturæ ſuæ decus
conſtet, & maribus tam mente, quàm
corpore robur virile ſeruetur. Illud verò
ipſum quam mirabile inſtitutum Dei eſt,
quod ad conſeruationem generum ſingu-
lorum duos ſexus, maris, ac fœminæ ma-
chinatus eſt, quibus inter ſe per volupta-
tis illecebras copulatis ſucceſſiua ſoboles
pareretur, ne omne genus viuentium con-
ditio mortalitatis extingueret. Sed plus
roboris maribus attributum eſt, quo faci-
lius ad patientiam iugi maritalis fœminæ
cogerentur. [98] Vir itaq; nominatus eſt, 98
quòd maior in eo vis eſt, quàm in fœmina,
& hinc virtus nomen accepit. Item mulier
(vt Varro interpretatur) à molitie eſt di-
cta, immutata, & detracta litera, velut mol
lier. Cui ſuſcepto fœtu, cum partus ap-
propinquare iam cœpit, turgeſcentes mam
mæ dulcibus ſuccis diſtenduntur, & ad nu-
trimenta naſcentis [99] fontibus lactis fæcun- 99
dum pectus exuberat. Nec enim decebat
aliud, quam vt ſapiens animal à corde ali-
moniam duceret. Idq; ipſum ſolertiſſimè
comparatum eſt, vt candens, ac pinguis hu
mor teneritudinem noui corporis irriga-
ret, donec ad capiendos fortiores cibos &
dentibus inſtruatur, & viribus roboretur.
Sed redeamus ad propoſitum, vt cætera,
quæ ſuperſunt, breuiter explicemus.

CAPVT XIII.

POTERAM nunc ego ipſorum quoq;
genitalium membrorum mirificam
rationem tibi exponere, niſi me pudor ab
huiuſmodi ſermone reuocaret. Itaq; a no-
bis indumento verecundiæ, quæ ſunt pu-
denda velentur. Quod ad hanc rem atti-
net, queri ſatis eſt, homines impios, ac pro-
fanos ſummum nefas admittere, qui diui-
num, & admirabile Dei opus ad propa-
gandam

gandam ſucceſſionem inexcogitabili ra-
tione prouiſum, & effectum vel ad turpiſ-
ſimos quæſtus, vel ad obſcœnæ libidinis
pudenda opera conuertunt, vt iam nihil
aliud ex re ſanctiſſima petant, quàm ina-
nem, & ſterilem voluptatem. Quid reli-
qui corporis partes? num carent ratione,
100 ac pulchritudine? [100] Conglobata in na-
tes caro quàm ſedendi officio apta, & ea-
dem firmior, quam in cæteris membris, ne
premente corporis mole oſſibus cederet.
Item feminum deducta, & latioribus toris
valida longitudo, quo facilius onus corpo-
ris ſuſtineret, quam paulatim deficientem
101 in anguſtum [101] genua determinant,
quorum decentes nodi flexuram pedibus
ad gradiendum, ſedendumq; aptiſſimam
præbent. Item crura non æquali modo du-
cta, ne indecens habitudo deformaret pe-
des; ſed teretibus ſuris clementer extanti-
bus, ſenſimq; tenuatis & firma ſunt, &
102 ornata. [102] In plantis verò eadem quidem,
ſed tamen longe diſpar, quam in manibus
ratio eſt. Quę quoniam totius operis qua-
ſi fundamenta ſunt, mirificus eas artifex nõ
rotunda ſpecie, ne homo ſtare non poſſet,
aut alijs ad ſtandum pedibus indigeret, ſi-
cut quadrupedes, ſed porrectiores, lon-
gioreíq; formauit, vt ſtabile corpus effice-
rent planicie ſua; vnde illis inditum nomen
eſt. Digiti æquè totidem, quot in manibus
103 [103] ſpeciem magis, quàm vſum præferen-
tes; ideoq; & iuncti, & breues, & grada-
tim compoſiti, quorum qui eſt maximus,
quoniam illum ſicut in manu diſcerni à cæ-
teris opus non erat, ita in ordinem radac-
tus eſt, vt tamen ab alijs magnitudine, ac
modico interuallo diſtare videatur. Hæc
eorum ſpecioſa germanitas non leui adiu-
mento nixum pedum firmat. Concitari
enim ad curſum non poſſumus, niſi digitis
in humum preſſis, ſoloq; nitentibus impe-
tum, ſaltumq; capiamus. Explicaſſe
videor omnia, quorum ratio intelligi
poteſt. Nunc ad ea venio, quæ vel dubia,
vel obſcura ſunt.

CAPVT XIV.

MVLTA eſſe conſtat in corpore,
quorum vim, rationemq; perſpi-
cere nemo, niſi qui fecit, poteſt. An ali-
quis enarrare ſe putat poſſe, [104] quid vtili- 104
tatis, quid effectus habeat tenuis membra-
na illa perlucens, quà circumnectitur alu-
us, ac tegitur? Quid renum gemina ſimi-
litudo? quos ait Varro ita dictos, quaſi ri-
ui ab his obſceni humoris oriantur. [105] quod 105
eſt longe ſecus; quia ſpinæ altrinſecus ſu-
pini cohærent, & ſunt ab inteſtinis ſepa-
rati. [106] Quid ſplen? [107] Quid iecur? quæ 106
viſcera quaſi ex conturbato ſanguine vi- 107
dentur eſſe concreta. Quid fellis amariſ-
ſimus liquor? quid globus cordis, [108] qui 108
vnus ſanguinis fons eſt? niſi forte illis cre-
dendum putabimus, qui affectum iracun-
diæ in felle conſtitutum putant, pauoris in
corde, lætitiæ in ſplene. Ipſius autem
iecoris officium volunt eſſe, vt cibos in
aluo concoquat amplexu, & calefactu ſuo:
quidam libidines rerum venerearum in
iecore contineri arbitrantur. Primum
iſta perſpicere acumen humani ſenſus non
poteſt, quia horum officia in operto la-
tent, nec vſus ſuos patefacta demonſtrant.
Nam ſi ita eſſet, fortaſſe placidiora quęq;
animalia vel nihil fellis omnino, vel minus
haberent, quàm feræ, timidiora plus cor-
dis, ſalaciora plus iecoris, laſciuiora plus
ſplenis habuiſſent. Sicuti igitur nos ſenti-
mus audire auribus, oculiſq; cernere, na-
ribus odorare, ita profectò ſentiremus, nos
felle iraſci, iecore cupere, ſplene gaudere.
Cum autem, vnde affectus iſti veniant,
minime ſentiamus, fieri poteſt, vt aliunde
veniant, & aliud viſcera illa, quàm ſuſpi-
camur efficiant. Nec tamen conuincere
poſſumus, falſa illos, qui hæc diſputant,
dicere. Sed omnia, quæ ad motus animi,
animæq; pertineant, tam obſcuræ, altęq;
rationis eſſe arbitror, vt ſupra hominem
ſit, ea liquido peruidere. Id tamen certum,
& indubitatum eſſe debet, tot res, tot vi-
ſcerum genera vnum, & idem habere of-
ficium, ut animam contineant in corpore:
ſed quid propriè muneris ſingulis ſit iniun-
ctum quis ſcire niſi artifex poteſt, cui ſoli
opus ſuum notum eſt.

CAPVT XV.

DE uoce autem quam rationem red-
109 dere possumus? [109] Grammatici quidem, ac Philosophi uocem esse defini-
110 unt, aerem spiritu uerberatum; [110] unde uerba sunt nuncupata. quod perspicuè falsum est: non enim uox extra os gignitur, sed intra. Et ideo uerisimilior est illa sententia, stipatum spiritum, cum obstantia faucium fuerit illisus, sonum uocis ex-
111 primere, [111] ueluti cum in patentem cicutam labroq; subiectam dimittimus spiritum, & is cicutæ concauo repercussus, ac reuolutus à fundo, dum descendentem occursu suo reddit, ad exitum nitens sonum gignit, & in uocalem spiritum resiliens per se uentus animatur. Quod quidem an uerum sit Deus artifex uiderit. Videtur enim non ab ore, sed ab intimo pectore uox oriri. Deniq; & ore clauso, & naribus emittitur sonus qualis potest. Præterea ex maximo spiritu, quo anhelamus, vox non efficitur; & leui, & non coarcto spiritu, quoties volumus, efficitur. Non est igitur comprehensum, quo modo fiat, aut quid sit omnino. Nec me nunc in Academiæ sententiam delabi putes; quia non omnia sunt incomprehensibilia. Vt enim fatendum est, multa nesciri, quæ voluit Deus intelligentiam hominis excedere, sic tamen multa esse, quæ possint & sensibus percipi, & ratione comprehendi. Sed erit nobis contra Philosophos integra disputatio. Conficiamus igitur spatium, quo nunc decurrimus.

CAPVT XVI.

MENTIS quoq; rationem incomprehensibilem esse quis nesciat, nisi qui omnino illam non habet, cum ipsa mens quo loco sit, aut cuiusmodi nescia-
112 tur? [112] Varia ergo a Philosophis de natura eius, ac loco disputata sunt. Ac ego non dissimulabo, quid ipse sentiam; non quia sic esse affirmem (quod est insipientis in re dubia facere) sed vt exposita rei difficultate intelligas, quanta sit diuinorum operum magnitudo. Quidam sedem mentis in pectore esse voluerunt. quod si ita est, quanto tandem miraculo dignum est, rem in obscuro, ac tenebroso habitaculo sitam in tanta rationis, atq; intelligentiæ luce versari? Tum quod ad eam sensus ex omni corporis parte côueniunt, vt in qualibet regione membrorum præsens esse videatur. Alij sedem eius in cerebro esse dixerunt; & sanè argumentis probabilibus vsi sunt; oportuisse scilicet, quod totius corporis regimen haberet, potius in summo tanquam in arce habitare, nec quicquam esse sublimius, quàm id, quod vniuersum ratione moderetur, sicut ipse mundi Dominus, & rector in summo est. Deinde quod sensus omnis, idest audiendi, & videndi, & odorandi ministra membra in capite sint locata, quorum omnium viæ non ad pectus, sed ad cerebrum ferant: alioqui necesse nos esse tardius sentire, donec sentiendi facultas longo itinere per collum ad pectus vsq; descenderet. Hi verò aut non multum, aut fortasse non errant. Videtur enim mens, quæ dominatum corporis tenet in summo capite constituta, tanquam in Cælo Deus: sed quando in aliqua sit cogitatione commerare ad pectus, & quasi ad secretum aliquod penetrale secedere, vt consilium tan quam ex thesauro recondito eliciat, ac proferat. Ideoq; cum intenti ad cogitandum sumus, & cum mens occupata in altum se abdiderit, neque audire quæ circumsonant, neque videre quæ obstant, solemus. Id verò siue ita est, admirandum profectò est, quo modo id fiat, cum ad pectus ex cerebro nullum iter pateat, sin autem non, hoc tamen nihilominus admirandum est, quòd diuina nescio qua ratione fiat, vt ita esse videatur. An potest aliquis non admirari, quod sensus ille
viuus, atq; cælestis, [113] qui mens, vel ani- 113
mus nuncupatur, tantæ mobilitatis est, vt ne tum quidem, cum sopitus est, conquiescat, tantæ celeritatis, vt vno temporis puncto Cælum omne collustret, si velit, maria peruolet, terras & vrbes peragret; omnia deniq; quæ libuerit, quamuis longe, latèq; summota sint, in conspectu sibi ipse constituat? Et miratur aliquis; si diuina mens Dei per vniuersas mundi partes intenta discurrit, & omnia regit, omnia moderatur, vbiq; præsens, vbiq; diffusa? cum tanta sit vis, ac potestas mentis

tis humanæ intra mortale corpus inclusæ, vt ne septis quidem grauis huius, ac pigri corporis, cui illigata est, coerceri vllo pacto possit, quo minus sibi liberam vagandi facultatem quietis impatiens largiatur. Siue igitur in capite mens habitat, siue in pectore, potest ne aliquis comprehendere, quæ vis rationis efficiat, vt sensus ille incomprehensibilis aut in medulla cerebri hæreat, aut in illo sanguine bipartito, qui est inclusus in corde? ac non ex eo ipso colligat, quanta sit Dei potestas, quòd animus se ipsum non videt, aut qualis, aut vbi sit; nec si videat, tamen perspicere possit, quo pacto rei corporali res incorporalis adiuncta sit? Siue etiam mentis locus nullus est, sed per totum corpus sparsa discurrit, quod & fieri potest, & a Xenocrate Platonis discipulo disputatum est; si quidem sensus in qualibet parte corporis præsto est; nec quid sit mens, nec qualis intelligi potest; cum sit natura eius tam subtilis, ac tenuis, vt solidis visceribus infusa viuo, & quasi ardenti sensu membris omnibus misceatur. Illud autem caue, ne vnquam simile veri putaueris, quod Aristoxenus dixit; mentem omnino nullam esse; sed quasi harmoniam in fidibus ex constructione corporis, & compagibus viscerum vim sentiendi existere. Musici enim intentionem, concentumq; neruorum in integros modos sine vlla offensione consonantium harmoniam vocant. Volunt igitur animum simili ratione constare in homine, qua & concors modulatio constat in fidibus; scilicet vt singularum corporis partium firma coniunctio, membrorumq; omnium consentiens in vnum vigor motum illum sensibilem faciat, animumq; concinnet, sicut nerui bene intenti conspirantem sonum. Et sicut in fidibus cum aliquid aut interceptum, aut relaxatum est, omnis canendi ratio turbatur, & soluitur, ita in corpore, cum pars aliqua membrorum duxerit vitium, destrui vniuersa; corruptiiq; omnibus, atq; turbatis, occidere sensum, eamq; mortem vocari. Verum ille, si quicquam mentis habuisset non harmoniam de fidibus ad hominem transtulisset. Non enim canere sua sponte fides possunt, vt sit vlla in ijs comparatio, ac similitudo viuentis. Animus autem sua sponte & cogitat, & mouetur. Quòd si quid in nobis harmoniæ simile esset, ictu moueretur externo, sicut nerui manibus, qui sine tactu artificis, pulsuq; digitorum muti, atq; inertes iacent. Sed nimirum pulsandus ille manu fuit, vt aliquando sentiret; quia mens eius ex membris malè compacta torpebat.

CAPVT XVII.

SVPEREST de anima dicere, quamquam percipi ratio eius, & natura nō possit. Nec ideo tamen immortalem esse animam non intelligimus; quoniam quicquid viget, mouetur q; per se semper, nec videri, aut tangi potest, æternum sit necesse est. Quid autem sit anima, nondum inter Philosophos conuenit, nec vnquam fortasse conueniet. Etenim alij sanguinem esse dixerunt, alij ignem, alij ventum, vnde anima, vel animus nomen accepit, quòd græcè ventus ἄνεμος dicitur; nec illorum tamen quisquam dixisse aliquid videtur. Non enim, si anima sanguine aut per vulnus effuso, aut febrium calore consumpto videtur extingui, continuò in materia sanguinis animæ ratio ponenda est; veluti si veniat in quæstionem, lumen, quo vtimur, quid sit, & respondeatur, oleum esse, quam consumpto illo lumen extinguitur; cum sint vtiq; diuersa, sed alterum sit alterius alimentum. Videtur ergo anima similis esse lumini, quę non ipsa sit sanguis, sed humore sanguinis alitur, vt lumen oleo. Qui autem ignem putauerunt, hoc vsi sunt argumento, quòd præsente anima corpus caleat, recedente frigescat. Sed ignis & sensu indiget, & videtur, & tactu comburit. Anima verò & sensu aucta est, & videri non potest, & non adurit. Vnde apparet, animam nescio quid esse Deo similem. At illi, qui ventum putant esse, hoc falluntur, quòd ex aere spiritum ducentes, viuere videamur. Varro itaq; definit. Anima est aer conceptus ore, deferuefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus. Hæc apertissimè falsa sunt. Neque enim tam obscuram nobis huiusmodi rerū dico esse rationem, vt ne hoc quidem intelligamus, quid verum esse non possit. An si mihi quis dixerit, æneum esse Cælum, aut vitreum, [114]aut 114
(vt Empedocles ait) aerem glaciatum; statum

statim ne assentiar, quia Cælum ex qua materia sit ignorem? Sicut enim hoc nescio, ita illud scio. Anima igitur non est aer ore conceptus, quia multo prius gignitur anima, quam concipi aer ore possit. Non enim post partum insinuatur in corpus, vt quibusdam philosophis videtur, sed post conceptum protinus, cum fœtum in vtero necessitas diuina formauit; quia adeo viuit intra viscera genitricis, vt & incremento augeatur, & crebris pulsibus gestiat emicare. Deniq; abortum fieri necesse est, si fuerit animal intus extinctum. Cæteræ definitionis partes eò spectant, vt illis nouem mensibus, quibus in vtero fuimus, mortui fuisse videamur. Nulla ergo ex his tribus vera sententia est. Nec tamen in tantum falsos esse dicendum est, qui hæc senserunt, vt omnino nihil dixerint. Nam & sanguine simul, & calore, & spiritu viuimus. Sed cum constet anima in corpore his omnibus adunatis, non expresserunt propriè, quid esset, quia tam non potest exprimi, quàm videri.

CAPVT XVIII.

SEQVITVR alia & ipsa inextricabilis quæstio: idemne sit anima, & animus; an verò aliud sit illud quo viuimus, aliud autem, quo sentimus, & sapimus. Non desunt argumenta in vtramq; partem. Qui enim vnum esse dicunt hanc rationem sequuntur, quòd neque viui sine sensu possit, nec sentiri sine vita; ideoq; esse non posse diuersum id, quod non potest separari; sed quicquid est illud & viuendi offi-
115 cium, & sentiendi habere rationem. [115] Idcirco animum, & animam indifferenter
a Lucret. 3. appellat duo Epicurei poetæ. a Qui autem
Horat. Car. dicunt esse diuersa, sic argumentantur; ex
1. od. 3. ser. eo posse intelligi, aliud esse mentem, aliud
2. satyr. 3. esse animam, quia incolumi anima mens
alibi. possit extingui; quod accidere soleat insanis. Item quod anima morte sopiatur, animus somno; & quidem sic, vt non tantum quid fiat, aut vbi sit ignoret, sed etiam rerum falsarum contemplatione fallatur. Quod ipsum quo modo fiat, non potest
116 peruideri; cur fiat, potest. [116] Nam requiescere nullo pacto possumus, nisi mens visionum imaginibus occupata teneatur. Latet autem mens oppressa somno, tanquam ignis obducto cinere sopitus, quem si paulum commoueris, rursus ardescit, & quasi euigilat. Auocatur ergo simulachris, donec membra sopore irrigata vegetentur. Corpus enim vigilante sensu, licet iaceat immobile, tamen non est quietum, quia flagrat in eo sensus, & vibrat, vt flamma, & artus omnes ad se astrictos tenet. Sed postquam mens ad contemplandas imagines ab intentione traducta est, tunc demù corpus omne resoluitur in quietem. Traducitur autem mens cogitatione cæca, cum cogentibus tenebris secum tantummodo esse cœperit; dum intenta est in ea, de quibus cogitat, repente somnus obrepit, & in species proximas sensim ipsa cogitatio declinat. sic ea, quæ sibi ante oculos posuerat, videre quoq; incipit. Deinde procedit vlterius, & sibi auocamenta inuenit, ne saluberrimam quietem corporis interrumpat. Nam vt mens per diem veris visionibus auocatur, ne obdormiat, ita falsis nocte, ne excitetur. Nam si nullas imagines cernat, aut vigilare illam necesse est, aut perpetua morte sopiri. Dormiendi ergo causa tributa est à Deo ratio somniandi, & quidem in commune vniuersis animantibus, sed illud homini præcipue, quòd cum eam rationem Deus quietis causa daret, facultatem sibi reliquit docendi hominem futura per somnium. Nam & historiæ sæpe testantur, extitisse somnia, quorum præsens, & admirabilis fuerit euentus, & responsa vatum nostrorum ex parte somnijs constiterunt. Quare neque semper vera sunt, neque semper falsa Virgilio teste, a qui duas portas vo- a Virg. 6.
luit esse somniorum. Sed quæ falsa sunt, Æneid.
dormiendi causa videntur, [117] quæ vera, 117
immittuntur à Deo, vt imminens bonum, aut malum hac reuelatione discamus.

CAPVT XIX.

ILLVD quoq; in quæstionem venire potest. Vtrumne anima ex patre, an potius ex matre, an verò ex vtroq; generetur. Sed ego id meo iure ab ancipiti vendico. Nihil enim ex his tribus verum
est, [118] quia neq; ex vtroq; neq; ex alteru- 118
tro seruntur animæ. Corpus enim ex corporibus

poribus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex vtroq; ; de animis anima non potest; quia ex re tenui, & incomprehensibili nihil potest decedere. Itaq; serendarũ animarum ratio vni, ac soli Deo subiacet.

Deniq; cælesti sumus omnes semine oriundi,
Omnibus ille idem pater est ———

a Lucret 2. de nat. rer. Vt ait Lucretius. a Nam de mortalibus non potest quicquam nisi mortale generari: nec putari pater debet, qui transfundisse, aut inspirasse animam de suo nullo modo sentit, nec si sentiat, quandò tamen, aut quo modo id fiat, habet animo comprehensum. Ex quo apparet, non à parentibus dari animas, sed ab vno, eodemq; omnium Deo patre, qui legem, rationemq; nascendi tenet solus; si quidem solus efficit. Nam terreni parentis nihil est, nisi vt humorem corporis, in quo est materia nascendi cum sensu voluptatis emittat, vel recipiat: & citra hoc opus homo resistit, nec amplius quicquam potest: & ideo nasci sibi filios optant, quia non ipsi faciunt. Cętera iam Dei sunt omnia, scilicet conceptus ipse, & corporis informatio, & inspiratio animæ, & partus incolumis, & quæcunq; deinceps ad hominem conseruandum valent. Illius munus est, quod spiramus, quod viuimus, quod vigemus. Nam præter quam quòd ipsius beneficio incolumi sumus corpore, & quòd victum nobis ex varijs rebus subministrat, sapientiam quoq; homini tribuit, quam terrenus pater nullo modo dare potest. Ideoq; & de sapientibus stulti, & de stultis sapientes sæpe nascuntur; quod quidam fato, ac sideribus assignant. Sed non est nunc locus de fato disserendi. Hoc dicere satis est; quòd etiamsi astra efficientiam rerum continent, nihilominus omnia à Deo fieri certum est, qui astra ipsa, & fecit, & ordinauit. Inepti ergo, qui hanc potestatem Deo detrahunt, & operi eius attribuunt. Hoc igitur Dei munere cælesti, atq; præclaro an vtamur, in nostra voluit esse potestate. Hoc enim concesso ipsum hominem virtutis sacramento
119 religauit, quo vitã posset adipisci. [119] Dedit ei, & constituit aduersarium nequissimum, & fallacissimum spiritum, cum quo in hac terrestri vita sine vlla securitatis requie dimicaret. Cur autem Deus hunc vexatorem generi hominum constituit breuiter exponam.

CAPVT XX.

ANTE omnia diuersitatem voluit esse; ideoq; vulgo non aperuit veritatem, sed eam paucissimis reuelauit, quæ diuersitas omne arcanum mundi continet. Hæc est enim, quæ faciat virtutem, quæ scilicet sine ipsa non modo non esset, sed ne appareret quidem; quia virtus esse non poterit, nisi fuerit compar aliquis, in quo superando vim suam vel exerceat, vel ostendat. Nam vt victoria constare sine certamine non potest, sic nec virtus quidem ipsa sine hoste. Ita quoniam virtutem dedit homini, statuit ei e contrario inimicum, ne virtus ocio torpens naturam suam perderet. cuius omnis ratio in eo est, vt concussa, & labefactata firmetur; nec aliter ad summum fastigium possit peruenire, nisi trudenti manu semper agitata, se ad salutem suam dimicandi tenore sudauerit. Noluit enim Deus hominem ad immortalem illam beatitudinem delicato itinere peruenire. Daturus ergo virtutem, dedit hostem prius, qui animis hominum cupiditates, & vitia immitteret, qui esset author errorum, malorumq; omnium machinator; vt quoniam Deus ad vitam vocat, ille contra rapiat, & traducat ad mortem. Hic est, qui aut inducit, aut decipit eos, qui veritati student, aut si dolo, & studijs non qui uerit, virilem gerit animũ, quo sublimium vigorem labefactare conetur, infanda dictu, & execrabilia moliens. Vexat, interficit, & tamen vt prosternit multos, sic à multis victus, prostratusq; discedit. Magna est enim vis hominis, magna ratio, magnum sacramentum, a quo si quis non defecerit, nec fidem suam, deuotionemq; prodiderit, hic beatus, hic deniq; (vt breuiter finiam) similis Deo sit necesse est. Errat enim quisquis hominem carne metitur. Nam corpusculum hoc, quo induti sumus, hominis receptaculum
est. [120] Nam ipse homo neq; tangi, neq; 120
aspici, neq; comprehendi potest, quia latet intra hoc, quod videtur. Qui si delicatus magis, ac tener in hac vita fuerit, quam ratio eius exposcit, si virtute contempta desiderijs se carnis addixerit, cadet, & premetur in terram. Sin autem (vt debet) statum suum, quem rectum rectè sortitus

est,

est, prompte, constanterq; defenderit; si terræ, quam calcare, ac vincere debet, non seruierit, vitam merebitur sempiternam.

CAPVT XXI.

HÆc ad te Demetriane interim paucis, & obscuris fortasse, quam decuit, pro rerum, ac temporis necessitate peroraui, quibus contentus esse debeas, plura & meliora laturus, si nobis indulgẽtia cælitus venerit. Tunc ego te ad veræ philosophiæ doctrinam & planius, & verius cohortabor. statui enim quam multa potero literis tradere, quæ ad vitæ beatæ statum spectent; & quidem contra philosophos; quoniam sunt ad perturbandam veritatem perniciosi, & graues. Incredibilis est enim vis eloquentiæ; & argumentandi, differendiq; subtilitas quem vis facile deceperit; quos partim nostris armis, partim verò ex ipsorum inter se concertatione sumptis reuincemus; vt appareat, eos induxisse potius errorem, quam sustulisse. Fortasse mireris, quòd tantum facinus audeam. Patiemurne igitur extingui, aut opprimi veritatem? Ego verò libentius vel sub hoc onere defecerim. Nam si M. Tullius eloquentię ipsius vnicum exemplar ab indoctis, & ineloquentibus, quia tamen pro vero nitebantur, sæpe superatus est, cur desperemus, veritatem ipsam contra fallacem, captiosamq; facundiam sua propria vi, & claritate valituram? Illi quidem se se patronos veritatis profiteri solent. Sed quis potest eam rem defendere, quam non didicit? aut illustrare apud alios, quam ipse non nouit? Magnum videor polliceri: sed cælesti opus est munere, vt nobis facultas, ac tempus ad proposita persequenda tribuatur. Quòd si vita est optanda sapienti, profectò nullam aliam ob causam viuere optauerim, quam vt aliquid efficiam, quod vita dignum sit, & quod vtilitatem legentibus & si non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiæ riuus est, ad viuendum tamen afferat, quod est maximè necessarium. Quo perfecto satis me vixisse arbitrabor, & officium hominis implesse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cœleste direxerit.

Libri de Opificio Dei, & totius Lactantij Operis finis.





IOSEPHI ISAEI CÆSENATIS NOTÆ

IN PRIMVM LIBRVM DIVINARVM INSTIT. LACTANTII FIRMIANI.

CAP. I.

1 N*AM & abiecisse quosdam res familiares suas, &c.*] Fuerunt hi Socrates, Democritus Abderites, de quo & ipse Lactantius lib. 3. c. 23. Anaxagoras Clazomenius, & alij.

2 *Nam quia virtutibus amaritudo permista est, vitia vero voluptate condita sunt, illa offensi, hac deliniti feruntur in praeceps &c.*] Idem ait lib. De Ira Dei c. 19. Hæc autem causa præter alias affertur, cur, cum virtus sit homini secundum naturam, vitium verò contra, vt est apud Senecã lib. de ira 2. c. 13. & Epist. 123. Detrimentum. Et Quintilianus lib. 12. c. vlt. & egregiè demonstrat S. Thom. in p. 2. q. 71. ar. 2. illam tam pauci, hoc tam multi amplectantur; nempe quia licet bonum virtutis sit hominis naturæ consentaneum, secundum partem rationalem, tamen bonum sensibile, quo in vitium pellicimur, etiam ei conuenit secundum partem sensitiuam, quæ rationi aduersatur, quamuis autem portio rationalis sit in homine potissima, nihilominus homo sequitur potius bonum sensus, quàm bonum rationis, quia incipit a bono sensibile cognoscere, & amare bonum rationis. at verò multo plures sunt incipientes, quam consumantes, ideo plures sunt, qui sistunt, & qui sunt in bonis naturæ sensitiuæ, quam qui perueniant ad bona rationis amplectenda eo magis quod valida est illecebra sistendi in illis, & quiescendi, quoniam sunt ab ineunte ætate in vsu, sunt etiam magis nota, nimirum euidenti experientia sensuum, sunt denique magis mouentia, tum ratione promptæ delectationis, tum ratione imminentis oppositi contristantis. Rationis autem bonum, quod est virtus, prouecta ætate percipitur, & parum cognoscitur, & parum mouet, nam tristitiam, atque amaritudinem (vt ait Lactantius) saltem in principio permistam habe.; præmium verò, & voluptatem in futurum promittit, vt ait Arist. 3. de anim. Text. 53. Caietanus d. quon. 71.

3 *Multum tamen nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, &c.*] Fictarum (ait) litium, nã vera-

verarum nunquam patronus fuit, cum ne forum quidem attigerit, vt testatur ipsemet lib. 3 c. 13. Olim autem cum in Græcia, & Romæ floreret eloquentiæ studium, iuuenes percepta Grāmatica ducebantur ad Rhetores, qui Themata illis vel confecta, vel ex historijs petita proponebant, qualia sunt, quæ in Senecæ patris, & Quintiliani Declamationibus, & apud Græcos scriptores etiam num multa reperiuntur; in quibus pueri in scholis se se dictione, ac scriptione exercerent, vt postea serio ad populum, vel Senatum eloqui possent: sed & in vtramq; partem differere, & θέσεις ἀδόξους, idest positiones inopinabiles, & materias infames pertractare consueuerant, de quibus Gell. lib. 17. c. 12. Ita enim ad dicendum de re quacunque prompti, atq; instructi fiebant. Qui igitur hac dicendi ratione in scholis erudiebantur, declamare dicebantur, orationesq; huiusmodi ad forensium actionum similitudinem dictæ Declamationes vocabantur. Vnde S. Hieronymus in quæstionibus ad Damas. ,, Nec aures (inquit) Quintiliani flosculis, & ,, scholari declamatione mulcendæ ,,] de quibus non parum multa apud Quintil. lib. 2. c. 10. & lib. 4. c. 2. Senec. in Prologo Declamationum. Floruit in eo dicendi genere Libanius Sophista ob id sanè quam gratus Iuliano Imperatori, de quo scripsit Eunapius. Item Carneades, de quo meminit idem Lactantius lib. 5. c. 15. Paulus quoq; Tyrius eo nomine tam charus Adriano Imperatori fuit, vt Tyrum eius patriam fieri metropolim ab eodem Imperatore obtinuerit, vt scribit Suidas. Hæ itaque exercitationes erant, quibus paulò supra Lactantius ait, se in professione illa oratoria diu versatū iuuenes olim non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam erudiuisse, multumq; illarum vsum nunc sibi profuturum ad causam veritatis aduersus gentes perorandam.

4 *Nam si quidam maximi Oratores, &c.*] Ipsum fortassis M. Tullium intelligat, qui à forensibus actionibus, & gerenda re publica in philosophiæ studio, tanquam in portu conquieuisse ex ipso nomimus initio Tusculanarum, & lib. pr. Academic. quæst.

5 *Et si quidam prudentes, & arbitri æquitatis Institutiones ciuilis iuris compositas ediderunt, &c.*] Fuerunt hi Caius, Vlpianus, Paulus, Florentinus, Calistratus, Martianus.

6 *Erroresq; turpissimos sopiamus.*] In aliquibus impressis libris post hæc verba subtexitur illa oratio. ,, Quod opus nunc nominis tui auspicio ,, inchoamus Constantine Imperator maxime. ,, Qui primus Romanorum principum repudiatis erroribus maiestatem Dei singularis, ac ve- ,, ri & cognouisti, & honorasti. Nam cum ille ,, dies felicissimus orbi terrarum illuxisset, quo te ,, Deus summus ad beatum Imperij culmen euexit, salutarem vniuersis, & optabilem principatum præclaro initio auspicatus es; cum euersam, sublatamq; iustitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiasti; pro quo facto dabit tibi Deus felicitatem, virtutem, diuturnitatem, vt eadem iustitia, qua iuuenis exorsus es, gubernaculum Rei pub. etiam senex teneas; tuisq; liberis, vt ipse à patre accepisti, tutelam Romani nominis tradas. Nam mali, ,, qui ad huc aduersus iustos in alijs terrarum ,, partibus sæuiunt, quanto serius, tanto vehementius idem omnipotens mercedem sceleris ,, exoluet; quia vt est erga pios indulgentissimus ,, pater, sic aduersus impios rectissimus iudex. ,, Cuius religionem, cultumq; diuinum cupiens ,, defendere, quem potius appellem, quem alloquar, nisi eum, per quem rebus humanis iustitia, & sapientia restituta est?] Hæc oratio Constantinum alloquitur iam palam Christi religionem amplectentem, & impietatem auersantem; quo tempore Licinius Constantini in Imperio consors pacta cum ipso Constātino conuenta de Christiana protegenda religioné contemnens, Ecclesiam Dei per omnem Orientis oram vexabat, Occidens autem Constantini dominatum fortitus summa pace, ac tranquillitate potiebatur. Quamobrem nonnulli grauissimi, & magni nominis viri ex hoc loco sibi tempus deprehendisse visi sunt, quo Lactantius hosce Institutionum suarum libros elucubrarit; putant enim hoc contigisse anno Domini trecentesimo decimo sexto, quo persecutio Licinij vexabat Ecclesiam, & aduersus eum à Constantino expeditio parabatur, atq; in hac præfatione ad Cōstantinum, vt putant, directa vaticinatum fuisse Firmianum cladem illam, ac perditionem Licinij, & Constantini victoriam. Ego verò haud possum, quin cum Thomasio sentiam, loca huiusmodi, quibus vel Constantinus appellatur, vel ad ipsum sermo dirigitur, notha esse, ac supposititia, cum in antiquissimo omnium Sancti Saluatoris Bononiensis Codice, in plerisq; Vaticanis, cæterisq; probatioribus ea deesse animaduerterim. Iam tota hæc oratio non solum ab antiquissimo illo, atq; item ab altero eiusdem Cænobij Codice, sed etiam à septem Vaticanis, ab excussis Florentinis, & ab alijs multis tum MSS. tum impressis abest, & post illa verba (erroresq; turpissimos sopiamus) Continenter legitur. (omissis ergo huius terrenæ philosophiæ authoribus, &c.) Habemus quoque alia Lactantij loca, quæ omnium omnino Codicum authoritate

tate fulta nullam controuersiam, aut ambiguitatem patiuntur, quibus non satis consentiunt, quæ in hac oratione leguntur. Ille quidem lib. 5. c. 2. & 4 cum enunciat, qua causa ad scribendum accesserit, ait, se eo tempore, quo in Bithynia oratorias literas docebat, Templaq; Dei euertebantur, cum duos intellexisset (Porphyrium autem, & Hieroclem intelligit) ibi veritati superbius, atq; importunius insultare, suasq; impietates, & blasphemias aduersus Christianam religionem euomere, illorum superba impietate stimulatum suscepisse id scribendi munus, vt omnibus ingenij sui viribus accusatores iustitiæ refutaret. Templorum autem euersio ex Diocletiani decreto, & Porphyrij trium librorum contra Christum editio in annum Domini trecentesimum secundum incidit. Verùm hoc loco tum demum sibi hoc opus inchoari dicitur, quando in occidente iam malis quiescentibus, in alijs tamen terrarum partibus aduersus iustos sæuiebant; videlicet cum aduersus Licinium à Constantino expeditio pararetur, quæ contigit anno Christi trecentesimo decimo sexto. Quo modo autem simile vero videatur, Lactantium impijs Porphyrij, & Hieroclis disputationibus, vt ipse ait, extimulatum, & merita pro Dei religione ira succensum quatuordecim annos moram traxisse, atq; à calamo temperasse, & non protinus ad scribendum accessisse, seq; ad refutandas illorum impietates primo quoq; tempore contulisse? Illud etiam non parum habet momenti, quòd quo tempore Lactantius Institutiones scribebat, crudelitas Tyrannorum aduersus Christianos per totum orbem terrarum exercebatur; id enim expressis verbis ita testatur lib. 5. c. 11. quæ [bellua] vno loco, &c. & c. 12. eiusdem lib. ecce in eo est errore, &c. lib. 5. c. 12. „ Ecce in eo est errore orbis ipse totus, vt
„ bonos, & iustos viros tanquam malos, & im-
„ pios persequatur, excruciet, damnet, occi-
„ dat. „ & c. 11. eiusdem libri, quæ [bellua] vno
„ loco recubans tamen per totum orbem den-
„ tibus ferreis sæuit, &c. & lib. 6. c. 17. spectatæ
„ sunt enim, semperq; spectantur adhuc per or-
„ bem pœnæ cultorum Dei, in quibus excrucian-
„ dis noua, & inusitata tormenta excogitata
„ sunt, &c.] At tempore Licinianæ persecutionis, quo hæc oratio ad Constantinum directa fingitur, quiescebat ferè per orbem Christiana religio: tantùm in Oriente vexationem aliquã patiebatur, quod & ex hac oratione ostenditur, vbi dicitur. „ Nam malis, qui adhuc ad-
„ uersus iustos in alijs terrarum partibus sæuiunt,
„ quanto serius, tanto vehementius idem om-
„ nipotens mercedem sceleris exsoluet.] Quæ vexatio, cum Occidentem non attigerit, à Seuero non est eiusmodi visa, quæ inter alias Ecclesiæ persecutiones censeretur: sic enim ha-
„ bet lib. 2. histor. „ Sanè tum Licinius, qui ad-
„ uersus Constantinum de imperio certauit, mi-
„ lites eius litare præceperat, abnuentes a mili-
„ tia reijciebat; sed id inter persecutiones non
„ computatur, adeo leuioris negotij fuit, quam
„ vt ad Ecclesiarum vulnera pertineret.] Euse-
„ bius quoq; in Vit. Constantin. lib. 1. Vt (inquit)
„ Imperium Romanum in duas partes diremptũ
„ noctis tenebris, & splendori diei omnibus per-
„ simile videretur; nam ijs, qui Orientem obti-
„ nebant, tanquam noctis caligo offundebatur,
„ illis autem, qui erant alterius partis incolæ,
„ splendor clarissimæ diei illucescebat.] Deniq; Sozomenus lib. 1. c. 2. Per idem tempus Chri-
„ stiani, qui versus Orientem ad Lybes vsq;, qui
„ sunt confines Ægyptijs, habitabant, conuen-
„ tus palam agere propterea non ausi sunt, quòd
„ Licinius beneuolum suum erga illos animum
„ mutauerat: at Græci, Macedones, & Illyrici,
„ qui versus Occidentem suarum rerum domici-
„ lia habebant, Constantini opera, qui illi Im-
„ perij Romani parti præfuit, libero animo, &
„ securo Deum coluerunt.] Permouere idquoq; fortasse quempiam posset, quia si scripsit Arnobius anno Domini trecentesimo secundo, & opus suum quasi fidei suæ vadem properè, ac festinanter edidit vt quamprimum inter fideles admitteretur, vtiq; simillimum vero videtur, opus illud post quatuordecim annos à Lactãtio visum, siquidem scripsisse illum velimus, anno trecentesimo decimo sexto. At verò quid causæ esse potuerit non apparet, cur cùm semel Theopbili, semel atq; iterum Tertulliani, Cypriani, Minutij meminerit, qui omnes Christianorum causam aduersus gentes iam dudum egerant (nam Theopbili quidem meminit in fin. huius lib. 1. Tertulliani lib. 5. cap. 1. & 4. Cypriani eodem cap. 1. & 4. Minutij lib. 1. cap. 11. & lib. 5. cap. 1.) tamen sui ipsius magistrum, qui causa eandem non minus, quam quisquam ipsorum acriter, ac luculenter, sed propius, & recentius multò peregerat, tam alto Arnobium silentio presserit, nisi quia vterq; eodem scribebat tempore, nec dum fortè Lactantius Arnobij libros vidisse poterat. Sed & Sanctus Hieronymus, qui primam librorum Lactantij editionem vidisse potuit (fuit enim ferè illius contemporaneus Hieronymi infantia Lactantij extremos dies, vt credi potest, propemodum attingente) quiq; tam sedulò illius opera recensuit, vt eorum quoq; eorum inscriptam ab illo fuerit dicere non omiserit, simpliciter, & absq; vllius ad quemquã inscriptionis commemora-

memoratione libros Institutionum pertransit, nec vnquam Constantini Imperatoris meminit, cuius tamen professò nomine librorum horum dignitatem, atq; existimationem apud omnes augeri plurimum posse intelligebat. Non meminit Honorius Augusto dunensis, qui eodem modo quingentis fermè ab hinc annis eorundem Lactantij operum Catalogum texuit. Non aliam putamus ob causam, quam quia hi libri ad Constantinum minime fuerint ab authore inscripti, nimirum, vt probauimus, elucubrari cœpti anno trecentesimo secundo, & ideo, vt credere par est, iam perfecti, absoluti, editi antequam Constantinus impietatem palam auerlaretur, & Christianam fidem amplexaretur. Ita igitur sentio non solum Methodium, & Arnobium eodem tempore, quo editi sunt à Porphyrio Commentarij illi blasphemi aduersus Christum, nempe anno trecentesimo secundo, sed etiam Lactantium nostrum sacrilegas Ethnicorum impietates aduersis scriptis refutare aggressum, atq; hanc orationem, quę tot rationibus exploditur, notham, & supposititiam esse; neque sustineri posse, vt censebat Thomasius, quòd fieri potuerit, vt Lactantius ante tempora Cõstantini scripserit hos libros, sed eos Constantini tempore ediderit; non enim hic edidisse illum dicitur, sed nominis eius auspicio tunc temporis inchoasse.

CAP. III.

7 TAntarum] Hæc dictio non magnitudinẽ, sed multitudinem hoc loco significat, vt fiat antithesis ad illud [vna] ita Gręcis τοσοῦτος promiscuè significat, tot, & tantus: hanc dictionem in eadem significatione accipi apud Iurisconsultos annotauit Antonius Augustinus lib. 2. Emendat. cap. p. ex L. si ita legatum. D. de legat. p. vbi habetur. ,, Sed non in amplio-
res, quam decem, qui legati sunt; quòd si mi-
,, nus sunt, in tantos, quanti inueniantur.] sic;
quantus, pro, quot, vt in d. L. & in L. 2. §. si ve
rò. Cod. de præfect. Prætor. Aphric. ,, Et
,, quanti limitanei, in quibus locis, vel limitibus
,, constituti.] Addo Vegetium lib. 3. c. 5. ex
optimis Codicibus. ,, Signorum militarium
,, quanta sunt genera.] & eod. lib. c. 9. ,, Vt in-
,, tegris suis quantos possint homines inter-
,, imant.] Sic & Lucæ interpres 15. quem teme-
rè damnat Valla. ,, Quanti mercenarij in
,, domo patris mei abundant panibus.]

CAP. IIII.

8 AT quin impleta esse, &c.] Ita lego, non atqui, ex B. & T. Arnob. lib. 6. in princ.
,, At quin nos arbitramur, omnem Deum, &c.]
lib. 3. ,, At quin ego rebar paulò ante sponta-
,, neas esse numinum benignitates.] Tertullian.
Apologet. c. 2. ,, At quin inuenimus inquisitio-
,, nem quoq: in nos prohibitam.] Papinian in
L. debitor. § 1. D. ad S.C. Trebell. ,, At quin si-
,, ue possidet creditor actor, idemq; hæres rem,
,, siue non possidet.] Paulus in L. atquin natu-
ra D. de negot gest. ,, At quin natura debitor
,, fuit.] Et ita scriptum esse in Pandect. Florent.
testatur Barnabas Brisconius in Parerg. qui & alia loca ostendit.

9 *Sed etiam coharentia.*] Sed saltem cohærentia, vel, sed certè cohærentia, siue, sed vel cohærentia, dicere debuisse Lactantium notat Vall. & mendum esse Librariorum suspicatur lib. 3. Elegant. c. 27.

CAP. V.

10 DE *his quibus omninò, &c.*] Ita legitur in B. T. sic infra lib. 5. c. 15. ,, De suis docea-
,, nius authoribus.] Cicero Lentul. ,, De Crasso
,, domũ emissem.] De Orator. hoc audiui de pa-
,, tre.] recentiores editiones habent, [ab his
,, quibus, &c.] At vetustiores, [de quibus his
,, omnino, &c.]

11 *Ex his vnum Deum probemus necesse est.*] Demonstrat Lactantius Ethnicos sapientes veteres vnũ Deũ credidisse; idem præstat Clemens Alexandrinus in orat. ad gent. Vid. August. Eugubin. de peren. philosoph.

12 *Homerus nihil nobis dare potuit, &c.*] Immo potuit, & præstitit, nam Cyrillus contra Iulianum, Homerum vnum Deum asseruisse demonstrat.

13 *Aquam esse dixit, ex qua nata sint omnia, &c.* Præter notatos ad oram textus vide Plutarchũ in placitis, Laertium, Eusebium de præpar. lib. 1. c. 5. & lib. 7. c. 5. Ambros. lib. 1. Hexamer. c. 2. August. de Ciuit. lib. 8. c. 2. Cyrill. contra Iulian.

14 *Et Anaximenes athera &c.*] Non æthera, sed aera, legitur apud Ciceronem vbi scil. de Anaximene loquentem, & apud Laertium in Anaximene.

15 *Permistus.*] Vulgata lectio Maronis habet, commistus.

16 *In summum tamen vnam mentem mundo praeesse testatur.*] De Aristotele loquitur, quem ex 2. de generat. ex 12. Diuinorum. ex cap. 7. libelli de Mundo Vnum Deum sensisse constat: ostenderũt id recentiorũ viri doctissimi Trapezũtius lib. 2. De comparat. Arist. & Plat. Scaliger De subtilit. ad Cardan. exercitat. 365. alij nõnulli.

17 *Plato*] In Parmenide Timæi Phedon. legib. Repub. videndus est Bessaron Cardinalis lib. 2 aduer-

aduerſus Calumn. Platon.

18 *Omnia ſentiens, & mouens*] Secutus ſum lectionem Tax. & P. & Ciceronis ipſius prima Tuſculana. al. omnia ſentiens, & omnia mouens.

19 *De immatura morte*] Liber intercidit.

20 *Item in exhortationibus*] Etiam hic Senecæ liber intercidit.

CAP. VI.

21 *OB eamq; cauſam in Ægyptum profugiſſe*] Cic. 3. de nat. Deor. vnde hunc locum penè ad verbum deſumpſit Lactantius habet, ob eamq; cauſam Ægypto præfuiſſe.

22 *Thoyth*] Ex eodem Ciceronis loco emendaui Lactantij textum, qui in aliquibus exemplaribus habeant, Thoth. Sed & Euſebius ſcribit in 1. Preparationis, ab Alexandrinis Thoth, ab Ægyptijs Thoyth dici Mercurium. Quin etiam ex pulcherrimo ſanè loco Martiani Capellæ lectionem hanc confirmemus. Is enim
,, lib. 2. ſic ait. ,, Itaq; primò conducatne con-
,, nubium, atq; ætherei verticis pennata rapidi-
,, tas apto ſibi fœdere copuletur, ex nuptiali con-
,, gruentia numero conquirit, moxq; nomen
,, ſuũ, Cyllenijq; vocabulũ (ſed nõ quod ei diſſonãs
,, diſcrepantia nationũ nec diuerſi gentium ritus
,, pro locorũ cauſis, cultibuſq; finxere, verum il-
,, lud, quod naſcenti ab ipſo Ioue ſiderea nuncu-
,, patione compactum, ac per ſola Ægyptiorum
,, commenta vulgatum fallax mortalium curio-
,, ſitas aſſeuerat) in digitos, calculumq; diſtri-
,, buit, ex quo finalem vtrinq; literam ſumit, quæ
,, numeri primum, perfectumq; terminum clau-
,, dit; dehinc illud, quod in Fanis
,, omnibus ſoliditate cubica domi- θ 9 th
,, natur; literam quoq; quam biuiũ ω 800 o
,, mortalitatis aſſerere prudens Sa- υ 400 y
,, mius exiſtimauit, loco proximo θ 9 th
,, ſumit, ac ſic mille ducenti decem, 1218
,, & octo numeri effulſerunt.] Numeros enim Græci per literas ſuas exprimunt.

23 *Pheneatæ*] Ita Cicero vbi ſupra. Sed & Pauſania in Arcadic. ,, Deorum verò (inquit) omnium maximè Mercurium Pheneatæ venerantur, &c.] Et quidem Ἑρμούπολιν de qua hic Lactantius, fuiſſe in Arcadia exiſtimari poteſt ex Stephano. Verùm quoniam pleriq; libri hic pro Pheneatæ, habent, Saitæ, (ij ſunt populi in Ægypto ſic dicti ab vrbe, quæ Sais nominatur) & Lactantius lib. de ira Dei c. 11. teſtatur, Ciceronem ſcripſiſſe, in numero Deorũ apud Ægyptios haberi Hermetem, cum ſcilicet, qui ob virtutem, multarumq; artium ſcientiam Triſmegiſtus nominatus eſt, de quo eodem hic ſermo habetur, ſuſpicatus eſt vir clariſſimus Petrus Ciacconius legendum hic eſſe, Et Saitæ, & Pheneatæ colunt eum religiose. Et apud Ciceronem quem Saitæ colunt, & Pheneatæ, vt dicatur & in Ægypto à Saitis, & in Arcadia à Pheneatis coli. In nonnullis Lactantij Codicibus corruptè legitur Femate, pro Pheneatę.

24 *ὁ δὲ θεὸς εἷς ὤν*, &c.] Hæc ad verbum non reperio in Hermete, ſed ſimilia ad finem cap. 5. Pimandr.

25 *Deo igitur nomen nõ eſt, quia ſolus eſt, &c.* Ita quoq; Minutius Felix in Octauio. Dionyſ. 1. c. de diu. nomin. ait neque nomen eius eſſe, neq; opinionem. S. Thom. p. p. quæſt. 13. art. 1. ait, Deum a nobis nominari non poſſe nomine, quod eius eſſentiam ſignificet ſecundum quod eſt, quia nominamus, vt concipimus, & nomina ſunt ſigna notionum: at Dei eſſentiam noſſe in hac vita non poſſumus. An verò imponere Deo nomen tale queant Beati, diſputant Theologi in pr. ſentent. diſt. 22. & p. p. queſt. 13. art. p. Et quomodo Philoſophi priſci Deum nominarint, vide Auguſt. Eugub. de peren. philoſophia lib. 3.

26 *Proprium nomen eſt Deus*] Dicitur enim θεὸς ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quod eſt videre, quaſi omnia prouideat, omnibuſq; proſpiciat, vt ſcribit Damaſcenus lib. p. orthod. fid. c. 12. Ergo ab vniuerſali rerum prouidentia hoc nomen, Deus, deſumptum eſt ad ſignificandam diuinam naturam.

27 *Sibyllas decem numero fuiſſe &c.*] De Sibyllis in genere videndi ſunt Solinus c. 8. Ælian. de varia hiſt. lib. 12. Martian. Capell. lib. 2. S. Hieronym. aduerſus Iouinian. lib. p. Suidas in Herophila, & in σίβυλλα. Franciſcus Petrarca 4. Memorab. c. 3. Ficinus lib. de Doctrina Chriſtiana. Io: Ludouicus Viues ad cap. 23. lib. 18. S. Auguſt. de Ciuit. Dei. Gyrald. Dialog. 2. De hiſtoria Poetar. Onufr. Panuin. in lib. De Sibyllis, & Carminib. Sibyllin. Eas numero decem fuiſſe pleriq; Lactantium, ſeu potius Varronem ſecuti aſſerunt. Sunt qui putent plures fuiſſe. Contra verò, vnam Sibyllam, Sibyllinaq; carmina, quæ ſub plurium Sibyllarum nomine leguntur vnius eſſe ſunt qui contendant: alij duas tantùm fuiſſe autumant. Sed & illud animaduertendum, ſolere ſæpe id, quod alteri Sibyllæ ab aliquo Scriptore tribuitur, ab alio item ad alteram referri; vt iam hinc bonus lector intelligat, quæ de Sibyllis feruntur, valde perplexa eſſe, atq; obuoluta.

28 *Quartam Cumaam in Italia*] Vrbs eſt Campaniæ Cumæ dicta, in qua Sibyllam hanc oracula fudiſſe pronunciant, & de qua vrbe Seruius loquitur in 3. Æneid. ſuper illud.

Huc

Huc vbi delati Cumæam accesseris Vrbem, &c. Alia est vrbs in Locrenti agro, quod est Ioniæ minoris Asiæ, quæ latinè dicitur Cuma, æ; vel Cumæ, huius Cumes, Erythris proxima, in qua & aliam Sibyllam vaticinatam fuisse traditur; ex vtroq; vel potius ex vno hoc ambarum Vrbium nomine adiectiua deducta sunt, Cumæus, atq; Cumanus, quæ cùm alijs scriptoribus sæpe, tum Lactantio nostro amphibologiæ occasionem præbuerunt, dum sæpe alteri Sibyllæ tribuunt, quod est alterius; & Cumæam cum Cumana, & Erythræam (quod Erythræ Cumæ Ioniæ sint proximæ) cum vtraq; confundunt. Lactantius hoc loco dum Cumæam nominat in Italia, satis illam ab alia discriminat, quæ Cumæa, siue Cumana Ionica dici potest, quam inferius numero septimam ex Varrone recenset. De hac igitur Cumæa Italica meminit Aristoteles in lib. de admirand. audition. cap. 91. Iustinus Martyr in admonitor. gent. in fine. Silius lib. 12. Eam nescio quomodo Phemonoen proprio nomine dictam scribat Seruius in illud 3. Æneid.

Quæcunq; in folijs descripsit carmina Virgo, &c. cum in 6. Virgilius Deiphoben eam appellet, & hoc ei fuisse proprium nomen ibi quoq; Seruius ipse confirmet. Gregorius Giraldus Dial. 2. hist. Poet. & Petrus Ciacconius quod viderent, de Sibylla Cumana inferius locutum Lactantium, putauerunt, huic loco mendum inesse, & pro, Cumæa, legendum esse Cimmeria, sicuti Suidam in σίβυλλαι qui eodem ordine quo Lactantius has Sibyllas enumerat, τετάρτην, ἰταλικὴν ἐν κιμμερίῳ τῆς ἰταλίας, & Isidorum lib. 8. orig. c. 8. qui omnia ex hoc loco mutuatus videtur, vt quis non immeritò suspicetur ita olim fortasse lectum apud Lactantium. At verò quamuis Cimmeria quoq; dici potuisset, quòd ex Cimmerio Campaniæ vicino Cumis oppido, vt aliqui putant, fuerit oriunda, tamen rectè Cumæa quoq; dicitur à plerisq;, quòd Cumis responsa dederit, vt intelligimus tum ex alijs, tum ex Iustino, qui ibi eius antrum se inuisisse testatur vbi supra, & quidem ita legitur in duodecim Vaticanis, & alijs omnibus tum m.ss. tum excusis à quibus, non sum ausus discordare, & Suidæ interpres ibi non κιμμερίῳ, sed κύμῃ legit. Lactantius autem satis vt diximus, aliam ab alia discriminat, dum hanc Cumæam Italiæ nominat, illam igitur Cumanam à Cuma Ioniæ dictam intelligat necesse est.

29 *Quintam Erythræam*] Hanc nonnulli eandem dicunt cum Cumæa Ionica, nec mirum id erroris irrepsisse propter locorum, nempe Erythrarum Ioniç vbi hæc vaticinata ab aliquibus dicitur & Cumæ Ioniæ, vt supra diximus, propinquitatem. At verò cur Cumæam Italicam, & Erythræam Aristot. cap. 91. De admirand. audition. vnam dixerit nõ video; nisi dicamus, Erythręam vocitatam fuisse quoq; Cumæam, vt asserit Martian. Capell. lib. 2. fortè quia & ipsa quandoq; Cumis sit vaticinata, nam scribunt aliqui, Cumis plures mulieres vaticinatas fuisse, quæ omnes Sibyllæ nomine nuncupantur: illuc enim proficiscebantur, vel vt peritiores diuinandi fierent Apollinis oraculis, qui ibi maximum habuit Fanũ cum specu, vel vt eius sacris præessent, quæ non nisi a mulieribus peragi solitum erat; quæ omnes postea ab vrbe illa Cumeæ, vel Cumanę sunt vocatæ. De hac meminit Clemens PP. primus in Epist. ad Corinth. Lactantius ipse iterum lib. De ira Dei c. 22. Constantinus Magnus Imper. in orat. ad Sanctorum coet. apud Euseb. in eius vita. S. Augustinus lib. 18. Ciuit. c. 23.

30 *Septimam Cumanam*] Iam hanc non aliam intelligere possumus, quam eam, quæ Cumæ Ioniæ vaticinata est. Seruius super illud Mar. b.

Phœbe graues Troiæ semper, &c.

Notat, Varronem totam hanc de Sibyllinis libris Tarquinio oblatis historiam non ad Cumanam, de qua hic sermonem habet Lactantius ex Varrone, sed ad Erythræam retulisse sicut & Suidas retulit in Herophila,. At verò Virgilius, & Solinus cap. 8. eandem historiam non ad hanc, sed ad Cumæam Italicam, quam Cumanam vocat Solinus, referunt. Sanè Virgilius vaticinia Cumææ Sibyllæ Romæ asseruata satis clarè innuit illis libri sexti carminibus, quibus eam Æneas alloquitur.

Te quoq; magna manent Regnis penetralia nostris:
Hic ego nanque tuas sortes, arcanaq; fata
Dicta meæ genti ponam &c.

31 *Quę ab alijs Demophile, vel Herophile nominatur*] Solinus, & Suidas vbi supra nõ Cumanã, sed Erythræã vocant Herophilem, quanquam apud Solinum, & Tibullum Eleg. 5. lib. 2. legitur, HEriphile. Eusebius verò nec Erythræam, nec Cumanam, sed Samiam Herophilem vocatam scribit, quam Numa Romanorum Rege viuente floruisse refert.

32 *Eamq; nouem libros attulisse*) Ita quoq; Halicarnasseus ad fin. 4. de reb. Roman. Gell. lib. 1. c. 19. Suidas in σίβυλλαι, Seruius vbi supra, Plin. lib. 13. c. 13. Solin. c. 8. Suidas in Herophila tres libros, non nouem fuisse scribunt, quos oraculorum plenos Sibylla Tarquinio obtulit, ac combustis duobus, tertium tantummodo superfuisse.

33 *Ad Regem Tarquinium Priscum*) Non Prisco, sed superbo Tarquinio oblatos libros scri-

bit

bit Plin. d. c. 13. Halicarnass. Solin. Gellius vbi supra, Lactantium, seu potius Varronem à Lactantio relatum sequitur Suidas in σίβυλλαι, & Isidorus 8. origin. c. 8. quæ sententia vero propior videtur, & temporibus congruentior, si ad Sibyllam Cumæam Italicam, vt à Virgilio, & Solino, hoc factum referatur. Hæc enim (authore Solino) quinquagesima olympiade rebus Romanis interfuit, & Tarquinius Priscus iuxta Galereani Chronologiá ad Liuium, & passim cæterorum Regnum capessit anno 2. olympiadis quadragesimæ primæ, & regnat annis 38. At Tarquinij superbi regnum incipit anno quarto sexagesimæ primæ olympiadis ita, vt ab eo Sibyllæ tempore vsq; ad Regnum. Tarquinij superbi fluxerint vndecim Olympiades, idest anni quatuor supra quadraginta. Hoc tamen non conuincit falsam Plinij, Halicarnassei, & aliorum opinionem, nam Sibylla vsq; ad annum vitæ octogesimum, nonagesimum, & vltra peruenire potuit, sed, vt diximus, altera opinio vero videtur similior. Qui vero ad Erythræam historiam referunt, ij toto cœlo aberrant, siquidem velimus, Erythræam vaticinatam vel ipso Troiano bello, vt sentit Solinus, & alios quoq; nonnullos sensisse refert S. Augustinus ad fin. d. cap. 23. quod bellum præcessit regnum Tarquinij Prisci annis quingentis, & septuaginta, Superbi sexcentis, & quinquaginta; siue illam floruisse velimus Romuli tempore, vt alios censuisse idem S. Augustinus refert ibidem, inter quos numero Eusebium in Chronic. quod sanè tempus annis circiter centum, & sexaginta Prisci regnum, Superbi ducentis, & quadraginta quatuor præcessit annis.

34 *Trecentos philippeos postulasse*] Adstipulatur Lactantio seu Varroni Seruius super illud 6.

Hic ego nanq; tuas sortes, &c.

Ego quidem Macedonicum illud numisma Romæ vnquam excusum, vel in vsu fuisse nusquā comperi apud authores.

35 *Marpesso*] Hermolaus Barbarus in Castigat. ad Plin. lib. 5. c. 30. putat legendum, Mermisso ex Stephano de Vrbibus in Μερμησσός. Pausanias quidem lib. 10. vbi de Herophile fatidica loquitur, habet Marpesso, vt hic maior pars librorum Lactantij. alij legunt, Marmisso, ex Suida in σίβυλλα. T. & B. Codex hic habent, Marmesso. Acchilles statius in Tibull. legen. esse censuit Marinesso. (vt habent etiam quidā impressi) vel, Marmesso.

36 *Decimam Tiburtem nomine Albuneam*] Eam videtur Albanam appellasse Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

37 *Cuius sacra Senatus in Capitolium transtulerit*] Hæc verba non agnoscit T. neque P. neque impressi nonnulli antiqui, sed si illa retineamus, vt a plerisq; retinentur, malim cum Iano Gulielmio legi, sortes, quam sacra. planè sortes vocabantur vaticinia illa, vt ex Virgilio, & Tibullo apparet vbi scilicet & ita scriptum esse hoc in loco aliquibus mēbranis testatur ipse Ianus in Quæstionibus ad Plauti Menechm. cap. 4.

38 *Præter quam Cumæa, cuius libri, &c.*] Ennea ἀμφίβολον, de quo supra; vel ipse Lactantius, quam supra ex Varrone Cumanam appellarat hoc loco Cumæam nominat; nam libri, qui sedulò occulebantur, quosq; soli Quindecimuiri adire poterant, illi erant, qui a Sibylla Tarquinio venditi fuerant, teste Halicarnasseo lib. 4. & Gel. d. c. 19. eam autem Lactantius ipse Cumanam dixit paulò supra. Eadem refert c. 23. libri De Ira Dei.

39 *Et Erythræam se nominatum iri prælocuta est*] T. P. & impressi antiquiores habent, & Erythræam se nominat, vbi prælocuta est. Ianus Gulielmius vbi supra legit, vbi prolocuta est, quòd propriè proloqui sit vaticinari, & futura canere, vnde Prophetæ dicti, quòd futura proloquerentur.

40 *De Quindecimuiris, &c.*] Vide Onuphrium latè.

41 *Erythras mitterentur*]. Idem scribit c. 22. lib. De ira Dei. Verùm non solum ex Erythris, sed etiam (vt paulò supra dixit) ex omnibus ciuitatibus, & Italicis, & Græcis quæsita fuerunt Sibyllina carmina; quod notat etiam Tacit. lib. 5. Annal. Halicarnasseus lib. 4. Etenim incendio Capitolij, quod contigit anno ante Scillæ dictaturam dolo, an forte cōflagrauerat.

42 *Εἷς θεὸς, ὃς μόνος ἐστιν*] In Carminibus Sibyllinis ita legitur; εἷς θεὸς μόνος, ὃς ἀρχῇ.

43 *παντοκράτωρ.* Corruptè in Carminibus Sibyllinis παντοδυνακράτωρ, quod respuit scansio; quamquam ibi monet adnotator ad oram libri Sibyllini haberi in MSS. sicut in nostro.

44 *ἔτυχεν*] Hoc respuit metri ratio, cum syllaba secunda sit breuis. rectè est apud Theophilum, ἐτέχθη. omnes tamen Lactantij Codices concordant, ideò non ausim mutare.

45 *Εἷς μόνος εἰμὶ θεὸς &c.*] Hic versus sæpe reperitur inter Carmina Sibyllina, sed in hæc verba.

Αὐτὸς γὰρ μόνος εἰμὶ θεὸς, καὶ οὐκ ἔστιν θεὸς ἄλλος.

CAP. VII.

46 *QVod Delphis (credo) emigrauerat*) Sic quidem rectè B. F. P. & vetustissimi excusi, cum (credo) alijs quibusdam Codicibus desit. Illud enim (credo) ironicè dictum patet,

patet, vt apud Tull. philippic. prima. „ Annibal, credo, erat ad portas.) Tertullian. c. 46. „ Credo ob honorem patris eius.) Lactantius infra lib. 3. c. 18. „ Hic (credo) quod „ erat ignobili genere natus, &c.) & cap. 23. „ Sed (credo) calor deterrebat, &c.)

47 *Si Deus vnus est. quæ esse beata solitudo queat,*) Fragmentum ex Ciceronis Hortensio, seu De philosophia, quem amisimus.

48 *Habet enim ministros, quos vocamus nuncios*) Videtur Lactantius vt a Deo solitudinem amoueat, Angelos accire, quos cum numine illo consociet; quod minime oportuit; neq; enim ex eo quia sanctarum animarum, atque Angelorum apud Deum propemodum infinitus sit numerus, idcirco solitarius non dicitur, neque si non essent, solitarium illum efficerent, id quod Theologi in primo dist. 21. vbi Richard. quest. prima, & S. Thom. p. p. quæst. 31. artic. 3. disertè docent. Quandoquidem solitudo non tollitur per associationem alicuius, quod sit extraneæ naturæ, dicitur enim aliquis solus in horto, quamuis sint ibi multæ plantæ, & animalia. Ita Deus Angelis etiam, & hominibus cum eo existentibus verè solus, vel solitarius diceretur si non essent in diuinis personæ plures. Verùm quoniam licet ab æterno omnino non fuerit aliqua essentia alia, quàm diuina, tamen in illa essentia est, & fuit ab æterno personarum pluralitas, quæ à Deo solitudinem excludit; ideo falsa est hæc propositio, & non admittenda. Deus ab æterno fuit solus, nam sensus illius est, quod ab æterno fuerit solitarius. Hoc Catholicis animaduertimus. Cæterum excusatione non caret Lactantius qui ad captum Ethnicorum desilire debuit, & aliquid etterre, quod rudibus, & hebetibus ingenijs arridere posset, neq; enim (vt verè aiebat Archelaus Episcopus cōtra impium Manetem disputans apud Cyrill. Catech. 6.) mysteria de Patre, Filio, & Spiritu Sancto declaramus Ethnicis; quin & Cathecumenis non adeo apertè dicimus mysteria, sed sæpe obscurius dicimus, vt scientes fideles intelligant, & qui nesciunt non corrumpant.

49 *Genuisse Regni sui ministros Deum*) Verbum gignendi non modo a Lactantio, & alijs Ecclesiasticis scriptoribus, sed etiam in sacris literis nonnunquam impropriè sumitur; nam & titulo Geneseos inscripti sunt libri Moysis De mundi creatione; & nos Dei genus sumus apud Paulum in actibus c. 17. & Iacob. 1. Deus volontariè genuit nos. Cæterum ratio generationis, quæ promitur ab Aristot. 8. Ethic. c. 12. & 7. Metaphys. text. 28. & seqq. & de qua S. Thom. p. p. quæst. 27. art. 2. propriè a Deo nō nisi Verbi increati conuenit processioni, de qua dicemus infra ad cap. 8. lib. 4.

50 *Cuius nomen exponunt, &c.*) T. habet, explodunt: Vtrobiq; idem est sensus; dicitur enim exponi, quasi extra poni, perinde atque explodi id, quod foras mittitur, atq; eijcitur. sic lib. 3. c. 26. in fine, & exposito vetere nouum reddunt.

51 *ἐνεχέργοι*) Gulielmus Canterus nouarum lect. lib. 3. cap. 30. mauult *αἰψιέργοι*, idest, celeriter vertens. quamquam ibi in meo Codice editionis Antuerpien. anni 1571. errore operarum exuitum est, *αἰσιέργοι*, quod nihil est.

52 *Ipse ante omnia ex se ipso sit procreatus*) Idem ait lib. 2. c. 9. ad fin. At verò propositio illa, quodcunq; fuit, aliquando esse cœpit, verè de omnibus creaturis enunciatur, cum de Deo loquimur, falsò penitus asseritur. Etenim si Deus æternus est, vt veritas habet, & ipsemet Lactantius vbiq; æterno autem cœpisse repugnat, nihil erat causæ, cur à se ipso procreatus, aut genitus, aut factus diceretur, vt S. Bernard. de consid. ad Eugen. lib. 6. in principio, & S. Thom. cap. 15. lib. 1. contra gent. ostendit. Iam propositionem illam, Deus se Deum genuit, damnant omnes Theologi secuti Magistrum in primo distinct. 4.

CAP. VIII.

53 *Quid est autem tam remotum à Deo, quàm id opus, quod ipse ad propagandam sobolem mortalibus tribuit?*] Multa in hanc sententiam ex nostris Arnob. lib. 3. in princ. ex Ethnicis Plin. lib. 2. cap. 7.

CAP. VIIII.

54 *Quæ non ferro, ac viribus &c.*] Ita quidem editiones pleræq; & Cicero ipse, cuius sententia est. Bon. tamen. habet, quæ ferro, ac viribus debilitari, frangiq; non possit.

55 *At animum vincere, &c.*) De hac victoria egregiè disserit S. Ambrosius in lib. officior. vbi de fortitudine agit.

56 *Non ego eum summis viris comparo, &c.*) Quædam editiones habent. Non modo eum cum summis viris comparo, &c. Ego excudendum curaui vt est in B. & apud ipsum Tullium; illa enim, tantùm, solùm, modò, eleganter ad Græcorum imitationem plerunque negationi subintellecta, quàm addita malunt Latini, sequente aduersatiua; quamuis, &, aut, etiam, non addatur. Vlpianus in L. inuitum. D. de

seru-

ſeruit. vrban. præd. „ Inuitum autem accipere
„ debemus non eum, qui contradicit, ſed eum,
„ qui non conſentit.] Item in l. pr. in princ. D.
de aqua quotid. & æſtiu. „ Quotidiana aqua
„ non illa eſt, quæ quotidie ducitur, ſed ea, qua
„ quis quotidie poſſit vti, ſi vellet.] Celſus in
l. littus eſt quouſque. D. de verbor. ſignif. „ Prę-
„ dia dicimus aliquorum eſſe non vtique cōmu-
„ nia habentium ea, ſed vel alio aliud habente.]
Alia loca promit Anton. Auguſt. lib. 2. emendation. cap. 1.

57 *Sed Philoctetes eius heres non putauit qui facem ſuppoſuit arturo.*] Planè ſcriptores vulgò ſentiunt, Philocteten incendiſſe pyram Herculis, eiuſque ſagittarum hæredem fuiſſe, vt ſcribit hoc loco Lact. Ouid. 9. Metamorph. Cic. 2. Tuſcul. Diodor. Sicul. lib. 5. Iuſtin. hiſtoric. initio 20. Calaber. lib. 10. Scholiaſtes Homeri Iliad. 3. Senec. in Hercul. Oetæ. Philoſtrat. in Heroic. c. 6. Seruius in illud Virg. 3. Æneid. Parua Philoctetæ. Non rectè igitur Petrus Victorius 2. variar. lection. c. 15. hanc ſententiam reiecit tot fultam ſcriptoribus, vnius Apollodori motus authoritate Pæanti ipſius Philoctetis patri hoc tribuentis 2. Bibliothec. quamuis enim, vt ait Victorius, Philoctetes ſub Agamemnone militauerit cum Nepolemo Herculis filio Troiano bello, quod multò ante præceſſit Herculis obitum, id tamen contigit, cum Philoctetes iam valde grandis natu eſſet: vnde fieri potuit, vt ille adoleſcens cum Hercule iam ſenio confecto viueret, eique morienti adeſſet, vt contra Victorium notat Brodæus 1. Miſcellan. cap. 5.

C A P. X.

58 H*Vnc Tarquitius de illuſtribus viris differens ait incertis parentibus natum expoſitum.*] Theodoretus de Æſculapio hanc eandem hiſtoriam referens hæc habet ſub initium octaui de curatione affect. græcar. „ Atque, vt ad alios
„ quoq; tranſeam, teſtis eſt Apollodorus, Æſcu-
„ lapium ab alijs quidem exiſtimatum eſſe filium
„ Arſinoes, ab alijs verò Coronidis, quæ clande-
„ ſtino, violentoque Apollinis congreſſu præ-
„ gnans effecta editum deinde infantem expo-
„ ſuiſſe dicitur. Hunc verò ait Apollodorus à
„ venatoribus caſu repertum, raptumque ab al-
„ tricis canis vberibus, Chironi Centauro dela-
„ tum fuiſſe, ibique enutritum medicæ arti ope-
„ ram impendiſſe, cuius in Tricca, Epidauroque
„ Ciuitatibus experimenta prima ediderit.] Puto ego Theodoretum illa tantùm ex Apollodoro ſumpſiſſe. (Æſculapium ab alijs quidem exiſtimatum filium Arſinoes, ab alijs verò Coronidis) illa verò quæ clandeſtino. Et cætera omnia quæ ſequuntur non ex alio quam ex Tarquitio, videlicet vel ex libro ipſius Tarquitij, vel ex hoc Lactantij loco deſumpta fuiſſe reor. Nam cum de Æſculapij ortu, educatione, diſciplina varij variè ſcripſerint, Homerus in Hymnis Pindar. Pythior. Ode 3. Pauſanias lib. 2. 4. & 8. Diodor. Sicul. lib. 4. c. 9. & lib. 5. c. 15. Ouid. 2. Metamorph. Cic. 3. de Nat. Deor. Tarquitius, Apollodorus, & alij quamplurimi, neminem ſanè mihi comperias, qui eam hiſtoriam recitet, ſicut Theodoretus, præter vnum Tarquitium; Porrò ex Apollodoro eam deſcripſiſſe non potuit, qui non expoſitum ait Æſculapium a matre, non inuentum à venatoribus, nec canis vberibus enutritum, ſed cum Apollo matrem interfeciſſet, eaque iam mortua in rogo conflagraret, raptum protinus infantem è pyra, ab ea ad Chironem alendum delatum ſcribit. Apollodori verba ex 3. ſubijcio. „ Hæc
„ [Arſinoes] ab Apolline impleta Æſculapium
„ peperit. At quidam non Arſinoes Leucippi
„ filiæ, ſed Coronidis Phlegyæ in Theſſalia na-
„ tum Æſculapium ferunt, cum qua, ſimul ac
„ eam deperiiſſet, Apollo ſtatim concubuiſſe
„ proditur, quàm, quòd præter patris ſententiam
„ ea potitus eſſet, Iſchyi Elati filio coniunctam
„ fuiſſe aiunt. Apollo autem delatorem cor-
„ uum immodicis maledictis exſecratur, & qui ad
„ eum vſque diem candidus fuerat, in nigrum
„ commutauit, & Coronidem grauidam percuſ-
„ ſit, & necauit; ex qua cum conflagraret, abre-
„ ptum infantem è pyra ad Chironem Centau-
„ rum alēdū tulit, &c.] Ergo vbi Theodoreti textus habet [hunc verò ait Apollodorus] ineſſe ſuſpicor Librariorum erratum, atque legendum [hunc verò ait Tarquitius,] & ſanè ſi totam Theodoretus ex Apollodoro hiſtoriam referebat, quem initio citauerat, illum ipſum ſtatim rurſus appellare nihil attinebat. Sed Tarquitium appellauit: atque ita fragmenti huius, quod excidit è libro Tarquitij non modo Lactantium, ſed vna cum Lactantio ſcriptorem habemus Theodoretum. Quæ minus aduertens Theodorus Canterus 2. Variar. lect. c. 19. exiſtimauit, illa quæ hic a Firmiano ex Tarquitio recitantur, ab ipſo Tarquitio, atque item rurſus à Theodoreto ex Apollodoro fuiſſe deprompta.

59 *Turpiſſimè gregem pauit alienum*] nempe pauit Admeti pecora, vt eſt apud Ouid. 2. Met. quod ridet etiam Tertull. c. 14. Apol. & Cyp. de vanit. Idol.

60 *Et muros Laomedonti extruxit*] Ita quidem fabula narratur ab ipſo Neptuno apud Homerum ad fin. 21. Iliad. quanquam Herodotus

Apollinem, aut Neptunum Laomedonti seruisse negat. Eandem fabulam tetigit Tertull. & Cyp. vbi supra. Item Minut. & Clemens Alex. in orat. ad gent. Tatian. con. græc. Vid. Ouid. 11. Metam. & Apollodorum 2. Biblioth. qui non impune eam fraudem tulisse aiunt Laomedontem, vt hic tradit Lact. sed Apollinem vrbi pestem, Neptunum inundationem immisisse: ad ea mala depellenda responsum ex oraculis petenti mandatum fuisse, vt Hæsionem filiam suam Cæto deuorandam exponeret, quam postea liberauit Hercules, vt ait author supra ad fin. 9. cap. Sed hic secutus videtur Homerum, ex quo multos potius abiisse Deos intelligimus Iliad. vbi supra.

61 *Indicus maximus.*] Ludit eo titulo, quo vti solebant Imperatores post deuictas nationes, dicebant enim Parthicus maximus Germanicus maximus &c.

62 *Ab amore, ac libidine turpissimè victus est.*] Ita cum Michaele Thomas. hunc locum restitui ex B. & T. pro eo, quod legitur in impressis, ob amorem, ac libidinem, neque enim Liber ob amorem, aut libidinem ab aliquo victus est in expeditione illa Indica: ab amore tamen ipso, quo flagrauit, in Ariadnen, victus est. Sed & aliarum quoque amoribus, arsisse illum in India scribit Diodor. qui lib. 5. historiam ponit: ponit etiam Orosius lib. 1. c. 9.

63 *Delatus enim Diam.*] Insula est, quæ Cretæ adiacet Straboni lib. 10. & hanc puto germanam lectionem, quæ habetur in omnibus impressis Lactantij lib. & apud Diodor. Sicul. lib. 5. Ouid. 5. Metam. Catull. De nupt. Pelei, & Thetid. licet B. T. P. habeant, Cretam. De historia videndus etiam Plutarch. qui varias de Ariadne opiniones refert in Theseo.

64 *Cũ semiuiro comitatu.*] Alludit ad illud 4. Æneí. *Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu, &c.*
Comitatum autem semiuirum appellat Bacchi exercitum, in quo non solum viri erant, sed & mulieres, quæ Bacchæ appellatæ sunt, vt scribit S. Aug. lib. 18. ciu. c. 13.

65 *Et Liberam fecit, &c*] locus est. Cum, inquit, is Liber esset, sibimet eam copulando liberam fecit, & cum ea pariter in cœlum ascendit. Neque enim τὸ Liberam, hic accipi potest, vt contra, seruam, distinguitur, cum nusquam sit proditum, Liberi patris ope ab vila seruitute Ariadnen Liberam factam; ideo contra cæteras editiones prima maioribus litera hoc nomen scripsimus. Erat autem apud gentes, & Dea, quæ Libera vocabatur, de qua Cic. 2. de nat. Deor. & 6. action. in Verr. Tacit. lib. 2. Liuius 1. 5. Decad. Arnob. 5. Sanctus Aug. 6. ciuit. c. 19. hanc alij Venerem, alij Cererem, quidam Proserpinam fuisse aiunt. Sed certè Ouid. de Ariadne loquitur 3. Fastor. illis carminib. ad quę proculdubio respexit Lact. cum hoc scriberet.

„ ——— *Audierat iam verba querentis.*
„ *Liber vt à tergo forte secutus erat.*
Occupat amplexu, lacrymasq; per oscula siccat,
Et pariter cœli summa petamus, ait
Tu mihi iuncta toro, mihi iuncta vocabula sumes,
Nam tibi mutata Libera nomen erit.

66 *In solemni precatione optimus maximus nominatur*] cuius precationis exemplum habes à M. Tull. in fine orationis pro Domo sua, & in oratione pro C. Rabir. perduell.

67 *Regium puerum rapuit.*] De Ganimede loquitur, qui fuit Trois Troianorum Regis filius Plato quidē 1. de legibus huius fabulæ authores damnat, de qua Homer. Iliad. 20. Virg. 5. Ouid. 10. Metam. Lucian. Herodian. lib. 1. Orosl. lib. 1. c. 12. Xenophon autem in sympos. non propter corporis, sed propter animi pulchritudinem raptum fuisse tradit.

68 *Eadem enim Iupiter, quem colebat, admisit*] Sic adolescens ille Chærea Terentianus, se louis exemplo ductum, cuius stuprum in Tabula depictum spectarat, virginem polluisse narrat Eunuch. Sed de hoc plura Clemens Alexandrinus in orat. ad gent. S. August. 1. confession. cap. 16. Iouis adulteria, & stupra lege apud Arnob. lib. 4. & 5. & Epiphan. in Ancorat.

CAP. XI.

69 Q*Vidam Poeta triumphum Cupidinis scripsit, &c*] Quinam hic fuerit Poeta compertum non habeo, neque hoc poema peruenit ad nos, cuius iacturam minus grauatè ferimus, cum præclarum eiusdem tituli poema Francisci Petrarchæ habeamus materna lingua conscriptum.

70 *Imprudentia*] Ita lego quantumuis reclamantibus B. T. P. & impressis plerisq; qui habent [prudentia] suadente tamen Aldina editione, nonnullisq; alijs, atq; adeo ipsomet Lactantio, qui ex contextu ipso ita monstrat legendum; nam per se ipsum futura scire non posse, sed ab alio moneri, illuc porrò imprudentiæ est, siue prudentiæ defectus: iccirco autem Lactantius ab Ioue prudentiam amouet, vt & diuinitatem tollat, quod erat totius disputationis propositũ. Simile quiddã cum inf. c. 15. de Saturno narraret, inquit. „ Rursum imprudentiã reprehendã necesse est; cur. n. responsum „ ab alio potius accepit?] vbi & huc locu innuit, & se hic Iouis imprudentiam notasse ostendit.

71 *Nisi Themis futura dixisset.*] Lactantius secutus est Apolonium, qui a Themide admonitum scribit Iouem; at Lucianus mauult a Prometheo

metheo, qui etiam ob eam causam è Caucaso fuerit liberatus. Apolodor. in 3. Biblioth. vbi de Peleo loquitur, vtranque sententiam refert.

72 *Si parcarum, &c.*] Vide Lucianum ferè eadem ludentem aduersus Deos.

73 *Ζεὺς, siue Ζὴν appellatus est, &c.*] Carpit hoc loco Budæus Lactantium in libro de stud. literar. instruendo. tanquam qui hæc parum accuratè perpenderit, nec viderit, ea omnia symbolicè dici. Sed næ ille totius disputationis Lactantij propositum parum accuratè perpendit, qui omnes symbolicas eiusmodi interpretationes nugamentis Ethnicorum a Stoicis, atque alijs affictas eliminare contendit, tanquam non modo ridiculam, atque ineptam rem, sed etiam impiam, & capitalem, quæ (vt ex Cicerone notat ipse Lactantius inf. c. 17.) falsas opiniones genuit, turbulentos errores, & superstitiones penè aniles; quod cum Arnobius ad finem 5. & Lactantius ipse egregiè infra c. 12. 17. & alibi sæpè, tum Sanctus Augustinus lib. 7. & 18. Ciuit. Tatian. item, qui Lampsaceni Metrodori allegorias exsibilat, & alij quidam Sancti Patres præstitere.

74 *Imbres ferreos dicunt*] innuit Virgilij carmina 12. Æneid.

——— it toto turbida Cœlo
Tempestas telorum, & ferreus ingruit imber.

75 *Aut nauis, in qua est impositus, in tutela habuit Aquilam figuratam.*] esel, aut nauis, in qua est impositus, tutela (vt nauis sit generandi casus) habuit Aquilam figuratam. Ita scribendum esse hunc locum conuincit quod sequitur, sicut Taurum, &c. Neque tamen eum loquendi modum damno, tutelam in Aquila figuratam, quem infra lib. 5. c. 8. ab ipsomet Lactãtio vsurpari intelligo, vbi dicit [iustitiam tanquam in aliquo simulachro figuratam] sed hic non ita scripsisse eum contendo, quod subdiderit, sicut Taurum, &c. alioquin, si vt vulgò legitur, & in sex Vaticanis, legamus, tutelam habuit in Aquila figuratam, vel, in Aquilam figuratam, vt legit Codex B. & quinque Vatican. quo posteriora prioribus conuenirent, sicut in Tauro, vel, sicut in Taurum, dicere oportebat. Vt autem non ita peruium intellectui locum Lactantij aperiamus; Tutela erat nauis insignæ prorę impositum, quod græcè παράσημον dicebatur; eratq; Dei alicuius effigies, aut animalis, a quo nauis ipsa denominabatur, vt apud Virgiliũ Pistris, & Centaurus, cum ait.

Centauro inuehitur magna ———

hinc κριοὶ & τράγοι, & alijs eiusmodi nominibus quędam naues sunt appellatæ Strabo, Plutarc. conuiu. in 2. dec. Sapient. Lucian. dialog. πλοίων ἀρχαί. De tutela in hac significatione meminit Seneca lib. x. Epist. Epist. 77. vbi inquit. „ Nauis bona dicitur non quæ pretiosis
„ coloribus picta est, nec cui argenteum, aut
„ aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore cę-
„ lata est, &c.] Ouid. tutelam nauis intelligit Trist. pr. Elegia 3. cum ait.

——— & pictos verberat vnda Deos.

Sil. Italicus.

Tutelaq; Deum fluitant ———

Sic rursus Lactantius in fin. huius cap. Aquilam ei in auspicium aduolasse, quam victor bono omine accetpam tutelæ suæ subiugarit.

76 *Sicut Taurum cum rapuit, & transuexit Europam*] Baptista Pius c. 98. suarum annotationum legisse videtur, sicut Taurum figuratum, & ita nonnulli impressi habent. Ego vt vocem illam textui adendam non probo, vtique multo pluribus, ac melioribus exemplaribus refragantibus, ita quasi glossema subaudiendam non nego; hic enim Lactantij sensus est, vt quemadmodum Ganimedes ab Ioue in Aquila raptus dicitur eo quia fortasse raptus sit naui, cuius tutela figuratam Aquilam habuerit, ita dicitur Europam in Tauro rapuisse, quod illam nauigio abduxerit, in quo figuratus esset Taurus: quod quidem asserit Eusebius in Chronic. „ Eu-
„ ropa (inquit) à Cretensibus rapta est naui,
„ cuius fuit insigne Taurus.] quamquam Palephatus narrat fuisse Gnossium quendam virum nomine Taurum, qui cum bellum Tyriæ regioni faceret, & alias rapuerit virgines, & Europam Phœnicis filiam è Tyro, vnde nata sit fabula.

77 *Nauigium celebratur*] Nauigium ponitur hic pro nauigatione, vt apud Vlpianum in l. prima §. ait Prætor D. de fluminib. & apud Scæuolam in l. qui Romæ §. Callimachus D. de verb. obligat.

78 *Cui cognomen Agesilao fuit*] Agesilaus dictus est παρὰ τὸ ἄγειν τοὺς λαούς quod scilicet populos agat; est enim mortuorum, & inferorum Deus. Sic vocatur etiam à Callimaco, vbi ait φοιτῶσι μεγάλῳ Ἀγεσιλάῳ idest, ad magnum pergunt Agesilaum. Qua re quod aliqui hoc loco legendum contendunt, Agelasto, vel Agathalio, non probo, licet suam, & Agelastum, & Agathalium, & alijs cognominibus vocatum Plutonem; à nobis stat Gyraldus 8. Syntagm. De Dijs gentium. Cœlius Rodiginius antiq. lection. lib. 6. c. 18.

79 *M. Antonij fuit infinitum illud imperium*] Sic habent vndecim Vaticani, & omnes alij, quos equidem viderim, MSS. vel excusi, vno excepto Vaticanorũ, & B. qui habet, Pompeij, &c. Hic autem M. Antonius (vt tradit Ascon. in

primam tertiam, & quartam Verrin. Ciceronis) is eſt, qui gratia Cottæ Coſ. & Cethegi factione à Senatu curationem infinitam nactus totius oræ maritimæ, quà Romanum erat imperium, non ſolum diſſolutiſſimus ipſe, ac nequam, ſed etiam comitibus peſſimis Siciliam, & prouincias omnes depopulatus eſt, & ad extremum indicto Cretenſibus bello, reque malè geſta ibidem perijt antequam Pompeius contra Piratas miſſus eſt; de quo Cicero „ Poſtquam (inquit) M. Antonij infinitum illud imperium ſenſerant.] Et Frumentaria. „ Ita ſe M. Antonius in illo infinito imperio geſſit.] Vt videas fortè ad hæc loca reſpexiſſe Lactantium. Sed neque tamen Bononienſis Codicis lectionem improbare auſim, cum ex Cicerone pluribus locis, ex Plutarch. Aſcon. vbi ſupra, & alijs pateat, Pompeio quoque delegatam alio tempore à Senatu prouinciam purgandi, atque à Piratis vindicandi maris, & ob id non modò Claſſis præfecturam, ſed etiam infinitum propè imperium ſuſcepiſſe. Plutarchus Pompeio. Id potiſſimùm preſſos Romanos rei frumentariæ anguſtijs, & magnam famem timentes impulit, vt ad vindicandum à Piratis mare mitterent Pompeium. Legem Gabinius Pompeij familiaris rogauit, quæ non claſſis, ſed planè in omnes mortales imperium, & arbitrium concedebat liberum; dabat enim ei imperium ea lex omnis intra columnas Herculis maris, continentis totius ad quinquaginta à mari millia paſſuum; Hoc ſpatium Romani orbis plagæ ſanè quam paucæ excludebant; verùm id maximas gentes, potentiſſimoſque Reges complectebatur.] Velleius de eod. bello Piratico Pompeio de mandato lege Gabinia loquens. Quo S.C. pene totius terrarum orbis imperium vni viro deferebatur. Vt iam hinc quoque liqueat, cur infinitum illud imperium dixerit, ſi de Pompeio locutū mauis Lactantiū. Ego verò à receptioribus lectionibus haud facilè diſceſſerim. Et quidem hanc noſtram probarunt Cœl. Rhodig. lib. 6. c. 18. Petrus Ciaccon. & Latinus Latinius, alteram verò Thomaſius in notis.

80 *Ex Ciuitate Meſſana.*] Strabo quoque libro primo Meſſenium illum appellat, & Plutarch. De Iſid. & Oſirid. Ælian. lib. 2. de var. hiſt Athenæus verò qui eius librum tertium, ſacræ deſcriptionis citat, eum nominat Couin; Alij Thegeatem dicunt, vt Theodoritus, initio tertij de curat. Græcar. affect. & alibi ſæpe, meminit eius, & Cicero in fine primi de nat. Deorum Sext. Empiric. 8. aduerſus Mathem. in principio Theophyl. Antioch. Epiſcopus ſerm. tertio.

81 *Hanc hiſtoriam interpretatus eſt Ennius.*] Vid. Arnob. in 4. Minutium in octauio, S. Auguſtinum in 6. ciuitat. c. 7. Crinitum de Poetis in Ennio, & Politian. Miſcellanior. cap. 35.

82 *Iupiter enim ſine contubernio coniugis, filiæque coli non ſolet.*] Nam in Templo Ioui dicato in Capitolio tria ſacella erāt, medium quidem Iouis, ab vtraque verò parte alterum Iunonis, Mineruæ alterum ſub eodem tecto, & pinnaculo: Vid Halicarn. vbi de Templo Iouis Capitolin. ad fin. quarti antiquit. Macrob. tertio Saturn. c. 4.

83 *Peſſum acta.*] Ego hanc lectionem cæteris antefero; antetulerunt etiam me priores alij nam ita legitur in Aldina, & Plantiniana, & cum in vno Vaticanorum in textu ſcriptum ſit, [perſumata] ad oram libri poſitum eſt, peſſum acta. Peſſum ire apud Latinos id dicitur, quod in fundum, ſiue in imam alicuius rei partem decidit: quidni igitur μετ ἀφεγγίνης dixerit Lactantius, Iouis ætatem actam peſſum, quæ in imam, ſeu extremam ſui partem, & finem perducta erat? Corruptè plerique Vaticani, & P: perſumata, B. & T. peſſumè omnium, peſſumè acta: quomodo enim ibi dicat Ennius, Iouem peſſumè ætatem egiſſe, qui totus eſt in Laudibus Iouis? Alius Vatican. habet, conſummata, & ita hunc locum citat Politian. in Miſcellan. c. 35.

84 *Et ſepulchrum eius eſt in Creta.*] Arnob. lib. 4. ad fin. Minutius, Theophil. ad Autolyc. Epiphan. in Ancor. Mela. lib. 2. c. 7. Solin. c. 16.

85 *In oppido Gnoſſo*] alij in Iaſio monte malunt. M. Varr. apud Solinum d. c. 16. in Ida. Vid. ſunt præter notatos authores Cicero tertio de nat. Deorum Diodor. Sicul. lib. 4. Cypr. de vanit. Idol. Euſeb. tertio, De præpar. c. tertio, Politian. vbi ſupra.

86 *καὶ χῶμα τάφοιο.*] Hinc corrigendus eſt Codex Sibyllinus qui habet, τάφος καὶ χῶμα: ibi enim ſcanſio non conſtat, nec ἔθα legendum eſt, vt ibi, ſed vt in noſtro, ἔσχε.

87 *Ideſt ſummum caput religionum ſuarum.*] Non igitur ſolus Arnobius, vt cenſuit Theodorus Canterus libro primo Variar. lect. c. 11. protulit nobis, vnde Capitolium ſit dictum, quod ipſe Liuium, Plutarchum, Halicarnaſſeum, & alios Romanarum rerum ſcriptores ignoraſſe putauit; nam etiam Lactantius noſter hoc loco, & lib. tertio, c. 17. illius vocabuli originem affert, ſecus tamen, quam tradat Arnobius ipſe initio libri ſexti. Halicarnaſſeus ad fin. quarti antiquit. & Suidas.

88 *Quòd ignotis parentibus natos Terræ filios nominemus.*] Ita & Tertullianus c. 11. Apolog. Vnde factus eſt prouerbio locus, de quò latè author Adagiorum in Terræ Filiuſ. Rhodigin. antiquar.

quar. lection. lib. 11. c. 28. Politian. in Miscellan. cap. 18.

89 *Panaum*.] ita B. T. & multi Vatican. quorum tamen alij habent Pantum: nonnulli alij Codices iunctim, Panæum, vt P. alij Panem. Boccat. lib. 3. cap. 1. hunc Ennij locum paulò aliter refert, &, Pangæum, legit. In Pangæo monte (inquit) arā statuit &c. quod aliud promere non possim, satis habeo varias lectiones indicare, nam deprauatum esse locum norint, arbitror, omnes. Extaret Ennij sacra historia, vnde desumptus est, totus expeditus esset; at hoc optare est.

90 *Cæli Stela*.] Hunc locum ingeniosissimè restitutum debemus Petro Ciacconio, qui primus ita legendum monuit, Stela, vnico l. non autem duplici, stella, vt corruptè in omnibus libris legitur, stela græcè στήλη, idest Columna. Plin. lib. 6. c. 28. In qua scriptæ sunt stelæ lapideæ literis incognitis sic enim excussum est in meo Codice editionis Aldinę Venet. à Paulo Manutio, & Gelenio emendatæ, & ita eum locum castigat Barbarus in emendationibus Plinianis profersit Budeus in annotation. ad L. sicuti §. competit, D. si seruit. vendicetur & compilatores Lexici græcalatini Basileæ impress. anno 1568. in στήλη: & author Thesauri latinæ linguæ in, stela. Martian. Capell. lib. 2.
„ Quaique librorū notas Athanasia conspiciens
„ quibusdam eminentibus saxis iussit adscribi,
„ atque intra specum per Ægyptiorum abdita
„ collocari, eademq; saxa stelas appellans, Deo-
„ rum stemmata continere] Namque ibi quoq; (stelas) legendum ex Plinio, & vocabuli etymo constat. Is igitur mons ob eius altitudinem Cæli columna vocabatur, tanquam qui Cælū contingere, atque adeo sustinere videretur.

91 *Ibiq; in eo monte aram creat Cælo*] putauit Ciacconius quædam verba hic addita fuisse, & ita scripsisse Lactantium. „ Postquam eò ascen
„ dit, contemplatus est latè terras. In eo mon-
„ te aram creat, primusque in ea ara Iupiter sa-
„ crificauit, in quo loco suspexit, idque quod su-
„ prà mundus erat, quodque æther vocabatur
„ precans primùm cœlum nominauit] quod su-
„ pra mundus erat, dixisse pro, quod antea
„ mundus vocabatur.

92 *Tutela sua subiugarit*] Vid. Diodor. Sicul. in sexto, & quid hic tutela significet, diximus supra.

CAP. XIII.

93 NVmmi veteres] De nummo prius. signato vid. sunt Strabo lib. 8. Plin. lib. 33. c. 3. Macrob. primo Saturn. cap. 7. Eutrop. Tertullianus Apologet. Minuc. octauio, Cyprianus de van. idol. & fragmentum Athenæi apud Theodor. Canter. secundo var. lect. cap. 23.

94 *Tutus latuisset in oris*] Virgilius latuisset tutus in oris.

95 *Qui rursus latio*] ita lego vt apud Maronē, pro eo quod in alijs editionibus, est, quæ rursus &c. nam ibi de Augusto loquitur.

CAP. XIV.

96 SAcra historia] scilicet Euhemeri.

97 *Hæc Ennij verba sunt*] sacram videlicet Euhemeri historiam interpretantis.

98 *Filius*] pro, Filium, Antiptosis, vt, sermo-
„ nem, quem audistis non est meus. Vrbem,
„ quam statuo, vestra est.

99 *Pluton latinè est Diespiter, alij Orcum dicunt*] Iouem appellatum Diespitrem norunt omnes idest diei patrem, vt Varro interpretatur quarto de ling. lat. cap. 10. Macrobius primo Saturn. cap. 15. at id cognomen inditum fuisse Plutoni ignotum habeo, nisi fortè apud ipsum
„ Varronem, vbi supra, his verbis „. Idem hic
„ Diespiter dicitur infimus aer, qui est coniun-
„ ctus terræ, vbi omnia oriuntur, vbi aboriuntur,
„ quorum quòd finis, Orcus dictus &c.] Hunc profectò potius quam diei, noctis, & tenebrarum patrem dixissem cum Parca ipsum alloquente apud Claudianum, vbi inquit.
„ ————— O maxime noctis
„ *Arbiter, vmbrarumque potens* ————
„ Placiades Fulgentius. Hunc etiam tenebris
„ additum dixere, quòd sola terræ materia sit
„ cunctis elementis obscurior] Fortè scripserit author noster, & Varro, Dis pater, nam ita vocatum Plutonem notissimum est, & Dis, seu Dites latinè id sanè est, quod græcè πλοῦτον, vt ait Lactantius Diespiter non idem Cic. secundo
„ de nat. Deor. Terrena autem vis omnis, atque
„ natura Diti patri dedicata est, qui Dis, vt apud
„ Græcos πλοῦτον, quia & recidant omnia in ter-
„ ras, & oriantur à terris] Arnob. secundo ad
„ fin. Cum ex Apollinis monitu patri Diti, ac Sa-
„ turno humanis capitibus supplicaretur.] Isidor. 8. orig. c. 11. ferè hanc emendationem insinuat.

100 *Eosque muro circumegit*] Equidem nullum authorem latinum ita locutum inuenio, puto Lactantium scripsisse, eosque murum circumegit, nam circumagere nihil aliud est, quam circumducere, vt apud Virg. nono.
—— *Stridentem fundam circum caput egit* ——
Vel, eosque muro circumdedit.

CAP.

CAP. XV.

101 PER amorem memoriam Defunctorum, &c.] al. per amorē meriti memoriā defunctoru,&c. Sed τὸ meriti nō reperitur in Codicib. T. & P. & abfuit à Codice Francisci Petrarchæ, qui locum hunc refert secundo de ocio Religiosorum, nec dictionem illam agnoscit.

102 Tolleret] Cicero tollerent, & hinc Castor, & Pollux.

103 Atq; adeo in plerisque, &c] Mendum habent omnes libri vbi legitur. atq; alio in plerisque, &c. Nam Lactantius citat alterum locum Ciceronis c. 3. De natura Deorum, vbi aliquantulum variat lectio, ibi enim, atq; in plerisque Ciuitatibus intelligi potest, augendæ virtutis gratia, quo libentius, &c.

104 Sancum] Mira de hoc nomine lectionum varietas, vt Vaticanos Codices inspicienti liquet, & de qua videndus est Gregorius Gyraldus primo Syntagm. De Dijs gentium. Vide etiam Varronem de lingua latina lib. 4. c. 10. Propertium lib. 4. eleg. ad fin. Silium 8. Punic. Halicarnasseum 2. antiquitatum. Item librum, qui Caij Sempronij nomine circumfertur De diuisione Italiæ cum Annij Commentarijs. Sanctum Augustinum lib. 18. Ciuit. c. 19. Nostra lectio exhibetur à Cod. B. à non nullis Vatican. & ab editionibus Aldina, ac Plantiniana, probatur à Iosepho Scaligero in Coniectaneis ad Varron. vbi supra, tum ex Propertio vbi supra, tum ex illius nominis etymo ab ipso Propertio ibi tradito.

105 Mea sacra] Ita Maro in aliquibus editionibus. at in al. me sacra, & ita quoq; in antiquis aliquot Virgilianis habere notatur ibi in editione Velutelli, & in Castigationibus Pierij Valeriani in Virgilium, cui quidem Lactantij lectio minus placet.

106 Ἑλλὰς ἐς τί ὤπασε] Paulò aliter leguntur hæc carmina in oraculis sibyllinis.

107 Platonis imitator] Quin etiam ęmulus vt placet Quintiliano lib. 10. c. primo ad fin.

108 Illud profectò fuit] Facile intelligitur, vt notat Andreas Patritius in Scholijs ad Ciceronis fragmenta, & Sigonius in Dialogo, cui titulus Accusator, seu de Consolatione Ciceronis, deprauatum esse hunc locum, quem desumpsit Lactantius ex ipsius Ciceronis libello De Consolatione, cuius meminit ipse in Tusculanis, & alibi, & Lactantius noster in Institutionibus sæpe. Hunc cum docti omnes conquererentur amissum, prodijt in lucem septemdecim ab hinc annis eodem titulo liber, & sub eodem nomine Ciceronis, de quo multa inter eruditos illius temporis viros extitit lis, an Ciceronis genuinus esset, atque germanus. In eo igitur libello (Cicero siue alius sit author) planissimè, ac rectissimè legitur. Quòd si vllum vnquam animal consecrandum fuit, qualia multa consecrauerunt Ægyptij (quod nullum profectò fuit) si Cadmi, &c.

109 Amphitryonis] Aldina, Platiniana, & nonnullæ aliæ editiones mendum habent, vbi legitur, Amphionis. Nostræ lectioni astipulatur libellus ille Consolationis, & Sigonius, atq; Patritius hunc locum ex Lactantio referentes in Ciceronis fragmentis: optima item exemplaria T. P. editio Florentina, & aliæ, atque adeo ipsa ratio; neque enim vllam Amphionis progeniem in Deos relatam nouimus, at Amphitruonis progeniem, nempe Herculem norunt omnes, qui licet Ioue patre, matre Alcmena sit natus, vt tradit Apollodorus 2. Bibliothec. Homer. hymno in Hercul. eum tamen etiam dixerunt Amphitruonis filium, vt Euripides in Hercul. insano, & alij.

110 Et illos, quos in Cælum merita locauerunt] Cicero cuius locus est in 2. de legibus habet, & illos, quos in Cælum merita vocauerint; vel, & illos, quos endocœlo merita vocauerint, vt in quibusdam libris Ciceronis legi testatur, & legendum censet Muretus ad illud Catulli Flacci delicias suo Catullo.

111 Attici conscientia] Hinc testem habes Lactantium, Atticum fuisse illum, qui per literam .A. interlocutor designatur in libris Tusculanarum qua de re quæstio esse solet, vt notat Turnebius 9. Aduersariorum c. 18. nam alij, vt Lambin. in annotationibus ad primum librum earum quæstionum Lactantij opinionem refellunt, & non Atticum, sed incertam personam, puta, Adolescentem, designari contendunt, siue, Auditorem, vt Robertellius in annotationibus ad varios authores.

112 Quia hoc scelerato homini placuit Antonio] vid. Ciceronem philippic. 2. ad fin.

113 Germani fratris] In aliquibus MSS. melius, & acrius haberi, gemini fratris, testatur Ianus Gulielmius ad Plaut. Menæchm. c. 3. geminus frater vocatur, qui vno partu, & vno die natus est. Plaut. Menæchm. in fin.

Spes mihi est, vos inuenturos fratres germanos duos
Geminos vna matre natos, & patre vno, vno die.

Virgilius de eodem Romulo, & Remo in 8.

——— *geminos huic vbera circum*
Ludere pendentes pueros, &c.

114 Patriæ parricida] Ita & Cicero 3. officiorū c. 3. ad fin. „ Ecce tibi, qui Rex populi Romani, &c.

CAP. XVI.

115 Religionum animos nodis, &c.] Lucretius Religionum animum nodis, &c.

116 Et illi lex Papia fibulam imposuit?) locatur Seneca in Iouem: nam lex Papia Poppea sexagenarios infibulabat, idest vetabat vxorem ducere, tanquam effœta iam virtute essent ad generandum, cui legi postea Claudius Cæsar abrogauit, vt scribit Suetonius in Claudio, apud quem corruptè legitur pro Poppea, Pompeia. & apud Isidor. 4. orig. c. 15. relatum in Decret. in cap. quædam distinct. 2. Eum errorem secutus est Beroaldus ad Sueton. vbi supra c. 19. & 23. Riuall. in histor. iur. ciuil lib. 2. qui tamen lib. 4. in Claudio recto nomine vsus est; sed eundem errorem refutauit Alciatus lib. 3. Dispunction. c. 3. Tiraquell. in legib. connubial. lib. leg. 6. n. 20. Prateius De legib. populi Romani in Papia Poppea, ex Dione lib. 56. Tacito lib. 3. Vlpiano Epitom. Tit. 29. Et deniq; legi abrogauit, & Iustinianus Imperator in l. vltima Cod. de nuptijs. dixit autem Seneca (fibulam imposuit) ducta metaphora ab ijs, qui infibulabantur, vel vocis seruandæ gratia, quæ ex coitu mutatur, vel valetudinis, quibus perforabatur vtrinque a lateribus cutis illa, quę super penis glandem extenditur, eiquè superaddebatur circulus æneus, quem fibulam vocabant, vnde apud Martial. lib 9. Epig. 28. refibulare, quod est fibulam soluere. Et de infibulandis iuuenibus plura apud Celsum. corruptè hic in aliquibus impressis pro, fibulam, legitur, Tabulam, vel fabulam, quod & Beroaldus notat in Claud. d. cap. 19.

117 Ius trium Liberorum?) Erant priuilegia, & immunitates, quæ fauore propagationis dabantur parentibus tres filios habentibus, de quibus in l. prima Cod. qui num. lib. se excus. l. prima Cod. de iur. liber. & §. sed hæc iuris. Instit. ad S.C. Tertullian. Plutarch. de amor. prol. Sed interdum ex Principis indulgentia ijs quoq; qui pauciores, ac etiam nullos habebant filios hæc priuilegia dabantur; id ius qui assecuti fuissent, præter alias ea quoque vtilitate fruebantur, quod cum aliquid populo viritim diuidebatur, ij pro tribus liberis accipiebant. Vid. Duaren. lib. primo Disputation. c. 40. Alexãd. Neapol. genial. dier. lib. 4. c. 8. Beroald. & Sabellic. ad Sueton. in Galba. c. 14.

CAP. XVII.

118 Videtis ne igitur, &c.) In pauculis variat lectio apud Ciceronem.

119 Hoc est, se falsa intelligere vera ne scire) „ Vti- „ nam (inquit Cicero) tam facile vera inuenire „ possem, quam falsa conuincere.

120 Vt in historia sacra continetur) Idest in historia Euhemeri De Dijs, de qua sup. c. 11.

121 Æsculapium curando inueni aduocauit) Narrat fabulam Ouidius 15. Metamorph.

CAP. XVIII

122 Si fas cadendo cælestia scandere, &c.) Hos duos versiculos ex Ennij Epigrammatis à Cicerone in libris de Republica positos refert Seneca lib. 19. Epistolarum Epistola 109. id de quo quæris, &c. Verum apud Senecam primum versiculum corruptum haberi scribit Crinitus De honest. discip. lib. 19. c. 3. nec tamen versiculum illum ex Seneca profert, qui in Editionibus Senecæ variè legitur. Puto Crinitum apud Senecam legisse.

„ Si faciendo plagas cęlestũ ascẽdere cuiquã, &c. quæ lectio Erasmo quoque in annotationibus ad d. Epistolam, & mihi minus placuit, quamquam Pincianus in Castigationibus suis ad eundem Senecam meliorem eam existimat, quam hanc ab Erasmo positam, videlicet.

„ Si fas est plagas cęlestũ ascendere cuiquã, &c. Itaque putabat Crinitus legendum esse apud Senecam, vt in Lactantio, & Erasmus quoque non absurdam esse Lactantij lectionem existimabat. Pithæus autem lib. primo aduersarior. c. 11. Lactantij lectionem damnat, & ita Ennium scripsisse contendit.

„ Si fas endo plagas cælestũ ascẽdere cuiquã, &c. Endo, pro, in, passim dixisse veteres, nec iure reprehensum Aphricanum, si ita locutus fuisset, vt apud Ennium secundum Firmiani lectionem, nam conditionem illam adiecit, Si fas cedendo, &c. quæ potuit non esse vera; iure autem meritò reprehensum, quòd iactasset, sibi tam multis, magnisq; cædibus polluto cælum patere, modò cuiquam mortalium in cœlestium plagas ingredi fas esset. Hanc Pithæi lectionem, quæ mihi valde placet, probat etiam Scipio Gentilis lib. origin. & Lambinus in annotationibus ad fragmenta Ciceronis 3. De Repub. & ferè est eadem cum ea lectione quam se ex diuinatione, & coniectura reposuisse ait Erasmus; sed Pithæi magis Enniana videtur. Vide Gruteri animaduersiones in Senecam.

123 Est verò (inquit) Aphricane) Andreas Patritius in Scholijs ad fragmenta Ciceronis è 3. De Repub. putat legendum, Est verò ita Aphricane, vel simpliciter, Et verò Aphricane. Ego vbi vnanimes cunctos Codices reperio, non facile quicquam immuto, neque tamen litteratorum

torum virorum opiniones reticeo.

124 *Diuinis docere literis*) Genes. 4. vbi frugum, & vitium inuentio, atque cultura Adamo, & Noe tribuitur, de quo differit rursus ipse Lactantius infra lib. 2. c. 14. & S. Augustinus lib. 8. super Genes. ad liter. Plinius igitur ad fin. 7. & cæteri Ethnicorum nugantur, qui hæc Cereri, & Eumolpo Atheniensi attribuunt, vel Dionysio, siue Osiridi, vt scribit Diodorus lib. primo cap. 2.

125 *Vt Æsculapio medicina, Vulcano fabrica.*) Plin. lib. 7. c. 56. Polidor. Virg. De rerum inuentoribus.

126 *Figulinæ repertori*) Scilicet Rhoeco, & Theodoro secundum aliquos vt refert Plinius lib. 35. c. 12.

127 *Vasa Samia*) Plin. eod. lib. c. 16.

128 *Est vero cur quisquam, &c.*) Ita reposui, vt est in B. T. P. & Plantiniana editione, non vt in alijs quibusdam, [Est vero causa, cur quisquam, &c.] malebant enim simpliciter, est cur, vel, est quod. Plautus Aulular. est, quòd reuisam domum. Ouid. 2. Metamor.

Est verò, cur quis Iunonem lædere nolit.

Lactantius supra in fine c. 17. „ Erat planè, „ cur tantum laborem, &c.] & infra lib. 2. c. 7. ad fin. „ Est verò, cur illorum authoritas, &c.

CAP. XIX.

129 M*Etuebant enim malum, si contra publicam persuasionem faterentur*) Exemplum habet de Cicerone infra lib. 2. c. 3. in principio, & idem dicebat S. Augustinus de Varrone lib. 6. de Ciuit. & de Sceuola lib. 4. c. 27.

CAP. XX.

130 S*I animal ipsum fuisset, cuius figuram gerit*) Atqui scriptores non defuere, qui tradiderunt, animal ipsum fuisse, nempe Lupam veram, quæ Romulo, & Remo mammas præbuerit Virgilius 8. „ Et viridi fœtam Mauortis „ in antro, &c.) Ouidius 2. fastorum. Venit ad „ expositos, &c) & 3. Lacte quis infantes, &c.) Propert. 2. Eleg. 6. „ Nutritus duro Romule, &c.) Nec Poetæ solum, sed & Historici, & quidem insignes relati ab Halicarnaseo ad finem primi antiquitat. Plinius 8. c. 17. Strabo in 5. Iustinus Historicus lib. 38. 43. & in fin. 44. Plutarchus parallel. 36. & in quæstionib. Rom. quest. 21. Hygin. c. 252. receptius tamen est, Lupam illam fuisse mulierem, Accam Larentinam nomine appellatam, cognomine Lupam, quòd meretrix esset; Lupas enim cognominabant eas, quæ corpus vulgabant, quomodo Antonij scorta sæpe Cicero in Philippicis Lupas vocat. Hoc supradictorum Authorum plerique, atque insuper alij tradiderunt. Ouid. Fastor 3. Plin. lib. 18. c. 2. Plutarch. in Romul. Festus. Liuius lib. 1. pr. Decad. Masfurius apud Gellium lib. 6. c. 7. Macer histor. lib primo apud Macrob. primo Saturn. c. 10. quam opinionem historiæ magis consonam fuisse creditur scribit Halicarn. vbi supra.

131 *Larentina*) Hanc secutus sum lectionem tum propter authoritatem meliorum Codicum B. T. P. tum quia paulò infra eiusdem festa nullis refragantibus Lactantij Codicibus dicuntur Larentinalia. quamquam de nomine mulieris, & eius festorum multa varietas apud Scriptores. Cicero in Epistolis ad Brutum, Varro, Festus, Liuius, Ouidius initio tertij fastorum, & Plinius vbi supra Laurentiam vocant. At verò Gellius lib. 6. c. 7. Macrobius primo Saturn. c. 10. Tertullianus c. 13. & 24 Apologet. Minutius in oct. & Plutarch. in Romulo Larentiam.

132 *Exemplum scilicet Atheniensium in ea figuranda Romani secuti sunt.*) Quemadmodum Harmodius, & Aristogiton ciues Athenienses Hypparcum tyrannum occiderint latè habetur ex Thucidide in prohem & lib. 6. eorum Plato, & Sympos. meminit Aristotiles 2. Rhetor. c. 25. Cicero prima Tusculana in fine. Ælian. de varia historia lib. 11. Post necem Tyranni, cum Leæna meretrix Harmodij amica, vt scribit Athenæus lib. 13. cap. 24. & ambobus coniuratis liræ cantu familiaris, vt scribit Plinius lib. 34. c. 8. capta esset, & a tyrannis Pysistrato, & Hippia validis tormentis excruciata, vt omne consilium coniuratorum in eo occidendo narraret, & criminis socios proderet, nihil ab ea potuit extorqueri; quin etiam (vt scribit Tertullianus in calce Apologet.) Carnifice iam fatigato, postremo linguam suam comestam in faciem Tyranni sæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset: quamquam hoc factum Plinius lib. 7. c. 23. vbi de Leæna, non ipsi, sed Anaxarcho, cum simili de causa torqueretur, attribuit, sicut & Valerius lib. 3. c. 3. Athenienses igitur eius honori animalis effigiem posuerunt, cuius illa nomen gerebat, sed linguam addi ab artifice vetuerunt. De ænea Leæna ab Atheniensibus huic posita meminit Pausan. in Attic. De historia meminere Athenæ. & Plinius vbi supra, Tertulianus vbi supra, & ad Martyras cap. 6. Item Eusebius Cæsarien. in Chronic. qui cædem Hypparchi recenset sub Olympiad. 65. Vnde non satis assequor, quo modo Lactantius scribat, Romanos

nos in figuranda Lupa exemplum sumpsisse ab Atheniensibus; nam cum Lupæ factum, videlicet Accæ Larentinæ ducentis, quinquaginta circiter annis Leænæ factum præcesserit, simillimum vero videtur, multò antea Lupam à Romanis, quàm ab Atheniensibus Leænam figuratam, & ideo Athenienses potius a Romanis exemplum eiusmodi, quàm Romanos ab Atheniensibus sumere potuisse. Cæterum quia meretrix conscia fuit coniurationis, nec eædem vetuit, quam vtique coniuratos deferendo vetare potuit, meritò ab ea quoque tyrannum occisum scribit Lactantius, cùm tamen ipsa cædem minime perpetrauerit.

133 *Larentinalia*) Qui mulierem Laurentiam vocant, hæc ipsius festa Laurentialia, vel Laurentalia, vt Ouidius sub initium 3. Fastor. qui Larentiam Larentialia, vel Larentalia, qui Larentiam Laurentinalia appellant; ita qui Larentinam, Larentinalia.

134 *Sed famulam quoque, &c.*) De hac Plutarchus in Quæst. Roman. quest. 35. vbi eam Larentiam fabolam vocat.

135 *Floralia*) de quibus Varro pr. de Re rustic. c. pr. Plin. lib. 18. cap. 29. Macrob. lib. primo Satur. cap. 4.

136 *(celebrantur ergo illi ludi cum omni lasciuia, &c.)* Omnes quidem nequitiæ, & obscœnitates illis in ludis representabantur à nudis mulieribus, quę mimorum officio fungebantur; quibus cum aliquādo interesset Cato, illius maiestatem, & seueritatem reueritus populus non ausus est postulare, vt mulieres nudarentur, quod fusius narrat Valerius Maximus lib. 2. cap. De maiestat. Senec. Epistola. 98. Erras mi Lucili. Incidebant hi ludi 4. Calendas Maij, & Calendis ipsis Maij, vt scribit Plinius d. c. 29. & Ouid. in fine 4. & initio 5. Fastor. Lapsum puto Gyraldum, qui lib. De Dijs gent. Syntagm. pr. vbi de Flora loquitur, scriptum reliquit, Festa floralia eadem fuisse cum festis Maiumæ, de quibus in L. vnica. Cod. de Maium. lib. 11. & L. 15. tit. 6. in Cod. Theodos. Floralia enim Romæ fiebant; at Maiumæ spectaculum non in occidentalibus oris, sed in orientalibus præbitum doctissimus Cardinalis Baronius probat in suis ad Martyrologium notationibus sub die 26. Decembr. Suidæ refutata opinione dicentis, Maiumam festum fuisse à Romanis mense Maio ad ostia Tyberina peragi solitum, quamuis Suidam plerique omnes sequantur. Alciatus in annotationibus ad d. L. vnicam. Cod. de Maium. & lib. 5. Parerg. c. 5. Cuiac. ad eandem L. Girard. Pratei. Brison. in suis Vocabularijs in verbo, Mauma. Steuuechius ad Vegetium lib. 3. c. 39. alij. quorum tamen sententia Gyraldo minime patrocinatur, cùm illi Maiumæ festa ad ostia quidem Tyberina peragi solita scribant, non tamen asserant eadem fuisse cum ludis Floralibus, qui in ipsamet Vrbe celebrabantur, vt Alexander Neapolitan. notat genial. dier. lib. 6. c. 8.

137 *Pauorem, Palloremq;*) Cicero 3. De nat. Deorum. Plin. lib. 2. c. 7.

138 *Præsentes haberet*) hæc est recepta lectio à MSS. & excusis, nec temerè reijcienda, sicut nugatur Thomasius. præsentem haberi, vel, præsentem esse, pro, adesse, norunt omnes creberrimam locutionem esse omnibus latinis scriptoribus præsertim Lactantio ipsi lib. 2. Instit. c. 2. in fine lib. De ira Dei, & alibi. B. tamen habet, secum haberet.

139 *Mentem*) Cicero, & Plin. vbi supra.

140 *Magnum Cicero audaxq; consilium suscepisse Græciam dicit, &c.*) Locum excidisse ex 2. de legibus putat Sigonius, & Patritius in eorum scholijs ad fragmenta Ciceronis.

141 *Virtutes enim oportet, non vitia consecrari*) Cicero Virtutes enim non vitia consecrare decet.

142 *Febrem*) Cicero, Plinius vbi supra.

143 *Ast illa*) apud Ciceronem. ast olla.

144 *Superuacuis extructionibus*) Templis videlicet Dijs, seu potius Dæmonibus consecratis.

145 *Imaginibus*) Idolis Dæmonum.

146 *Summis digitis*) iocatur in morem illum Ethnicorum, quo res ad sacrificandum paratas duobus, aut tribus digitis accipere solebant. Thus quidem eo modo in aræ flammam iaciebant. Sanctus Hieronymus Epist. prima. „ Non est tantum in eo seruitus Idoli, si quis duobus digitulis thura comprensa in bustum aræ iaciat.) Lactantius lib. 5. c. 19. „ Nam cruciari, atq; interfici malle, quam thura tribus digitis comprehensa in focum iactare, &c.) Porphyr. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Inquit Pythia Ermionea lætatum, dum sacrificaret, placentæ frustis acceptis è pera tribus digitis.) Ouid. 2. fastor.

Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.

Atque hinc alia quoque Lactantij loca declarantur. lib. 4. c. 3. „ Illa enim religio muta est, non tantum quia mutorum est, sed quia ritus eius in manu, & digitis est. lib. 5. c. 20. In qua nihil aliud video, quam ritum ad solos digitos pertinentem.]

147 *Horrere*) Ex MSS. à Thomasio citatis, nam, colere, quod est in impressis, Lactantio ipsi repugnat.

148 *Cum ex mulierum capillis tormēta fecissent &c.*) Vegetius de re militar. lib. 4. c. 9. Capitolin. in Maximin.

149 *Sicut iuuenes ab iisdem antea missi cum virginibus, ex quibus sunt Parthenij nati, &c.*) Hæc lectio habetur in multis Vaticanis, in antiquissimo illo B. & altero item eiusdem bibliothecæ S. Saluatoris Bononiensis. in editis Florentinis, & Venetis Tridin. Et omnino de hac Partheniorum historia videndi sunt Strabo lib. 6. Iustinus Historic. in fin. lib. 3. Isidorus lib. 9. Orig. c. 2. vbi tamen errore captus est, vt Spartanos pro Parthenij scripserit. Vir eruditissimus Latinus Latinius putauit lectionem Aldinæ editionis, quæ habet, ante admissi non modo minime absurdam esse, & sensu carentem, vt censuit Thomasius, sed etiam valde appositam, & propriè cum historia congruentem; ex qua constat, iuuenes illos antequam bellum illud solueretur, remissos esse Lacedemonem eo iussu, vt ad sobolem procreandam cum omnibus promiscuè virginibus copularentur. Atqui verbum, admittere (præter cæteras eius significationes) est marem fœminæ, vel feminam mari admouere ad initum, vnde admissio, admissura, admissarius. Petrus Ciacconius suspicabatur legendum, antea dimissi.

150 *Parthenij*] al. Partheniæ, vt hic cod. B. Aristoteles quinto Politicor. cap. 7. Pollux in *παρθενίαι*. Strab vbi supra.

151 *Veneri armatæ*] De qua Pausan. in Laconic. Quintil. 2. Instit. cap. 4.

152 *Ioui quoque Pistori &c.* [Historia est apud Liui in quinto primæ Decad. Frontin. tertio Strategem. cap. 15. Ouid. sexto Fast. Suid. in *ὑπεραλεῖ*.

153 *Mutam*] Nympha Tyberis prius Lara appellata, vt apud Varron. quarto de ling. lat. postea Muta. vt apud Ouid. secundo Fast. qui fabulam narrat. ab Auson Larunda dicta, Mania denique alibi ab eodem Varron. Macrobio primo Saturnal. cap. 7. Arnobio. in fin. tertij.

154 *Cunina*] sic legitur apud Varron. & S. Augustinum lib 4. de ciuitat. c. 8. & 11. B. habet, Cunia, P. cuna.

155 *Sterculius*] ita Tertullian. cap. 24. Apolog. Macrob. primo Saturn. c. 7. Stercutius, Plinius lib. 17. c. 9. Seruius in primum Georgic. Isidor. Etymol. lib. 17. c. primo, alij verò Stercutus. Varr. de vit. pop. Rom. lib. 2. Sterquilius. Codex B. hic, stercus. T. Sterculinus. P. stercutus.

156 *Mutinus*] ita Tertullian. d. cap. 24. quam lectionem probat Viues ad c. 11. lib 4. de ciuitat. Dei, & Gulielmus libro primo. Verisimil. c. 23. Festus Pompe. Mutinus Titinus, Mutini Titini (inquit) sacellum fuit in Velijs &c. Arnob. lib. 4. Mutunus. Sed S. Augustinus d. c. 11. habet Mutunus, & Tutunus. Cod. B. & P. hic, Tutinus.

157 *Terminus*] Vid. Apollodor. initio Biblioth. Pausan. in Beotic. in fin.

158 *Nam cum Tarquinius Capitolium facere vellet &c.*] Liui ad fin. primi, primæ Decad. & ad fin. quinti. Ouid. secundo. Fast. S. Augustinus in quarto de Ciuit. c. 23. & 29. Seru. 9 Æneid.

CAP. XXI.

159 *Humanam hostiam*] Ethnicorum feritatem notat, qui humanas hostias immolabant, qua de re Plutarch. in Pelopid. Tertull. 9. Apologet. Clemens Alexand. in orat. ad gentes. Minuc. in Octau. Euseb. lib. 4. præparat. c. 7. Nazianz. in orat. de Epiphan. Sanctus August. de ciuitat. lib. 7. c. 19. Theodoret. septimo Therapeut.

160 *Esum, atque Theutatem*] de quibus Lucan. in primo. Nonnulli Esum interpretantur Martem. Theutates verò Mercurius est, de quo Liuius sexto, tertiæ Decad. Cæs. lib. sexto, de bell. Gallic. vbi de humanis victimis. Arnobius secundo.

161. *Latialis Iupiter*] Dicitur etiam Latiaris, & ita hoc loco scriptum esse in aliquibus Lactantij membranis testatur Franc. Iuretus in notis ad Symmachi Epistoles, lib primo Epistola 9.

162 *De ponte Miluio*] M. Varro. è ponte Sublicio,
„ fiunt (inquit) Argei ex Scirpeis virgultis simu-
„ lacra hominũ, & quotannos, è ponte Sublicio,
„ a Sacerdotibus, iaci solent] sic Epicadus apud Macrobium lib. secundo. Saturn. c. 11. Halicarnass. verò pr. antiquitat. è ponte Sacro. Simulacra (inquit) hominum triginta numero de Sacro ponte mittunt in Tyberim fluuium, quæ Argeos nominant.

163 *Καὶ κεφαλὰς ἅδῃ*) Desumpsit hunc versiculũ Varronis fortasse ex Macrob. primo Satur. c. 7. vbi habetur *ἅδῃ* idest Diti, non autem *κρονίδῃ* idest Saturno, vt est in omnibus Lactantij libris manifesto Librariorum errore, nam hic *τῷ, πατρὶ* non nisi Saturnum designare potest, cui integra corpora humana immolabantur, vt ex Ouid. Macrob. vbi supra, & lib. 2. Saturn. c. 11. cæteris Lactantius hoc ipso loco confirmat. Ergo *τῷ, ἅδῃ* Firmiano restigere oportuit, vt Ditem intelligamus, monente quoque Pontano in notis ad Macrob. vbi supra.

164 *φωτα*) Huiusce dictionis non modo latinam interpretationem, quæ a plerisque editionibus abest, ac plurimis MSS. inest tamen aliquibus alijs hoc modo, *φῶτα*, idest hominem, vel id. st lumina, sed etiam omnem accentum sustulimus, vt ambiguitas seruetur oraculi, quam data opera versus continet; ea verò tollitur, siue accentum dictioni super imponas grauem, aut

cir-

circunflexum (vt praue in omnibus editis reperitur tam apud Macrobium dicto cap. pr. & 11. quam apud Plutarch. An recte dictum sit latè esse videndum, & apud Lactantium hoc loco, cum semper absq; accentu ea vox scribenda sit, vbi ambiguam esse, & tam pro hominum, quam pro lumine capi eam dicimus, nam accentu graui signata ad hominis, circumflexo ad luminis significationem contrahitur, vt tradit Suidas in φώς, & alij siue articulum proponas siue multo magis, si addita interpretatione eam in alterutrum sensum declares. Cur autem φως & hominem, & lumen significet ponit Plutarch. vbi supra.

165 *Iaci*) Iace, legitur vitiosè in omnibus Lactantij libris, ideo correximus vt est apud Poetam.

166 *Tantum religio potuit suadere malorum, Quæ peperit sæpè, &c.*) Duos Lucretij versus à se inuicem separatos initio primi de natura rerum coniunxit, ordinauit, extulit, vt ad rem suam facere putauit: ibi enim prius illa leguntur,

——————— quod contrà sæpius olim
Religio potuit scelerosa, atq; impia facta.

Deinde paucis interiectis ille versus habetur

Tantum religio potuit suadere malorum.

167 *Isidis Ægyptia sacra*) De quibus supra c. 17. Arnob. primo Minut. S. Augustinus lib. 6. de Ciuit. c. 10.

168 *Lucanus*] μνημονικὸν ἁμάρτημα, nam pro Ouidio Lucanum posuit.

169 *Et tectum ligno*] arca videlicet lignea inclusum (sic quidem habent libri Lactantiani) vel (vt omnes Lucani Codices habent) & tectum lino, idest linteis obuolutum, &c.

170 *Osiris*) Miratur Gyraldus syntagm. 8. Lactantium hoc loco filium Isidis Osirim fecisse, cum Plutarchus, cui Diodorus assentit primo lib. c. 2. non filium, sed fratrem, ac maritum Isidis eum dicat in lib. De Isid. & Osirid. Verùm meminisse debuit Gyraldus ex ijs, quæ collegerat ipse syntagm. 6. vbi de Serapid. in 8. vbi de Osirid. in 12. vbi de Iside loquitur, implexam historiam, & valde abditam: intelligere potuit, Lactantium quamuis ab opinione Plutarchi recesserit, aliorum tamen haud multò minus Plutarcho grauium Scriptorum narrationem secutum. Principio Iouem, quam Iupiter compressit, eandem fuisse cum Dea Iside Ægypto culta ipse Firmianus asserit sup. c. 11. Ouidius in fine primi Metam. Apollodorus initio 2. Biblioth. Lucian. in Dialog. Zephir. & Not. vnde & a Propertio de sacris ipsius, quæ Romæ suo tempore agebantur, loquente Inachis appellatur lib. 2. Eleg. penultima.

Atq; vtinam Nilo pereat, &c.

Itẽ lib. 2. Elegia, (quę incipit) *Iupiter affectæ, &c.*

Io versa caput primos mugiuerat annos
Nunc Dea, quæ Nili flumina Vacca bibit.

Id quoq; Græcos affirmare scribit Ælianus. Hæc Epaphum genuit ex Ioue, qui ab eadem cultus Ægypto coniunctum matri Templum habuit, vt Ouid. & Ælianus tradunt. Porrò qui Epaphus Græcis, ille idem est qui Ægyptijs Apis, vt scribit Herodotus. Apim autem eundem esse cum Serapide ex Aridæo Argiuo nouimus, & Nymphodoro Amphipoletano apud Euseb. 10. Præpar. & ex Varron. apud August. 18. Ciuit. c. 5. Idem vulgò creditum scribunt Ruffinus, Suidas, alij. Iam verò Serapim eundem cum Osiride creditum scribit Tacitus in fine vigesimi; Et Diodorus Siculus lib. primo c. 2. asserit, Serapim tum dici Osirim, tum Dionysium. Et idem ait Lactantius ipse hoc loco. Quinetiam Plutarchus in lib. De Isid. & Osirid. „Præstat (inquit) autem Osirim cum
„ Baccho eundem facere, & cum Osiride Sera-
„ pim.) Et rursus de Api quòd idem habitus sit cum Osiride a Sacerdotibus Ægyptijs refert Plutarchus ibidem & Strabo de Memphi loquens lib. 17. Lactantius igitur eum, qui in sacris Isidis semper quærebatur, & inueniebatur ipsius Isidis filium fuisse, vt historia docet, eundemq; Osirim dicere hos secutus authores potuit.

171 *Ardua iamdudum resonat*) Nonnihil variat lectio horum versuum apud Ouidium, nam ibi;

[pars manibus clypeos, & res.]

Latuit patrem, prisciq; imitamina facti.

172 *Quia principes intelligendi*) Locus hodie non habetur inter opera Sallustij.

173 *Vetustatem in maius componentem*) Secutus sum Florentinæ editionis lectionem probatam Carrioni lib. 2. antiq. lect. c. 7. pro ea, quæ est in al. vetustatem in maius componentes. Non enim voluit Sallustius a Curetibus vetustatem; sed potius Curetum illud & inuentæ, & intellectæ religionis factum, quippe qui principes fuerunt intelligendi res diuinas, ab ipsa vetustate in maius fuisse compositum, & ideo Iouis altores dictos, eoque nomine celebratos.

174 *Illos dico, qui vel inhonesto saltatu tripudiant*) Salios innuit Martis Sacerdotes.

175 *Vel qui nudi vncti*) Lupercos significat Panos Pastorum Dei Sacerdotes.

176 *Quid de scutis iam vetustate putridis &c.*) hæc erant Ancylia. Virgilius autem de his omnibus in fin. 8.

Hinc exultantes Salios, nudosq; Lupercos,
Lanigerosq; apices, & lapsa ancylia cælo
Extuderat.

 177 O'stul-

177 *O' stultas hominum mentes, ô pectora cæca Quamlibet in tenebris, &c.*) Lucretius in hisce versibus pro, stultas, habet, miseras, pro, quamlibet, qualibus.

178 *Minus sanus, & ineptus*) secutus sum cum Thomasio lectionem Cod. B. pro ea, quæ in aliquibus impressis est, nimis lasciuus, & ineptus, &c. Quamquam valde placet & illa, quã de coniectura profert Ludouicus Carrio antiquarum lection. lib. 2. c. 7. videlicet, minus lasciuus, & ineptus, &c. Lasciuia autem hic non est libido, sed hilaritas, & iocus petulantior. Vlpianus in L. Cornelia D. ad L. Cornel. de sicar. Cum quidam per lasciuiam causam mortis præbuisset, &c. Sic Cicero pr. de Finib. primo de Diuinat. Varro pr. De re rustic. Vide Budæum in annotationibus ad l. ex conducto, §. Si vis tempestatis. D. locati.

CAP. XXII.

179 S*Abinus ille Rex fuit*) Numa Pompilius, de quo hic habes multa ex Liu. lib. 10. 4 Decad. & Plutarcho in Numa.

180 *Nefaria sacra*) quia infantes Saturno immolabantur, quod scelus Tertullianus etiam exprobrat gentibus c. 9. Apolog.

181 *Fatuam Faunam*) hanc alij Fatuam, alij Faunam vocant, alij simul Fatuam Faunam, vt Lactantius hic, & Arnobius lib. pr. & 5. Cur autem vtroque nomine appellaretur scribit Macrobius pr. Saturn. c. 12.

182 *In operto sacrificant*] ita B. & cæteri omnes MSS. optimi, non vt est in deterioribus impressis mendosè, in aperto, quod Lactantij sententiæ repugnat, & historiæ de Sacris ipsius Deæ, de quibus Cicero in orat. de aruspic. respons. Macrobius vbi supra Plutarchus, Cæsare, & Cicerone, Senec. epistolar. lib. 16. epistola 98. erras mi Lucili &c. vbi etiam in castigatis editionibus legitur, in operto, correctum tamen hic mendum est in excusis Aldinis, Florentinis, Plantinianis.

183 *Et sextus Clodius*] De quo Sueton. in libell. De clar. Rhetor.

184 *Ollam cluberas*] Ego quicquid vsquam reperi à doctis viris in Lactantio nostro meditatum, libenter cum lectore communico, vt ne quid ei desit vel ad vtilitatem, vel ad voluptatem capiendam. Cæterum etiam atque etiam vnumquemque commonitum velim, vt ne sibi a veteribus, & iam receptis lectionibus vnquam recedendum putet, quæ aliquo modo defendi, ac sustineri possint, alioquin si pro cuiusque nostrum ingenio dictiones veteres, ac sententiæ mutentur, inuertantur, & nouis subinde inuectis vtcunque collibeat expungantur, non iam profectò scriptorum antiquorum monumenta, sed nostra commenta tenebimus. Ioannes Meursius libro quinto, Critici Arnobiani cap. sexto, legendum hoc loco putat, Obbam. Erat autem Obba poculi genus authore Nonio: Arnobius quinto hanc historiam referens, Seriam, dicit (erat autem & seria vas vinarium fictile oblongum) & Lactantio seu potius sex. Clodio consentit, vt à viro Fama Fauna ob vinum largius epotum cæsa fuerit, sicut tradit etiam Plutarch. problematis. Verùm apud Macrob. longe aliter factum narratur d. c. 12.

185 *Terricolas lamias Fauni &c.*] putantur excidisse hi versus ex Satyris Lucilij, inere, & esse homines &c.] ita legendus est, versiculus iste sicut apud Lucilium ipsum in collectaneis fragmentorum veter. Poetar. Ethic. in B. T. P. nec omittenda copula, vt in quibusdam excusis.

186 *Ahenis*] ad oram vnius libri pro, ahenis, scriptum erat, inanis, quam suspicor esse veram lectionem, ita vt punctus fiat post, inesse, deinde continenter legatur, inanis pergula pictorum, quibus aptissime subduntur illa, veri nihil, omnia ficta.

187 *Item patres eorum Faunus, & Laomedon*] eorum, scilicet Latini, & Priami, nam Priami Laomedon pater fuit, Latini Faunus pater, Picus auus. Ideo lego hic cum B. & T. non (Picus) vt in multis editionibus sed Faunus. Virgilius septimo de Latino loquens.

„ *Hũc Fauno, & Nympha genitũ Laurente Marica*
„ *Accepimus, Fauno Picus pater, isque parentem*
„ *Te Saturne refert.*] sed & Arnob. lib. 2. quis
„ *Picum Fauni patrem, atque auum Latini? &c.*]

188 *Historia verò sacra testatur &c.*] Historia videlicet Euhemeri De Dijs, de qua supra toties.

189 *Vt in quamque regionem venerat*] Ita lego, vt est in B. vt, pro, statim atque, ex quo primũ, vetustatis obtinet mirum quantum. Plaut. penul.
„ ——— *vt quemque visi offenderant,*
„ *Tam crebri ad terram decidebant, quàm pyra.*
„ *Terent. Hecyr.* ——— *Vt quisque venerat*
Accedebam.] al. in quamcunque regionem venerat. al. in q. r. veniret.

190 *Atabyria*] In B. scriptum est, Ataburio, ea videlicet prolatione, qua Latini olim græcum *ὑψιλόν* per v, repræsentabant: sic Musia, pro Mysia, Tumpanum, Assurius, Sulla, Purrhus, Polupolus, & similia in Pandectis Florentinis reperiri testatur Brisson. in Parerg. Corrigitur Appian. qui in Mithridatic. hist. Iouem pro Atabyrio Tabyrium vocat; quia priori modo & dicendum, & scribendum liquet ex hoc loco, Stephano, Strabon. Apollodor. tertio. Biblioth. & Pin-

& Pindar. in Olymp. vbi Diagoram celebrat, & eius Scholiaste. Stephanus tamen, & Strabo non ab hospite, vt Lactantius, sed à monte Atabyrio Iouem ita dictum volunt.

191 *Labradeo*) ita Plutarch. in quæst. græcis, quæst. 45. & Ælian. Strabo autem, & Stephan. Lambradeus, vel Labrandenus. Ælianus non ab hospite, vt hic tradit Lactantius, sed alia ratione hoc nomine vocatum scribit Iouem. „ Labradeus (inquit) Iupiter nominatus est, quod permultum pluisset.

192 *Cassio*) ita scripsi, vt reperi in omnibus Codicibus, & apud Theophil. duplici ff. ille enim scribit κάσσιος ζωὶ. Stephanus tamen non ab hospite, sed à Casio monte, & Vrbe Ægypti hoc Ioui nomen inditum scribit. „ Casion (inquit) mons, & Vrbs Ægypti, à quo & Casij Iouis, &c.) Sed & Plin. Casij montis, & Iouis Casij ibi delubrum habentis meminit lib. 4. & 5. vtrobiq; cap. 12. Strabo lib. 16. Solin. c. 46. 47. & 49. Suid. & siquidem hinc denominatum Iouem malimus, non (Cassio) scribendum est, sed simplici s, Casio, vt apud Lucanum lib. 8. de Pompei sepulchro loquentem.

Et Casio præferre Ioui, &c.

193 *Nepotem*] scilicet Vrani, siue Cœli, qui primus orbis vniuersi imperio præfuit. Is enim ex Tellure vxore filium suscepit Saturnum, Saturnus ex Rhæa Iouem, vt scribit Apolodor. initio Biblioth. Lactantius etiam hic subdit, „ auiam Tellurem, quæ fuit Vrani coniux) Vranus ergo auus Iouis, & Iupiter eius Nepos, vt ait etiam supra cap. 5. & in fin. c. 11. Hæc igitur recta lectio est ab omnibus excusis libris agnita, non, pronepotem, vt ex B. legitur ad oram librorum Plantinianæ editionis, in Lax. item, & P.

CAP. XXIII.

194 THeophilus in lib. de temporibus, &c.) Hic liber tertius est eorum, quos ipse Theophilus contra gentes scripsit ad Autholycum. vid. Sanctum Hieronymum de script. Eccles.

195 *Thallum*] ita scripsimus monente Meursio in Hypocritic. ex Tertulliano 11. Apologet. Minut. & ipsomet Lactantio hoc lib. sup. c. 13. per Thalum, quod legitur in omnibus excusis.

196 *CCCXXI. annis*] Thalli lapsum, quem secutus est Theophilus, & deinde Lactantius ostendit luculenter Benedictus Pererius in Commentar. ad Daniel. lib. 16. cap. 14. & lib. 11. in disputat. de 70. hebdomad. part. prima, quæst. 2. Quamuis autem in hac supputatione mirè varient Chronologi, omnium tamen expensis sententijs haud minus, quàm octingentis, vel nongentis circiter annis Belum Troiano excidio antiquiorem fuisse constat. vid. Hermann. Contract. in Chronic. & alios.

197 *Mille quadringenti septuaginta*] Si hæc scripsisse Lactantium anno Domini 302. verum est, vt mihi quidem videri superius in notis ad cap. primum asserui, secundum Glareani Chronologiam ad Liuium ex probatissimis conflatam authoribus, colligerentur anni 1485. nam ab excidio Troiano ad Vrbem conditam fluxisse scribit annos 432. ab Vrbe condita ad Christum natum 751. quibus addendo annos 302. ipsa conficitur summa annorum 1485. qui autem asserunt hæc scripsisse Lactantium anno 316. magis eum a vera summa aberrauisse fateri coguntur. Verùm Chronologi, vt dixi, vehementer variant, neque in supputationibus temporum satagit Lactantius.

198 *Ante annos non amplius, quam mille octingentos, &c.*] Iam ex superioribus fallus apparet calculus. Arnobius aliam iuit supputandi rationem, & ad duo millia annorum ab Ioue ad illa vsque tempora intercessisse scribit propè finem lib. 2.

Primi Libri Notæ finis.



IOSEPHI ISAEI CÆSENATIS NOTÆ

IN SECVNDVM LIBRVM DIVINARVM INSTIT. LACTANTII FIRMIANI.



CAP. I.

1 *GESTIO enim conuictis inanibus &c.*] al. gestio enim, Constantine Imperator, conuictis inanibus &c. At illa, Constantine Imperator, in plerisque Vaticanis, in duobus Sancti Saluatoris Bononien. in T. P. in editione Florentin. & alijs quibusdam non habentur.

2 *Esse aliquam peruersam potestatem*] scilicet Diabolum.

3 *Cuius originem suo loco narrabimus, nunc fallacias arguamus*] hæc in nostra editione restituta voluimus authori ex Codice B. vt etiam Thomasius in Plantiniana, quæ cæteris desunt.

4 *Spectare nos cœlum Deus voluit &c.*] Erectus, (inquit) est homo, vt Cœlum suspiciat. Ita Plato in Timæo, vbi de viu oculorum. Senec. epistola 95. eam partem &c. ad fin. Philo. Iudæ. in lib. de plantat. Noe. Basil. Homil. 9. in Hexamer. quod tamen dictum arguit Galenus libro tertio, de vsu part. cap. tertio.

5 *Vt id, cui dominari debet, imitetur*] ita legendum esse, vt est in B. & P. textus ipse conuincit, non vt in plerisque impressis, ne id, &c.

CAP. II.

6 *QVid sibi templa?*] Ita de templis manufactis lib. primo cap. 20. libro sexto, cap. 25. lib. de Ira Dei cap. vltimo in fin.
„ sed & Arnobius initio sexti „ quòd neque (in-
„ quit) ædes sacras venerationis ad officia con-
„ struamus &c.] & ibidē paulò infra. „ Sed tem-
„ pla illis extruimus nulla &c.] & Minuc. ad fin.
„ Octau. „ Templum quod ei extruam? &c.] Nos autem dignius quidem, ac principalius Dei templum humanam animam & didicimus, & dicimus, & docemus, quod præcipuè illi sit exornandum, dicandum, atque sacrandum, sed nec manufacta hæc tamen templa deserenda, in quibus illi exterior quoque debitus cultus exhibetur asserimus, qui Dei ipsius iussu templum illud scimus Hierosolymis a Salomone constru-

ctum

ctum magnificentia, firmitate, opulentia, decore vsque ad miraculum suspiciendum, vt sacra historia 2. Reg. & Iosephus Iudæ. de antiquit. & de bell. Iudaic. & Eupolem. apud Euseb. 9. præparat. testantur; illudque ipsum Dei filium Dominum nostrum sæpe suimet præsentiæ, & mansionis claritate nobilitasse, inde profana exercentes depulisse, domum patris, domum orationis appellasse Ioan. 2. Marc. 11. Idcirco iam inde vsque à primis conditi mundi temporibus semper locum aliquem diuino cultui dedicatum inter fideles fuisse, quamuis diuersis nominibus appellatum omnis instrumenti veteris pagina testatur Gen. 28. & 35. Daniel. 7. Amos 4. Esai. 56. Exod. 25. Deuteron. 12. In Prophetis, & psalmis vbique. Post autem Domini Saluatoris excessum, de Ecclesia, quæ erat Corinthi in hac significatione Paulus Apostolus mentionem agit in pr. ad Corinth. c. 11. Iuuat & exteros illorum temporum testes aduocare. Philo Iudæus Petri Apostoli contemporaneus (nam & cum ipso Romæ collocatus dicitur, dum ibi ad Caium pro Iudæis legatione fungeretur) in lib. de vita contemplat. vbi fidelium mores, qui sub Marco Euangelista Alexandriæ degebant describit, testatur, eos habuisse sacras ædiculas, quas Semnea, siue monasteria vocabant, vbi solitarij sanctæ vitæ mysterijs dabant operam: quem refert etiam Eusebius lib. 2. hist. Eccl. c. 17. Vel Luciani illius impij, & Christianorum hostis infensissimi, qui Apostolorum, & etiam Traiani temporibus vixit, locus extat in Philopat. vnde intelligi potest, quo etiam tum sumptu, ornatu, impensa inter Christianos excitabantur Ecclesiæ: ibi enim Critiam quendam introducit, qui cum ab aliquo fideliũ persuaderetur fieri Christianus, ab eodem vbi Christianorum conuentus ageretur est deductus, quem quidem locum ita describit. „ Pertransiuimus ferreas portas,
„ & ærea limina, multisq; iam superatis scalis in
„ domum aurato fastigio insignem ascendimus,
„ qualem Homerus Menelai fingit esse, atque
„ ipse quidem omnia illa contemplabar, quæ
„ insularis ille adolescens, video autem non
„ Helenam, sed mehercule viros faciem inclina-
„ tos, & pallescentes, &c.] Lampridius Lactantij contemporaneus (scripsit enim primis Constantini temporibus) in Alexandro testatur, Alexandrum ipsum, qui capessiuit Imperium anno Domini ducẽtesimo vigesimo quarto, adiudicasse Christianis locum, vt ibi erigeretur Ecclesia. „ Cum Christiani (inquit) quen-
„ dam locum, qui publicus fuerat, occupassent,
„ contra popinarij dicerent, sibi eum deberi, re-
„ scripsit, melius esse, vt quomodocunque illic
„ Deus colatur, quàm popinarijs dedatur.]
Flauius Vopisc. de Christianorum Ecclesia Valeriani Imperatoris, qui post annum Domini circiter ducẽtesimũ quinquagesimũ septimũ Imperium tenuit, hoc testimonium profert ad Senatum rescribentis. „ Miror vos Patres sancti
„ tandiu de aperiendis libris Sybillinis dubitasse,
„ perinde quasi in Christianorum Ecclesia, &
„ non in Templo omnium Deorum tractaretis.)
Euaristus autem Pontifex (vt ad nostros redeamus) qui sedem tenuit anno domini centesimo duodecimo, titulos, idest ecclesias in vrbe Roma diuisit Presbyteris, quod ex libro de Romanis Pontificibus constat. Tertullianus qui floruit circa annum Domini ducentesimum de Ecclesia meminit in hac significatione in libro de Idolat. item ad vxor. lib. secundo cap. 9. lib. de veland. virginib. c. 13. & alibi sæpe. Sed & Cyprianus, qui paulò ante Lactantium floruit post annum Domini ducentesimum quinquagesimum Ecclesiæ sub nomine Dominici mentionem egit libro de operibus, & eleemosyn. sicut & concilium Laodicenum c. 28. relatum in cap. non oportet. distinct. 42. cuius nominis rationem affert Eusebius in oratione de Laudibus Constantin. Vualfrid. item, & Strab. de reb. ecclesiastic. cap. septimo. Eodem libro, de Romanis Pontificibus habetur, Fabianum Pontificem anno Domini ducentesimo quadragesimo quinto, quo tempore Christiani tranquillitate potiebantur, struxisse Ecclesias, vnde sepulchra martyrum, quæ subtus terram in cryptis arenarijs latebant, erectis desuper eiusmodi ædificijs, reddita fuerint clara, atque conspicua Christianorum vsui oportuna. Sanctus Gregorius Nyssenus in vita Sancti Gregorij Thaumaturg. scriptum reliquit, ipsum Sanctum Gregorium eodem Fabiani tempore Neocæsareæ in Ponto, cuius vrbis erat Episcopus, vniuerso fideli populo pecuniam, & operam conferente nobilem erexisse Ecclesiam, quæ vt Deo acceptissima, nullis vnquam terræ labefactata sit motibus; nam licet vrbs illa terræ motibus prope interierit, dicitur tamen templum illud integrum semper, atque illæsum mansisse, & ne illo quidem tempore, quo Diocletiani decreto omnes dirui sunt iussæ Christianorum Ecclesiæ vlla vi appetitum; integrũ n. extasse eiusdem Nysseni tempore, qui alijs quoque locis templa, atque altaria à Christianis erecta eodem Fabiano sedem tenente testatur. Denique paulo ante quam scriberent Arnobius, Minutius, Lactantius, edictum Diocletiani de diruendis Ecclesijs, & comburendis Christianorum libris erupisse constat ex Eusebio lib. 8. Histor. cap. secundo, & tertio, qui eam cladem deplorat sicut, & ipse

Arno-

„ Arnobius in fin. quarti, his verbis. „ Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conuenticula dirui, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur Magistratibus, exercitibus, Regibus?] & eodem tempore ex eodem edicto ædem Bithyniæ diuini cultui dicatam, quam ille Dei templum rectè nominat se præsente euersam fuisse testatur Lactantius infra lib. quinto, c. secundo, qui & suam de Templis Christianorum sententiam aperit libro sexto in fin. vbi docet, Deo quidem in Templis gratias agendas esse, verumtamen non in templis solùm, sed & domi, & in ipso etiam cubili. Et libro de ira Dei. cap. 8. fatetur, templa ædificare, sacrificia facere, dona conferre Deum colentis erga ipsum Deum obsequium esse. Contra Ecclesias virulentam linguam exeruit, (sicut machinas olim Nabuchodonosor Rex Babylonis Diaboli typus, de quo quarto Reg. cap 25. & Diocletianus ille nefarius) quidam Eustachius hęreticus, contra quem coactum est Concilium Gangrense circa tempora primi Concilij Niceni: id ita definit cap. quinto, suorum Decretor. „ Si quis „ docet, domum Dei contemptibilem esse debere, & Congregationes, quæ in ea fiunt, anathema sit.] Hanc hæresim postea ex inferis iterum excitarunt Patareni hæretici (vt scribit Hugo Ferrariensis) anno Christi 1200. quos secuti sunt Vualdenses, Vuiclepbistæ, Hussitæ, Taboritæ.

7 *Quid aræ volunt?*] Ita de sacrificijs lib. primo c. 20. libro sexto, cap. 1. 20. & 25. lib. septimo, c. 6. libro de ira Dei. c. 21 Philo Iudæ. in lib. quod deter. potior. insidi. Arnob. ad fin. quarti. Ea scilicet prisci patres clamitabant aduersum illos, qui ita Deo immolabant, quasi hostijs, ac victimis indigeret, id ipse ostendit Lactantius lib. sexto c. 2. „ mactant igitur (inquit) opimas, ac pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina quasi sitienti, accendunt lumina tanquam in tenebris agenti] vel qui ita exteriora peragebant, vt sacrificium interius, contriti videlicet cordis, humiliati, ac Deo deuoti penitus omitterent. Nos verò & sacrificium interius, quo mens offertur Deo, & quidem etiam exterius a nobis ei deberi asseriu us, qui scimus, toties de sanctis altaribus, & sacrificijs in sacris literis mentionem fieri Gen. quarto. 8. 12. Leuit. 2. & 6. Numer. quinto. Paralip. lib. secundo, cap. 28. innumeris alijs in locis. Sacrificium quidem exterius Deo semper debitum etiam naturali ratione idcirco fuisse scribit Sanctus Thom. secunda secundæ quæst. 85. articulo primo, quia naturalis ratio dictat homini, vt alicui superiori subdatur propter defectus, quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adiuuari, & dirigi, & quicquid illud sit, hoc est, quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, vt ei, quod est supra hominem, subiectionem, & honorem exhibeat secundum suum modum; & est modus conueniens homini, vt sensibilibus signis vtatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit; & ideo ex naturali ratione procedit, vt homo quibusdam sensibilibus rebus vtatur, offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis, & honoris secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominij; hoc autem pertinet ad rationem sacrificij, quod olim exhibitum Deo est etiam ipsiusmet iussu in victimis. Nunc sacrificium incruentum ineffabile a Christo Domino institutum in Sacrosanctissima offerimus Eucharistia, de quo plura ad primum cap. lib. sexti. Vnde ipse Lactantius libro de ira Dei. cap. 19. inquit. „ Quibus persuasum est Deo placere iustitiam, eumquè, quia sit dominus, ac parens omnium, venerantur, & precibus assiduis, ac frequentibus votis dona, & sacrificia offerunt &c.] & lib. eod. c. 8. „ tēpla ædificare, sacrificia facere, dona conferre &c.]

8 *Quid denique ipsa simulachra &c.*] sic sæpe de simulachris, siue imaginibus Lactantius intra cap. 3. 7. 18. & 19. Tertullian. cap. 12. Apologet. Lubet autem admirari cum Sancta Synodo septima infelicium capitum insaniam omni lacrymarum fonte lugendam, quæ sanctorum patrū loca aduersus Idololatras directa detorquent impiè contra Sanctorum imagines, quas piè veneratur Ecclesia; nam meritò quidem gentibus exprobrabant, quòd statuas, aliasve imagines adorarent, quæ nil aliud essent, quam simulachra hominum mortuorum, illisque ipsis simulachris circumscripta numina esse censerent, vt ex ijs liquet libri sexti Arnobij verbis. „ Sed erras (inquitis) & laberis, nam neque nos „ æra, &c.) At verò quicunque Catholicam fidem amplectuntur non mortuorum, sed viuorum imagines (Deo enim viuunt Sancti ipsius) non adorant latriæ quidem, quæ vni Deo debetur, adoratione, sed qua decet veneratione prosequuntur; neque in ijs animo imaginibus sistunt, quasi illis ipsis finita numina censeant, sed in eos feruntur Cœlites, quorum imagines venerantur, quia in ipsorum recordationem, dilectionem, imitationem inde vehementer excitantur, vt ait S. Gregorius Magnus in Epistola ad Secund. Cæterum iam a

Chri-

Christi, atque Apostolorum temporibus ipsius Christi, sanctissimæquè Crucis eius, matrisquè virginis, & ipsorum Apostolorum imagines in veneratione apud fideles habitas nemo potest ambigere, qui paulisper modo sit historijs sacris imbutus. De Christi quidem imagine nulli mortalium elaborata, sed ab ipsomet Christo domino effigiata, & Abagaro Edessæ principi ab eo missa grauissimi tradunt authores; Euagrius hist. lib. quarto, cap. 26. vbi & de eiusdem imaginis miraculis in Concilio Niceno secundo veritatis, & probatis. Ioan. Damasc. de fide orthod. lib. 4. cap. 17. Nicephor. hist. lib. 2. cap. 7. Constantin. Porphyrogenit. apud Metaphrast. die 10. Augusti, & die 15. Nouembris, in actis Sanctorum Samonis, & Guriæ. Quin etiam Græci de eadem imagine festum anniuersarium celebrant 17. Kal. Septembris, vt in eorum Menolog. Adrian. PP. eius nominis primus ad Carolum Magnum Epistolam scribens, quæ extat in tomo tertio, Concilior. nou. adition. testatur, eandem de imagine Christi ab eo ad Abagarum missa historiam cognitam, & receptam fuisse a Stephano PP. in Concilio Romano, & de eius miraculis etiam apud Theophanem hist. miscel. lib. 17. & Metaphrast. vbi supra. Quo Christi ipsius testimonio pro sanctis imaginibus quodnam aliud vel firmius, vel illustrius afferri potest? Iam de statua Christi erecta à Syrophænissa, quæ ab ipso domino sana facta fuerat, cum sanguinis profluuium pateretur, vt scribunt Euangelistæ, proditum est ab Euseb. hist. lib. 7. cap. 14. Damasc. De Imaginib. orat. tertia. De Saluatoris imagine in Ecclesijs pingi solita extat Can. Synodi habitæ ab ipsis Apostolis Antiochiæ his verbis. „ Ne de-
„ cipiantur saluati ob Idola, sed pingant ex op-
„ posito diuinam, humanamquè manufacta m-
„ impermistam effigiem Dei veri, ac Saluatoris
„ nostri IESV Christi, ipsiusquè seruorum
„ contra Idola, & Iudæos; neque errent in Ido-
„ lis, nec similes sint Iudæis.] Tertullian. in lib. de pudiciti. calicum picturas recenset, in quibus pastor Christus cum oue reperta pingebatur. Crucis autem vexillo tanquam præfixo titulo antiquitus Ecclesias insigniri solitas, atque ideo quoque tituli nomine appellatas intelligimus ex l. vltima Cod. de Pagan. in Cod. Theodos. & ex l. decernimus. Cod. de Episcop. & Cleric. Sanctus Irenæus, qui proximus fuit Apostolorum temporibus (is enim magistrum habuit Policarpum Ioannis Apostoli discipulum) damnat Eucratitas imaginibus Christi Domini, & Pauli Apostoli abutentes lib. primo, cont. hæres. cap. 24. De Imaginibus verò Deiparæ virginis à Sancto Luca Euangelista depictis scribit Theodor. Isedor initio Commentar. in Lucam. Nicephor. Calist. lib. secundo, cap. 43. lib. sexto, cap. 15. lib. 14. cap. secundo, lib. 15. cap. 14. De ipsorum quoque Apostolorum Petri, & Pauli imaginibus ab eodem Santo Luca depictis idem Nicephor. primo, hist. cap. 43. & d. cap. 15. lib. sexti. De Angelorum imaginibus, quæ tunc pingebantur, meminit Dionys. Areopagita Pauli Apostoli discipulus. De Cælest. Hierarch. cap. primo, & secundo, quem refert Adrian. primus, in lib. aduersus Pseudo-Carol. ad Carol. Magn. Denique Sanctus Paulinus Nolanus Episcopus Lactantij contemporaneus ad Seuerum Scribens Epistola 12. testis est, sacras, ac venerandas Cruces, aliasque Sanctorum imagines in absidibus Ecclesiarum pingi solitas illis versibus.

„ *Pleno corruscat Trinitas mysterio, &c.*]

Atque hactenus de sanctis imaginibus in vsu, & cultu habitis ante tempora Lactantij, & ipsomet Lactantij tempore; nam post tempora Constantini Magni, & ab ipsomet Constantino vbique sculptas, pictasque imagines, & perpetuò deinde in Ecclesia Dei fuisse tam manifestum est, vt nulla probatione res egeat. Epiphanium Episcopum hunc olim errorem habuisse ferunt de non habendis imaginibus, idquè constat ex dictis ipsius hæres. 79. in lib. aduersus hæres. & in quadam Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum ab ipso scripta: & deinde tempore Sancti Gregori Magni Serenum quendam Episcopum Massilien. quem ipse Sanctus Gregorius, per Epistolam vehementer increpat, quod inconsiderato zelo quorundam Sanctorum imagines fregerit, timens, ne a populo adorarentur. Neque tamen hi duo Episcopi de hæresi sunt notati, cum eo tempore nondum ea de re quicquam Ecclesia decreuisset, neque illi pertinaci quodam animo id ita sentirent, vt parati non essent Ecclesiæ contrarium docenti assentiri. Fautores quidem eiusdem erroris fuere multi Græcorum Imperatores, Leo Tertius scilicet, qui propterea à Gregorio Tertio communione fidelium, atque imperio priuatus est, Constantinus Quintus, qui à Deo Elephantiæ morbo percussus interijt, & Leo Quartus, cuius vxor Irene eo defuncto curam gerens Imperij nomine filij Constantini Sexti, Concilium in Nicena Vrbe secundum curauit congregandum, in quo a trecentis quinquaginta Episcopis opinio aduersus sanctas imagines tanquam hæresis est perpetuo anathemate damnata. Hoc Concilium Græci septimam generalem Synodum vocant coactam anno Domini 781. imperantibus Constantino, & Irene eius matre, sedente Adriano

M m Ponti-

Pontifice eius nominis primo. Eam hæresim habuere Samaritæ, Sarraceni, Ariani, Theopaschitæ, & propiori tempore Vualdenses, Vuiclephistæ, & alij iniquitatis, & tenebrarum filij Iconoclastæ, siue Iconomachi appellati non solum in d. septima Synod. generali damnati, sed & in octaua Vniuersali Constantinopoli coacta sub Adriano II. in tribus Lateranensibus in Francfordien, & denique in Tridentin. sessión. 25. & conuicti præclaris disputationibus Ioannis Damasc. Ionæ Aureliaren. Ioannis Molani in eorum libris De Imaginibus, atque picturis, Doctorum omnium in cap. venerabiles. De Consecrat. Distinct. 3. & S. Thom. 3. part. quæst. 25. art. 3.

9 *In Libris moralibus*] qui magno damno interciderunt.

10 *Fucum stultitiæ perbiberunt*] Cum hac lectione consensit Cod. B. S. Saluat. antiquior, sed alter eiusdem Cœnobij, nonnulli Vatican. T. & P. & editio Florentina habent, succum stultitiæ, &c. Ego priorem ab Aldin. & Plantinian. impressione exhibitam, & probatam Antonio Augustino, vt testatur Thomasius in notis, secutus sum; vt videlicet translatio desumpta sit a coloribus, quibus panni inficiuntur, cum dixerit hoc eodem loco, Ethnicos infectos esse persuasione, &c. Sic Plin. lib. 22. c. 2. Iam verò infici vestes scimus admirabili fuco. Et Cn. Matius apud Gell. lib. 20. c. 8.

Iam sensiles tapetes ebrij fuco
Quos concha purpura imbuens venenauit.

CAP. III.

11 **A***It tamen, non esse illa vulgo disputãda, &c.*] ponitur hic locus inter fragmenta Ciceronis è 3. De natura Deorum.

12 *Hoc enim quod oculis subiectum est, non homo, sed hominis receptaculum est, &c.*) Corpus hominis vocat receptaculum hominis. Supra verò c. 2. in fin. hospitium. infra c. 13. vasculum, & domicilium. lib. 4. c. 26. vestem; sic alijs aliisi eiusmodi fortè nominibus. lib. 5. c. 22. ait, hominem esse solo in animo. quod autem hic posuit, scripsit etiam lib. 7. c. 12. & lib. de Opif. Dei c. pr. & 20 vbi penè ad verbum exscriptus est Ciceronis locus in fin. Somn. Scipionis ,, Tu ,, vero enitere, &c.) Huius opinionis author Pythagoras, assertor fuit Plato, qui in primo Alcibiad. siue de natura homin. nititur comprobare, hominem esse animam tantum intellectiuam, non autem corpus, quo illa tanquam instrumento vtatur ad actiones obeundas; nam cum animam naturæ simplicis, & incorporæ videret esse, corpore misceri eam non posse existimauit, cum incorporea corporibus minime coalescant: illud etiam ex contraria sententia absurdum sequi opinabatur, quod & anima cum corpore interiret, & maiori eius contagione inquinaretur, cuius quia est expers, si naturæ ipsius sinceritatem spectemus, iccirco illam non corpori commistam, sed veluti gubernatricem illi præfectam esse censuit; nec hominem è corpore, atque anima compositum appellat exterritus difficultate connexionis, sed animam ait corpori inditam illi imperare. At verò Ammonius Plotini præceptor diligentius hanc rem scrutatus, eam inquit intelligibilium rerum esse naturam, vt possit corpora penetrare, & puritate sua retenta illis se se alligare, quo in aereis illustratione cernimus, cum lux, quæ incorporea est, illum corporeum perfundens illustret, ipsa tamen minime inquinetur. Sic ergo animam incorpoream alligari putat corpori, vt ei minime misceatur, sed incorrupta manens illi vitam, motum, sensum omnem afferat: ita sentit & Gregorius Nyssen. lib. de anima, & resur. & de homin. opific. qui etiam conatus est ostendere, qualisnam sit illa corporis, & animi copulatio, id quod præclarissimè, vt omnia suo more, exequitur S. Thomas 2. cont. gent. c. 56. & seqq. exequi non potuit Lactantius cum id conaretur c. 16. De opific. Dei. Atqui Platonis positio ad suadendam virtutem, & formandos mores maximè videtur accommodata; iccirco vel ipse, cuius ex Metaphysicis præceptis contrarium astruitus, Aristoteles, vbi de moribus sermonem habet, propè abest a Platonis loquendi more, vt 9. Ethic. c. 4. & 8. Sed & Sancti Patres ita locuti quandoque videntur: Arnob. lib. 2. ,, Quid enim sumus homines nisi ani- ,, mæ corporibus clausæ?) sic illas corporibus illigatas sæpe solet dicere. Quin etiam adhunc eundem modum Scriptura Sacra: Genes. primo faciamus hominem &c. Iob. 10. pelle, & carnibus vestisti me. Sic corpus a Paulo Apostolo Tabernaculum vocatur secunda, ad Corinth. c. quinto, & alibi: domus lutea Iob quarto, carcer, & custodia Psalm. 141. De hac quæstione integrum scripsit librum Plotinus, qui est primus primæ Enneadis, in qua quicquid Platonici arbitrentur, illud porrò ex vera Philosophia, & diuina Theologia asserendum, animam humanam esse formam informantem, ac substantialem ipsius corporis, non autem illi assistentem, vt nauta naui, id, quod etiam aliquando sensisse Lactantium apparet ex cap. tertio, libri septimi. ,, Si regit (inquit) non vtique si- ,, cut mens corpus regit &c.] & multis in locis docet Aristotiles secundo, de anim. tex. 24. &

12. Mc-

12.Metaphys.tex.16. Sanctus Thom.prima pr. quæst. 76. artic. primo,sexto,septimo,& contr. gent.lib.secundo,cap.56.57.68.& seqq.& quolibet. 12. artic. 10. & ita de intellectiua anima sensisse Aristotelem aduersus Auen Rois disputat idem Sanctus Doctor secundo cont. gent.c. 59. & seqq. & Gregorius de Arimin. secundo, sentent. distin. 16. & 17.quæstione prima,& est conclusio de fide,vt habetur in clementin.fidei. De summa Trinit. Quare cum in substantijs compositis non sit hoc aliquid forma, vel materia tantùm,sed vtrumque, vt docet Arist. & Commentator in septimo, Metaphysic. tex. com.27.& latè S.Thom.De ent.& essent.cap.2. vbi Caietanus,& in prima p. quæst. 75.articulo 4. & quon. 76. art.primo,ideo non animam solam, neque corpus solum dicendum est, hominem esse,sed animam simul, & corpus, nempe totum compositum; quæ quidem sententia cum ad corporum resurrectionem astruendam, vt apud Athenagoram in libro de resurrectione. Sanctum Thom. in quarto, sentent. distinct.43.quæst.vnic.art. primo,& alios de mortuorum resurrectione disputantes, tum verò ad alias non parum conferat fidei positiones firmandas, de quibus Io: Andr. in d.Clement. fidei.in verb.intellectiuæ. De sum.Trinit.iccirco monere volui non esse ab ea discedendum, sed cauendum ab eiusmodi locutionibus, quibus corpus dicitur animæ vas, instrumentum, receptaculum,indumentum,hospitium: quippe quæ videantur alludere partim ad hoc Platonis placitum, non esse animam corporis formam, partim ad aliud eiusdem in Phædro, & Phædone dogma de animabus ante corpora conditis ab Origene receptum primo principior. cap. septimo, & octauo, quod refutat Lactantius ipse in tertio, huius operis. c. 18.Sanctus Epiphan. aduersus hæres. lib.secundo,hæres. 64. Mag. sentent. in secundo, distinct. 18. Alexander Alens.in secunda p. quęst.62 memb. tertio. Sanctus Thom. lib. 2. cont.gentes.c.83. & 84.& prima p.quæst. 47.art.2.quæst.90. articulo 4. & quæst. 118.art.tertio. Sanctus Bonauent. secundo, sententiar. dicta distinctione. 18. artic.secundo,quæst.secunda,quod denique damnat tanquam hæresim Viennen. Concilium, & Clemens Quintus, vt in d.Clement.fidei.legimus. loca verò sacræ scripturæ,& sanctorum patrum ex aduerso prolata hac interpretatione sunt exponenda, vt dicamus cum Sancto Thom. d. quæst. 75.artic.4.ad primum, quòd quia illud potissimum videtur esse vnumquodque, quod est principale in ipso, idcirco contigit, vt quod in homine principale esse censetur,dicatur homo, & ita quidem aliquando secundum veritatem pars intellectiua, quæ dicitur homo interior, aliquando verò pars sensitiua cum corpore secundum existimationem aliquorum,qui tantummodo circa sensibilia detinentur; multo autem minus corpus dicendum fuerit animæ laqueum,vinculum, carcerem,vt inf.dicam lib.7.cap.5.

13 *Corpora sunt hominibus carentia*] ita lego, vt in B.T.P.& aliquibus Vatican. non vt vulgò legitur,animabus carentia (in illa enim constat Lactantius opinione,mentem ipsam,atque animam) cuiusque esse hominem.

14 *Et faciunt animos*] Lucret. efficiunt animos.

15 *Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras, nec procumbere humi &c*] Aldinæ,Plantinianæ,& aliquot aliarum editionum lectionem secutus sum,quæ magis Lucretiana visa est; ab omnibus quidem illa Lucretij exemplaribus exhibita, quamuis B. T. P. refragantibus,qui habent,vertere se &c.Et procumbere &c.

16 *Si quidem hominum, atque mutorum vel solum, vel certè maximum in Religione discrimen est*] Alibi clarius suam effert sententiam, brutis videlicet inesse rationem, & sola religione ab hominibus, non ratione aut sermone differre. inf. hoc eod lib. cap. 9. lib tertio,cap.10.lib.de Ira Dei. cap.7. Hæc opinio à Pythagora manasse creditur, qui dum in metemphychosi sua illa delirat, eaidem esse censet animas hominum, atque brutorum ille vtique brutorum omnium irrationalior. Eius opinionis meminit Maro in Georgic.

„ *His quidam signis,atque hac exempla secuti*
„ *Esse apibus partem diuinæ mentis, & haustus*
„ *Æthereos dixere &c.*] Quam, & Plato habuit,& scribit Plutarch.quinto,placitor.cap. 20 & Porphyr. eum secutus in lib. tertio, de sacrific. & de qua plurima disserit idem Plutarch. in lib.an brutis sit ratio.& in lib. de solertia animal. Galeni verba sunt in principio orationis suasoriæ ad bon.art. „ An animantium generi, quod irrationale appellatur nulla omnino data ratio sit sanè dubium est, nam etsi caret ea,quæ in voce versatur, quam sermonem nominant; quæ tamen animo concipitur, quam ratiocinationem dicunt,eius fortasse particeps omne genus animalium est, quamuis alijs parcius, alijs liberalius tributa sit &c.] Arnobius ex bruti persona initio septimi. Sed rationales illi sunt,& articulatas exprimunt voces. „ Et vnde illis notum est, an & ego quod facio meis rationibus faciam, & vox ista, quam promo, mei generis verba sint, & soli intelligantur à nobis? &c.] Plato in Politic.ait, seculo aureo non homines modò cum hominibus, sed cum bestijs etiam ratiocinari solitos, illasque interrogare,

rogare, ac vicissim ab illis responsum accipere; quam Platonis sententiam memorat etiam Euseb. lib. 12. præpar. cap. 9. Quid quòd Pythagoras, & Melampus, Tiresias, Thales, & Apollonius ad linguas auium interpretandas incubuere? Democritus quidem (ait Plin. lib. 29. cap. quarto,) monstra quædam ex his conficit, vt possit auium sermones intelligi. Verùm isthæc deliramenta a sapientioribus Ethnicis, ne dum à Theologis nostris sunt derisa. Quale enim porrò absurdum est, quia bruta naturæ instinctu quæpiam gerant, ex quibus aliqua prudentiæ imago, vt ait Aristoteles, illis inesse videri possint, & quia quasdam voces edãt inter se eodem instinctu notas, ideo illa, vel ratione, vel sermone pollere arbitrari? quid verò attinebat sola religione differre à brutis hominem asseuerare? quomodo enim circa rationem decepti sunt, ita circa religionem decipi poterant; nam, & gallinis villaribus religionem attribuit Plinius lib. 10. cap. 41. & valde mira sunt, quæ idem lib. 8. cap. primo, de gestis Elephantorum, quæ religionis, ac pietatis esse videntur, posteris legenda reliquit. Verumtamen omnia eiusmodi geruntur ab illis.

" ——*Haud equidem, quia sit diuinitus illis*
" *Ingenium. aut rerum fato prudentia maior*] vt ait Maro, sed quia vt in homine ars, prudentia, sapientia, ita brutis inest vis quædam eiusmodi naturalis, cuius ductu apes, araneæ, canes, vulpes, Elephanti, & cætera id genus bruta, quæ solertiora videntur, gerunt mira nonnulla, in quibus ratio quidem elucet, non tamen ipsorum, sed superioris virtutis ipsa dirigentis. Sic enim sagitta directè tendit ad signum ex motione illi indita à collimante perinde, ac si ipsa rationem haberet dirigentem, & idem apparet in motibus horologiorum, & aliorum, quæ arte fiunt ab humanis ingenijs. Sicut autem comparantur artificialia ad artem humanam, ita comparantur omnia naturalia ad artem diuinam, & ideo ordo apparet in ijs, quæ mouentur secundum naturam, sicut in ijs, quæ secundum artem, vt dicitur in secundo, Physic. quo circa in operibus brutorum quædam sagacitates apparent, in quantum habent inclinationem ad quoddam ordinatissimos processus, nimirum a summa arte ordinatos, & propterea quædam animalia dicuntur prudentia, vel sagacia, non quòd eis sit aliqua ratio, vel electio; quod hinc apparet, quia omnia, quæ sunt vnius naturæ similiter operantur, vt docuit Sanctus Thom. in pr. secundæ quæst. 13. articulo secundo ad tertium, & eadem ferè protulit ipsemet Lactantius inf. cap. quinto, dum aduersus Ciceronem disputaret, rationem fidibus tribuentem. Videnda etiam, quæ differit Sanctus Doctor pr. pr. quæst. 78. art. quarto, & in prima secũdæ quæst. 11. art. secundo, iure ergo illis non prudentiam inesse, sed prudentiæ imaginem dicit Aristoteles, initio Metaphyc. & lib. 8. & 9. de hist. animal. vtrobique cap. primo, in fin. primi, de generation. animal. & texto, Ethic. cap. septimo. Ratione autem carentia etiam sermone carere decuit, vt ostendit Aristoteles lib. primo Politicor. cap. secundo, quòd si animalium nonnulla arte edocta proferre verba quædam videntur, non est ea propriè locutio, quia non intelligunt, quæ pronunciant, sed assuetudine quadam id agunt. Quibus cognitis subit hoc loco admirari, Iosephum Iudæ. primo antiquit. cap. tertio, sensisse (vt affirmat Tostat. quæst. 429. in cap. 13. Genes.) serpentem, qui primam mulierem decepit, fuisse verum, & naturalem serpentem, cui tunc naturale fuerit, intelligendi, ac loquendi facultate præditum esse; & Basilium in nom. de Paradiso dicentem, bruta omnia fuisse inter se ante Adami lapsum concorditer viuentia, quæque audirent inter se, & mutuò loquerentur sensate. Sed contra differit Sanctus Augustinus lib. 11. de Genes. ad literam. cap. 29. Denique soli homini rationem tributam esse docet Spiritus Sanctus Psalm. 31. Sicut equus, & mulus &c.] & Psalmo. 44. Comparatus est iumentis &c.] quod & ipse Lactantius asseruit libro de Ira Dei. cap. 7. & 13. & de opif. Dei. cap. secundo, & tertio. Eam hæresim de brutis ratione participibus Philastrius tribuit Gnosticis, & Manichæis.

CAP. IV.

17 *Quis non sit tanto hoc custode securus?*] non est hemistichium Horatianum, vt in cæteris impressis existimatum apparet, sed prosa ipsius Lactantij ironicè loquentis.

18 *Quo aurea vasa Templis inferantur, &c.*] Et de donis, preciosisq; muneribus, quæ Deo onerruntur præsertim ad Templorum ornatum alia eiusmodi ex Lactantio promunt hæretici. inf. c. 7. lib. 5. c. 8. lib. 6. c. 25. lib. de Ira Dei c. 21. Verum isthæc iure auribus paganorum sæpe, ac sæpius ingerebantur, qui ita exteriores oblationes, & munera probabant, vt sanctitatis obtentu auaritiam fouerent, quod ex Persio hic affirmat Lactantius vel Deo tanquã indigenti offerebant, vt idem Lactantius aiebat lib. 6. c. 2. vel denique hæc merito iactantur aduersus eos, qui ita larguntur Deo, vt totam eorum spem in cultu, atque ornamento exteriori ponant, interiori penitus omisso, & spiritus oblatione neglecta, qua præcipuè Deo placemus:

estius: interior igitur animi cultus præsertim ei exhibendus, sed nec exterior quoque omittendus; munera enim, & oblationes externæ ideo illi acceptissimæ sunt, quatenus (vt ait S. Thomas in secunda secundæ quæstion. 85. art. 2.) signa sunt interioris oblationis, nam exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Templorum quidem ornatum Deo placere facile intelligent omnes ex cap. 25. & seqq. Exod. & ex c. 6. & seqq. lib. 3. Regnorum, vbi immensam auri, & argenti vim a Salomone erogatam cognouerint in suppellectile templi illius admirandi, quod Dominus tanquam sibi acceptissimum innumeris priuilegijs decorauit, vt legitur Paralip. lib. 2. c. 7. Et de antiquissimo Christianorum more exornandi templa liquet ex rebus gestis à Constantino Magno in Ecclesiasticis historijs: ita profectò res sacra decentius fit, & magnificentius, & ad Deum glorificandum excitantur animi mirum quantum: neque enim nos Deo quicquam offerimus tanquam indigenti, sed, qui est Dominus omnium, sed, vt ait Iræneus lib. 4. c. 34. gratias agentes: nam quemadmodum intelligimus (vt ait Iustin. Martyr. in Apolog. 2. pro Christian.) Deum non indigere oblationibus nostris, ita scimus, nos indigere aliquid offerre illi. Vnde & ipse Lactantius lib. de ira Dei c. 16. fatetur, eos, quibus persuasum est Deo placere iustitiã, venerari eum, precibus assiduis, & frequentibus votis ei dona, & sacrificia offerre iustis denique operibus eum demereri.

19 *Non (inquit) bis pueri*] alium similem locum habes apud eundem Senecam Epistolar. lib. 21. Epist. 116. nimis anxium, & de hoc dicterio Bis pueri senes vide authorem Adagiorum.

20 *Dionysius Siciliæ Tyrannus, &c.*] hæc Cicero ad fin. 3. de natura Deor. Valer. Max. lib. pr. c. de neglect. relig. Ælian. de varia hist. lib. pr. Arnobius ad fin. 6.

21 *Ipsos expetant pœna*] Impressi omnes, & scripti Vaticani sic habent, quæ cum sit phrasis nõ vtiq; visitata haud aliter sustineri posse crederim, quã si Pœnas hic pro numinibus quibusdam, Furijs videlicet, ac Deabus vltricibus accipiamus, vt apud Plutarchum Oshone. „ Nõ „ tanquam vir, sed pæna quædam, & abomina- „ bilis Dæmon vrbem inuasisset.] Codex B. habet. In ipsos expetant pœnæ. quæ germana (me iudice) lectio esset, si, pœnas, ibi, pro pœnæ, scriptum fuisset; Verùm id Librarij fuerit error, certè verisimile est ita scripsisse Lactantium. In ipsos expetant pœnas: sicut Liuius lib. pr. Deorum numen ab ipso capite orsum in omne nomen Albanum expeturum, pœnas. & paulo supra vt in eum omnes expetant huiusce clades belli.

22 *Cur hunc tam potentem sacrilegum, &c.*] Ianus Gulielmius in quæstionib. ad Plaut. Menæch. c. 4. scriptum esse testatur in aliquibus membranis, cur hunc tamen potentem &c. Vnde ille de coniectura legendum putat, cur hunc tam impotentem &c.

23 *Videtis ne (inquit) &c.*] apud Ciceronem lectio variat.

24 *Catanensi*] vrbs est Siciliæ, Catina, vel Catinæ dicta penult. corrept. a Cicerone act. 6. in Verr. in fin. & Silio lib. 13. Strabo tamen, Diodorus, Ptolemæus, & hic Lactantius non Catinam, sed Catanam, & inde Catanenses, scribunt.

CAP. V.

25 C*Onseauo ære*] Sphæra videlicet, de qua Cicero, in Tusculanis, & secundo, de natura Deorum, vbi similem Sphæram a Possidonio quoque factam scribit. Sext. empiric. initio octaui aduersus Mathemat. Titulo an sint Dij. Claudian. in nobili illo Epigrammate.

Iupiter in paruo &c.

26 *Vel inerrantium, vel vagarum*] ita in MSS. optimis B. T. P. pro eo quod in impressis corruptè legitur, vel errantium, vel vagarum, eædem enim sunt errantes, quæ vagæ: at inerrantes dicimus fixas.

CAP. VI.

27 P*Ropositiones quidem veræ sunt*] propositio hic sumitur non θέσις, sed pro πρότασις, idest pro ea syllogismi propositione, quam Scholastici maiorem nominant, Cicero primo, de inuentione simpliciter propositionem appellat. Lactantius suo more, idest Ciceroniano loquitur.

28 *Assumptiones falsæ*] Cicero, & Quintilian. assumptionem vocant, quam Scholastici minorem nominant.

CAP. VII.

29 H*Abes Balbe &c.*] nonnihil variat hic locus apud Ciceronem.

CAP. VIII.

30 D*Edit omnibus Deus pro virili portione sapientiam*] portiones viriles iurisconsulti æquales vt plurimum interpretantur, quæ scilicet pro numero personarum, & in capita constituuntur, vt tot fiant, quot sunt, & personæ.

sonæ. Vlpianus in l. prima §. si pupillis. D. de tutel. & ration. distrahend. Papinianus. in l. pupillus. D. de fideiussor. Paul. in l. 43. D de re iudicata. sic paulò inf. quæ [sapientia] si omnibus, æqualiter datur, occupari ab antecedentibus, non potest. Sapientiam autem (causaliter, non identicè) Lactantius vocare videtur facultatem illam, & lumen cunctis diuinitus inditum cœlestis doctrinæ, & veræ religionis inquirendæ, & assequendæ. vid. & cap. 25. 26. & seqq. libri tertij.

31 *Accius Nauius*] Multum variant huius auguris nomen authores, vt notat Glareanus ad primum primæ Decadis Liuij, nam Valer. Maximus lib. primo, cap. 4. Decium Accium Nauium appellat; Plinius lib. 34. cap. 5. Accium Nauium, vt Lactantius, & Liuius. Dionys. autem lib. tertio nomen eius Neuius, cognomen Accius fuisse scribit. alij cum diphtongo Næuius scribunt, alij Actius. Sed res non est tanti. Vid. hist. apud hos omnes authores, & apud Plin. Secundum in lib. de vir. illustrib. in Tarquin. qui scribit, Accij Nauij. Ciceronem primo de Diuinat. vbi scribitur, Actius Nauius, & apud Festum in Nauia.

32 *Castor, & Pollux bello latino, &c.*] Cic. 2. de natura Deor. Ouid. ad fin. primi Fast. Valer. lib. primo c. 8. Plutarch. Æmil.

33 *Idem bello Macedonico*] Valer. vbi supra, item Plutarch. qui rem paulò aliter narrat vbi supra.

34 *Simulacrum Fortunæ non crebris non semel locutum esse &c.*] Valer. ibid. Plutarch. in Coriol. Halicarnaf. lib. 8. Sanctus Augustinus lib. 4. ciuitat. c. 19.

35 *Item Iunonis Monetæ &c.*) Valer. vbi supra, Liuius quinto, primæ Decad.

36 *Claudia quoque &c.*) Historiam ridet Minutius, refert Ouid. quarto Fastor. Liuius 9. tertiæ Decad. Fenestell. cap. 12. de sacerd. Roman. Plinius Secundus, de viris Illustr. cap. 46. Herodian. primo.

37 *Æsculapius Epidauro accitus &c.*) Valer. vbi supra Plutarchus in quæstionib. Roman. quæst. 94. Arnob. qui rem irridet lib. septimo.

38 *Appius (Ludius Censor &c.)* Val. lib. primo, cap. de neglect. relig. Liui. ad fin. lib. 9. primæ Decad.

39 *Iunonis Laciniæ &c.*) ita legend. hìc ex Val. vbi supra. Liu. secundo, quintæ Decad. & quarto, secundæ Decad. Arnob. lib. sexto, qui historiam referunt. Verg. ad fin. tertij Æneid.

„ ——*Attollit se Diua Lacinia contra.*
Praue legit B. Iun. Lucinæ.

40 *Turrullius &c.*) Valer. vbi supra.

41 *Ceres quoque Milesia &c*) Valer. ibid.

42 *Tiberio namque Attinio &c.*) Liuius secundo primæ Decad. hunc vocat Titum Latinum. Valer. Latinum simpliciter libro primo, cap. de insomnijs. At Dionys. lib. septimo. Plutarch. in Coriolan. Sanctus Augustinus quarto, ciuit. cap. 26. Titum Latinum Macrobius Annium vocat primo Saturnal. cap. 11. De historia, præter notatos, Cicero primo, de diuination. Arnob. septimo. Minutius in Octau.

43 *Illud quoque somnium &c.*) Variant nonnihil scriptores, quidam enim tradunt, Augustum propter illud somnium in aciem descendisse, alij verò propter idem somnium prælio non adfuisse. Lactantius authorem habuit Valerium lib. primo, cap. de somnijs. vide & Plutarchum in Brut. ad fin. Sueton. in octau. c. 13. & 91. Appian. ad fin quarti, de bell. ciuil. Patercul. item, & Florum lib. 4. cap. sexto. Tertullian. in lib. de anim.

CAP. IX.

44 *Perspiciat errores*) Post hæc verba in nonnullis editis libris leguntur illa. „ Sicut
„ mater sine exemplo genuit authorem suum, sic
„ ineffabiliter genuisse credendus est coæternum.
„ De matre natus est, qui ante iam fuit, de patre,
„ qui aliquando non fuit: hoc fides credat, intel-
„ ligentia non requirat, ne aut non inuentum pu-
„ tet incredibile, aut repertum non credat singu-
„ lare.] Verum enimverò Lactantianæ disputationis exordium illinc esse, cum esset Deus ad excogitandum prudentissimus &c. & totam illam, quam reieci, periodum nihil quicquam elocutionis habere Lactantij, modò non plane sint excordes, illico facile omnes intelligent; nam vel illa tot ὁμοιοτέλευτα, quibus vti non solet Lactantius, fucum ipsum, atque impostura indicant: adiectam ineptè patet ab aliquo Arrianorum, qui Dei filium creaturam esse asserebant, & tempus aliquod fuisse, quo is non fuisset. at hic stultissimus extitit, qui hoc idem asserit, sed tamen patri coæternum illum verè affirmat. Ostendam autem in sequentibus non modò non fauere Arrianis Lactantium, sed tam rectè de Dei filio sensisse, vt magnæ Nicenæ Synodi confessionem penè nobis expresserit. Iā tota illa periodus abest ab antiquissimo Codice B. ab octo Vaticanis, & alijs optimis M SS. quos ego diligenter inspexi, & post illa verba, perspiciat errores, continenter legitur, cum esset Deus ad excogitandum &c. Hæc cum fortè pij viri, qui in ea periodo Arrianismum deprehendebant, non animaduerterent, potius de corrigendo loco, vt arbitror, quam de illo penitus, vt par erat, delendo, & è Lactantij scriptis extrudendo cogitauerunt; quo factum est, vt in aliquibus

quibus ita locus emendatus legatur. De patre, qui aliquando non defuit. Ego amoui totum vt adulterinum,& subditicium.

45 *Ad excogitandum prudentissimus*] ita Sancti Patres,& sacra ipsa scriptura interdum loquitur impropriè,ac μεταφορικῶς, cum alioqui cogitatio in Deo nulla sit, ac prouide neque prudentia; neque enim more hominum discurrit, aut ratiocinatur, sed vno, & simplici actu omnia intelligit,cognoscit, agit,vt docet S.Thom. primo,cont.gent.cap.57.& seqq. & prima, pr. quæst.14.art.7.

46 *Antequam ordiretur hoc opus mundi*] post hęc verba in nonnullis impressis subsequebantur illa ,, fecit in principio bonum, & malum: id
,, planè quid sit apertius explicabo, ne quis me
,, ita loqui arbitretur, vt poetæ soleat, qui res in-
,, corporales quibusdam figuris quasi visibilibus
,, comprehendunt. cum præter ipsum nihil ad-
,, huc esset.quoniam pleni &c.] quæ tota periodus abest à B. T. ab vndecim Vaticanis, alijsq; MSS. plurimis,Florentiana item, Plantiniana, & cæteris melioribus editionibus,idcirco a Manichæis suppositam,quis asserebant,Diabolum natura,& a principio malum a Deo factum, atque etiam ipsi Lactantio,vt mox videbimus,repugnantem fidenter reieci.

47 *Tanquam riuus oriretur &c*]. sæpe Patres, vt emanationem illam filij a patre nec lingua vlla effabilem, neque intellectione comprehensibilem aliquo modo designent, vti solent hac similitudine fontis,& riui; sicut hoc loco Lactantius item solis, & radij, vt eod. cap.29. Tertullian. aduersus Prax.& cap.21. Apologet.& Cyprian. siue ille sit Ruffinus super symbol Apost. sic & Paulus Hebræor. primo, ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ, splendor gloriæ eius: non vt quicquam filij æqualitati cum patre detrahatur, sed quia, vt docent Theologi, Deus pater est origo, & principium diuinitatis, plenitudinemquè Deitatis in primo signo originis dicitur possidere, quippe quia se illam habet; filius autem in secundo signo; nam a patre per generationem sibi communicatam eandem numero essentiam accipit,ac proinde nihil detrahitur æqualitati.

48 *Similem sui*] similitudine in natura; ideo enim processio verbi in Diuinis habet rationem generationis, quia procedit per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ,& à principio coniuncto, & secundum rationem similitudinis, non cuiuscunque, sed in natura; nam conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ,& in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere, & esse; vnde processio Verbi in diuinis verissimè,& proprijssimè dicitur generatio,& ipsum Verbum verissimè, & proprissimè filius,vt docet S. Thom pr.pr.quęst. 27. art. secundo, qua de re plura dixi ad cap.8. libri 4.

49 *Spiritum*] Quòd hic, & lib. 4 cap.6.8 9.18. & alibi fortè Lactantius Dei filium, Dei spiritum appellet, in simulatur erroris a Santo Hieronymo in Epistola ad Pammach. & Ocean.de error. orig. quasi non rectè senserit de persona Spiritussancti: Verùm (de tanto Patre petita venia) non absurda est hæc locutio, neque solùm Lactantio, sed Tertulliano, Cypriano, cæteris vsitata, vt Dei filium Dei spiritum appellarint eo quidem sensu,quo Deus spiritus vocatur Ioann.tertio, & prima Ioannis.cap 4. vt notat S.Thom.pr.p.quæst.36 artic.primo. Ita igitur est intelligendus, & Tertullianus Apologet. cap.21 de orat.cap.primo,aduersus. Marc.lib. primo,cap. 19.lib.3.cap.6.& 16 lib.4 cap.21. aduersus Prax.cap.26.Cyprianus de vanit. Idolor num.71. secundum vnam lectionem, quam ibi notat Pamelius item auctor libri. De montibus Syna,& Sion,inter opera Cypriani.

50 *Quomodo autem id voluerit, in quarto docere libro conabimur*] ita legunt duodecim Vaticani, & duo Codices Sancti Saluat. Bonon. T.P.Plantiniani, & Florentiniani, alijquè meliores tam MSS. quam excussi, pro eo quod prauè legitur in Aldinis. Quomodo autem id fecerit, cum solus esset, in quarto docere &c. Neque enim filius Dei factus est, sed ab æterno genitus à patre, qui proinde nunquam extitit solus, vt dixi lib.1.c.7.

51 *Deinde fecit alterum &c.*] De supremo Angelo loquitur, quem conditum ait ante mundum hunc fuisse, dixit enim paulò supra (antequam ordiretur hoc opus mundi) at verò de cæterorum Angelorum creatione nihil hic habet Lactantius. Porrò de tempore creationis eorum tria placita reperiuntur; nam Gennadius, & Acliacius putauerunt, Angelos post mundum corporeum conditos: quæ quidem opinio nullius est momenti. Alij putant multis ante hunc mundum sæculis Angelos conditos fuisse; Origenes primo princip.in principio, & homil.quarta,in Esai Gregor. Nazianz. homil.de natiu.Dom.quem refert S.Thom. pr.pr. quæst.61.artic.tertio.Basil.homil.prima, in Hexaemer. Damasc. secundo, de fid.orth.cap. tertio,& Græcorum alij multi; etiam ex latinis Hilar, 12. de Trinit. & cont. Auxent. Ambros. primo, in Hexaemer. cap. quinto,& præfat.in primum Psalm. Isidor.primo de summ. bono. Hieronym ad primum cap.epist.ad Tit.Cassianus qui collation.8.cap. septimo scribit, neminem fidelium ea de re dubitare posse,& Beda in

lib.

lib. quæst. separ. quæst. 9. quam opinionem hodie errorem in fide continere asseruerunt, quidam docti viri è schola Sancti Thomæ, videlicet Ferrarien. in commentario ad sum. cont. gent. lib. 2. cap. 83. Magister Cano, & Soto maior, alij verò vt Caietanus in pr. pr. quæst. 61. artic. tertio. Sixt. Senen. lib. 5. Biblioth. annot. quinta, & ipsemet S. Thom. d. artic. tertio negant, eam esse errorem in fide tam multis, ac magnis patribus comprobatam præsertim Gregorio Nazianzeno cuius scriptis (vt ibidem inquit Sanctus Thom.) nemo vnquam ausus est calumniā inferre. Sed & Sanctus Augustinus, lib. 11. ciuit. cap. 32. nihil asserere ait contra fidem eum, qui dicat, Angelos ante hunc mundum visibilem creatos, modò non dicat, ab æterno conditos, & ferè idem ait Theodoret. quæst. tertia, super Genes. Dicimus nos veriorem sententiam secuti, non solum supremum Angelum (quod hîc negat Lactantius) sed etiam cæteros Angelos (qui cum supremo Angelo simul omnes creati fuere, quod subticet Lactantius negat Beda nona quęst. separ. docet Bonauentura, in secundo, dist. secunda, art. secundo, quæst. 3. & ead. dist. secunda, art. 4. quæst. prima, & alij) simul omnes cum hoc mundo creatos fuisse. Epiphan. cont hæres. lib. 2. hæres. 65. Theodoret. d. quæst. tertia. Sanctus August. 11. Ciuit. 12. Confess. quarto sup. Genes. ad liter. Gregorius Magnus 32. moral. cap. 20. 24. & 25. Bed. Rupert. Hug. Magist. sententiar. & omnes Theologi in secundo dist. secunda. Sanctus Thom. prima pr. quæst. 61. articulo tertio, contrariam sententiam si non errorem in fide continere, at quidem certè hoc tempore temerariam esse, nec satis consonam doctrinis Ecclesiæ, & testimonijs Sacrarum Scripturarum putamus, & pugnare videtur aduersus eam Concilium Lateranense, quod refertur in capit. firmiter. De summ. Trinit. & fid cath.

52 *Indoles Diuinæ stirpis &c.*) Non quia primus Angelus, de quo loquitur, natura Dei filius fuerit, sed impropriè, & abusiuè hæc verba sunt accipienda, sicut cum dicimus Deum Angelorum, vel hominum patrem, Angelos aut homines Dei filios, vt dixi lib. primo, c. 7. not. ... & inf. hoc cap. not. ...

53 *Suapte inuidia*) Lactantius peccatum supremi Angeli fuisse ait peccatum Inuidiæ, quod intelligendum est non primò, sed consequenter; nam primò ab eo peccatum fuit peccato superbiæ. Basil. homil. quod Deus non est auth. mal. Chrisost. homil. de Adam. Ambros. in Psalm. 36. Vidi impium etc. Et in Psalm. 118. Increpasti superbos. Sanctus Aug. 12. ciuit. cap. 16. et lib. 14. cap. 13. Hieronym. super Esai. cap. 14. Gregor. lib. 34. moral. cap. 14. Anselm. de cas. diabol. cap. 4. Doctores omnes in secundo, sent. dist. quinta, et 6. Alexander Alens. secunda pr. quæst. 109. memb. 2. S. Thom. pr. pr. quæst. 63. articulo secundo, et tertio, quæ quidem assertio ita fulta est omnium quoque aliorum Sanctorum, atque Theologorum testimonijs, vt oppositam aliqui dixerint non solùm valde temerariam, sed etiam erroneam. Consequenter verò peccasse peccato inuidiæ dicitur, nam cum affectauerit excellentiam quandam singularem, quæ singularitas per alterius excellentiam cessat, ideo peccato superbiæ mox consecutum fuit peccatum inuidiæ. Sanctus Thom. in secundo, dist. quinta, artic. secundo, & pr. pr. quæst. 63. articulo secundo.

54 *Et ex bono ad malum transcendit*] sic paulò infra. Hunc ergo ex bono per se malum effectum &c. Tendit hoc aduersus Manichæos, & Priscillianistas, qui Diabolum natura malum à principio conditum fuisse contendunt.

55 *Inuidit enim illi antecessori suo &c.*] Dix. non primo, sed consequenter peccatum a Diabolo fuisse peccato inuidiæ. Idcirco quærunt Theologi, cuius nam respectu fuerit ille inuidia motus. Lactantius putasse videtur Diaboli inuidiam insurrexisse contra vnum diuinorum suppositorum nempe contra Dei filium. Sanctus Thom. pr. pr quæst. 63. artic. 2. ait post peccatum superbiæ consecutum esse in Angelo peccante malum inuidiæ quatenus de bono hominis doluit, & etiam de excellentia Diuina quatenus, & Deus contra voluntatem ipsius Diaboli vsurus erat in gloriam diuinam; cognitum enim ab Angelo, per fidem Incarnationis mysterium ab initio suæ creationis quo ad substantiam ipsius mysterij, licet non quo ad particulares ipsius rationes, & circumstantias quasdam, vt S. Thom. docet in secundo, dist. 11. art. tertio. De hac quæst. vid. DD. in Commentarijs ad Magistr. lib. secundo, dist. 5. & Sanctum Thom. quæst. 63. artic. secundo. Alens. secunda, pr. quæst. 109. memb. 9. Gulielm. Parisiens. lib. 2. de Vniuers. Cassian. collat. 8. cap. 8. & seqq.

56 *Qui Deo Patri perseuerando tum probatus, tum etiam charus est*] Perseuerando, aut probatus hic ego nequaquam probem, nam perseuerandi verbum in suo formali conceptu dicere videtur cotinuationem quidem actionis sed cum quadam facultate deficiendi, ideo a Lactantio prolata sunt quæ Dei vnigenito conuenire non possunt, is enim cum Deus sit, & vnum cum patre, eique per omnia secundum diuinitatem coæqualis, & consubstantialis (vt ipsemet vbique fatetur Lactantius vtique natura bonus est, nec à bono deficere potest.

57 *Graeci Διάβολον appellant, nos criminatorem &c.*) De huius nominis significatione, & cur ita humani generis hostis appelletur vide Tertullianum aduersus Marcion. Basil. Epistola ad Neocaesarien. Suidam in, σατᾶν, & in, συκοφάντην, atque Isidorum lib. 8. Origin. cap. 11.

58 *Ad Deum deferat*] Post haec verba in Aldinis excusis illa statim oratio subtexitur, notata, & inclusa tamen asteriscis, vt ex eo suspectam fuisse facile appareat videlicet; „Cur autem iustus Deus talem voluerit esse, quantum sensus nostri mediocritas poterit, explanare conabor. Fabricaturus Deus hunc mundum, qui constaret ex rebus inter se contrarijs, atque discordibus, constituit ante diuersa, fecitque ante omnia duos fontes rerum sibi aduersantium, inter sequè pugnantium, illos videlicet duos spiritus, rectum, atque prauum, quorum alter est Deo tanquam dextera, alter tanquam sinistra, vt in eorum essent potestate contraria illa, quorum mistura, & temperatione mundus, & quae in eo sunt, vniuersa constarent. Item facturus hominem, cui virtutem ad viuendum proponeret, per quam immortalitatem assequeretur, bonum, & malum fecit, vt posset esse virtus; quae nisi malis agitetur, aut vim suam perdet, aut omnino non erit; nam vt opulentia bonum videatur acerbitas egestatis facit, & gratiam lucis commendat obscuritas tenebrarum; valetudinis, & sanitatis voluptas ex morbo, ac dolore cognoscitur. Ita bonum sine malo in hac vita esse non potest. Et vtrumque licet contrarium sit, tamen ita cohaeret, vt alterum si tollas, vtrumque sustuleris; nam neque bonum comprehendi, ac percipi potest sine declinatione, ac fuga mali, nec malum caueri, ac vinci sine auxilio comprehensi, ac percepti boni. Necesse igitur fuerat & malum fieri, vt bonum fieret. Et quoniam fas non erat, vt a Deo proficisceretur malum; neque enim contra se ipse faciet, illum constituit malorum inuentorem: quem cum faceret, dedit illi ad mala excogitãda ingenium, & astutiam, vt in eo esset, & voluntas praua, & perfecta nequitia, & ab eo contraria virtutibus suis voluit oriri, eumq; secum contendere, vtrumne ipse plus bonorum daret, an ille plus malorum. Sed rursus quoniam Deo summo repugnari non potest, bonorum suorum potestatem illi victori assignauit, quem supra bonum, ac perfectũ esse diximus. Ita duos ad certamen composuit & instruxit: sed eorum alterum dilexit, vt bonum filium, alterum abdicauit, vt malum. Postea autem multos genuit alios operum suorum ministros, quos Graeci ἀγγέλους nominant; & illos vnius, sed repugnantis naturae, qualis duorum. Sed pars illa corruptibilis non vtique sta. im corrupta est in ortus sui principio, sed post compositum, ordinatumq; mundum, sicut mox docebimus, a substantiae caelestis vigore peruersa voluntate desciuit. Caeterum in principio pares vniuersi aequa conditione apud Deum fuere, & idcirco Angeli omnes, quorum principes erant illi duo. Cum autem Deus ex his duobus alterum bono praeposuisset, alterum malo, exorsus est fabricam mundi, omnibus his, quos creauerat ministrantibus, & per certa officia dispositis.] Haec oratio multos continet errores. Nam primo hic clarius, ac luculentius, quam vnquam alibi in Lactantio, astruitur dogma de duobus principijs, de quo dixi inferius c. 10. Deinde parum magnificè, ac decenter de Dei Filio loquitur, cui Luciferum penè parem constituit, vt ab aliquo Arriano id totum confictum esse liquidò appareat. Non cum Lucifero, sed post eum caeteros Angelos creatos ait, cuius contrarium docere Sanctum Bonauenturam, & alios Doctores in 2. dist. 2. paulò superius monui. Item non simul cum hoc mundo, sed ante ipsum omnes Angelos genitos, cuius contrarium habere Concilium Lateranen. & hodie docere cunctos Doctores ibidem asserui. Item malos Angelos non statim in ortus sui principio, sed longe postea, videlicet composito iam, ordinatoq; mundo peccauisse, de quo errore infra cap. 15. Denique Angelos cum Deo instrumentaliter, siue ministerialiter ad mundi molitionem concurrisse, quod reprobant Doctores omnes super primum cap. Geneseos. Lactantij non esse orationem, vehementer plerique suspicantur: & ego hic profectò Lactantianam phrasim minime agnosco. Habet eam quidem Aldina editio, sed (vt dixi) asteriscis notatam. In Florentina, Plantiniana, caeterisq; melioribus castigationibus non fuit recepta; rationes affert Michael Thomasius in notis. Denique a duodecim Vaticanis, ab antiquissimo Bonon. T. P. alijsque M SS. plurimis abest; & ideo in textum nostrum eam ego quoque minime recipiendam putaui.

59 *Illum primum, & maximum filium*] caue putes Lactantium arbitrari, Angelos Dei filios natura esse, & ita vel ad Dei naturam illos extollere, vel filium Dei ad naturam Angelorum deijcere. Lactantius vnum Dei filium IESVM & cognouit, & docuit, vt inf. hoc lib. c. 17. & lib. 4. c. 8. ipsumq; Deum de Deo confitetur eodem c. 8. & c. 18. eiusdem lib. 4. „Quid (inquit) de huius crucis indignitate dicemus, in qua Deus a cultoribus Dei suspensus est, atque suffixus?] idem habet eodem lib. 4. c. 10. 13.

14. & 29. Item de lumine lumen eod. c. 29. „ ille „ (inquit) tanquam Sol, hic quasi radius à Sole „ porrectus] Patri consubstantialem cap. eod. „ Vtrique (inquit) vna substantia est] eiusdemq; cum eo potestatis hoc eodem lib. cap. 17. „ So„ lus (inquit) habet rerum omnium cum filio „ potestatem] & vnum cum Patre, toto cap. eod. & cap. 8. eiusdem lib. 4. citat illud Ioannis, & confitetur. „ In principio erat Verbum, & „ Verbum erat apud Deum, & Deus erat Ver„ bum] In quo diuinitas, & coæternitas Filij luculenter asseritur. Omnia denique per ipsum facta fuisse confirmat hoc loco. & lib. 4. c. 6. in principio, & fin. & cap. 8. in fin. An non igitur hic sacrosanctę Nicenæ Synodi contra Arrium coactæ confessionem agnoscis? Potius igitur ex Lactantio confoditur Arrius, quam vt ei vel minimum assentiatur; sicuti sanè temerè nonnulli suspicantur eo, quia vocibus quibusdam alicubi vtatur, quibus hodie Catholicis vti fas non esset, qualque suis ego locis & adnotaui superius, & inferius diligenter adnotabo; meminisse quidem oportuit, nondum eo tempore nascentis, vel adolescentis Ecclesiæ constitutum fuisse, quibus vti, quas cauere voces Scriptores deberent, id quod postea crebrescentibus hæresibus constituere, atque decernere fuit necesse, ne vel in locutionibus cum hæreticis, qui ad impia sua dogmata insinuanda illis sunt abusi, vllo modo conueniamus. Cum ergo rectissimam de Dei Filio Lactantij sententiam teneamus, nemo sanus suspicari poterit, Angelos ab ipso Deos censeri, qui Deorum pluralitatem hoc toto opere tam magnis argumentorum molibus euerterit. Capite quidem 17. huius libri ait, multos in Cælo spiritus Angelorum esse, sed vnum eorum parentem, & Dominum omnium Deum. & ibid. paulò infra. „ Neque (inquit) Angeli dici se „ Deos patiuntur, aut volunt; quorum vnum, „ solumq; officium est seruire nutibus Dei, nec „ omnino quicquam, nisi iussu eius facere] & ibid. infra. „ nec (inquit) est in Angelis quic„ quam nisi parendi necessitas] sed & metui Deū ab Angelis, quippe qui ab ipso modo quodam ineffabili castigari possunt affirmat lib. 7. c. 21. vt prorsus a Dei Filij natura naturam Angelorum infinitò distare ex ipsomet Lactantio liqueat. Quo circa si quando filiorum Dei nomine Angelos vocat, æquiuocè, & μεταφορικῶς filiationis nomine vtitur; nam nec scriptura ipsa ab eiusmodi locutione interdum abstinet, vt initio lib. Iob. „ Cum quadam die venissent „ filij Dei, &c.] & c. 38. & iubilarent omnes Dei] ita n. vterq; locus ex Hieronymi versione iuxta hebraicā veritatē legitur. Vnde apparet, Chrisostomum lapsum, qui vtrobiq; secutus septuaginta interpretu editionem pro, filij Dei, vertētiu, Angeli Dei, homil. 22. in Genes. asseruit, Angelos nunquā in Diuina scriptura filios Dei, immo neque alios appellari. Neque officit, quòd Paulus ad Hebræos pr. scribat. „ Cui dixit ali„ quando Angelorum, filius meus es tu?] Ibi enim non negat Apostolus, Angelos dictos aliquando filios Dei ex gratia, sed ex natura duntaxat: quo modo solus Christus verè Dei filius & appellatur, & est. Sic etiam generationis vocabulum impropriè quandoque patribus, & Sacris literis vsurpatum notauimus supra ad c. 7. pr. lib. Cum igitur Lactantius hic, & lib. 4. c. 6. Angelos censere Dei filiorum nomine videatur, respectu quidem Verbi, idest vnigeniti filij Dei non vniuocè, sed æquiuocè illo vti nomine putandus est.

60 *Eoque simul & consiliatore vsus est, & artifice*] ex 8. Prouerb. quem locum citat lib. 4. c. 6. & Ecclesiastici 24. quem locum refert eodem lib. c. 8. in fin. vbi scriptura, de sapientia, & verbo Dei loquitur cum Deo Patre ad mundi creationem concurrente.

61 *Nec audiendi sunt Poetæ, &c.*] Longa hic suscipitur disputatio aduersus eos, qui asserebāt, Deum in mundi molitione nihil aliud præstitisse, quam quòd ex materia æterna, increataq; sed rudi tamen, indigesta, & confusa res ipsas secreuerit, digesserit, ordinarit. Hunc errorem ex hæreticis habuit, & vulgauit quidam Hermogenes, contra quem scripsit Tertullianus. Lactantius contendit, etiam materiam primam a Deo creatam fuisse de nihilo, & ex ea postea digestum, atq; ordinatum a Deo ipso mundum. Ad finem quoque huius capitis ait, hominem postremo factum fuisse, cum iam mundo, cæteriq; rebus manus summa esset imposita, idemq; tradit lib. 7. c. 14. Ex quibus apparet Lactantium sensisse, vt maior pars Sanctorum Patrum, atque Theologorum sensit; materiam primam tam ordine naturæ, quam ordine temporis, siue durationis, ante omnem diem creatam fuisse non omnino quidem informem, idest quæcunque forma carentem, sed forma completiua, & distinctiua, quā illi Dominus per interualla sex dierum naturalium, propriorum, & successiuorum postea indidit prorsus eo modo, quo in libro generationis a Moyse traditur. Ita enim scripsit Dionysius lib. de diuin. nom. c. 4. Sanctus Basilius, Ambrosius, & Bed. in Hexaemer. Chrisostom. in Ioann. Greg. Magn. lib. 33. moral. c. 10. Rupert. primo de operib. Trinit. c. 37. et lib. 2. c. 18. Hugo de Sanct. Vict. pr. de Sacram. Magister in 2. dist. 12. Alexand. Alens. 2. p. quęst. 47. San-

47 Sanctus Bonauentura in 2. distinct. 12. art. pr. quaest. 2. Scot. in 2. dist. 14. quęst. prima, S. Thom. p. p. quaest. 66. artic. pr. & 4. quaest. de potent. art. 2. quamuis contra putarint grauissimi quoque ac sanctissimi viri, nēpe materiā in actualitate perfecta fuisse conditā, informitatemq; ipsius praecessisse formationem non tēpore, sed natura, ac proinde mūdū vno tēporis puncto, non autem per sex dierum interualla conditum; diesq; illos non fuisse veros dies, qui à Moyse recensentur, sed per metaphoram accipiendos, & referendos ad cognitionem rerum creatarum à Deo mentibus inditam Angelorum. Philo Iudaeus in lib. Allegoriar. Origen. 4. Periard. cap. 2. S. Augustinus 4. de Genes. ad liter. c. 31. & seqq. Procop. Gazae. & Caietanus in Genes. Quod autem attinet ad hanc disputationem à Lactantio susceptam aduersus ponentes aeternitatem materiae, & Deo coaeuam asserentes, videndi sunt Tertullianus aduersus Hermog. Ioann. Gramaticus in lib. contra Proclum de mundi aeternit. Euseb. de praepar. lib. 10. c. 8. Gregorius Nyssen. de homin. opific. c. 25. & lib. de hist. sex dier.

62 *Primum igitur non est probabile, &c.*] Excidisse putatur hic locus è 3. De nat. Deorum.

63 *Mori*] ita leg. ex B. T. P. Florent. editione, & alijs, non vt in Aldina [more] Cicero enim erat, qui more Academicorum disputabat, cui mori concedendum aiebat Lactantius, & ita locum hunc refert etiam Sigon. in fragm.

64 *Semper*] hanc dictionem, quae non habetur in quibusdam, addidi ex B. quoniam hic pro aeternitate materiae disputabatur.

65 *Seneca omnium Stoicorum acutissimus*] Multus est Lactantius multis in locis in Laudibus Senecae; iure quidem, ac meritissimò; paucis enim in eius doctrina vel demptis, vel additis optimum habes Christianum, & (vt ait Lactantius lib. 6. cap. 24.) potuit esse verus Dei cultor, si verae sapientiae ducem nactus esset. Franciscus Petrarch. in Epistola ad Senecam ipsum inter Epistolas ad Vir. Illustr. veter. & in Apolog. cont. Gall. ad fin. refert, scripsisse Plutarchum, se, cum in caeteris quibusq; virtutibus, ac disciplinis Latinos cum Gręcis viris contendisset, quem illi ex Graecis in moralibus praeceptis ex aequo opponeret, habere neminem.

66 *Ergo (inquit) Deum non laudabimus, &c.*] habes consimilia ab eodem Seneca lib. 4. de Benefic. c. 7. & a Plin. lib. 2. c. 7. & lib. 27. initio c. 3.

67 *In eodē luto haesitas versurā soluis*] apud Terent. haesitas versuram soluis haesitare in eodem luto dicuntur (vt explicat author adagiorum) qui sic implicantur negotio cuipiam, vt se nequeant extricare, a viatoribus translatum, qui simul atq; in lutum inciderint, cum alterum pedem conantur educere, altero altius immerguntur. Rursus vt hunc extrahant, alter, quē eduxerant denuo est infigendus. Versuram autem soluere illi dicuntur (vt explicat Budaeus ad l. vlt. D. de pignorat. action.) qui, vt syngrapham vnam dissoluant, & vna cautione se liberent, pecuniam mutuam maiori foenore accipiunt. Ita igitur contingere ait Lactantius illis, qui rerum ortum naturae attribuunt, detrahunt Deo; nam a quo factum mundum negant, ab eodem planè factum, mutato duntaxat nomine, fatentur, cum re ipsa nihil aliud sit natura, quam Deus. Sic etiam infra lib. 3. cap. 28.

68 *Sole nondum instituto*] Thomasius legit vt in B. solo nondum instituto, quod magis cohaerere videantur sequentia de frugibus, & animalibus, quae in solo versantur. Ego lectionem caeteris omnibus MSS. & impressis receptam extuli. Caeterum de solo, siue Terra Lactantius iam dixerat, & rationem Thomasij nihil habere momenti intelliget, qui textū inspexerit.

69 *Itaque necesse fuit hominem postremo fieri*] Vide & alias pulcherrimas rationes apud Gregorium Nissen. lib. de hominis opific. cap. 2.

CAP. X.

70 *Sum verò habitaculum distinxit claris luminibus &c.*] Hoc loco Firmianus arguitur erroris, quasi Dei sedem, & domicilium Beatorum statuerit in Coelo sidereo, atquę in eo Solem, & Lunam posuerit. Ego hic Coeli nomine puto vniuersam ab eo Coelorum molem intelligi, quatenus totum id, quod est supra ignem sursum vsque ad Coelum Empyreum inclusiuè cum ipso Empyreo complectitur, quam quidem Coelorum molem Sole, & Luna, micantibusquè sideribus ornatam ait, nempe suis cuique Coelo luminibus appositis; idque ex ipsomet clarè colligi reor, vbi dicit; „ fecit igitur Deus primum omnium Coelum, & in sublime suspendit, quod esset sedes ipsius Conditoris, &c.] Atqui non solum sidereum Coelum, sed vniuersam Coelorum molem statuit in sublime. Subdit etiam. „ Deinde Terram fundauit, & Coelo subdidit, &c.] & lib. 7. c. 5. quasi hunc locum declarans inquit. „ Lumina igitur posuit in Coelo, Terrae autem, &c.] Nunquid autem Tellus vni sidereo subditur? Coelum itaq; ab ipso vtrobique accipitur, vt contra elementa, quorum meminit, distinguitur; & ita pro vniuersa Coelorum (vt dixi) mole, quatenus etiam extremum Empyreum complectitur.

71 *Ex quibus oriens Deo adcenſetur, &c.*] ita B. T. P. & cæteri meliores MSS. legunt, non vt in impreſſis, ex quibus Oriens Deo ſimilis cenſetur. Adcenſeri idem eſt, quod attribui; vnde accenſi milites dicebantur, quaſi accenſiti, quòd Decurionibus, & Centurionibus accenſerentur, ideſt attribuerentur, vt ſcripſit Varro lib. 20. Rhetor. & lib. 3. de Vit. Pop. Rom. Non. Marcel. c. 12. Affirmat autem Lactantius Orientem, lucem, vitam, diem Deo attribui, Occidentem verò, tenebras, mortem, noctem Diabolo. Infra cap. 13. animam eſſe Dei, corpus Diaboli, & cap. 18. Dei eſſe Cœlum, & lucem; tenebras autem, inferos; & ſupplicia ipſi malorum principi in diſtributione rerum attributa fuiſſe. lib. 6. c. 3. duos duces conſtituit, alterum, qui virtutibus, & bonis præſit, alterum, qui vitijs, & malis. Et lib. eod. c. 6. fontem ait bonorum Deum eſſe, malorum verò illum diuini nominis inimicum, ab his duobus principijs bona, malaquè oriri. A quibus omnibus locis cauere nos oportet, quia nonnihil fauiſſe author videtur damnato illorum temporum Cerdonis, & Marcionis dogmati de duobus principijs, altero bonorum, altero malorum, quod & amplexus eſt poſtea Manes: hoc tamen ab ijs differre videtur Lactantius quòd is non carere principio Diabolum, nec natura malum eſſe aſſerit, ſed illum ait à Deo quidem bonum creatum, ad malum autem ſuo arbitrio, quod liberum illi fuerat datum, tranſcendiſſe, vt ſupra ſub initium cap. 9. exinde malorum omnium principem factum. At illi duo principia principio carentia ponebant, & alterum quidem natura bonum, alterum natura malum, vt ſcribit S. Auguſtinus in lib. de hæreſib. hæreſ. 21. & 22. Philoſtr. in Cerdone, & Apelle. Epiphan. in lib. aduerſus hæreſ. hæreſ. 66. quam hæreſim Sanctus Thomas expugnat 2. contra gent. c. 41.

72 *Vnde Solem eſſe appellatum Cicero vult videri*] Ita & Varro 4. de ling. lat. c. 10. Iſidor. origin. lib. 3. c. 70.

73 *Quia non ſunt plena, ac ſolida Lumina*] quaſi aliquo modo ſuapte natura lumina ſint, ac proinde proprio lucere lumine ſtellas putet, quam opinionem habuiſſe credendi ſunt omnes philoſophi & patres, qui aſtra ex igne conſtare ſunt opinati, & patres illi, qui luminaria, & ſtellas, vt vehicula priſcæ lucis effecta docuerunt. Baſil. Ambroſ. Nazianzenus multo magis qui lucem illam priſcam aiunt in luminaria, ideſt in Solem, Lunam, & aſtra à Deo fuiſſe diſtributam, vt Apollinarius, & Dydim. apud Lipoman. in Caten. Athanaſ. queſt. 83. & 85. Theodoret. quæſt. 14. & 16. in Geneſ. Procop. cap. pr. in Geneſ: Damaſcen. 2. fid. orthod. cap. 7. Eiuſdem ſententiæ dicitur Auicenna, & Macrobius, qui vnam Lunam excepit c. 19. & 20. in Somn. Scipionis. Sed contrà Plato aſſeruit in Timæo, Plin. lib. 2. c. 6. & plerique Aſtrologorum. Hugo de S. Vict. in annotat. in Geneſ. c. 6. ait, ſolum Solem propriam habere lucem, & ipſum ex igne eſſe factum, reliquas verò ſtellas omnes ex aeria materia factas relucere potius, quam lucere. Sanctus Auguſtinus ſuper Geneſ. ad liter. lib. 2. c. 16. ait, ex diuina ſcriptura manifeſtè quidem cognoſci diſparem eſſe ſiderum claritatem dicente Apoſtolo c. 5. prioris ad Corinth. Epiſt. aliam eſſe claritatem Solis, aliam Lunæ, & aliam ſtellarū, et ſtellam differre à ſtella in claritate; vtrum autem ſtellæ lumen accipiant à Sole, necne ex ſacris literis colligi, & conſtitui non poſſe.

74 *Diſcordi concordia mundum conſtare, &c.*] innuit opinionem Empedoclis, qui omnia ex lite, & amicitia (videlicet elementorum) conſtare dicebat, de qua differit Ariſtot. pr. Phyſ. pr. de Anima, pr. Diuinor.

75 *Vt ſacramento ignis. & aqua nuptiarum fœdera ſanciantur*] vt conſtat ex l. Seia Sempronio. D. de donat. inter vir. & vxor. quæ declaratur ex Feſto in verbo [Aqua] Budæus ad dictam legem, Ciriac. obſeruation. lib. 11. c. 2.

76 *Materia corporis, in humore eſt*] præcipuè ſcilicet, fortè quia & ſemen, & ſanguis ſunt humores: alioqui corpus animalis, vt cætera omnia, ex quatuor elementis conſtat, vt ipſe Lactātius declarat ſecutus Empedoclē inf. c. 13.

77 *Anima in calore*] fuit hæc democrati opinio, quam Ariſtoteles refutat in pr. de Anima, nec ſanè video, quomodo hic Lactantius aſſerat, materiam animæ igneam, vel calorem eſſe, qui certò ſciat, hominis animā immortalē eſſe, vt ipſe oſtendit lib. 3. c. 12. & 13. & c. 17. de Opificio Dei. Animam quidem eſſe ignem expreſſis verbis ſcribit inf. cap. 13. ſibimetipſi cōtrarius, qui id pernegauit d. c. 17. de Opif. & alibi ſcribit, animam de Dei ſubſtantia eſſe, vt inf. c. 13. vbi dicemus.

78 *Nec humor poteſt corporari, nec corpus animari*] in impreſſis eſt. Nec humor poteſt corporare, nec corpus animare. Noſtram lectionem exhibent Vaticani, duo Codices Sancti Saluatoris Bononien. T. P. Nec humor (inquit) poteſt corporari, videlicet in corpus illud denſari, nec corpus ipſum animari, non animare, quia corpus non animat, ſed animatur. ita quoque Budæus hunc locum rectè profert in annotationibus ad l. 2. D. de pœnis.

79 *Exulibus quoque ignis, & aqua interdici ſolebat*]

De ignis, & aquæ interdictione. Vlpianus in l. secunda, D. de pæn. & ibi Budæ. in annot. ad Pandect. Festus in verbo, aqua, Isidorus orig. lib. 5. cap. 27. ad fin.

80 *Immobilis est, ac deorsum vergens &c.*] rectè à Thomasio in notis ex B. Codic. correcta est lectio impressorum, quæ habet, mobilis est, &c. hic enim fieri antithesim manifestum est, & sanè de igne dixit,, [cuius natura quia mobi-
,, lis est, & rursum nititur, vitæ continet ratio-
,, nem.] ergo de aqua rectè subdidit, [cuius na-
,, tura quia immobilis est, ac deorsum vergens
,, figuram mortis ostendit,] figuram autem mortis ostendere non posset si mobilis esset, quia, vt ipse Lactantius ait lib. 6. cap. 17. & lib. de ira Dei. cap. 17. vita actuosa est, mors quieta. natura itaque immobilis est, & quieta, propè enim ad terræ grauitatem accedit; ægre autem mouetur, nec nisi deorsum versum, sicubi ventorum flaminibus agitetur, aut extrinsecus alio quopiam modo ei motus indatur.

81 *Ideo pecudes, neque in Cælum suspiciunt*] Galenus lib. tertio, de vsu part. cap. 3. ait, hoc dictum esse hominum, qui nunquam viderint piscem οὐρανοσκόπον, ideſt Cœli speculatorem, appellatum; hic namque vel inuitus Cœlum semper aspicit. Verumtamen ille nihil omnino re vera in eo contemplatur, vt homo.

CAP. XI.

82 *Vt in excolenda terra iuuarent, vnde dicta sunt iumenta.*] Ita & Columel. lib. quinto, & Isidor. lib. 12. orig. cap. primo, & lib. 15. cap. 17. at Nonius, cap. primo. Pomponius Iurisconsultus in l. Boues. D. de verbor. signific. & veteres alij, vt Gellius testatur lib. 20. cap. 1. non à iuuando, sed à iungendo dicta maiunt.

83 *Et innumerabiles animas procreare, &c.*] Sic inf. cap. 14. statuit humanum genus diluuio perdere non, tamen continuo diluuium immisit. sensus est, Deum in æterna sua prædestinatione decreuisse, & statuisse, tempore procedente, & dum mundus maneret humanis formatis corporibus innumeras animas procreare, ipsisque corporibus creando intundere. Catholica sententia, & Lactantio consona, qui cap. 19. libri de Opif. Dei,, Cætera (inquit) Dei sunt
,, omnia, scilicet conceptus ipse, & corporis in-
,, formatio, & inspiratio animæ, & partus inco-
,, lumis &c] vt post corporis informationem fieri à Deo inspirationem animæ hinc tacitè intelligas. commentum quidem de animabus ante corpora conditis, quod ex hoc loco nonnulli temerè Lactantio affingunt, irridet, & refutat ille lib. tertio, cap. 18.

84 *Vnde homo nuncupatus est, quòd sit factus ex humo*] sic & lib. de Ira Dei. cap. 10. ad fin. homo autem hic corpus hominis intelligitur. Sed hanc etymologiam non probat Quintilianus lib. primo, cap. 6. probat Isidorus lib. 11. origin. cap. primo. Vid. Rhodig. antiq. lect. libro primo, cap. 41.

85 *θεοειδῆ*] ita correxi quod corruptè in omnibus est θεοειδῶν. Plat. sexto, de Repub. ἀπ' ἐκείνου τεκμαιρόμενοι, ὃ δὴ καὶ Ὅμηρος ἐκάλεσεν ἐν τοῖς ἀνθρώποις, θεοειδές τε, καὶ θεοείκελον. ideſt ex eo coniectantes, quod sanè, & Homerus vocauit in hominibus, deiforme, & Deo simile.

86 *Terrea progenies &c.*] editiones, quæ [ferrea] legunt in Marone, hinc castigandas monuit Turneb. Aduersarior. lib. 21. cap. 22. Rhodigin. antiq. lect. lib. 4. cap. 19. Pier. Valerian. in Hieroglif. lib. 57. cap. de Papyro. qui autem Lactantij textum corruptum putant, vt refert ipse Pierius in castigationibus Virgilianis, ad eum Virgilij locum, nec ipsi vehementer errant cum Lactantius, hic, animalia sine vllo artifice orta esse de terra dicat, vnde infert. Terrea progenies, nec vox [Ferrea] quicquam ad rem suam facit.

87 *Præsentis substantia*] fuere tamen, qui dubitarint, an tempus præsens existat, de quo disputat Philosophus 4. Physicor. tex. 87. & seqq. Sanctus Augustinus lib. 11. Confession. cap. 14. & seqq. Vide & Censorin. de die natal.

88 *Ingratis*] ita B. T. Florent. & Plantiniana quoque ad oram libri. aduerbium est, idemque sonans, quod, præter gratiam, & meritum, non vltrò, inquit Donatus, coactè, aliàs ingratè.

CAP. XII.

89 *Aiunt certis conuersionibus &c.*] explicat, & refellit rationem primæ originis animantium allatam ab Anaximandro, & à Democrito, vt ipse Lactantius tradit inf. lib. septimo, cap. 7. & alijs nonnullis veteribus Philosophis, de qua Lucretius quinto. Cicero primo, de legib. Diodor. lib. primo, cap. primo, in principio, vbi etiam quiddam subdit ex Menalip. Euripidis Anaxagoræ discipuli, quo illum censet idem sensisse. hanc autem opinionem, quæ asserit homines tanquam fungos primo, deinde quasi vermiculos quosdam è terra effusos irridet Lactantius etiam lib. septimo, cap. 4. & septimo. Varias de animalium primæua generatione sententias refert Censorin. De die natal. cap. tertio.

90 *Inquiunt*] nonnulli scilicet, inter quos Lucretius in quinto, illis Carminibus.

At

At nouitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æstus &c.

91 „ *A summo Deo*] Codices Ciceroniani leguntur [à supremo Deo .]

92 *Αυτος φυσει*] Codex Sibyllinus habet, *ἄυγας μιξε.*

CAP. XIII.

93 *SPirauit ei animam de vitali fonte spiritus sui, &c*] inf. hoc cap. quarum animæ non ex Deo constantes , sed ex communi aere, &c. Item, quod est ex Cęlo , & Deo imperet,&c. Et lib.7.cap.12. quod ex Cęlesti spiritu , id constat, &c. Et ibid. paulò inf. quoniam ex Dei spiritu, qui æternus est &c. Ex his locis videtur Lactantius putare, humanam animam ex Dei substantia esse; quamquam quid dicam putare ? quid enim hac de re planè putet , assequi ego quidem certè non possum. Superius ad fin. cap. 10. dixit, animam esse igneum quiddam, atque calorem, & inf. hoc eod.c. dicit, illam esse ignem, quam positionem ridet Aristoteles 2. de partibus anim. c.7. „ Quòd si anima (inquit La„ ctantius) ignis est , vt ostendimus , in Cælum „ debet eniti , sicuti ignis, &c.] At quicquid alibi senserit , in supra notatis quidem locis eam de Dei substantia esse opinari videtur. E schola Platonicorum hæc fluxit opinio , quam secutus M. Tullius sæpe dicere solet , humanos animos ex diuina esse delibatos , tractos , haustos , decerptos natura . hoc errore captus videtur & Philo in lib. quod deter. pot. insid. & Tertullianus de quo ita Genadius in lib. de Dogmat. Ecclesiast. „ Nihil ex Trinitatis essentia „ ad creaturarum naturam credamus esse dedu„ ctum , vt Plato , & Tertullianus , &c.] Item secundum Theodoretum capti hæretici Cerdon , Marcion , Gnostici , & Manichæi ex illo Genes. 2. prauè intellecto . „ Inspirauit in fa„ ciem eius spiraculum vitæ] Quia enim flatus ex corpore flantis educi videtur , ideo de Dei substantia ab ipso inspiratam animam crediderunt. At verò locus ille Genes. nihil opitulatur errori , quia homo , a quo similitudinem sumptam dicunt , non emittit flatum de sua substantia , sed de aere respirato , qui non est de substantia corporis , & multo minus animæ; deinde anima non potest facere flatum nisi de corpore, cum non sit creatrix , at Deus cum sit infinitæ potentiæ , potest animam de nihilo creare , & sic dicitur flasse in quantum hominis flatum creauit . Ita docet Magister , & omnes Doctores præsertim S. Thomas in 2. dist. 17. illa enim inspiratio Dei corporalis non fuit , sicut nec locutio corporalis , cum dixit , fiat lux, fiat firmamentum, &c.] Theodoretus hæc habet . „ Nomine flatus non intelligimus partem „ aliquam essentiæ diuinæ secundum Cerdonis , „ & Marcionis rabiem , sed animæ naturam per „ id denotari ; quòd anima sit spiritus rationalis , „ & intellectualis] Damnata est hæc hæresis in Concilio Toletan. pr. in assertion. fid. & a Leone primo Epist. 91. & in Conc. Bracaren. pr. c. 5. & contra illam disputat Irenæ. lib. pr. aduersus hæres. c. 24. & tota schola Theologorum d. distinct. 17. S Thom. in 2. con. gent. c. 85. & pr. p. quæst. 90. art. pr.

94 *Empedocles, quèm nescias , vtrumne inter Poetas &c.*] Aristoteles quidem in Poeticis potius cum inter Philosophos, quam inter Poetas censendum scribit, & Plutarch. De audien. Poet. ipsius Carmina sermones potius, quam Poeteis dicenda .

95 *Secundum*] correctus est error operarum , quæ in al. editionibus fecerant , secunda.

96 *Est enim quasi vasculum &c.*] al. est enim terra quasi vasculum &c. sed iure a B. abest τὸ terra , pergit enim loqui de corpore , quod tanquà vas , & domicilium animæ dicit esse. nobis autem ab eiusmodi locutionibus cauendum,& abstinendum esse monui supra ad cap. tertium.

97 *Seruiuit enim fœdissimis voluptatibus &c.*] adde Sueton. de claris Grammatic. cap.6. Gell. lib. 17.cap.18.

98 *Conseuit*] ita lego , vt hic locus ab omnibus citatur,& habetur in B. T. P. sic inf. cap. 14 atque vineam sua manu seuit , & arborum consitiones dicuntur . Verum tamen in editis plerisque legitur, conseruit quam lectionem ex Pandictis Florent. in l. in fundo alieno D. de rei vendicat. Aurelio Victore , & Liuio sustinet Ciriac lib. 11. obseruation cap.39.

99 *Quæ si obseruasset, immortalis maneret*] Contrà Pelagium , qui asseruit , Adam mortem obijsse non propter culpam , sed ex naturali conditione, qua interijsset, etiam si a Dei mandato non recessisset . Hæc hæresis damnata est in Concilio Mileuitan. cap primo.

100 *In qua posuerat intelligentiam boni , & mali*] infra hoc eodem cap. percepta igitur scientia boni , & mali , &c. In quanam arborum specie arbos hæc fuerit , ab expositoribus super Genes. varie opiniones recensentur , sed nihil certò statuitur . Illud quæritur, cur arbor sciẽtiæ boni , & mali appellaretur . Hebræi sunt opinati , primos Parentes creatos fuisse simplicissimos absque rationis vsu infantium similes : quoniam autem arbor illa vim haberet accelerandi rationis vsum , & liberi arbitrij , propterea fuisse appellatam arborem scientiæ boni , & mali ; nam secundum Scripturæ phra-

fim

sim scire bonum, & malum idem sonat, quod habere rationis vsum. Hanc opinionem Sibyllis quoq; firmatam, vt infra legitur not. 97. secutus est Lactantius, quæ communiter ab omnibus reprobatur; est enim maximus error, ne dicam hæresim, asserere, Adam ab initio fuisse boni, ac mali nescium, sed ab esu fructus illius arboris scientiam boni, ac mali adeptum; qui enim omnibus animantibus nomina indidit, quæ profectò naturis eorum congruere debent, quiquè admirabilem prophetiæ facultatem habuit, quam de muliere pronunciauit, hoc nunc os, &c. quo modo quid bonũ, quidue malum esset nesciret? decuit etiam; vt quemadmodum quantum ad corpus institutus est in statu perfecto, vt statim posset generare, ita etiam institueretur in statu perfecto quantum ad animam, vt statim posset alios instruere, & gubernare. promuntur huiusmodi rationes ex Sancto Augustino in pluribus locis super Genes. & lib. 14. Ciuit. c. 17. & ex S. Thom. in p. p. quæst. 94. art. 3. disputat item contra illam opinionem Chrysostomi homil. 16. super Genes. & vide Philon. præclarè de primi hominis perfectione differentem in libro de mundi opificio ad fin. Præterea ferè omnes contentiunt, nomen illud scientiæ boni, & mali non ei ligno à natura sibi a Deo indita conuenisse. Eucher. pr. in Genes. Cyrill. 3. aduersus Iulian. Sanctus Augustinus super Genes. & d. c. 17. Theodoretus quæst. 26. in Genes. Beda item, & Strab. quos sequitur Magister in 2. Sent. distin. 17. Secunda opinio est Iosæphi Iudæi in primo Antiquitat. c. 3 ideo sic appellatam, quod eius fructus si ederetur ab homine, vim habere acuendi ingenium, & solertiam, atque prudentiã cogitandi, multumq; conferret ad percipiendam scientiam; quam opinionem refellit Lyranus. Tertia est Ruperti in 2. de Trinitate c. 27. Tostat. super cap. 3. Genes. quæst. 154. & 155. Perer. lib. 3. in Genes. ita appellatam per ironiam propter mendacium, & fallax promissum serpentis, quo pollicitus est, si comederent, eos similes Deorum futuros scientes bonum, & malum, vt vel ipso arboris nomine monumentum posteris repræsentaretur tam insignis diabolici mendacij, atque ideo putant, illud nomen ei vel ab Adamo post peccatum, vel a Moyse inditum; & licet in historia Genesis ante congressum serpentis cum Eua bis arbor illa eo nomine vocitetur, id fieri dicunt per anticipationem, re vera enim antea non habuisse id nomen, sed cum Deus præcepit Adæ, ne de ea comederet, vel alio nomine illam appellauisse, vel quasi digito, aut alio modo illam designauisse. Opinio crebrior est, quam habet Chrisostomus super Genes. August. lib. 8. super Genes. ad lit. c. 6. & 15. Cyrillus Bed. Strab. & alij, quos pr. loco citauimus, videlicet, nomen illud non ei a Deo natura inditum, quasi intelligentiam boni, ac mali conferret, ac contineret, vt scribit Lactantius, sed ab euentu postea secuto, quia quamprimum homo fructum illius arboris manducauit, discrimen boni, & mali, quod antea tantum speculatiuè cognoscebat, practicè, & per experientiam cognoscere cœpit, & quanta differentia esset inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ. Porrò Sanctus Augustinus d. c. 15. etiam ante sermocinationem serpentis cum Eua hoc nomen illi arbori à Deo impositum scribit.

101 *Sententia in peccatorem lata, vt victum sibi labore conquireret*] ita leg. ex B. & alijs MSS. optimis, & ex ipsa historia Genes. vnde hæc sunt desumpta, ibi enim habetur. „ Et emisit
„ eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt
„ operaretur terram, &c.] in alijs legitur. sen. in peccatores lat. vt v. s. l. conquirerent.

102 *Ipsumq; Paradisum igni circumuallans*] Historia in fin. cap. 3. Genes. ita legitur. „ Et collo-
„ cauit ante paradisum voluptatis Cherubim, &
„ flammeum gladium, atque versatilem ad cu-
„ stodiendam viam ligni vitæ] Quid ibi intelligatur per flammeum gladium variæ extiterunt sententiæ. Tertullianus Apologetic. c. 46. per flammeum gladium intellexisse videtur Zonam torridam, eiusq; flagrantissimum æstum more gladij eò accedentes ferientem, qua zona circundatus est Paradisus. Tertullianum sequitur Sanctus Thomas in 2. 2. quæst. 165. art. vlt. Sed hæc expositio ad literam non quadrat: clamat autem Sanctus Basilius in 3. homil. & initio 9. super Genes. Sanctus Augustinus super Genes. ad liter. initio lib. 8. & Beda ad ea verba, [In principio creauit, &c.] alijque grauissimi, & sanctissimi viri, doctrinam Moysi in opere sex dierum creationis mundi totam historiam esse, ideo historicè, propriè, & ad literam, non figuratè, non mysticè, non anagogicè intelligendam. Et Zona torrida ibi erat etiam ante hominis lapsum; at Scriptura dicit, flammeum gladium ibi a Deo positum postquam Adam inde eiectus est. Lactantius nihil aliud flammeum gladium fuisse censet, quam ingentem quandam vim, & copiam ignis instar muri, & propugnaculi, seu valli (vt hic ait) ante Paradisi aditum positi. Secuti videntur Lactãtium Petrus Concestor super illum Genesis locum, Nicolaus de Lyra, & Tostatus; quæ opinio a nonnullis reprobatur tanquam mutila, quòd de Cherubim mentionem non faciat, & tamquam impropria, & minime literalis. Quidam

dam impedimenta designari intelligunt, quibus homo post peccatum ab ingressu Paradisi Cælestis arcetur. Sed & hæc sententia à sensu literæ procul abest. Sanctus Ambrosius super illum versiculum Psalmi 118. [Retribue seruo tuo, &c.] flammeum gladium interpretatur ignem purgatorium. ita & Rupertus in 3. super Genes. cap. 32. & 33. qui eadem ratione refelluntur. Et gladius flammeus ante Paradisum terrestrem fuit positus; ignis autem purgatorius subtus terram ponitur à Theologis. Denique aliorum est sententia, quam probat Benedictus Pererius lib. 6. super Genes. quòd hæc verba Genes. historicè, literaliter, & propriè prorsus intelligantur, vt sonant, videlicet, Cherubim, idest Angelos ad Paradisi custodiam positos fuisse sub specie, & figura hominum tenentes manibus suis gladios acutissimos, & ob vibrationem, quasi emissis scintillis, ac flammis corruscantes.

103 *Donec summum iudicium faciat in terra, & iustos viros cultores suos in eundem locũ reuocet. &c.*] Hoc loco Lactantij, & Tertulliani c. 46. Apologetic. notamus errorem, quo putant, animas iustorum post iudicium vniuersale in Paradisum terrestrem introductum iri: nam illud nec sanctæ literæ vlquam docent, vt ait Lactantius, neque Sibylla dicit, quæ Paradisum nominans fortè intellexit illum Cœlestem. Christus Dominus in regnum Cęlorum se iustos post iudicium vniuersale vocaturum denunciat Matth. 25. [Venite benedicti, &c.] vt ibi Sancti, & Doctores omnes interpretantur.

104 *οἱ δ' ἀθάνατοι τιμῶντες*, &c.] leguntur hi versus apud Theophil. ad Autolyc. lib. 2. in Codice autem Sibyllino non hi prorsus, sed similes extant sermon. primo, sub initium, ibi scilicet

——— *τὸν δὲ κάχετ' ἐν παραδείσῳ*
ἀμβροσίῳ ναίειν

105 *Ἄνθρωπον*, &c.] Extant hi versus in Carminib. Sibyllin. serm. primo, sub initium, & Serm. 8. circa medium, sed ibi aliquantulum variant. Serm. primo.

——— *τὸν δὲ μάλ' αὐτὸς*
ἐξαπάτησεν ὄφις δολίως,

Sermone 8. ——— *καὶ ἄνθρωπον πλάσαντα, ἔνθ' ἐξαπάτησεν ὄφις δολίως*, &c. In quibus carminibus illud falsum est; Adam fuisse deceptum, vt ex fructus eius boni, & mali acquireret notionem, si de notione speculatiua intelligatur, vt superius est dictum hoc eod. cap.

106 *ἀγαθόν τε, κακόν τε*] Ita leg. vt in Aldinis, & Plantinianis excusis, & in Cod. Sibyllino primo Serm. non autem vt in editione Florent. & in Cod. Sibyllino Serm. 8. *ἀγαθόν τε, καὶ κακόν*. nam scansio non constat.

107 *Quæ in mille annos propagaretur, &c.* Profectò qui mille annis vixerit, in scriptura comperies neminem quicquid ipse de tempore vitæ Adami tradiderit inf. lib. 7. cap. 14 in fin. vbi eum refutauimus. Attamen non absurde eorum vitam in annos mille propagatam dicimus, qui quam proximè ab eo numero abfuerunt, sicut Iared, sicut Mathusala, & Noe, de quibus cap. quinto, & 9. Geneseos.

108 *Ait enim, apud Ægyptios pro annis menses haberi. &c.*] Non fuit hoc perpetuum apud Ægyptios, licet Macrob. primo. Saturnal cap. 12. affirmet, anni certum modum apud solos Ægyptios semper fuisse, nam verius est, Ægyptios annum variasse, & quandoque trium, sæpius quatuor mensium annum effecisse, vt traditur scripsisse Xenopbontem in libro, de æquiuocis his verbis. „ Annus diuersus est; etenim ipsi
„ Ægyptij vtuntur anno quandoque menstruo,
„ sæpe bimestri, non rarò trimestri, sæpe qua-
„ drimestri, nonnunquam solari] Solin. cap. tertio, Ægyptiorum annum quatuor mensium scribit fuisse; & Sanctus Augustinus lib. 15. ciuit. cap. 12. aliquando quatuor mensium, aliquando menstruum. Sed & Plutarch. in Numa, Ægyptijs menstruum annum, mox quadrimestrem fuisse tradit. Illum tamen plerunque mensis spatio metitos ad cursum Lunæ scribit Plin. lib. septimo, cap. 48. & Censorin. de die natal. De anni diuersitate apud varias gentes vid. Alex. Neapolitan. dier. genial. lib. tertio, cap. 24. Camert. ad cap. tertium. Solin. Gyrald. de dieb. ann. & mens.

109 *Quod argumentum perspicuè falsum est, &c.*] Cum Varrone tamen sentire videtur, & Plin. d. cap. 48. quem S. Augustinus refert vbi supra, sed iure Varronem refellit Lactantius, & asserit id, quod res habet, videlicet, annos, quos vixisse ante diluuium homines scriptura narrat, non menstruos, vt dicebat Varro, sed pares fuisse nostratibus, vt etiam demonstrat Sanctus Augustinus lib. 15. Ciuit. cap. 14. Etenim scriptura cap. 7 Genes. in illo vno anno, quo durauit diluuium, mentionem facit primi, secundi, & decimi mensis, & ne quis posset cauillari, menses illos paucioribus diebus constitisse, quam nostri, memoratur ibidem decimus septimus dies mensis secundi, & vigesimus septimus mensis septimi, & vigesimus septimus mensis secundi. Quin etiam si omnes dies, quos memorat Moyses in descriptione diluuij per vnum illum annum computet, reperiet illos ad trecentos, & sexaginta; nec mirum esse debere scribit Iosephus Iudæus, aut falsum videri, quod traditur de tam longæua priscorum hominum vita, quia dominus illis ob inuentio-

nem ſcientiarum, & artium, præſertim Aſtronomiæ, ampliora viuendi ſpatia condonauit. alias cauſas multas apud expoſitores ſuper Geneſim facile quiſque reperiet.

CAP. XIV.

110 IN *centum, & viginti annis metam collocauit*] Verba Domini, quæ refert Moyſes initio ſexti Geneſ. Eruntquè dies illius centum, & viginti annorum] perperam intellecta cauſam præbuerunt erroris. Philoni in lib. de Gigant. Ioſepho Iudæ. primo, antiquit cap. 5. Arnob. ſecundo, cont. gent. Lactantio. Diodoro, Tharſen. Epiſcopo. Rupert. in quarto, ſuper Geneſ. cap. 13. Toſtat. ſuper cap. 6. Geneſ. cap. 11. putantibus a Deo poſt diluuium metam vitæ humanæ in centum, & viginti annis collocatam; cum tamen verba illa exponenda ſint ita, vt dicamus, eruntque dies illius, ideſt hominis, non ad viuendum, ſed ad pœnitendum, centum & viginti annorum, hæc dixit Dominus ante annos viginti, quam fieri arca cępiſſet, vt ſcribit Sanctus Hieronymus, quæ facta legitur centum annorum ſpatio: vel ſecundum Strab. ab eo anno dixit, quo cæpit arca fieri, ſed quia homines in prauitate manſerunt, ante præfixum tempus, nempe centeſimo anno deleti ſunt. Pęnitet (inquit dominus) me feciſſe hominem, ideſt efficiam quod homo ſolet iratus, & operis ſui pęnitens, demolitur enim quod fecerat; ſic ego hominem delebo, quem feceram; non tamen permanebit ſpiritus meus, ideſt indignatio mea in homine in æternum, ſicut aduerſus Diabolum, quia caro eſt, ideſt fragilis, ſed cum hic puniam, & aquis obruam; quin etiam antequam puniam, dabo ei tempus pęnitudinis, eruntque dies illius ad pęnitendum centum, & viginti annorum. Ergo verba domini non ſeueritatis ſunt, ſed clementiæ, atq; miſerationis, & ita interpretantur ea Chriſt. homil. 22. ſuper Geneſ. S. Hierony. in quæſt. hebraic. S. Auguſtin lib. 15. ciuit. cap. 24. Strab. & Hug. de ſan. Vict. in annot. in Geneſ. & Denique Mag. hiſt. Scholaſt. in lib. Gen. cap. 31. concordatque hæc expoſitio cum textu hebræo, qui habet, non iudicabit ſpiritus meus homines iſtos in æternum, quia carnes ſunt, ideſt, vt Rabbi Salomon interpretatur, non diſceptabit, non iudicio contendit ſpiritus meus, &c. Sanè verò quam plurimos centum, & viginti annos exceſſiſſe nouimus non ſolum ex ſacris literis, cap. 11. 23. 25. 47. Geneſ. & alibi ſæpe. Sed etiam ex profanis authoribus. Plinio lib. 7. cap. 48. & 49. Athenæo libro 10. cap. 11.

111 *Eaquè terra de nomine ſuo Chanaam dicta eſt.*] Ergo potius ab ipſomet Chanaam filio Cham, quam a Cham, vt ait Lactantius, dictam oportuit, vt etiam ipſi Chananæi a Chanaam dicti ſunt cap. 10. Geneſ.

112 *Nec enim vllis in ea regione nubibus ſubtexitur cælum*] In Bononien. vtriſque Codicib. P. & aliquibus Vaticanis non habetur particula, [enim] nec ea clauſula parentheſi includitur, quaſi hic non prioris dicti ratio reddatur, cur ea gens ſub dio degeret, ſed alia cauſa afferatur, cur aſſiduè ſidera contemplari potuerit. Ego ita ſcripſi, vt eſt in omnibus impreſſis. Dubitationem habet quod hic ait Lactantius in Ægypto nubes non fieri, nam Plin. lib. 2. cap. 50. nubes ibi fieri ſcribit quamuis raras, & tenues; & Democritus, referente Plutarcho in placitis lib. 4 cap. primo, ob id Nili incrementum fieri tradebat, quòd niue in partibus ad ſeptemtriones ſitis ſub ſolſtitium æſtiuum reſoluta, atque diſſuta, denſentur ex vaporibus nubes, quæ, compulſæ verſus meridiem, & ad Ægyptum ab Eteſijs ventis, in magnos, ac vehementes diſſoluantur imbres, quibus cùm paludes, tum Nilus impleantur. Diodorus quoque lib. primo, cap. ſecundo, pluuias ibi; ſed raras fieri teſtatur. Conſentit Lactantio Mela lib. primo. „Ægyptus (inquit) expers imbrium,
„ mirè tamen fertilis, &c.] Verùm ex Philone ſcriptores conciliare poſſumus, qui lib. primo, de vita Moſis, paruas ibi, raraſquè pluuias fieri ſcribit, in locis quidem maritimis: vt ſuprà Memphim nullas omnino: vbi & cur hyems Ægypto ſit ſuperuacanea pulcherrimè diſſerit.

113 *Portentificas animalium figuras.*] De quibus Cicero primo, & tertio, de nat. Deor. Philo in libro, De Decalog.

CAP. XV.

114 C*Vm ergo numerus hominum cæpiſſet increſcere, &c. miſit Angelos ad tutelam, cuiuſcumquè generis humani*] In eo falſus eſt, quod ait, non ante ad cuſtodiam datos, Angelos, quam hominum numerus cępiſſet increſcere; nam a primis vſque parentibus vnaquæque anima ab initio ſuæ creationis Angelum habet ad ſui cuſtodiam deputatum, nec eo primi ipſi parentes, nec vlli omnino homines caruerunt. Orig. in lib. Numer. Hieronym. in Matth. 18. Angeli eorum, &c. Sanctus Bernard. Serm. de Angel. & in Pſal. 8. Quid eſt homo, quòd memor es eius, &c. Magiſt. & omnes Theolog. in ſecundo, diſt. 11. Sanctus Thom. p. 1. quæſt. 113. art. 4.

115 *Quibus, quia liberum arbitrium erat datum.*] Peccatum reliquorum malorum Angelorum contigisse scribit, cum iam hominum multitudo cœpisset increscere, hoc est post Luciferi peccatum longo temporis interuallo, illudque peccatum fuisse luxuriæ, atque libidinis, quia se mulieribus miscuerint. Dicimus nos, paruulam moram intercessisse inter Luciferi supremi Angeli creationem, & eius lapsum. Sanctus „ Augustinus super Gen. lib. 12. c. 23. „ Factus (in- „ quit) continuò se à luce veritatis auertit, su- „ perbia tumidus, &c.] Isidor. lib. primo, de summ. bon. c. 10. „ mox vt Factus est in super- „ biam erupit, & de cœlo præcipitatus est] Illud certissimum est, iam culpæ, & damnationis reum factum, vbi ad tentandam primam mulierem accessit, vt contra opinionem Germani disertè disserebat Serenus Abbas apud Cassian. collat. 8. cap. 10. Dicimus secundo, malos Angelos vel simul, & vnico temporis instanti cum Lucifero peccauisse, vt scribit Alens. 2. par. quæst. 110. memb. quinto. Sanctus Thomas p. p. quæst. 63. artic. 8. vel mora aliqua fortasse interiecta, vt Sanctus Bonauen. in secundo, distinct. 5. artic. secundo, quæst. secunda, Scot. ead. distinct. quæst. 2. sed ea quidem imperceptibili, & penè nulla, vt ex eisdem colligitur. Peccatum quoque malorum angelorum idem fuisse quod Luciferi, nempè superbiæ peccatum, de quo dixi ad cap. 9. quod illis Lucifer persuasit, ex eisdē sanctis patribus, & doctoribus constat locis citatis. Statim autem atq; peccauerunt, damnati sunt, & cum Lucifero è cœlo deturbati. Apocalyp. 12. Sanctus Isidor. vbi supra, Damascen. de fid. orthod. lib. 2. cap. 4. Diabolum quidem idest Luciferum illico in infernum detrusum quidam Doctores arbitrantur; alij verò in hunc aerem caliginosum, sed cum in tentatione à Christo victus fuisset in infernum deiectum. Ita Mag. in secundo distinct. 6. qui tamen, an nunc is sit in Inferno dubitat. Lactantius Inst. lib. tertio, cap. 29. eum in hoc mundo manere permissum censet, vt homines malitia sua exerceat ad virtutem. De cæteris dæmonibus alios quidem in hunc aerem caliginosum deiectos, alios autem, qui grauius peccauerunt, in Infernum detrusos scribit Sanctus Thom. d. distinct. 6. artic. 4. & p. p. quæst. 64. articulo quarto. At Sanctus Bonauentura d. distinct. artic. 2. quæst. prima affirmat, locum cæterorum dæmonum vsque ad diem iudicij non esse infernum, sed aerem caliginosum, vtrum autem aliqui detrusi sint in infernum, se nescire fatetur, ait tamen aliquos illuc descendere ad torquendas animas. Sed vbicunque sint sua semper secum deferunt tormenta flammarum, vt ait Glos. ordinar. super illud Iacob. tertio, inflammata à gehenna, &c. quam refert, & probat Sanctus Thom. d. distinctio. 6. articulo quarto. Illud quoque ex sacris literis constat, Angelos malos continuò post peccatum, & damnationis sententiam obstinatos mansisse in malo, in suaque damnatione, & obstinatione, ac pœna æternum mansuros. Alens. secunda, p. quæst. 118. memb. primo, artic. primo, & quarto. Sanctus Thom. p. p. quæst 64. artic. 2. DD. cum Magistro, in secundo, senten. distinct. 7. vbi præsertim Sanctus Bonauentura, artic. primo. Scot. quæst. vnic. Durand. quæst. secunda. Gabriel. quæst. prima, quod quidem de fide est, & definitum in cap. firmiter. de summ. Trinit. & fid. catholic. Ex quibus multi Lactantij errores notari, & caueri possunt, & primus quidem, quo hic scribit, Deum Angelis tunc præcepisse, ne contagione terræ maculati, substantiæ cœlestis amitterent dignitatem; iam dudum enim peccato polluti fuerant, & maculati, & in ea quidem macula, & obstinatione confirmati, vt diximus.

116 *Ad vitia pellexit*] fabulæ. Iam dictum est, multo antea, scilicet ante primorum parentum lapsum à Lucifero ad peccatum illectos, quo statim damnati fuerunt.

117 *Et mulierum congressibus inquinauit.*] Quodnam fuerit malorum Angelorum peccatum, & quo tempore perpetratum enarratum est supra. Cæterum quòd Angeli tempore Noe mulieres inierint non solum Lactantius, sed etiam alij quamplurimi Patres senserunt ex illo non rectè intellecto. Genes. cap. 6. „ Ingressi sunt fi- „ lij Dei ad filias hominum, illæquè genuerunt, „ &c.] Iosephus Iudę. primo, lib antiq. cap. quinto. Tertullian. in lib. de veland. virginib. Iustin. martyr vtraque Apolog. Clemens Alex. lib. tertio, & quinto. Stromat. Cyprian. de discip. & habit. virg. Method. sermon. de resurrect. Euseb. lib. 5. *Præpar.* Ita verò sentiendi causam dedit septuaginta Interpretū editio græca vetus, quam isti secuti sunt post Philonem, quæ legendum præbebat, *οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ*, & Latina Italica (referente id Ambrosio, Augustino, & Procopio) Angeli Dei, pro eo quod postea secundum textum hebræum lectum est in græco *οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ*, & in latina editione, filij Dei, quam vtranque agnouerunt suo tempore Augustinus, & Procopius. Idcirco pro Angelis, seu pro filijs Dei intelligendi sunt filij Seth, qui religiosi, & Dei cultores erant, & pro filiabus hominum intelligendæ sunt filiæ de stirpe Chaim, & ita explicat locum illum gloss. interlinear. Theodoret. quæst. 47. in Genes. Cy-

ril. lib. 9. cont. Iulian. & in lib. 2. Allegor. in Pintatheric. ferm. primo. Augustinus lib. 15. Ciuit. cap. 23. Hieron in tradition. hebraic. super Genes. lib. 4. cap. 12. Suidas in verbo μιαιγαμία, & in verbo, Seth. Beda, Aymo, Rabanus in Genes. Rupertus item in Genes. lib. 4. cap. 12. Mag. historia Scholast. Genes. cap. 31. Sanctus Thom. 1. par. quæst. 51. articulo tertio, in resp. ad. 6. Quin etiam Philastrius lib. de hæresib. cap. 108 positionem, qua dicitur, Angelos cum mulieribus ante diluuium se se miscuisse recenset inter hæreses; reprobant item eam Sanctus Ioannes Chrisost. homil. 22. in Genes. & discipulus eius Cassian. lib. 12. Collat. cap. 8. Denique Sanctus Ambros. Epistola 84. ad Demetriad. ait, causam damnationis Luciferi, & aliorum malorum Angelorum non libidinem, sed superbiam extitisse, illumque vnà cum ipsis suis sectatoribus ante hominis lapsum è cœlo per superbiam excidisse.

118 *Tum in Cœlum ob peccata, quibus se immerserant, non recepti ceciderunt in terram*] hæ fabulæ ex superioribus manant. de loco autem malorum Angelorum post lapsum sententias retuli paulò supra.

119 *Qui autem sunt ex his procreati, &c.*] Fabulæ.

120 *Ita duo genera Dæmonum facta sunt; vnum cæleste, alterum terrenum, &c.*] Modo hæc a superioribus præscinda ntur verum sensum nancisci possunt, vt dicamus, Cęleste quidem genus Dęmonum esse, quod in aere caliginoso versetur, nam cœlum pro aere non solum in profanis, sed etiam in sacris literis frequenter accipitur; Terrenum autem genus esse, quod in ima telluris viscera, & in Infernum deiectum ex Sancti Thomæ sententia diximus. Sed aereum illud genus per vniuersa elementa vagatur ita vt ventis validis, & fœdis tempestatibus agat aerem, indeque non modo grandines, ac fulmina iaculetur, sed etiam, vt est in prodigijs, lanam, lapides, ceram, ferrum, carnem nonnunquam depluat: marinos autem fluctus mergendis nauigantibus intentum concitat, et circa puteos, lacus, fontes, flumina ad perniciem hominum versatur, vt scribit Tertullian. in lib. de Baptism. Terram autem vel insolitis quassat motibus, vel aliter damno afficit, atque perturbat. Vnde sex Dæmonum genera in vniuersum esse tradebat Orpheus in Poemat. ad Musæ. & Marcus ille apud Psell. in lib. de Dæmonib. et Porphyr. in lib. resp. ex orac. Apollin. Eos scriptores videat qui volet.

121 Δαίμοναρχων] sicut Pharisæi δαιμονίων ἄρχοντα. Matth. 12.

122 Δαίμονας] ita dictionem hanc restitui, quæ corruptè legitur in omnibus, Δαίμονας; in aliquo enim differre debet etymologatum ab etymo; volunt autem Δαημον, quæ dictio per αι scribitur, dici quasi Δαημον ἀπὸ τοῦ δαῆναι, quod est intelligere, scire. Plato in Cratyl. Martian. Capell. libro secundo. Macrob. primo Saturn. cap. 23.

123 *Sciunt illi quidem futura multa, sed non omnia*] Quænam futura? Respondet Origen. lib. 4. princ. cap. secundo. Sanctus August. in lib. de diuination. Dæmon. & lib. 2. super Genes. cap. 17. & lib. 9. Ciuit. cap. 22. Gregorius Magn. lib. 28. moral. cap. 6. Isidor. de summ. bono Damascen. lib. 2. de fid. orthod. Magist. in secundo, senten. distinct. septima, & ibi Sanctus Bonauentura articulo tertio, quæst. tertia. Durand. quæst. tertia. Item Sanctus Thom. 1. par. quæst. 57. articulo tertio, & secunda, secundæ quæst. 95. & quæst. 172. & contra gent. lib. tertio, cap. 154.

124 *Responsa in ambiguos exitus temperare.*] Vid Ciceronem secundo, de diuinat. Tertullian. Apologetic. cap. 22. Lactantium rursus inf. libro 4. cap. 13. Eusebium De præparat. Euang. lib. 4. cap. primo, & lib. quinto, cap. 10. vbi latè de falsitate Oraculorum. Sanctus August. de Ciuit. lib. tertio, cap. 17. & lib. 19. cap. 23.

125 *Et solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur.*] Oportunè quærunt Theologi, nunquid Dæmones aliquod solatium, & gaudium acquirant ex hominum peccatis, & damnatione; nam id ait quoque Minutius in octauo, & Sanctus Leo serm. secundo, de natiu. dom. sub initium. Respondet Alens. in secunda, parte quæst. 100. memb. quinto, artic. primo, solatium esse illis quoddam non verum, sed apparens, atque omni amaritudine respersum, quia gaudium illud non est ex apprehensione simpliciter conuenientis, sed illius quod sibi conueniens videtur. Scribit etiam Sanctus Augustinus lib. de Genes. contr. Manich. cap. 17. Dæmones habere potestatem in eos, qui Dei præcepta contemnunt, & de tam infœlici potestate lætari. Iis vero lætitia illa in pœnam cedit, ideo & à Sancto Thoma in libris sententiar. quem refert, & explicat Dominicus Bannes super 1. par. quæst. 64. artic. tertio, dub. secundo, vocatur illud gaudium fallax, & quasi fantasticum, eo quia illud continuò sequitur nouus cruciatus, & dolor. Alij Theologi negant simpliciter, & absolutè, aliquod gaudium, aut solatium in Dæmonibus reperiri posse, quoniam summus dolor non admittit secum aliquod gaudium etiam de aliquo obiecto distincto, vt Aristoteles docet septimo, Ethic. & experientia demonstrat; & hoc probant ea ratione,

quia si Dæmones aliquod solatium, & gaudium habere possent, non essent positi in statu summæ, & extremæ miseriæ, quod non est asserendum. Et ad Sanctum Augustinum, & Thom. respondent, non ibi accipi gaudium, siue solatium formaliter, sed causaliter, videlicet Dæmones gaudere de victoria, quam assequuntur aduersus homines, quia victoria illa implet eorum desiderium, quo ex inuidiæ zelo conantur homines deturbare ab adeptione regni cælestis; & illius desiderij complementum appellatur gaudium, & lætitia non formaliter, & re vera, sed causaliter duntaxat, quia ex sui natura aptum esset delectationem, & gaudium efficere, & re ipsa efficeret in Dæmonibus, nisi eorum voluntas a summo, & extremo, quo conficiuntur, dolore præuenta esset. Et hanc declarationem eliciunt ex eod. Sancto Thom. in Commentarijs ad Magistrum, vbi inquit, in eodem sensu dici Dæmonas lætari de malis nostris, quo dici solet, Angelos beatos dolere de malis nostris: at verò certum est, beatos Angelos non dolere formaliter, quia status eorum id non patitur; ergo neque Dæmones lætantur, aut solatium vllum acquirunt formaliter, sed tantum causaliter, vt dictum est.

126 *His quotidie merum profundunt.*] τὸ merum abest à B. P. T. Ego quorumcunque impressorum lectionem retinui, nam illud, profundunt, absolutè positum nouum est, et scimus, Ethnicos Genijs merum profundere solitos, et curare Genium mero dixit Horat. lib. tertio. Carm. ode 17. ad oram Plantinianorum positum est, his quotidie procumbunt.

127 *Sunt spiritus tenues, &c.*] Si propriè locutum authorem velis, propè abest, vt nobis intelligendum præbeat, se Dæmonibus auræ cuiusdam tenuis substantiam tribuere, et ita cum eis sentire, qui Angelis tenuissimum corpus attribuunt. quam quidem opinionem è Platonis fontibus fluxam docentis, Deum solum, et ab eo productam mentem omni penitus corpore carere, recepit. Philo in libro de opific. mund. Tertullianus in lib. de carn. Christ. Origenes in secundo, principior. cap. secundo, et 8. Method. Athanas. Basil. et Ioan. Thessalon. Episcopus relati in secunda. Nicen. Synod. action. 4. Sanctus August. 8. ciuit. cap. 9. et lib. 11. cap. 23. in Enchir. cap. 49. et 59. in lib. de nat. dæmon. et refertur in cap. sciendum 26. quæst. tertia, in septimo de Genes. ad liter. cap. 17. et alibi sæpe. Cassian. lib. 7. collat. cap. 13. Damasc. secundo, Theol. cap. tertio, et lib. tertio, aduersus Iconoclast. atque hoc fortasse loco etiam, vt dixi, Lactantius, nam tenue idem latinis est, quod Græcis λεπτόν, quod quidem nihil aliud est, quàm exile, extensum, solidum tamen, et quod intra terminos capitur; id autem non nisi de corporibus propriè dici potest; huic opponitur spissum; sunt enim relatiua; sed nihil eorum, quæ carent quantitate, vel tenue, vel spissum est, sunt enim affectus peculiares situi partium. Verumtamen hæc sententia de corporibus Angelorum iam omnium Doctorum suffragijs est explosa (docentium) Angelos omnes omni penitus corpore carere. Ita docet Dionys. Areop. de diu. nom. c. 4. Et ipse Lactantius inf. lib. septimo initio cap. 21. Nazianz. in fin. Theol. et in orat. de Natiu. Salu. Chrisost. homil. 22. in Genes. Gregorius Magn. quarto, moral. cap. 9. Hug. de sanct. Vict. primo, de Sacram. p. 5. quæst. 7. et 8. Alens. in 2. p. quæst. 20. memb. tertio ad tertium. Albert. Magn. Sanctus Thom. Bonauentura. Maior. in secundo, sent. distin. 8. rursus Sanctus Thom. p. pr. quæst. 51. artic. primo, et secundo, cont. gent. cap. 88. et seqq. Ioannes Duns in 2. distinct. 2. quæst. 6 et distinct. 8. quæst. 1. Thom. de Argentin. in secundo, distin. tertia, quæst. prima. Marsil. quæst. secunda. Extat denique Concilium Lateranen. sub Innocentio tertio, relatum in cap. firmiter. de sum. Trinit. & fid. cathol. quod expressè Angelicam creaturam spiritalem, mundanam verò corpoream vocat. Quamobrem hoc etiam secundum naturalem rationem probabilius esse, oppositum verò si non errorem in fide manifestum, at certe temeritatem continere hoc quidem tempore Doctores omnes affirmant.

128 *Operati.*] Si legas (operti) vt in multis editionibus habetur, illud, occultè, superuacaneum videtur. Ego verò secutus sum lectionem B. & T. positam ad oram Plantinian.

129 *Valetudinem vitiant.*] Cauendum tamen ab hæresi Gnosticorum, qui morbos affirmabant esse Dæmonia, eosque non præsidijs naturalibus, sed incantationibus curandos, contra quos scripsit Plotin. lib. nono, secundæ Ennead. cap. 14. Cauendum rursus ab errore Medicor. Petri Apon. & Pomponatij, qui affectus omnes obsessorum a dæmonibus humori melancholico attribuunt, nec adiurationibus, sed naturalibus auxilijs curandos esse contendunt. Vid. Tertullian. cap. 22. Apologet. Minuc in Octau. Psell. de Dæmon. Fernel. lib. 2. de abdit. rer. caus. Leuin. Lemn. de occult. nat. lib. secundo, cap. primo.

CAP. XVI.

130 C*Vius nomine adiurati de corporibus excedunt.*] Obserua antiquissimum exorcismorum

morum vsum in Dei Ecclesia, & potestatem fidelium in Dæmonas. Ita lib. quinto, cap. 27. adde Ignatium ad Antioch. Epistola 12. Iustin. de verit. Christ. Deleg. & in orat. ad gent. Tertullian. de coron. milit. cap. 11. de Idololat. cap. 11. in fin. & ad Scap. cap. 2. & in Apologet. cap. 23. Cyprian. ad Demetrian. & ad Donat. Epistola 2. & de Vanit. Idolor. Minut. in Octau. Epiphan. hæres. 30. Prudent. in Apotheos. contra Iudæ. sed, & in Synagoga exorcistas fuisse colligitur ex actis Apost. cap. 19. & testatur Iosephus qui mira quædam refert. Iudæ. antiquit. lib. 8. cap. secundo, & Epiphan. de hæres. 30.

131 *Et quod plerunque coram cultoribus suis faciunt, &c.*] Hunc locum, qui mihi valdè corruptus videtur, ita ex Cypriano, & Minutio, à quibus hæc ferè omnia desumpsit Firmianus, restituendum arbitror. Quod etiam plerunque coram cultoribus suis faciunt, non vtique in opprobrium religionis, & honoris sui; sed quia nec Deo, per quem adiurantur, nec iustis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Cyprianus de Idol. vanit. videas illos. Vnde veniant, & quando discedant, ipsis etiam, qui se colunt, audientibus confiteri. Minut. Quod sunt eloquuntur, nec vtiq; in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur.

132 *Μία* (inquit) *φυλακὴ ποῖθεια*, &c.] Hæc ad verbum non reperio, sed similia cap. 10. Asclep. „ Iusto (inquit) homini in Dei religio-
„ ne, & in summa pietate præsidium est; Deus
„ enim tales ab omnibus tutatur malis, &c.

CAP. XVII.

133 Astrologia.] Iudiciaria videlicet, quæ per siderum aspectus vaticinari futura contendit. Vid. Tertullian. Apolog. cap 35. & lib. de Idololat. damnat has omnes artes, de quibus hic sermo, etiam Cicero primo, de natura Deor. eas que demolitur egregio volumine Ioann. Franciscus Picus, cui Tit. De rerum prænotione.

134 *Ἐπὶ πλάνη πάντα*, &c.] Inter Carmina Sybyllina non extant.

135 *Induerunt.*] Retinui lectionem Vaticanorum, & omnium impressorum, nec placuit lectio B [induxerunt] in ea locutione secutus est Lactantius optimos authores. Cicero secundo, de finibus ex eius spolijs sibi, & torquem, & cognomen induit. „ Liuius mihi cura mea, & fi-
„ des nomen induit patroni plebis.] Personæ quoque indui propriè dicuntur.

136 *Sic enim mundum regi à Deo dicimus, vt à rectore prouinciam.*] Bellissima comparatio. Aristoteles in libell. de mund. illum se habere in mundo dicit, tamquam Imperatorem in exercitu.

137 *Non quòd vllum honorem desiderent, &c.*] Quinimmo honorem affectant, vt supra, lib. primo, cap. 7. & hoc lib. cap. 15. S. August. lib. 9. de ciuit. cap. 20. & idem omnes Theologi affirmant, nam vt ait Sanctus Thom. p. pr. quæst. 64. artic. 2. ad tertium, spiritus mali in eodem peccato permanent, quo primò peccauerunt quantum ad appetitum, licet non quantum ad hoc, quòd obtinere se posse putent; at peccatum illud fuit peccatum superbiæ; vnde & Christum dominum tentans Diabolus ausus est dicere. „ Hæc omnia tibi dabo, si cadens ado-
„ raueris me] Matth. 4.

138 *Inde est, quòd ab augure lapis nouacula incisus est, &c.*] Hic finis est disputationis, quam exorsus fuit cap. 9. de Diabolo, eiusque consortibus Angelis, videlicet de creatione illorum, de peccato, damnatione, eiectione, primorum parentum deceptione, denique de illorum natura, odioque aduersus homines, vt rationem ostenderet admirandorum quorundam operum, & præstigiorum ab ijs effectorum aliquando, & cap. 8. huius libri recensitorum, quorum hoc loco Epilogum facit.

139 *Et victorias.*] Exemplum afferri potest de Syluani voce ex Arsia sylua missa, vt apud Liuium initio secundi, primæ Decad. Valer. lib. primo, cap. 8. Plutarchum Poplicola.

140 *Quod famosum puerum in templo Iouis ad exuuias tenendas collocarat.*] Apud Valerium Maximum, à quo desumpsit Lactantius, hæc ita scribitur historia libro primo, cap. secundo.
„ Creditum est, Varronem Consulem apud
„ Cannas cum Carthaginensibus tam infeliciter
„ dimicasse ob iram Iunonis, quòd cum ludos
„ Circenses Ædilis faceret in Iouis optimi maxi-
„ mi templo, eximia facie puerum Histrionem
„ ad excubias tenendas posuisset.] Insigniter locus iste corruptus legitur tam in Codicibus Valerianis, quam Lactantianis, nec a Pighio, qui Valerium emendatum edidit, nec ab alio quoquam animaduersus. In pompa Ludorum Circensium exuuias quoque Deorum è templis ad circum ductas in tensis notum est ex Sisinnio Capitone apud Festum in, Tensa, his verbis. „ Sisinnius Capito (nam ita ibi legen-
„ dum, non Sinnius, ex Lactantio, in f. lib. 6. cap.
„ 20.) tensam ait vocari vehiculum, quo exuuiæ
„ Deorum ludicris Circensibus in circum ad pul-
„ uinar vehuntur; fuit & ex ebore, vt apud Ti-
„ tinium in Barbato, & ex argento] Tertullia-
„ nus in lib. de Spectacul. c. 7. „ sed Circensium
„ (inquit) paulò pompatior suggestus, quibus
„ propriè hoc nomen pompa, præcedit, quorum

fit in

„ sit in semetipsa probans de simulachrorum se-
„ rie, de imaginum agmine, de curribus, de ten-
„ sis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de
„ exuuijs, &c.] Asconius Pædian. Tensæ autem
„ sunt sacra vehicula, pompa ordinum, & hostia-
„ rum, & officiorum sic dictæ quòd ante eas lora
„ [al. lintea] tenduntur, quæ gaudent ma-
„ nu tenere, & tãgere, qui eas deducant.] alij ἀπὸ τοῦ θεοῦ, hoc est a re diuina sic dictas malunt, & tunc (thensa) per th scribitur. Hisce tensis, atque Deorum exuuijs dum gestarentur in pompa præfectos pueros custodes intelligo ex Cicerone in oration. de arusp. respons. vbi inquit. An si Ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus, & matrimus si terram non tenuit, aut si tensam, aut lorum omisit, aut si Ædilis verbo, aut si nutu aberrauit, ludi sunt non ritè facti] quem locum penè ad verbum retulit Arnobius ad fin. 4. Primum igitur in Valerio ita locus ille distinguendus est, atque scribendus, vt virgula ducatur post, faceret, deinde quod sequitur, continenter totum absque vllo puncto legatur ita. Quòd cum ludos Circenses Ædilis faceret, in Iouis optimi maximi templo eximia facie puerum Histrionem, &c. Et sic illa, in Iouis optimi maximi templo, tribuantur posteriori commati, vt detur intelligi, Ædilem posuisse eximia facie puerum in templo Iouis, vt est apud Lactantium.; non autem ducatur virgula, seu semicirculus post, templo, vt mendosè in omnibus Valerij Codicibus quia sic illa, in Iouis optimi maximi templo, cũ priori cõmate iunguntur, & significatur, Ædilem ludos Circenses fecisse in Tẽplo Iouis, quod liquidò falsũ est, non. n. in tẽplis ij ludificebant, sed vel in Circo (vt ex etymo eorum ludorum, ex Sisinnio Capitone vbi supra Dionys. in fin. septimi antiquit. Cassiodoro Epistola ad Faustum Volaterrano Commentarior lib. 29. cap. de celebrit. Ludorum, vel in foro, vt tradit Volaterranus ibidem, nec eum fuisse Valerij sensum ex Lactantio intelligitur. Deinde pro, excubias, vtrobique legendum, exuuias, ex locis supra citatis, & ita hic in Lactantio legunt omnes optimi M Ss. B. T. F. duodecim Vaticani, & editiones multæ, Veneta Tridin. & Florent. Iuntar. licet octo Codices Valerij in Vaticano, & omnes quotquot impressos vidimus, item Aldina editio Lactantij prorsus habeant, excubias, vnde proculdubio ex Lactantio Valerius est corrigendus. Ecquis enim vnquam latinorum dixit, tenere excubias, per, agere, vel habere excubias? conijcio mendum irrepsisse, quia vetusti Codices pro (exuuias, haberent, exubias, vel, exsubias; solebant enim antiquitus pro litera, u, plerunque literam, b, substituere sic connibere, & coacerbare, & his similia efferebant pro, conniuere, coaceruare, vt monui lib. tertio, cap. 4. & lib. quinto, cap. primo, addebant quoque s, post x, nam exspecto, exsul, exsequor enunciabant, vt verò simillimum videatur, quia eius dictionis, ita vt dixi scriptæ significationem haud fuerint assecuti, c, literam vel addidisse, vel substituisse scribas, seu Typographos, & ita vt corruptè legitur scripsisse, vel excudisse.

141 *Fatis Iunonis iniqua*] Respexit ad illa Virgiliana octaui Æneidos

„ ——— *vt duros mille labores*
„ *Rege sub Euristheo fatis Iunonis iniquæ*
„ *Pertulerit, &c.*

142 *Cum Annibal duos exercitus populi Romani & astu, & virtute confecit*] historia est apud Liuium lib. 2. 3. Decad. Plutarch. in Annibale.

CAP. XVIII.

143 *VT mala cum bonis pugnent, &c.*] idem habet lib. 5. c. 7. lib. 6. c. 15. & 22. & lib. 7. cap. 4. in fin. & S. Thom. in 3. cont. gent. cap. 71. in 5. ratione, vbi egregiè toto illo capite edisserit, cur Deus mala fieri permittat, neque diuina prouidentia omnino auferat malum à rebus; ea quoque de re insignem librum composuit Seneca, cui Titulus De diuina prouidentia. vide præterea Dionys. Arep. c. 3. de diu. nom. Basil. in homil. quod Deus nõ est author mali, August. in Enchirid. c. 11 & 96.

144 *Quæ persuasio veritatem, atq; religionem funditus tollit*] Aliectus aliquos, & præsertim in Iram Deo verè, & propriè reperiri putauit Lactantius idemque alijs suadere conatus est non solũ hoc loco, sed & integro libro, cui titulum fecit, De Ira Dei, vbi præsertim capitis 16. & 17. id asserit expressis verbis; cuius positionis, atque opinionis falsitatem discere potuit saltem a sui ipsius præceptore Arnobio sæpè illam gentibus exprobrante lib pr. in princ. & lib. 7. pluribus locis. Tertullianum quoque eodem errore implicitũ nouimus ex lib. de testimon. anim. c. 2. lib. de anim. c. 16. & lib. pr. aduersus Marcion. cap. 26. & alijs locis. contra quem catholica veritas statuitur à Sancto Thoma in pr. cõtra gent. c. 89. videlicet, iram nec ratione generis, & sic vt passio est, nec ratione propriæ speciei Deo conuenire; si quando verò in sacris literis ira Deo tribuitur, metaphoricè accipitur; cum enim punitionem, atq; vindictam in malos exerceat Deus, quod in hominibus iræ effectus esse solet, ideo Deum irasci dicimus; sed cum ipse omnino simplex sit, atque immutabilis, de eo quidem ira, misericordia, pœnitentia,

tentia, & cætera eiusmodi propriè, & secundum passionis affectum dici non possunt, sed duntaxat secundum similitudinem effectus, vt idem Sanctus Thomas docet p. p. quæst. 21. artic. 3.

CAP. XIX.

145 *Qvod veritatem fuco, & imitatione mentitur*] sed nec Bonon. lectio displicet, [quod veritatem facie, &c.] frequenter enim facies pro similitudine accipitur. Virgil. 4. Georg.

Curuata in montis faciem circumstetit vnda.

Salust. 2. Hist.

Sardinia in Africo mari, facie vestigij humani.

146 *Sed mimus religionis, &c.*] ita lego cum Petro Fabrio secundo, Semestr. cap. 16. sicut inueni in lib. Florentianæ editionis, & aliquot alijs. nam quia dixerat, religioni Ethnicorum simulationem esse, atque ideo falsitatem, propterea dicit, non illi veritatem inesse, sed mimum, idest imitationem duntaxat quandam religionis, & veritatis; mimi enim prorsus est imitari, ac simulare. Senec Epistolar. lib. 5. epist. 26. modo dicebam. „ Itaque componor „ ad illum diem, quo remotis strophis, ac fucis „ de me pronunciaturus sum, vtrum loquar for„ tia, an sentiam, nunquid simulatio fuerit, & mi„ mus quicquid contra fortunam iactaui verbo„ rum contumacium.] al. sed minus religionis.

147 *Cuius origo de cœlo est*] Sic supra cap. secundo, in fin. „ Terrena qui oriuntur è cœlo.] Quòd videlicet a Deo, qui singulari quodam modo in Cœlo dicitur esse, producantur humanæ animæ, ideo eas è cœlo originem trahere dicit; hoc enim sensu rectè dicimus, humanas animas è cœlo originem ducere, siue cœlestes aut diuinas esse, non quia in Cœlo productæ fuerint ante corpora; nam nec ab ipso Lactantio, id recipi dictum est supra, ad cap. 11. huius libri,

Secundi Libri Notæ finis.



IO



IOSEPHI ISAEI
CÆSENATIS
NOTÆ
IN TERTIVM LIBRVM DIVINARVM INSTIT. LACTANTII FIRMIANI.



CAP. III.

1 *Am causas naturalium rerum disquirere, &c*] Ita Socrates apud Xenophontem lib. primo, de memorab. Socr. in principio, & idem argumentum tractat Cicero quarto, Academic. quæst.

2 *Sol vtrumne tantus, quantus videtur, &c*] Aristoteles primo Meteor. summa prima, cap. tertio, ad fin. ait, valde puerile esse, putare vnumquodque eorum, quæ feruntur in cœlo paruum esse, quia tale videatur hinc prospicientibus, & cap. secundo, de insomnijs scribit, in hoc decipi sensum, quòd sol pedalis videtur. Lege Platon. in Epinomid. Lucret. 5. Cicer. secundo. Academic. Cleomed. lib. 2. Plin. 2. cap. 11. Plutarch. lib. secundo. Placitor. cap. 21. & seqq. Laertium in Anaximand. & Epicuri epistolam ad Pythoclem apud Laertium in Epicur. Macrob. in somn. Scip. lib. primo, cap. 20. Basil. oratione sexta, in Hexaemer. Et in vniuersum de omnibus hisce quæstionibus hìc à Lactantio memoratis vid. Ioann Franciscum Pic. de vanit. doct. gent. lib. primo, cap. 12.

3 *Luna globosa, &c.*] Plutarch. 2 placit. cap. 27.

4 *Et stellæ vtrumne cohæreant cœlo.*] Anaximandri sententia, referente Plutarch. secundo, placit. cap. 16. & Aristotelis secundò cœli, hodie ab omnib. Philosophis, ac Mathematicis recepta.

5 *An per aerem libero cursu ferantur.*] Agitata quæstio non solùm a Stoicis, vt apud Ciceronem de natura Deor. lib. secundo, & alijs Philosophis, sed etiam à Patribus. An stellæ ipsis sint affixæ orbibus adeo, vt eorum tantum circumlatione conuertantur, an verò cœlo immoto, seu (vt dixit Chrisostom.) aere constrato, eoque permeabili, atque cedente, diuino decreto, siue anima ipsa duce ferantur, & circum agantur. Procop. Comment. in Genes. cap. primo. „ Quidam pronunciant, luminaria
„ longinquo a cœlo interuallo in aere vagari
„ multum a cœlo remota, &c.] Elias Cretens.
„ ad oration. septimam Nazianzeni. Ideoque
„ (inquit) ne astra quidem vniuersa Cœlo infixa

esse, sed aeri incumbere tradunt, qui ea perinde sustineat, vt volucres, &c.] Quid autem hic per aerem intelligatur, ostendit Iunilius in Hexameron. „Sed intelligendum est (inquit) quòd ideo dictum sit volare aues secundum firmamentum cęli, quia hoc nomine, & æther indicetur, hoc est superius illud aeris spatium, quod à turbulento hoc, & caliginoso loco, in quo aues volant, vsque ad astra pertingit, quod esse tranquillum prorsus, ac luce plenum non immeritò creditur. Nam errantia sidera septem, quæ in hoc ætheris spacio vaga ferri perhibentur, scriptura in firmamento cęli esse posita dixit, &c.] Et Anselmus Cantuarien. lib. primo, de imagin. mund. cap. 23. „Ignis (inquit) æther quasi purus aer dicitur, & splendore perpetuo lætatur. De hoc Angeli corpora sumunt, cum ad homines missi veniunt. In hoc septem stellæ singulis circulis contra mundum feruntur, & ob vagum cursum planetæ, idest erraticæ dicuntur, &c.] Stellas proprijs motibus cieri non cęlo affixas putauit quoque Philo Iudæ. in lib. de Gigant. Iustin. martyr. libro contra Aristotelem, & quæst. orthod. 59. & 93. Origen. quinto, cont. Celsum, & primo princip. cap. 7. Lactantius inf. cap. 24. Euseb. Emissenus, &c. Euseb. Emissen. ad cap. primum. Genes. relatus in Caten. Lipom. Diodor. Tharsen. vt in ead. Caten. & Chrisostom. homil. sexta, in Genes.

6 *Vtrum quietum sit an mobile, &c.*] Hæc est magis recepta lectio. sed B. Cod. habet, vtrum quietum sit, & immobile, cum quo Isidorus totum hunc locum ad verbum referens concordat libro secundo, origin. cap. 24. Seneca septimo, natur. quæst. cap. 2. Illò quoque (inquit) pertinebit hoc excussisse, vt sciamus, vtrum mundus terra stante circumeat, an mundo stante terra vertatur, &c. Cęlum quiescere, terram solam moueri credidit Nicetas Syracusius referente Theoprasto apud Ciceronem quarto. Academic. & Cleantes Samius, tradente Plutarcho in lib. de fac. in orb. Lun. Plato quoq; secundum nonnullos, licet id paulò obscurius enunciarit. Sed & recentioribus quibusdam idem παραδοξότατον comprobatum video, Nicolao de Cusa Cardinali lib. 2. de doct. ignor. cap. 12. Cęlio Calcagnino, Copernico. Vid. notat. ad cap. 24. hoc ipso lib.

7 *Quanta sit Terra crassitudo.*] Plato ad finem Phædon. Cleomedes libro primo. Macrob. primo, in somn. Scip. cap. 20.

8 *Quibus fundamentis librata.*] Plat. vbi supra Ptolem. tertio. Almagest. cap. 7. Cicero in Academic.

9 *Licet conniuere videatur.*] Hæc lectio reperitur in plerisque, quidam Codices habent [conticere] in B. scriptum est [connibere] ea videlicet prolatione, qua olim b, pro, u, efferebant in quibusdam dictionibus; sic connibentia pro conniuentia sæpè reperitur in Codic. Theodosian. & apud Ioann. Cassian. in Codicibus Vatican. lib. 6. c. 9. & lib. 8. c. 8. Glossarium etiam habet, connibentia ραθυμία id monuit Petrus Ciacconius in annotation. ad eundem Cassian.

CAP. IV.

10 S*Partiilli Poetarum*] Haud crediderim, vt Ianus Gulielmius in quæstionib. ad Plaut. Menæchm. c. 4. Lactantium scripsisse [Spartiatæ, vt ferè in omnibus impressis habetur; id planè imperiti hominis fuisset, sed græcè σπάρτοι, idest sati, vel seminati, vt græcum id nomen vertit etiam Plin. lib. 19. c. p. in fin. siue potius scripsisse Lactantium latinis literis, [Spartœ, οι in œ diphtongum versis, tanquam vnum ex ijs nominibus, quæ a latinis latinè græca tamen inflexione solebât efferri, vt acta ἡ ἀκτή littus. Virg. 5.

At procul in sola secreta Troades acta
Amissum Anchisen flebant, &c.

Cic. 7. Verrin. „Vxorem eius parum poterat animo soluto, ac libero tot in acta dies secum habere] item probata, πρόβατα, oues. Plin. lib. 7. cap. 2. quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, &c.] eius dictionis significationem scribæ non percipientes, illicò mendum suspicati, obuiam alteram huic similem arripuere, & pro [Spartœ] substituentes [Spartiatæ] mendum illi huic loco, & quidem insigne inuexerunt, quod in omnes ferè Codices tam MSS. quam impressos irrepsit, nam editio ab Iano Parrhasio castigata, & Florentina Iuntarum veram lectionem exhibent. Nota fabula Euripidis, Ouidij, aliorum, cuius & author rursus meminit lib. 6. c. 10. de dentibus draconis satis a Cadmo, è quibus armati homines exorti σπαρτοὶ græcè, idest sati sunt appellati. Censorin. de die natal. c. 3. „Nunc verò (inquit) eò licentiæ poeticæ processit libido; vt vix auditu ferenda contingat; post hominum memoriam progeneratis iam gentibus, & vrbibus conditis homines è terra diuersis modis editos, vt in Attica fertur regione Erichtonius ex Vulcani semine homo exortus, & in Colchide, vel Beotia consitis anguis dentibus armati Spartœ (ita enim, vel σπάρτοι etiam ibi legendum, non vt corruptè in impressis, [armati partus] rectissimè monuit idem Gulielm. lib. tertio. Verisimilium cap. 5.)

,, è quibus mutuo inter ſe necatis pauci ſuperaſſe
,, traduntur, qui in conditu Thebarum Cadmo
,, fuerunt adiumento, &c.] Apollodorus ſub
initium Tertij Biblioth. vbi de Cadmo. ,, Qua-
,, re (inquit) indignatus Cadmus Draconem in-
,, teremit, ac Mineruæ conſilio eius dentes ſerit,
,, quibus ſatis armati è terra viri exorti ſunt, qui-
,, bus Spartis nomen inditum fuit. Hi poſtea mu-
,, tuis ſe ſe vulneribus, alteri quidem vel inuiti
,, pugnam congreſſi, alteri verò, quod alter alte-
,, rum nequaquam cognoſceret, occiderunt, &c.]

De ijs Gell. lib. 17. cap. tertio. M. Varronem meminiſſe refert eum Homeri verſum, qui ſub initium ſecundi Iliad. legitur, enarrantem, καὶ ἀν' Ἄργεα εἶναι, &c. Meminit & Euripides cum alibi, tum Phoeniſſis, & Euſtath. ſuper illud ſecundi. Iliad. φέρτεροι, χαλκέντεροι, & Stephanus de Vrbib. in Spart.

11 *Arceſilas Academiæ conditor*] nouæ ſcilicet, nam vetus fuit illa Platonica. Laert. in Arceſil. Cic. in fine p. 1. quæſtionum Academicar. & tertio, de Orator.

CAP. VI.

12 VT *enim nihil ſciri poſſe ſciendum ſit, aliquid ſciri neceſſe eſt, &c.*] Quæſtio eſt apud veteres, & recentiores, Num ij, qui veritatis omnis comprehenſionem negauerunt, huius ſaltem vnius propoſitionis veritatem, tamquam Philoſophiæ ſuæ finem ſibi reſeruare, & retinere potuerint, qua dicebant, nullum verum dari poſſe, & cui negatio omnium aliarum veritatum innitebatur. Videlicet. Datur hęc veritas, quod nullum verum dari poteſt. Lactantius affirmauit hoc loco, & multo ante ipſum Socrates, Antipater, Antiochus, Philonis auditor, de quibus, Cicero in Academicis. Deinde Clemens Alexandrinus vltimo, Strom. Auen. Roii. quarto Metaph. tex. 28. Sanctus Thom. p. p. quæſt. 2. artic. primo ad tertium, & ibi interpres eius Caietan. Negauerunt Arceſilas, & Carneades apud Ciceronē, vbi ſupra, & Metrodorus Chius. Lucretius quarto. Ioann. Duns primo, ſentent. diſtinct. ſecunda quæſt. ſecunda ad tertiam, Greg. de Arimin. ead. diſtinc. quæſt. prima ad ſecundam, qua de re videto ſubtiliter differentem, & huic Lactantij loco lucem afferentem Mazzonium ciuem meum lib. primo. De Comparatione Platonis & Ariſtotelis ſection. tertia, cap. ſecundo.

CAP. VII.

13 EPicurus *ſummum bonum in voluptate animi eſſe cenſet.*] Quæ de ſententijs Philoſophorum de ſummo bono hoc loco afferuntur, ferè deſumpta ſunt ex Lucullo Ciceronis ad fin. & ſecundo, de finib. & de Epicuro hoc quidem nonnulli crediderunt, quamuis maxima pars ſcriptorum ab eo bonum hominis in corporeis voluptatibus conſtitutum affirmet. Quin etiam idem Lactantius ſibi parum conſtans inf. cap. 17. illum voluptatis corporis aſſertorem, & cap. 27. voluptarium hominem nominat ex Cic. ſecunda. Tuſc. Seneca quidem maximus Stoicorum, quorum dogmata vehementer à corporis voluptatibus abhorrent, Epicuri ſtudioſiſſimum fuiſſe ex eius Epiſtolis conſtat, quas fermè omnes aliquo Epicuri pręcepto concluſas voluit eiuſque de illo ſententiam habes cap. 12. & 13. de vit. beat. quod nam autem ſummum bonum, & quam voluptatem finem eſſe dicat Epicurus, ſuam ipſemet ſententiam enunciat in epiſtola ad Menoeceum apud Laert. in Epicur. claris, diſertiſquè verbis, cuius ſententiæ meminit quoque Cicero in primo, de finib. Petr. Victor. variar. lect. lib. 27. cap. 14. perſimilem eum Socrati fuiſſe contendit, & Laertius teſtatur, pleroſque aſſeruiſſe illum continentiſſimum adeo, vt aqua tantum, & cibario, pane contentus fuerit.

14 *Calliphon, & Dinomachus Cyrenaici.*] Haud planè intelligo, quomodo hi Philoſophi qui in ſummo bono ſtatuendo honeſtatem cum voluptate iungebant à Lactantio Cyrenaici dicantur, cum hæc poſitio ab Ariſtippi ſententia, qui ſummum bonum in ſolis corporeis voluptatibus ſtatuebant, diſcrepet immane quantum. Sane quidem Cyrenaicorum principem fuiſſe Ariſtippum, eamque Philoſophorum ſectam ab eo fluxiſſe, teſtis eſt Cicero, ad fin. Lucull. & 3. officiorum. Strab. in fin. 17. Laert. in Ariſtipp. Suidas litera α. quin & Lactantius ipſe hoc eod. lib. cap. 15.

15 *Diodorus cum priuatione doloris. Summum bonum poſuit Hieronymus in non dolendo.* Sic omnino legendum, & interpungendum eſſe hunc locum, vt olim Ciacconius animaduertit, & ratio ipſa, & Cicero, ex quo fermè omnia hæc mutuatus eſt Lactantius peruincunt. Nam ſi legas, Diodorus in priuatione doloris ſummum bonum poſuit. Hieronymus in non dolendo, vt vulgò legitur, quæ porrò erit differentia inter opinionem Diodori, & opinionem Hieronymi? At conſtat ex Cicerone, hoc intereſſe, quòd Diodorus non ſimpliciter in non dolendo ſummum bonum ponebat, ſed cum

vacui-

vacuitate doloris etiam honestatem iungebat. Hieronymus verò id simpliciter nullo adiecto in non dolendo statuebat. Cicero secundo, de finib. paulò post initium. Callipho adiunxit ad honestatem voluptatem, Diodorus ad eandem honestatem addidit vacuitatem doloris. Et paulò inf. Callipho ad virtutem nihil adiunxit nisi voluptatem, Diodorus nisi vacuitatem doloris, & inf. Ita tres sunt fines expertes honestatis, vnus Aristippi, vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadis tertius; Tres in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphonis, Diodori, &c. eadem repetit ad fin. Luculli, & tertij de officijs.

CAP. VIII.

16 *Aiunt Cyrenaici, virtutem ipsam ex eo esse laudandam, quòd sit efficiens voluptatis, &c.*] Sic Cicero in fin. tertij de offic. Atqui ab Aristippo „ Cyrenaici, atque Anniceri Philosophi nominati, omne bonum in voluptate posuerunt, virtutemque censuerunt ob eam esse laudandam, quòd efficiens esset voluptatis] Non igitur hæc sibi aduersantur, vt & summum bonum, in voluptate statuerent, & tamen virtutem laudandam putarent; nam voluptatem quidem simpliciter, & propter se amplectebantur virtutem aut non propter se, sed propter ipsam voluptatē, idest non nisi in quantum quasi *κατὰ συμβεβηκὸς* corporeæ quibus voluptatis causa esset, vel occasio.

17 *Non plane Peripateticorum*] Ianus Gulielm. in quæstion. ad Plaut. Menæch. cap. 4. putat legendum, plano peripateticorum, vt noua compositione verbi inconstantiam differendi, & simul erraticam ambulationem Aristotelicorum Lactantius exagitarit, errones enim planos dici notum est.

18 *Sed Cynicorum.*] Hic quoque legendum putat Ianus ibidem, Clinicorum, & ita in MSS. quibusdam Codicibus legi testatur; Clinicos Philosophos ridiculè dixisse Lactantium ægrotos lectis affixos, & de valentium beata vita disputantes ea, quæ præsens ægritudo dictat; alluisisseque ad Clinicos Medicos, qui lectos ægrotorum ambiunt.

19 *Per quod necesse est ad aliud perueniri.*] Ita legendum ex B. T. P. & omnibus MSS. optimis non vt vitiosè in excussis, propter quod, &c. de medio enim loquitur, per quod peruenitur, & supra dixerat, per laborem, per virtutem, &c.

CAP. IX.

20 *Quæ dixerunt.*] Ita legen. ex duob. B. Sancti Saluator. P. & aliquot Vatican. non, qui dix. is enim Lactantij sensus est, vt dicat, nullum eorum, quæ ipsi Philosophi dixerunt esse summum bonum, tale quid esse, &c.

CAP. X.

21 *Neque tam immansueta, neque tam fera, &c.*] Sic habent omnes excusi, & multi MSS. & Cicero ipse tum primo, de legib. vnde hæc sententia deprompta est, tum prima Tusculan. vnde hæc altera consimilis. „ Quòd nulla (inquit) gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio.] Vterque tamen Cod. Sancti Saluator. T. P. & nonnulli Vatican. habent, neque tam mansueta, &c. quæ lectio magis placuit Thomasio. Ego ab ipsius Ciceronis lectione discedere nolui.

CAP. XI.

22 *Nullum omnino Philosophorum extitisse, qui sedem, ac domicilium summi boni reperiret*] De summo bono opiniones veterum refellit, de quibus Aristoteles primo. Ethic. cap. 6. Boeth. de consolat. Philoloph. lib. 2. Sanctus Thom. 3. cont. gent. cap. 27. & seqq. & in p. secundæ, tota quæst. secunda.

23 *Et optantur, &c.*] Non addenda negatio, vt in B. qui habet, & non optantur, &c. nam quod negat, diuitias summum bonum esse, hoc probat argumento, quia non explent animum, immo magis, ac magis expetuntur etiam ab ijs, qui eas possident. Senec. Epistola 120. quoties aliquid. „ Neminem (inquit) pecunia diuitem fecit, imo contrà, nulli non maiorem sui cupiditatem incussit.] Quæris quæ sit huius rei causa? plus incipit habere posse, qui plus habet.

CAP. XII.

24 *Menæceus.*] Vid. Tull. prima. Tuscul. Statium. 10. Thebaid Plutarch. in Pelopid. Iuuenal. Satyr. 14 Pausan. in Boeticis.

25 *Codrus*] Val. Max lib quinto, cap. de pietate erga patriam. Cicero p. Tuscul.

26 *Curtius.*] Val. Max. vbi sup. Liu. lib. septimo, primæ Decad. Suid. in *κούρτιος*.

27 *Et Mures duo nunquam mortem, &c.*] Lectionem vndecim Vaticanorum expressi. puto

quòd quia (Mures) non satis nota vox erat, quasi mendum fuerit reiecta, vnde sit scriptum, & Decij duo nunquam, etc. sicut in vno Vaticanorum, et Pen. vel τὸ Decij, quod ad oram quasi glossema illorum verborum, et Mures duo positum erat, demum in textum irrepsisse, et ita factum, et Mures duo Decij nunquam, etc. sicut habent editi multi B. autem, et T. habent, Mutius, et duo Decij nunquam, etc. Sed Mures cognomine dictos Decios intelligimus ex Liuio initio octaui primæ Decad. qui de patre Decio creato Consule inquit, Creauere Consules Titum Manlium Torquatum III. P. Decium Murem. Quo modo verò se se ambo pro Republica deuouerint vide eundem Liuium d. lib. 8. et 10. primæ Decad. Valer. quinto. Senec. Epist. 68. vt a communibus, etc.

28 *Quoniam illud ad hanc vitam retulerunt, &c.*] Ita ex B. et P. correcta lectio impressorum, quoniam ad illum in hanc vitam, etc. quæ hic nullum sensum habet.

29 *Hoc vno beati esse in hac vita possumus, si minime beati esse videamur.*] Mirè congruunt cum illis Saluatoris nostri capite Ioannis 12. „ qui „ odit animam suam in hoc mundo, in vitam æ„ ternam custodit eam.

CAP. XIII.

30 *AD quam se abiectis omnibus Socrates contulisse dicitur*] a Xenophonte scilicet primo. Memorab. Socratis, Aristotele primo Metaph. cap. 5. & lib. 13. summa secunda, cap. primo, & de part. animal. lib. primo, cap. primo, & a Laert. in Socrat.

31 *Cuius studium qui vituperat, &c.*] textus Ciceronis nonnihil discrepat.

CAP. XIV.

32 *TIbi vas ad fontem.*] Impressi omnes, & multi MSS. [tibias ad fontem.] cuius dicti vt rationem inirem, cum Græcos, & Latinos authores omnes peruolutassem, nec quicquam profecissem, mendum denique suspicanti mihi venit in mentem consulere Codices Vaticanos, & decem eorum ita scriptum habere inueni, vt ego curaui excudendum, sanè quidem appositè, & ad Firmiani sensum accommodatissime; mendum ideò inuectum puto, quod exemplar fortasse, vnde librarij excipiebant, duas illas voces ita coniunctas haberet [tibiuas] quod cum sensu careret statim tibias scripserint. [Tibi vas ad fontem.] Adagium est, vt puto ex aliquo Poeta Comico mutuo sumptum, & competere potest ei, cui ad votum, & commodum aliquid absque labore contingit, similitudine ab eo ducta, qui ad fontem accedens absq; lagena, ibi tamen vas fortè fortuna paratum reperit, quo aquam hauriat, & secum deferat. quod tamen adagium nusquam hactenus alibi comperi. Iocatur itaque suo more Lactantius, & Lucretium exagitat, qui ab aliquo homine repertam sapientiam dixerit, quasi verò ille homo, quem laudabat, siue is Pythagoras, siue Thales, siue quisquis alius fuerit ipsam alicubi ita iacentem, ac paratam ostenderit, vt ad eum prouerbium illud pertinere possit. [tibi vas ad fontem.]

33 *Hominemque figurauit.*] Sic impressi omnes. at B. P hominemquè generauit. Vtraque verò lectio Lactantio familiaris. libro 4 cap. 4. Is enim necesse est hominem figurauerit, &c. lib. 7. cap. 14. figuratio terreni hominis cælestis populi præferebat in posterum fictionem. cap. septimo. Epitom. „ Nam cum imbecil„ lior sit hominum natura, quam cæterarum „ animantium, quas Deus, & instructas ad infe„ rendam, & munitas ad vim repellendam figu„ rauit.

34 *Mihi autem non modò ad sapientiam, &c.*] Excidisse hæc ex aliquo Academicar. quæst. libro putat Sigon. ad Ciceronis fragmenta.

35 *Philosophiæ quidem præcepta noscenda, &c.*] hæc excidisse putantur ex epistolis ad Marcum filium.

CAP. XV.

36 *PHilosophia, &c.*] Habes similia in Epistola 90. Rem vtilem. 91. quis dubitare, & 95. eam partem Philosophiæ.

37 *Quotus quisque. (inquit) Philosophorum, &c*] Locus hic paulò aliter legitur in Tuscul an.

38 *Inditium professos putes*] Hanc lectionem B. Codicis, & Iuntarum editionis secutus sum cum Thomasio, nam illæ, in iudicium suum, vel, in iudicium sui, vel, iudicium suum professos putes, quæ in aliquibus MSS & impressis habentur, parum latinæ videntur (vt etiam Budæus notat) & parum idoneæ, quæ Lactantij sensum enuncient. Est autem inditium profiteri vltro sese, consortesquè criminis deferre, ac denunciare. Martianus in l. prima. D. ad l. Cornel. de Sicar. „ Quiue cum magistratus es„ set, publicoue iudicio præesset operam dederit, „ quò quis falsum inditium profiteretur] nam ita legit eum locum Budæus in annotat. ad Pand. Prateius in Thesaur. iur. ciu. verb. indicium profiteri, & Brisson. lib. 9. & 14 De verbor. signific.] Sceuola in l. Athales. D. ad l. Corn. de fals. professus est inditium (ita legunt

Pan-

Pandec.Florent.) apud Maximillam,&c. Salluſtius Iugurthino. „ Sed ipſe deprꝿhenſus mul-
„ tis hortantibus, & in primis Albiano Cos indi-
„ tium profitetur. Aſcon. Neque Senatoria
„ perſona poteſt inditium profiteri ſaluis legibus.
„ Sueton. in Domitian. profeſſuſquè coniuratio-
„ nis inditium, & ob hoc admiſſus legenti tradi-
„ tum a ſe libellum, & attonito ſuffodit inguina.
„ Plin. Epiſtolar. libro tertio, Epiſtola 16 Eadem
„ apud Claudium vxori Scriboniani cum illa
„ profiteretur indicium, ego (inquit) te audiam,
„ cuius in gremio Scribonianus occiſus es, & vi-
„ uis?] Ita igitur Philoſophi cum contra libidinoſos, auaros, honoriſuè cupidos acriter perorarent ipſi quoque eiſdem ſceleribus obruti, adeo redundare ad ipſos ſua in publicum miſſa maledicta omnes intelligebant, vt nil aliud efficere differendo viderentur, quam ſe ſe vltro ſicuti eorumdem vitiorum reos, ita eadem vituperatione, ac pœna dignos fateri, nec alios tantùm, ſed & vna ſemetipſos apud populum accuſare, atque deferre; hoc autem eſt (vt diximus) indicium profiteri.

39 *Ariſtippo Cyrenaicorum magiſtro cum Laide nobili ſcorto fuit conſuetudo, &c.* Cic. Epiſtolar. famil. lib. 9. Epiſtola vltima, ad Papir. Pæt. Athenæ. lib. 12. cap 20. Laert. in Ariſtipp.

40 *Differens voluptatem corporis eſſe ſummum bonum.*] Quamobrem Xenophon infeſto in ipſum animo contra voluptatem librum compoſuit, vt tradit Laertius in Ariſtippo.

CAP. XVI.

41 *Ciuiles viros, qui Rempublicam gubernant.*] Hæc Ciceronis interciderunt.

42 *Profectò (inquit) omnis iſtorum diſputatio, &c.*] Excidiſſe hic locus putatur ex Hortenſio Ciceronis ſeu, de Philoſophia, in quo legendum eſt, iſtorum, vt etiam monuit Andreas Patritius in annot. ad Ciceronis fragmenta, & reperitur in omnibus Vatican. & B. T. P. alijſque M SS. optimis, non vt vitioſè in editis [iuſtorum] Deinde in ea clauſula, vereor ne non tantum videatur attuliſſe negotijs hominum quandam oblectationem otij, ſecutus ſum receptiorem lectionem, ſic enim habent nouem Vaticani. P. Aldin. & operum Ciceronis editio caſtigata à Lambino, & eam probat Patritius in d. annotationibus niſi quia editi habent, ne tantum, ſed M SS. ne non tantum. B. habet, ne tantum videatur attulliſſe negotijs hominum vtilitatis, quantum oblectationem otijs. alias quoque lectiones profert Patritius: mihi, vt verum fatear, nulla placet, nec hariolari placet.

43 *Nondum ſunt (inquit) mille anni, &c.*] Vid. & eiuſdem Senecæ Epiſtolam 91. quis dubitare.

44 *Cum ſaporis mercibus, &c*] Gulielmus Canterus tertio, nouar. lection cap. 30. legit prima maiori litera (Saporis) putat enim, Lactantium de mercibus Saporis Perſarum regis locutum; ſed hæc expoſitio nullo pacto recipi poteſt, cum nequaquam poſſit accommodari ad verſum Perſij hoc loco relatum, qui multis ante Saporem Regem vixit annis. Quamobrem meritò refutata fuit à Roberto Titio Locor. controuerſor. lib. 9. cap. tertio, qui veram, ac ſinceram vt reor, interpretationem attulit, Lactantium videlicet putauiſſe, eo loci Perſium ſignificare, Philoſophiam in vrbe aduectam fuiſſe cum ſaporis, ideſt ſaporatis, ſeu ſapidis mercibus, quæ ex Aſia deferri non multò ante cœperant, cuiuſmodi eſt piper, atque alia eius generis aromata: interimquè alluſiſſe ad ſapientiæ nomen, quod a ſapore quaſi per contemptum vult deduci, quem illa traxerit à mercibus illis, quibuſcum ad nos ipſa delata fuit. Atque adeo cenſet Titius illud (Saporis) eſſe ablatiuum plurale ab adiectiuo ſaporus, ſapora, ſaporum, nouè quidem a Lactantio formatum, imitatione tamen, & exemplo aliarum dictionum conſimilium, vt ab odore odorus, odora, odorum, à vapore vaporus, &c. à canore canorus, ab honore honorus, &c.

CAP. XVII.

45 *Sed quia multos populare nomen voluptatis inuitat.*] At Lactantius contra ſuperius c. ſeptimo, aſſerebat, Epicurum voluptatis non ſenſuum, ſed animi aſſertorem.

46 *Ipſe ſuas diſturbet.*] Lucretius ſæpe ſuas diſturb. &c.

47 *In libris Conſulatus ſui.*] Qui interciderunt, ſed verſus, quos refert, habentur ſecundo, de Diuinat. vbi ſecundus verſus paululum variat, ibi enim.

Ipſe ſuos quondam tumulos, ac templa petiuit

48 *Nulla (inquit) diſpoſitio eſt, multa enim facta ſunt aliter, quam fieri debuerunt, &c.*] Epicuri ſunt omnia quæ delirat Lucretius, vt ipſe Firmianus aiebat lib. de opific. cap 6 hic igitur illa Lucretij innuit, libri ſecundi, ſub initium.

At quidam contra hæc ignari materiai, &c.

& lib. 5. ſub initium.

Quod ſi iam rerũ ignorẽ primordia quæ ſint, &c.

49 *Nihil (inquit) in procreandis animalibus, &c.*] Lucretius quarto, illud in his rebus vitium vehementer, & illum effugere errorem, vitareq; præmeditator lumina ne facias oculorum, &c.

50 *Sed omnia ſua ſponte fieri neceſſe eſt, &c.* Concurſu videlicet infinitorum atomorum. Lucretius

tius secundo, ad fin.

Principio nobis in cunctas vndique partes. &c.

51 *Non est inquit prouidentiæ opus sunt enim semina per inane volitantia, &c.*] Lucretius secundo. Nunc age quo motu genitalia materiai corpora vel varias gignant, &c.

52 *Quia nec colorem habent (inquit) nec calorem vllum, &c.*] Luch primo.

Nunc age res quoniam docui non posse creari,
De nihilo, &c.

Item secundo.

Nunc age dicta meo dulci quæsita labore. percipe. vsque ad fin. libri.

53 *Ista corpuscula?*] De quibus Aristoteles primo, de anim. tex. 20. Lucretius primo, & secundo, de nat. rer. Cicero primo, de finib. & primo, de natura Deor. Plutarch. primo placitor. Laert. in Epicur. & rursus ipse Lactantius lib. de ira Dei. cap. 10.

54 *Vario (inquit) ordine, ac positione conueniunt.*] Lucretius secundo.

Nunc age iam deinceps cūctarum exordia rerum
Qualia sint, &c.

55 *Ita (inquit) & hac ipsa primordia, nam sunt aspera, sunt hamata, &c.*] Lucretius secundo.

Per facile est iam animi rationem exsoluere nobis.

56 *Praestinxit stellas.*] Non dubitaui hunc versum in Lactantio reponere, sicut legitur in emendatis Lucretianis, nam extinxit, quod hic etiam apud Lucr. habetur in aliquibus, editionibus, vel, restrinxit, quòd in alijs, Lucretij sensum haud exprimere, vniuersaliter. Vide Lambini Castigationes, in Lucret.

57 *Quando mors est, nos non sumus.*] Hanc esse veram Lectionem constat ex B. T. P. & omnibus Vatican. & ex Epicuro ipso in Epistola ad Menoeceum apud Laert. non quæ vulgo habetur, [Quando nos non sumus, mors est.]

58 *Quo & nos iam non sumus, &c.*] Nullo pacto probari posse hanc lectionem arbitror, quantumuis exhibitam ab omnibus tum M SS. tum excusis, repugnat enim susceptæ a Lactantio aduersus Epicurum disputationi. Nam si est tempus aliquod, quo & nos iam non sumus, & mors nondum est, rectè dictum est ab Epicuro, quòd eo tempore mors nihil ad nos. Sed contrà ostendere vult Lactantius id quod res est, videlicet articulum temporis aliquem esse, quo & nos sumus, tunc scilicet cum mori incipimus, & tamen mors nondum est, id est transacta, ac præterita, sed tantummodo incœpta, quo sanè tempore dolores, & ærumnas magnas infert morienti, ac proinde timenda est. Quamobrem credo equidem, me liquidò iurare posse, Lactantium scripsisse [quo nos etiam num sumus, &c. hæc lectio aptissimè cum ad præcedentia, tum ad consequentia quadrat, dicit enim „ quasi verò transacta mors timeatur, „ quia iam sensus ereptus est, ac non ipsum mori, „ quo sensus eripitur] vides de morte loqui Lactantium non vt transacta est, sed vt instat, tunc scilicet cū sensum eripit. Si sensum eripit, ergo [nos etiam num sumus.] ait etiam „ idque ip„ sum videtur miserum esse, quòd & mors esse in„ cipi, & nos esse desinimus] quomodo esse desinimus, si, iuxta priorem lectionē, nos iam non sumus? Verum enimuero ideo desinimus, quia nondum desiuimus, sed etiam num sumus, & mors nondum est, transacta videlicet, quia esse tantum incipit, ac dolores inferre, vnde meritò fit timenda, quod aiebat Lactantius, negabat Epicurus. genuina itaque lectio [vt ego quidem arbitror, infertur minima mutatione, copula scilicet illi pronomini postposita, & dictione (num) negationi substituta.

CAP. XVIII.

59 *VT Cleanthes.*] Qui sponte inedia absumptus est. Laert.

60 *Vt Chrysippus*] Non hoc ita certum de Chysippo; nam alij tradunt, cum aliquantò largius potauisset, angustijs spiritus fatigatum, ac tandem enectum, alij verò præ nimio risu animam exhalasse. Laert.

61 *Vt Zenon.*] Et hunc quoque non vltronea, sed ab alijs illata morte peremptū asserit Laer.

62 *Vt Empedocles qui se in ardentis Ætneæ, &c.*] Notum est illud Horatij in Poetic.

——— *Deus immortalis haberi*
Dum cupit Empedocles ardentē feruidus Ætnā
Insiluit, &c.] Sed hoc fabulosum esse ait Strabo lib. 6 & de illius obitu diuersa scriptores tradidisse monet Laert.

63 *Cato.*] Scilicet minor, vt Senec. Epistola 24. sollicitum, & in eius vita Plutarch.

64 *Democritus.*] præter Lucretium Athenæus lib. 2. cap. 3. Laertius.

65 *Nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, &c.*] Desumpsit Lactantius ex Cicerone, in somn. Scipio. & prima. Tuscul. Cicero ex Platone initio Phædon.

66 *Et ad summum nefas Philosophi authoritate compulsus est.*] At non illud docebat Plato; quin immo hominem sub Dei custodia esse asserebat, nec ei licere, nisi quando Deus voluerit, emigrare vt liquet ex initio Phædonis; animam quidem a corpore separandam esse monebat, vt videlicet a perturbationibus per moralis disciplinæ purgationem, deinde a sensibus, atque ab ipsa imaginatione per contemplationis intentionem anima seiungeretur; quare non

non Philosophi authoritat... fui met insania Philosophi sensum haud percipiente ad tantum facinus est compulsus.

67 *Ambraciotes ille, &c.*] Cleombrotus videlicet, de quo Callimach. Cic. primo. Tusculanar.

68 *Inepto illi seni, &c.*] Pythagoræ scilicet, de quo Laertius. Philostrat. lib. 8. de vit. Apollon. Gell. quarto, cap. 11. atque hic obserua, quomodo irrideat dogma de animabus ante corpora conditis, quod ipsi Lactantio quidam affinxerunt.

CAP. XIX.

69 GRatulemurque nobis] locus hic excidit è libris illis de legibus.

70 *Inepta illa sententia*] Euripidis, & aliorum. versus quidem Euripidis de græcis scriptoribus profert Stobæus, & Theodorus Canterus Variar. lection. lib. 2. c. 12. atque item Aristophanis. Platonis verba sunt in Gorgia. „Verumtamen & illa, quam tu dicis, grauis est vita: „ neque admirarer, si ea de re verum Euripidis „ dictum. Quis nouit vtrum viuere quidem mo- „ ri sit, mori autem viuere? &c.] Cicero in Somnijs Scip. „Immo verò (inquit) ij viuunt, qui „ è corporum vinculis tanquam è carcere euola- „ uerunt; vestra verò, quæ dicitur vita, mors est.] & prima Tuscul. paulò post medium, „ nam hæc „ quidem vita mors est, quam lamentari possem, „ si liberet.

71 *Quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere fortuna*] placet hæc lectio sr agata Patritio in annotaton. ad Ciceroni probata. Vetusti aliquot libri, & Franciscus Petrar. pr. Senilium. Epist. ad Io: Boccatium, Quamprimum tanquam ex incendio effugere fortunæ. Sex Vaticani quorum lectionem sequitur Sigonius in Schol. ad Cic. fragm. quamprimum mori, & tanquam ex inc. eff. violentiam fortunæ. alij quatuor Vaticani. Quamprimum tanquam ex inc. eff. violentiam fortunæ.

72 *Non venit in mentem Platoni Alcibiadem quoq; & Critiam, &c.*] hæc ex Xenophonte sumpta videntur pr. memorab. Socrat. qui testatur, accusatores Socratis etiam id ad capita accusationum adiecisse, quòd Critias, & Alcibiades, cum Socratem audiuissent, multis incommodis ciuitatem affecissent, quam calumniam ibi latè refutat Xenophon. at Isocrates in Busirid. negat, Alcibiadē vnquam discipulum Socr. fuisse.

CAP. XX.

73 NImirum id sensit, quod locutus est, religioni minime seruiendum.] In Socratem calumniam intendit, nam quemadmodum sit dictum eius intelligendum, declarat Xenophon in memorabilibus. Cæterum ecquis vnquam Ethnicorum de superis, de Diuina prouidentia, de religione magis piè disseruit, quàm Socrates apud ipsum Xenophontem cum Euthydemo disputans initio quarti, memorab. & sæpius apud Platonem?

74 *Idem per canem, & anserem deierabat*] vt sæpe legitur apud Platonem, & memorat Athenæus lib. 9. cap. 20. Exprobrat Socrati Tertullianus cap. 14. Apologet. quòd non modò canem in Deum contumeliam, sed etiam Giouem, & quercum deieraret. at Apollonius ea de re cum Thespione disserens apud Philostrat. lib. sexto, de vit. Apoll. ait, per ea iurare solitum Socratem, non quòd Deos putaret, sed ne per Deos iuraret, & Sanctus quoque Augustinus benignè ea Socratis iuramenta interpretatur lib. de ver. religion. cap. 20.

75 *Recuperatorem.*] Ita leg. vt in Ald. quamuis B. T. P. Florent. habeant, receptorem. ait ironicè, timuisse Socratem, ne iudicio recuperatorio conuentus ab Æsculapio apud iudicem Rhadamantum recuperatorem ob sibi votum gallum, damnaretur in causa; Recuperatores vocabantur iudices, vt scribit Theophilus in §. eadem. Instit. quib. ex caus. man. non lic. quia per eos vnusquisque debitum recipiebat. maluissem, recuperabat, vt ethymologiæ inferuisset, quam afferebat; De recuperatoribus mentio est apud Cic. secundo, de inuention. & in orat. pro l. Manil. ad fin. Sueton. in Vespasian. cap. 3. Plin. secundum. Epist. penultima, lib. tertij.

CAP. XXI.

76 IN æquitate consistere.] æquitas hic non est ἐπιείκεια, sed ἰσότης, nempe æqualitas.

77 *Matrimonia quoque (inquit) communia esse debebunt.*] Contra Platonem scribit, & Aristoles secundo. Politicor. sed eum declarat Bessario Cardinalis, lib. 4. aduersus Calumniatorem Platon. cap. tertio.

78 *Ciuitas concors erit, &c.*] Non hæc ad verbum habet Plato, sed sententia passim elicitur è quinto, de Repub.

CAP. XXII.

79 SI quidem nihil fuerit, quod abstineatur, alienum.] Hanc Lectionem retinent quamplurimi excusi, & MSS. & optima est, quicquid dicat Thomasius, nam rectissimè dicimus, rem aliquam abstineri, quasi procul teneri, ac prohiberi. Lactantius lib. septimo, cap. 17. abstinebit

bit imbres, &c." Liu Romano bello Fortuna " Alexandrum Magnum abstinuit.] Florentina editio (siquidem nihil fuerit, quo abstineatur, &c. B. siquidem nullus fuerit, qui abstineat alieno. Sed prior elocutio, quam probauimus, quanto reconditior, & minus trita, tanto profectò elegantior.

80 *Geniales toros.*] ita reposui sicut, in nonnullis Vatic. inueni, & sicut olim legen. monuit Petrus Fabrius secundo. Semestr. cap. primo, & Ioannes Meursius in quarto. Critic. Arnobian. cap 10. al. genitales toros.

81 *In orbe terra.*] Haud satis intelligo, quibusnam præceptis Rhetoricis innixus summus Rhetor Lactantius hic, & lib. secundo, cap. 14 & lib. 4. cap. 1. 14. & 26. & alibi sæpe orbem terræ dixerit, qui terram orbicularis esse figuræ pernegat inf. cap. 24.

CAP. XXIII.

82 *SI donasset.*] Et quidem donasse patriæ scribit Valerius Maximus lib 8. cap. de stud. & indust. Lactantius secutus est Ciceronem quinto, de finib. & Senec. de diuin. prouid. ad fin. Philonem de vit. contemplatiu. sub initium.

83 *Quid ille, qui patrimonium in nummos redactum effudit in mare?*] Cratetem Thebanum Philosophum intelligit, secutus in historia Philostratum in Vit. Apollon. qui eo modo ad pauperiem illum deuenisse scribit. Sicut & Suidas in in Anaxagoras. At Demetrius Magnesius apud Laertium in Crat. & idem Suidas in Crates Asconidæ, aiunt, ipsum omnem substantiam in pecunia redactam apud trapezitam deposuisse ea lege, vt si filij idiotæ essent, illis eam restitueret, sin autem Philosophi, illam indigentibus distribueret, ratus videlicet, Philosophis nihil de futurum.

84 *Zenonis autem paria peccata quis probat?*] Probat Cicero in paradoxis, & Cato apud eundem in orat. pro Muren. & in fin. quarti, de finib.

85 *Quod est ab omnibus semper irrisum.*] Irrisum quidem à toto Senatu tradit Plutarch. in Comparat. Demosthen. cum Cicerone, dum idem ipse Cicero illud Zenonis dogma l. Murenæ causam agens contra Catonem vellicaret.

86 *Ad conspectum alterius hominis efferaretur.*] Sic Aldina, & Florentina. Pen. & multi alij MSS. à qua lectione nolui discedere, licet Thomas. cum B. & T. legat. à conspectu alterius homo auferretur. Loquitur enim Lactantius contra Zenonem, qui misericordiæ affectum amouebat ab homine: atqui miseratione sublata, necesse esset, hominis animum efferari, si autem homo, inquit Lactantius efferaretur more solivagorum animantium, societas tolleretur.

87 *Qui nigram dixit esse niuem.*] Anaxagoram, innuit, vt inf. lib 5. cap. tertio, de quo id tradit Galen 2. de virtut. simpl. medicament. illum autem sensu indigere aiebat Arist. primo Topicor. in fin. capitis 9.

88 *Hic est ille, &c.*] Contra quem disseruit supra, cap. 9.

89 *Intra concauum Lunæ sinum esse aliam terram*] Hoc præter Xenophanem, vt est apud Ciceronem in Lucull. sensisse etiam videtur Pythagoras, qui in Luna, & alijs sideribus quatuor elementa, montes, valles, stirpes quoque, & quæ apud nos sunt, omnia esse docebat. Mysticè tamen hæc ab illis dicebantur, vt monet Iamblic. de symbol. Pythagor. & refert Sanctus Thom. in secundo. Aristotelis de Cœl. tex. com. 49. ad fin. quia videlicet formæ effectuum sunt quodam modo in suis causis, corpora autem Cœlestia sunt causæ inferiorum corporum, &c.

90 *Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui, &c.*] De hoc nihil legi apud Senecam.

CAP. XXIV.

91 *QVid illi, qui esse contrarios vestigijs nostris Antipodas putant?*] De quibus Cicero in Lucull. Lactantius quidem multa hoc capite asserit paradoxa; quo nomine a nonnullis exsibilatur. Ego licet illum a vero deflexisse fatear, cum tamen grauissimos homines, ac sapientissimos habuerit, vt nunc ostendam, suarum opinionum vel authores, vel sectatores, næ illos magis exsibilandos putem, qui virum insignem tam temerè exsibilandum putarint. Principio nullos esse censet Antipodas, id quod asseruere etiam Erathostenes, Polib. Strabo. Tzetzes in Chiliad. Lucret. primo, ad fin. afferitur & hæc positio apud Plutarch. in Dial. de fac. in or. Lun. Ex nostratibus idem putauerunt Sanctus Augustinus, lib. 16. de ciuit. cap. 9. Nicol. de Lyr. super Genes. in principio, & deinde quicumque sphæricam terram esse pernegarunt, de quibus paulò inf. Veram tamen sententiam de Antipodibus huic aduersam probat Macrob. lib. primo, in Somn. Scip. vbi Lactantij rationes euertit cap. quinto, Plin. 2. hist. cap. 65. Martian. Capell. in princ. lib. 6. Cleomed. in primo. Meteor. cap. 2. Manil. primo. Astronom. Sanctus Augustinus sibi contrarius secundo, super Genes. ad lit. cap. 9. Possidonius quoque Philosophus Panætij discipulus, atque Auicenna eiusdem olim fuisse sententiæ perhibentur: nec amplius vlla hisce quidem temporibus ea de re haberi dubitatio potest,

potest, quibus præclarissimi illius Herois Liguris, nostræ Italiæ decoris, Solis æmuli Christophori Columbi ingenio, ac virtute alterius hæmisphærij quondam incognitæ gentes compertæ iam sunt, ac penitus exploratæ.

92 *Hortos pensiles, &c.*] Plin. lib. 36. c. 14.

93 *Et ex motu siderum opinati sunt, (cælum volui*] Cœlum volui negat Lactantius sed & cum eo Philosophi, quos supra recensui cap. tertio, not. ... ac Sanctorum patrum, & Doctorum plurimi. Iustin. martyr respondens ad quæst. 93. Orthod. Chrisost. homil. sexta, & 13. super Gen. & 12. ad pop. Antioch. Cæsarius in fin. primi Dialog. Elias Creten. ad oration. septimam Nazianzeni, Isidor. Ethymol. libro tertio, cap. 49. Seuerianus item, & Achacius, qui mundum semisphærium, cœlumque immotum extensum sicut tabernaculum, & fornicem, seu cameram putauerunt. Iunil. in Hexaemer. Richard. secundo exception. Diodor. & Procop. in Comment. ad Genes. Philastrius hanc opinionem sacris scripturis consonam, contrariam autem absonam, & paganæ potius vanitati, quam Christianæ veritati consentientem scribit in libro de hæresibus, & Sanctus Augustinus secundo, de Genes. ad liter. cap. 10. defendi eam posse putat. Reprobata tamen est à plerisque tum Philosophis, tum Mathematicis, vt videre est proprijs locis, præsertim apud Aristotelem secundo. Cœl. tex. 43. & sequentibus.

94 *Hanc igitur (cæli rotunditatem, &c.*] Cœlum rotundum esse negauit non solum Lactantius, sed etiam Iustin. martyr respondens ad quæstionem 59. & 130. orthodox. Basil. homil. prima super Genes. Chrisostom. homil. 14. & 27. super Epistolam Pauli ad Hebræ. & homil. secunda, de incomprehensib. Dei natura, Ambros. lib. primo, in Hexaemer. Theophylatt. atque Theodoret. super cap. 8. epistolæ ad Hebræ. Cæsarius, & Procop. vbi supra, Haymo, Seuerian. & Achacius. Item Primasius in Epistolam ad Hebræ. Euthymius in Psalm. 103. Elias Cretensis vbi supra, hæc habet. ,, Non esse Cœlum sphæricum, siue globosum, sed habere figuram globo dimidio consimilem, & immotum esse tradidit Esaias, cum ait, qui Cœlum instar Cameræ statuit, item, qui Cęlum fixit, cuiusmodi alia multa tum de extensione Cęli ad formam tabernaculi, tum de eiusdem firma collocatione apud eundem reperiuntur. Dauides etiam Cęli extremitatum meminit, atque etiam ipse Christus in Euangelijs, neque verò vel forma Cameræ similis, vel extremitates in sphæra, siue globo locum habent, qui ab omni parte in orbem fertur; nec item vel institio, vel concretio, vel huiusmodi motus alij: quo fit, vt omnes propè diuinarum rerum periti patres reiecta sphærica, siue globosa figura cęli, & circulari eius motu, tanquam figmento Græcorum, & à ratiocinando profecto, vatum verba, tanquam diuinitus inspirata sequuti sint.] Contraria opinio vera est, ab omnibus philosophis, atque Astronomis probata, Cœlum videlicet esse rotundum; idque demonstrat Ptolome. nouem rationibus tertio, capite primi libri edictionis magnæ Arist. 2. cœl. tex. 22. & seqq. Sancti Patres idem asseruere, Nazian. oration. 4 aduersus Iulian. in oration. secunda. De Theolog. in orat. in Sanctum Baptisma. Chrisost. homil. in Psalm. 103. & Ambros. serm. 12. in Psal. 118. Sanctus August. super Gen. ad liter lib. 1. c. 10. & lib. 2. cap. 9. Beda de sex dier. oratione, & in quæstionib. in Genes. Magis quoque consonum Sacris literis videtur. Initio Ecclesiastæ. ,, Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibiquè renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur] quo in loco vid. est Sanctus Hieronymus. Item 24. ecclesiastici gyrum Cœli circuiui sola, &c.] græcè significantius, & proprius ἐγύρωσα, circumduxi, rotundaui, conglobaui. ,, Iob. 9. sub quo curuantur, qui portant orbem.] Prouerb. 8. quando certa lege, & gyro vallabat Abyssos.] Ad loca Dauidis Psalm. 103. & Esai. 40. vbi dicitur, Cęlum a Deo sicut tabernaculum, vel cameram, vel pellem extensum, respondet Sanctus Augustinus d. cap. 9. lib. secundi super Genes. ad literam.

95 *Etiam ipsam Terram globo similem*] Sed & Plato in Timæo non sphæricam figuram Terræ, sed Cubum attribuit; Sphæricam tamen ferè omnes attribuunt. vid. Strabon. lib. primo. Plin. lib. secundo, cap. 64. Martian. Capell. lib. sexto, pulcherrima Ouidij Carmina sunt sexto. Fastor. Terra pilæ similis, &c. Sacræ quoque literæ ostendunt eam globo similem, cum toties orbem terræ nominant; vox enim illa, orbis, vel Lactantio ipso declarante cap. 8. libri de opific. Dei. non nisi rotunditatem significat. Esai 40. qui sedet super gyrum Terræ, vel secundum Hebraicam lectionem, qui sedet super globum terræ. Quid quod, & ipse Lactantius sæpe, ac sæpius orbem terræ nominat? vt paulò supra notauimus, & libro de opific. Dei. cap. 8. fatetur, omnem rotunditatem perfectæ rationis esse, atque figuræ. num igitur Mundum imperfecta aliqua forma, atque figura, an potius omnium perfectissima à summo opifice conditum decuit? Omnium

itaque Philosophorum, Astronomorum, Cosmographorum sententia est, Terram, Cęlum, Mundum denique sphæricum esse, quibus & Theologi consentiunt in secundo sententiar. distinct. 14. vbi præsertim Sanctus Bonauentura, articulo secundo, quæst. prima. Durand. quæst 4. Alexander Alens. secunda, p. quæst. 50. memb. sexto, articulo tertio, qui figuram hanc illi maximè conuenire ratione simplicitatis, capacitatis, perfectionis, nobilitatis luculenter ostendunt.

CAP. XXV.

96 *MYsterium eius barba tantum celebratur, & pallio.*] Quia illi, qui Philosophiam, (inquit) profitentur, nihil Philosophi habere videntur præter profundam barbam, & pallium, quod in prouerbium transijt, barba tenus sapientes, de quo author adagiorum. Sic „ inf. libro de ira Dei. c. 22. „ sapientiam (in„ quit) capillis, & habitu iactant] nam olim Philosophiam profitentes promissum capillum, & barbam habebant, & pallio amiciebantur. Lepidam de hoc facetiam narrat Gell. lib. 9. cap. secundo.

97 *Phædonem.*] Quem à captiuitate redemptum fuisse notat Laertius in Socrate, & Phœdon. ita ergo legen. non vt corruptè est in aliquibus exemplaribus, Protagoram, vel Pythagoram.

98 *(ebetem tradunt.*] Ita Gell lib. 2. cap. 18. Macrob. primo. Saturnal. cap. 11. at Laertius, an ab Alcibiade, vel Critone redemptus fuerit monente Socrate, non satis perspicuè tradit in Phędon. a Critone tamen postea scribit in Socrate.

99 *Platonem, ac Diogenem.*] Vid. Senec. Epistola 47. libenter. Gellium, & Macrob. vbi supra. Laert in Platon.

100 *Sed his seruitus euenerat. sunt enim capti.*] Et Phędo quoque non seruus fuit, vt opinari videtur Lactantius, sed ei seruitus aduenerat, si Laertio assentimur, qui nobili familia natum cum patria captum fuisse scribit. Lactantio tamen assentiuntur Gell. & Macrob. vbi supra.

101 *Aurum appendere debuit.*] Puto ad illud Homeri allusisse initio 24. Iliad. vbi Priamum aurum appendentem facit pro redimendo ab Achille Hectoris cadauere.

χρυσῷ δὲ ἐρύσαι, &c.

CAP. XXVII.

102 *QVæ se sè à Cæli.*] Lucretius, quæ caput a cęli, &c.

103 *Cum res non vestigabiles.*] Ita vetusti codices MSS. vitiosè impressi, cum res non inuestigab.

CAP. XXVIII.

104 *ET manum tollo.*]. Ita B. T. P. quam lectionem agnouit Petrarch. octauo. Senil. Epistola prima, probauit Patrit. ad Ciceronis fragmenta, al. ex manum tollo.

105 *Aristoteles (inquit Cicero) veteres Philosophos, &c.*] Cicero tertia. Tusculan. sic habet. Aristoteles veteres Philosophos accusans, qui existimauissent, Philosophiam suis ingenijs esse perfectam ait, eos aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse, sed se videre, &c.

CAP. XXIX.

106 *QVòd multa (inquit idem Cicero) efficiat inopinata nobis, &c.*] Cicerò quòd efficiat multi improuisa hæc, nec opinata nobis, &c.

107 *Iccirco enim in primordijs transgressionis non statim ad pænam detrusus à Deo est, &c.*] Non negat pęna essentiali nunc affici Diabolum, quod supra docui libro secundo, cap. 15. sed loquitur de pæna detrusionis, qua nunc eū affici negat, vt ex textu liquet. Doctorum sententias attuli. d. c. 15. vid. & inf. lib. 7. c. 26.

Tertij Libri Not. finis.



IOSEPHI ISAEI CÆSENATIS NOTÆ

IN QVARTVM LIBRVM DIVINARVM INSTIT. LACTANTII FIRMIANI.

CAP. I.

1 *Cogitanti mihi, & cum animo meo sæpe reputanti, &c.*] al. cogit. m. Constantine Imperator, & cum an. &c. Sed in B. T. P. in editione Florent. & aliquot alijs non leguntur illa, Constantine Imperator.

CAP. II.

2 *Ad Iudæos tantum non accesserint*] Nescio an ad Iudæos, sed in Ægyptum quidem profecti, vt ipse fatetur Lactantius, ibi nonnihil doctrinæ Moysis hauserunt, vt ait Iustin. martyr in admonitor. gent. & nonnulla Iudæorum, qui in Ægypto manserant, arcana cognouerunt adeo, vt de Platone ipso affirmet Numenius, illum Moysen esse atticè differentem; qua de re multa Euseb. lib. 11. præpar. Theodoret. initio primi de curat. affect. græcar.

3 *Sed auersos esse arbitror diuina prouidentia, ne scire possent veritatem*] Non quia Deus auerterit eos, sed quia libero eorum arbitrio eos auerti permiserit, quæ permissio Dei, cum sit ab ipso volita positiuo actu, vt docent Theologi, ideo sæpe non solum a patribus, sed & à sacris literis interdum Dei permissio appellari solet actio Dei, vt quia hominem obdurari, excæcari, auerti permittit, obdurare eum, excæcare, auertere dicitur. quod Latius declarabo inf. cap. 20.

CAP. III.

4 *Quia risus eius in manu, & digitis est, &c.*] Quod hic dicitur, simileque videtur ænigmati, declaraui lib. primo, c. 20.

5 *Et filius manumittitur tamquam seruus, &c.*] Licet emancipare propriè de liberis dicatur, manummittere de seruis, tamen & hoc quoque interdum de liberis dicitur, si quidem nil aliud manumittere est, quam è manu, idest potestate dimittere §. præterea. Instit. quibus mod. ius pat. potest. solu. ita vtitur hoc verbo Iuris-

Iurisconsultus in l. secunda. D. de offic. proconſ. l. 28. D. de adoption. l. 107. D. de verb. oblig. & Tit. ſi a parent. quis man. fuer.

6 *Et seruus liberatus patroni nomen accipit.*] Exemplo sunt M. Tull. Ciceronis liberti duo, quorum alter M. Tull. Tiro, alter M. Tull. Laurea dictus eſt, & Liuius Andronicus Poeta, quem à M. Liuio Salinatore, cuius filios erudiuerat, libertate donatum tradit Euſeb. in Cronic. Vid. Politian. Miſcellan. cap. 31.

CAP. IIII.

7 F*Ilijs abdicatis.*] Mos erat Græcorum, vt liberi, qui voluntati paternæ, ac honeſtis moribus tenaciter repugnarent, a parentibus abdicarentur, probata apud iudicem abdicationis cauſa. Apud Lucianum, & Quintilianum in Declamationibus leguntur abdicationis cauſæ: abdicatus autem carebat alimentis, & omni ope a patre in vita; & poſt mortem ſucceſſione in bonis: de abdicatione mentio apud Ariſt. in fin. octaui Ethic. Senec. lib. tertio controuerſ. hic mos non eſt permiſſus ad Romanos tranſire, vt in l. abdicatio. Cod. de pater. poteſt. quam declarat, & reſtituit Alciat. ſecundò, diſpunction. cap. 28.

CAP. V.

8 S*Eptingentis ferè annis.*] Excuſi plerique, nongentis ferè annis, vel, nongentos ferè annos. Duo Vaticani, nongentos ferè annos. Septem alij ex eiſdem Vaticanis, ſeptingentis ferè annis, vel, ſeptingentos ferè annos. Vnus eorum denique in textu cum habeat, nongentos, ad oram paginæ ſcriptum habet, alias ſeptingentos. Qua re hæc lectio de ſeptingentis annis in MSS. quidem exemplaribus videtur crebrior; ſaltem profectò minus habet erroris; neque enim inficiari poſſumus, vtramcunque lectionem ſequare, lapſum fuiſſe Lactantium; quandoquidem licet Chronologi mirè varient, & ipſemet Euſebius in Chronic. & de præparat. lib. 10. cap. tertio, conſtat tamen, non amplius, quam quadringentis circiter annis Moyſen extitiſſe ante Troianum excidium: quod ſi legas, nongentis ferè annis, maior fuerit lapſus, & ſecutus fuerit Lactantius, Porphyrij impij ſupputationem, quam caſtigat Euſeb. in præfatione Chron. Cæterùm monendus eſt Lector, ne Lactantium, aut alium quemquam ſcriptorem nimis incuſet, ſicubi in ratione temporum ineunda lapſus fortaſſe reperiatur; ſed potius venia, atque excuſatione dignum putet: ſunt enim hiſtoriæ, atque Chronographiæ de tam longinqui temporis rebus tot, ac tantis tenebris circumfuſæ, tanta eſt opinionum varietas, tot librariorum errata, præſertim in notis numerorum, vt vel ab eruditiſſimis, ſolertiſſimis, memorioſiſſimis viris nuſquam procliuius, quam in Chronographia peccetur. Videndus autem eſt præter Euſebium Cyrillus, qui libro primo, contra Iulianum ſcribit, profligatam Troiam poſt Moyſen annis 410. Eutrop. primo. Bed. de ration. temp. lib. 2. Viues ad cap. 8. libri 18. De Ciuit. De.

9 *Succeſſorem habuit Ieſum.*] Vt ex fin libri Deuteron. conſtat. pro [Ieſum] quod eſt in B. T. P. & apud ipſum Lactantium inf. hoc lib. c. 14. & 17 vulgò legitur, Ioſuem; & ſanè quem Hebrei nominant, illum & Ioſuem, & Ieſum interpretes appellant: Ieſus rectè dicitur ab Apoſtolis ipſis, & a ſeptuaginta interpretibus, quia non ſolù rebus geſtis, ſed etiã nomine ipſo IESVM Chriſtu Dominũ noſtrũ præfigurauit, vt & ipſe Lact. ait inf c. 17.

10 *Qui ſeptem, & viginti annis tenuit principatũ*] Ita quoq; Euſeb. in Chronic. S. Auguſtinus 18. Ciuit. cap. 10. Seuer. Sulp. Iſidor. Carion. At Ioſephus 5. Antiquit. c. 4. ſcribit annos 25. quẽ ſequuntur Hermann. in Chronic. & Author Chronic. ſacri. ſeptemdecim verò Beda, Ioãnes Lucid. & alij nonnulli.

11 *Exinde ſub Iudicibus fuerunt per annos 370.*] Vt quamproximè ad verum accedere Lactantij ſummã poſſis agnoſcere primò obſerua, quod è numero Iudicum, quos præfuiſſe populo tot annis ipſe arbitratur, excludit Moyſen, & Ioſuem, vt illa dictio [exinde] manifeſtè oſtendit. Secundò attendendum eſt, eos in hac ſumma comprehendi duntaxat annos, quibus populus ſub ipſis iudicibus fuit; ſubductis, & minime computatis annis interregnorum, quibus fuit ſub Regibus alienigenis, de quibus Iudicum cap. 3. 4. 6. 10. 13. Ergo duodecim Iudices, qui poſt Moyſen, & Ioſuem populo præfuerunt, & de quibus hiſtoria libri Iudicum in ſacro volumine contexitur, annis ducentis, & nonaginta nouem præfuerunt, vt ex ſacris ipſis literis, & omnibus vnanimiter Chronographis, atque Hiſtoricis traditur. Vid. Hermann. in Chronic. in Samſone, & Magiſter hiſtoriæ ſcholaſtic. in lib. Iudic. c. 20. in nn. Iam duodecim illis Iudicibus Heli, ac Samuelem addamus; atque illius quidem regiminis annos quadraginta demus, quem numerum habet Ioſephus in calce poſtremi cap. libri 5. ant. & vulgata latina editio cap. 4. pr. Reg. & etiam impreſſi Codices græcæ verſionis Septuaginta Interpretum (vt Flaminius de Nobilibus in anota-

notationibus, ad vetus Testamentum eiusdem græcæ versionis Latinè redditum, & recens Romæ excusum, & Melchior Cano. De loc. Theologic. lib. 11. cap. quinto, ad fin. & Genebrard. in primo. Chronograph. in Heli animaduertunt. Samueli autem ex eodem Iosepho sexto. Antiquit. cap. 13. annos duodecim, quo solus post Heli populo præfuerit, attribuamus, (quoniam quot annis Samuel separatim à Saule, qui fuit primus Rex, præfuit, ex sacris literis non habetur) & deinde alios octodecim, quos præfuerit cum Saule, vt Iosephus eod. lib. sexto, cap. 13. & cap. 14. in fin. & quam plurimi Chronographi tradunt, prætertim Genebrard. dicto lib. primo. Chronograph. in Samuele, & Saule, prorsus ipsam summam conficiemus Trecentorum, & septuaginta annorum (vno duntaxat deficiente anno) quibus post Iosuem vsque ad Reges populo Iudices præfuisse Lactantius asserit.

Anni, quibus iudicauerunt Duodecim Iudices.

1	Othoniel	an. 40.	Iudic. cap. 3.
2	Aod	80.	c. eod.
3	Debora, & Barach. qui p vno capiutur.	40.	cap. 5.
4	Gedeon	40.	c. 8.
5	Abimelech	3.	c. 9.
6	Thola	23.	c. 10.
7	Iair	22.	c. eod.
8	Iephte	6.	c. 12.
9	Abeian	7.	c. eod.
10	Ahialon	10.	c. eod.
11	Abdon	8.	c. eod.
12	Samson	20.	c. 16.
	Ann.	299.	
	Heli	40.	pr. Reg. c. 4.
	Samuel solus	12.	6. ant. Ios. c. 13.
	Samuel cum Saule	18.	eod. c. 13. Iosef.
		70.	
		299.	
		369.	

Huic summæ trecentorum septuaginta annorum nihil officit litera græca capitis 13. Act. Apostol. vbi Paulus Apostolus in Concione ad hebræos hæc habet. „ καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ Χαναὰν κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν
„ γῆν αὐτῶν. καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακο-
„ σίοις, καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς, ἕως Σαμουὴλ
„ τοῦ προφήτου. idest, & destruens gentes septem
„ in terra Chanaam sorte distribuit eis terram
„ eorum; & post hæc annis circiter quadringen-
„ tis quinquaginta dedit Iudices vsque ad Sa-
„ muel Prophetam.] Nam hunc textum continere mendum arbitrantur docti plerique omnes, & iuxta lectionem vulgatæ latinæ editionis restituendum esse, vt ita legatur „ κατε-
„ κληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς μετὰ
„ τετρακόσια, καὶ πεντήκοντα ἔτη. καὶ μετὰ ταῦ-
„ τα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ προφήτου. idest,
„ sorte distribuit eis terram eorum quasi post
„ quadringentos, & quinquaginta annos. Et
„ post hæc dedit Iudices vsque ad Samuel Pro-
„ phetam, &c.] vbi numerus ille quasi quadringentorum, & quinquaginta annorum sumitur a Paulo Apostolo loquente de tempore mansionis filiorum Israel in Ægypto, non de seculo Iudicum, vt latè ostendit Genebrard. lib. primo Chronograph. sub seculo Iacob; & sub seculo Samuel, & Saul, & ita quoque sentiunt Beda, Magister histor. scholast. Lyran. Chartus. & cęteri super eundem locum actuum Apostolorum.

12 *Tum mutato statu Reges habere cæperunt, quibus Imperium tenentibus per annos quadringentos sexaginta vsque ad Sedeciæ Regnum, &c.*] B. & septem Vaticani habent, per annos quadringentos quinquaginta. Ego lectionem expressi exhibitam a quinque Vatican. a P. & excusis Aldinis, Florentinis cæteris, & quæ minus continet erroris, quod vt clarius ostendam, omnemque ambiguitatem auferam, moneo primum in huius examine calculi non haberi rationem Imperij Regum Israel, sed Imperij Regum Iudæorum; Ad memoriam vocanda sunt, quæ habentur tertio Reg. cap. 12. & 2. Paral. c. 10. Anno pr. Regni Roboam filij Salomonis, qui Roboam fuit Rex quartus Hebræorum, ortam seditionem fuisse inter hebræos; nam decem Tribus inclementem, atque sæuum Regem Roboam fore metuentes, Regem sibi creauerunt Ieroboam, Tribus autem Iuda, & Beniamin secutæ sunt Roboam; atque ita scissa est monarchia hebræorum in duo Regna, quæ nunquam postea ad vnitatem redierunt. Porrò duarum Tribuum Regnum dictum est Regnum Iuda, siue Iudæorum ob dignitatem Tribus Regiæ. Regnum verò aliarum decem Tribuum vocatum est Regnum Israel, præ sui multitudine seruato scilicet sibi Iacob patris sui nomine, Enumeranturquè in hoc Regno Israel Reges Vndeuiginti videlicet Ieroboam, qui anno primo Roboam Regis Iuda filij Salomonis, vt dictum est, regnare cæpit, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab, Ochozias, Ioram, Iehu, Ioachaz, Ioas, Ieroboam, Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee, & Osee, sub cuius Regni anno nono Imperium hoc finem accepit, atque is nonus annus fuit sextus Regni

Iurisconsultus in l. secunda. D. de offic. procons. l. 28. D. de adoption. l. 107. D. de verb. oblig. & Tit. si a parent. quis man. fuer.

6 *Et seruus liberatus patroni nomen accipit.*] Exemplo sunt M. Tull. Ciceronis liberti duo, quorum alter M. Tull. Tiro, alter M. Tull. Laurea dictus est, & Liuius Andronicus Poeta, quem a M. Liuio Salinatore, cuius filios erudiuerat, libertate donatum tradit Euseb. in Cronic. Vid. Politian. Miscellan. cap. 31.

CAP. IIII.

7 F*ilijs abdicatis.*] Mos erat Græcorum, vt liberi, qui voluntati paternæ, ac honestis moribus tenaciter repugnarent, a parentibus abdicarentur, probata apud iudicem abdicationis causa. Apud Lucianum, & Quintilianum in Declamationibus leguntur abdicationis causæ: abdicatus autem carebat alimentis, & omni ope a patre in vita; & post mortem successione in bonis: de abdicatione mentio apud Arist. in fin. octaui Ethic. Senec. lib. tertio controuers. hic mos non est permissus ad Romanos transire, vt in l. abdicatio. Cod. de pater. potest. quam declarat, & restituit Alciat. secundo, dispunction. cap. 28.

CAP. V.

8 S*Eptingentis ferè annis.*] Excusi plerique, nongentis ferè annis, vel, nongentos ferè annos. Duo Vaticani, nongentos ferè annos. Septem alij ex eisdem Vaticanis, septingentis ferè annis, vel, septingentos ferè annos. Vnus eorum denique in textu cum habeat, nongentos, ad oram paginæ scriptum habet, alias septingentos. Qua re hæc lectio de septingentis annis in MSS. quidem exemplaribus videtur crebrior; saltem profectò minus habet erroris; neque enim inficiari possumus, vtramcunque lectionem sequare, lapsum fuisse Lactantium; quandoquidem licet Chronologi mirè varient, & ipsemet Eusebius in Chronic. & de præparat. lib. 10. cap. tertio, constat tamen, non amplius, quam quadringentis circiter annis Moysen extitisse ante Troianum excidium: quòd si legas, nongentis ferè annis, maior fuerit lapsus, & secutus fuerit Lactantius, Porphyrij impij supputationem, quam castigat Euseb. in præfatione Chron. Cæterùm monendus est Lector, ne Lactantium, aut alium quemquam scriptorem nimis inculet, sicubi in ratione temporum ineunda lapsus fortasse reperiatur; sed potius venia, atque excusatione dignum putet: sunt enim historiæ, atque Chronographiæ de tam longinqui temporis rebus tot, ac tantis tenebris circumfusæ, tanta est opinionum varietas, tot librariorum errata, præsertim in notis numerorum, vt vel ab eruditissimis, solertissimis, memoriosissimis viris nusquam proclivius, quam in Chronographia peccetur. Videndus autem est præter Eusebium Cyrillus, qui libro primo, contra Iulianum scribit, profligatam Troiam post Moysen annis 410. Eutrop. primo. Bed. de ration. temp. lib. 2. Viues ad cap. 8. libri 18. De Ciuit. De.

9 *Successorem habuit Iesum.*] Vt ex fin libri Deuteron. constat. pro [Iesum] quod est in B. T. P. & apud ipsum Lactantium int. hoc lib. c. 14. & 17 vulgò legitur, Iosuem; & sanè quem Hebrei ... nominant, illum & Iosuem, & Iesum interpretes appellant. Iesus rectè dicitur ab Apostolis ipsis, & a septuaginta interpretibus, quia non solù rebus gestis, sed etiã nomine ipso IESVM Christũ Dominũ nostrũ prefigurauit, vt & ipse Lact. ait inf c. 17.

10 *Qui septem. & viginti annis tenuit principatũ*] Ita quoq; Euseb. in Chronic. S. Augustinus 18. Ciuit. cap. 10. Seuer. Sulp. Isidor. Carion. At Iosephus 5. Antiquit. c. 4. scribit annos 25. quẽ sequuntur Hermann. in Chronic. & Author Chronic. sacri. septemdecim vero Beda, Ioãnes Lucid. & alij nonnulli.

11 *Exinde sub Iudicibus fuerunt per annos 370.*]Vt quamproximè ad verum accedere Lactantij summã possis agnoscere primò obserua, quod è numero Iudicum, quos præfuisse populo tot annis ipse arbitratur, excludit Moysen, & Iosuem, vt illa dictio [exinde] manifestè ostendit. Secundo attendendum est, eos in hac summa comprehendi duntaxat annos, quibus populus sub ipsismet Iudicibus fuit; subductis, & minime computatis annis interregnorum, quibus fuit sub Regibus alienigenis, de quibus Iudicum cap. 3. 4. 6. 10. 13. Ergo duodecim Iudices, qui post Moysen, & Iosuem populo præfuerunt, & de quibus historia libri Iudicum in sacro volumine contexitur, annis ducentis, & nonaginta nouem præfuerunt, vt ex sacris ipsis literis, & omnibus vnanimiter Chronographis, atque Historicis traditur. Vid. Hermann. in Chronic. in Samsone, & Magister historiæ scholastic. in lib. Iudic. c. 20. in an. Iam duodecim illis Iudicibus Heli, ac Samuelem addamus; atque illius quidem regimini annos quadraginta demus, quem numerum habet Iosephus in calce postremi cap. libri 5. ant. & vulgata latina editio cap. 4. pr. Reg. & etiam impressi Codices grecæ versionis Septuaginta Interpretum (vt Flaminius de Nobilibus in anota-

notationibus, ad vetus Testamentum eiusdem græcæ versionis Latinè redditum, & recens Romæ excusum, & Melchior Cano. De loc. Theologic. lib. 11. cap. quinto, ad fin. & Genebrard. in primo. Chronograph. in Heli animaduertunt. Samueli autem ex eodem Iosepho sexto. Antiquit. cap. 13. annos duodecim, quo solus post Heli populo præfuerit, attribuamus, (quoniam quot annis Samuel separatim à Saule, qui fuit primus Rex, præfuit, ex sacris literis non habetur) & deinde alios octodecim, quos præfuerit cum Saule, vt Iosephus eod. lib. sexto, cap. 13. & cap. 14. in fin. & quam plurimi Chronographi tradunt, præsertim Genebrard. dicto lib. primo. Chronograph. in Samuele, & Saule, prorsus ipsam summam conficiemus Trecentorum, & septuaginta (vno duntaxat deficiente anno) quibus post Iosuem vsque ad Reges populo Iudices præfuisse Lactantius asserit.

Anni, quibus iudicauerunt Duodecim Iudices.

1	Othoniel	an. 40.	Iudic. cap. 3.
2	Aod	80.	c. eod.
3	Debora, & Barach. qui pro vno capiutur.	40.	cap. 5.
4	Gedeon	40.	c. 8
5	Abimelech	3.	c. 9
6	Thola	23.	c. 10.
7	Iair	22.	c. eod.
8	Iephte	6.	c. 12.
9	Abesan	7.	c. eod.
10	Ahialon	10.	c. eod.
11	Abdon	8.	c. eod.
12	Samson	20.	c. 16.
	Ann.	299.	
	Heli	40.	pr. Reg. c. 4.
	Samuel solus	12.	6. ant. Ios. c. 13.
	Samuel cum Saule	18.	eod. c. 13. Iosef.
		70.	
		299.	
		369.	

Huic summæ trecentorum septuaginta annorum nihil officit litera græca capitis 13. Act. Apostol. vbi Paulus Apostolus in Concione ad hebræos hæc habet. „ καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ Χαναὰν κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις, καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς, ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου. idest, & destruens gentes septem „ in terra Chanaam sorte distribuit eis terram „ eorum; & post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta dedit Iudices vsque ad Samuel Prophetam.] Nam hunc textum continere mendum arbitrantur docti plerique omnes, & iuxta lectionem vulgatæ latinæ editionis restituendum esse, vt ita legatur „ κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς μετὰ τετρακόσια, καὶ πεντήκοντα ἔτη. καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ προφήτου. idest, „ sorte distribuit eis terram eorum quasi post „ quadringentos, & quinquaginta annos. Et „ post hæc dedit Iudices vsque ad Samuel Prophetam, &c.] vbi numerus ille quasi quadringentorum, & quinquaginta annorum sumitur a Paulo Apostolo loquente de tempore mansionis filiorum Israel in Ægypto, non de seculo Iudicum, vt latè ostendit Genebrard. lib. primo Chronograph. sub seculo Iacob; & sub seculo Samuel, & Saul, & ita quoque sentiunt Beda, Magister histor. scholast. Lyran. Chartus. & ceteri super eundem locum actuum Apostolorum.

12 *Tum mutato statu Reges habere cœperunt, quibus Imperium tenentibus per annos quadringentos sexagínta vsque ad Sedeciæ Regnum, &c.*] B. & septem Vaticani habent, per annos quadringentos quinquaginta. Ego lectionem expressi exhibitam a quinque Vatican. a P. & excusis Aldinis, Florentinis cæteris, & quæ minus continet erroris, quod vt clarius ostendam, omnemque ambiguitatem auferam, moneo primum in huius examine calculi non haberi rationem Imperij Regum Israel, sed Imperij Regum Iudæorum; Ad memoriam vocanda sunt, quæ habentur tertio Reg. cap. 12. & 2. Paral. c. 10. Anno pr. Regni Roboam filij Salomonis, qui Roboam fuit Rex quartus Hebræorum, ortam seditionem fuisse inter hebræos; nam decem Tribus inclementem, atque sæuum Regem Roboam fore metuentes, Regem sibi creauerunt Ieroboam, Tribus autem Iuda, & Beniamin secutæ sunt Roboam; atque ita scissa est monarchia hebræorum in duo Regna, quæ nunquam postea ad vnitatem redierunt. Porrò duarum Tribuum Regnum dictum est Regnum Iuda, siue Iudæorum ob dignitatem Tribus Regiæ. Regnum verò aliarum decem Tribuum vocatum est Regnum Israel, præ sui multitudine seruato scilicet sibi Iacob patris sui nomine, Enumeranturque in hoc Regno Israel Reges Vndeuiginti videlicet Ieroboam, qui anno primo Roboam Regis Iuda filij Salomonis, vt dictum est, regnare cœpit, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab, Ochozias, Ioram, Iehu, Ioachaz, Ioas, Ieroboam, Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee, & Osee, sub cuius Regni anno nono Imperium hoc finem accepit, atque is nonus annus fuit sextus Regni

gni Ezechiæ decimi sexti Iudæorum Regis, vt dicitur quarto Reg. cap. 18. & complectitur totum hoc Regnum Israel annum vnum supra ducentos, & quadraginta, menses septem, & dies septem, vt ex ipsa scriptura constat lib. 2. Reg. cap. 14. 15. 16. & 22. & lib. quarto, cap. tertio, & sequentibus vsque ad cap. 18. Non igitur (inquam) habetur ratio Regni huius, quia Lactantius manifestè indicat, in illa summa annorum quadringentorum, & sexaginta efferenda, se respexisse ad seriem Regum Iuda, cum dicit, [Tum mutato nomine Reges habere cæperunt] sic & inf. cap. 10. nam continuò exactis iudicibus regnauit Saul, & deinde Reges Iuda Dauid, & Salomon, nec incępit series Regū Israel nisi anno primo Roboam filij Salomonis, vt diximus, subdit quoque Lactantius [vsque ad Sedeciæ regnum] qui Sedecias ad Regnum Iudæorum pertinet, fuit enim ipsius Rex vltimus, vt liquidò appareat, Lactantium hoc loco Regni Iudæorum cum initium tum finem memorantem ad Regnum Iuda respectum habuisse. In hoc itaque Regno comperio tres, & viginti Reges Iudæorum post Samuelem, quem vltimi Iudicis loco statuimus, videlicet incipiendo a Saule (sed ab eo tantùm tempore, quo ille solus post Samuelis mortem regnauit, id autem tempus fuit duorum annorum, vt constat ex primo Reg. cap. 13. & Iosepho libro 6. antiqu. in fin. capitis vltimi) vsque ad Sedeciam, vt ait Lactantius, inclusiuè scilicet cum ipsius Sedeciæ vndecim annis, quibus præfuit, hos, inquam tres, & viginti Reges regnasse comperio annis in totum quadringentis septuaginta quinque, mensibus sex, & diebus decem quamuis Iosephus lib. 10. cap. 10. scribat annis quingentis quattuordecim, mensibus sex, & diebus decem. Vid. Euseb. Hermann. alios. Desunt igitur Lactantij calculo anni quindecim, menses sex, & dies decem.

Anni Imperij Regum Iudæorum ex Scriptura Sacra.

1	Saul post mortem Samuelis	ann.	2.	m.	o.	d.	o.	1. Reg.	cap. 13.
2	Dauid	ann.	40.	m.	o.	d.	o.	3. Reg.	cap. 2. Par. p. c. vlt.
3	Salomon	ann.	40.	m.	o.	d.	o.		cap. 11. Par 2. c. 9.
4	Roboam	ann.	17.	m.	o.	d.	o.		cap. 14 Par. 2. c. 12.
5	Abias	ann.	3.	m.	o.	d.	o.		c. 15. Par. 2. c. 13.
6	Asa	ann.	41.	m.	o.	d.	o.		c. eod. Par. 2. c. 16.
7	Iosaphat	ann.	25.	m.	o.	d.	o.		c. vlt. Par. 2. c. 20.
8	Ioram	ann.	8.	m.	o.	d.	o.	4. Reg.	c. 8. Paralip. 2. c. 21.
9	Ochozias	ann.	1.	m.	o.	d.	o.		c. eod. Paral. 2. c. 22.
10	Athalia	ann.	6.	m.	o.	d.	o.	4. Reg.	c. 11. Paral. 2. c. 22.
11	Ioas	ann.	40.	m.	o.	d	o.	4. Reg.	c. 12. Paral. 2. c. 24.
12	Amasias	ann.	29.	m.	o.	d.	o.		c. 14. Par. 2. c. 25.
13	Azarias, qui & Ozias	ann.	52.	m.	o	d.	o.		c. 15. Par. 2. c. 26.
14	Ioathan	ann	16.	m.	o.	d.	o.		c. eod. Par. 2. c. 27.
15	Achaz	ann.	16.	m.	o.	d.	o.		c. 16. Par. 2. c. 28.
16	Ezechias	ann.	29.	m.	o.	d.	o.		c. 18. Par. 2. c. 29.
17	Manasses	ann.	55.	m.	o.	d.	o.		c. 21. Par. 2. c. 33.
18	Amon	ann.	2.	m.	o	d.	o.		c. eod. Par. 2. c. eod.
19	Iosias	ann.	31.	m.	o.	d.	o.		c. 22. Par. 2. c. 34.
20	Ioachaz	ann.	o.	m.	3.	d.	o.		c. 23. Par. 2. c. 36.
21	Eliachim, qui & Ioachim	ann.	11.	m.	o.	d.	o.		c. eod. Par. 2. c. eod.
22	Ioachin qui, & Iechonias apud 70. 2. p. c. 36.	ann.	o.	m.	3.	d.	10.		c. 24. Par. 2. c. eod.
23	Sedecias	ann.	11.	m.	o.	d.	o.		c. eod. Par. 2. c. eod.
		ann.	475.	m.	6.	d.	10.		

13 *Vsque ad Sedecia regnum oppugnati à Rege Babylonio, captique Iudæi diuturnum seruitium pertulerunt.*] Sedeciæ, scripsi, non, Sedechiæ, vt in prioribus, editionibus ita enim prolatum, & scriptum hoc nomen puto a Lactantio, vt est apud Septuag. & in vulg. vsque ad Sedeciæ regnum (inquit) inclusiuè videlicet, vt diximus, nam oppugnatio Iudæorum a rege Babylonio contigit nono anno regni Sedechiæ 4. Reg. cap. 25. Hierem. cap. 39. & 52. quæ durauit vsque ad ipsum vndecimum, idest vltimum annum regni eiusdem, quo anno captiuitas

uitas vrbis Hierusalem, & populi secuta est, vt eisdem in locis habetur. Ex quibus liquet, veram esse illorum sententiam, qui non aliunde sentiunt, septuaginta annos istius captiuitatis computandos, atque incipiendos esse, quam ab hoc vndecimo anno regni Sedeciæ, sicut incipit, & computat hic Lactantius, Iosephus lib. 10. antiquit. cap. 10. Clemens Alex. primo. Strom. African. quinto, Annal. Euseb. lib. tertio, præparat. cap. vltimo, & in lib. de Demonstrat. in disput. de 70. hebdomad. Hieron. super 4. cap. Ezechiel. Cyrill. aduersus Iulian. Isidor. quinto, orig. cap. vltimo. Bed. de sex ætat. quamuis sciam, eosdem annos etiam aliunde ab alijs grauissimis scriptoribus incipi, ac computari, quidam enim computant à decimo tertio anno Regis Iosiæ, de quibus tacitis nominibus meminit Euseb. in Chronic. sub Olympiad. 58. alij verò à captiuitate regis Ioachim, quæ contigit anno primo imperij Nabuchodonosor, vt Sulpitius secundo histor. Theodoret. ad cap. 9. Daniel. Lyran. ad primum cap. Esdr. Vatabl. in annotation. ad idem cap. 9. Daniel. quidam denique à transmigratione Ioachin, siue Iechoniæ, vt Rabbi Salomon (quem refert Lyran.) & Caietan. ad vltimum cap. secundi, Paralipomen. & Scaliger de emendation. tempor.

14 *Donec septuagesimo post anno eos Cyrus maior terris, ac sedibus suis redderet*] Iam hic quoque discrepant authores de tempore solutionis captiuitatis Iudaicæ; nam alij malunt, non ante secundum Darij Hystaspis annum, ad quē a primo Cyri anno quadraginta anni fluxerūt, ipsos captiuitatis Iudaicæ septuaginta annos completos esse, ex quorum sententia fit, vt à desolatione Hierusalem vsque ad primum Cyri annum triginta anni tantummodo fluxerint. ita opinati sunt Clemens Alexādrinus 1. Stromat. Euseb. in Chronic. & de præparat. lib. 10. c. vlt. & 8. de Demonstr. Hieron. in prohem. super Aggæu. in c. pr. Zachar. & 4. Daniel. Aug. 18. Ciuit. c. 26. Isidor. 5. Orig. c. vlt. Nōnulli verò distinguunt, alios videlicet fuisse annos captiuitatis Iudæorum, quos ordiuntur a transmigratione Iechoniæ, terminant primo anno Cyri, alios autem desolationis vrbis, & templi, quos incipiunt vndecimo anno regni Sedeciæ, finiunt anno secundo Darij Hystaspis; vt Theodoret. ad 9. cap. Daniel. Sed Lactantij positio verior est, & receptior, videlicet à Cyro captiuitatem solutam, quod non modo Iosephus scribit lib. 11. antiquit. c. pr. African. annal. 5. Sulpit. 2. histor. Cyrill. 8. cont. Iulian. Bed. de ration. temp. Perer. ad Daniel. lib. 10. c. 9. sed etiam multi supradictorum scriptorum diuersæ opinionis alijs in locis asseruerunt; scilicet Euseb. lib. 10. de preparation. c. vlt. S. Hieronym. ad c. 29. Hierem.

15 *Qui per idem tempus in Persas susceepit imperium, quo Romæ Tarquinius Superbus*] Non hoc vsquequaque cæterorum congruit Chronographiæ; nam circiter viginti anni a susceptione imperij Cyri interfluxerūt ad Tarquinij Superbi imperium, scriptoribus tamen, vt in omnibus Chronologijs ferè fit, paululum variantibus. Vide Euseb. in Chronic.

16 *Vt errorem suum sentiant, qui Scripturam Sacram coarguere nituntur, tanquam nouam, & recens fictam, &c.*] videndi sunt Iosephus contra Appion. lib. pr. Iustinus Martyr contra gent. Theoph. ad Autolyc. serm. 3. Euseb. lib. 10. præparation. c. 3. Theodoret. 2. de curat. græc. affect. Certe Pythagoras, qui antiquissimus Græcorum Sapientum censetur, ponitur ab Euseb. in Chronic. contemporaneus Aggæi, Zachariæ, Malachiæ, qui nouissimi fuerunt Prophetarum.

CAP. VI.

17 P*Er ipsum creauisset*] ex B. T. P. Florent. editione, & Plantinian. restitui τὸ per ipsum, textui, quod Aldinæ, & quibusdam alijs editionibus deest, sic enim Lactantij dictum pulchrè conuenit cum illo Ioannis primo omnia per ipsum facta sunt, &c.

18 *Diuini nominis appellatione dignatus est*] Non; sed suapte natura obtinet illud, vt ipsemet fatetur Lactantius inf. c. 29. & alibi sæpe.

19 παντοτρέφον κτίστην] hos versus explicat Eugubin. in lib. de perenn. philosoph. & habentur apud Theoph. lib. 2. ad Autolyc. sed non in Carminibus Sibyllinis.

20 Αὐτὸν ἔδωκε, &c.] Hic versus in Carminibus Sibyllinis mutilus est; ibi enim,

Ἀλλ᾽ ὃν ἔδωκε θεὸς πιστὸν ἄνδρα γεραίρειν.

21 Αὐτὸν σὸν, &c.] In Codic. Sibyllino, pro σὸν habetur σοὶ.

22 *Deus condidit me, &c.*] Locus ex 8. Prouerbior. Et satis sit semel moneri Lectorem, quòd Lactantius quæ promit loca Sacræ Scripturæ, ea ferè, vt cæteri antiqui patres ex versione Septuaginta interpretum promit; licet nonnihil aliquando, vt nos diligenter suis locis adnotabimus, ab ipsorum quoque, quam nunc habemus, interpretatione dissideat, vnde fortasse quis meritò suspicetur, Septuaginta editionem illorum temporum aliquibus in locis diuersam fuisse ab ea, quæ nunc extat. hic certè pro, Deus, Septuaginta, vulg. Tertullianus aduersus Hermog. & aduersus Prax. & Cyprianus

secun-

secundo aduersus Iudæos, habent, Dominus.

23 *In initio viarum suarum*.] Ita Vulg. At Tertullian. aduersus Hermog. & Cyprian. secundo aduersus Iud. cap. primo, ex Septuaginta initium viarum suarum.

24 *In opera sua ante secula. Fundauit me in principio, &c.*] In huius loci interpunctione, ac distinctione Lactantius, & Tertullian. discrepant à Septuag. & a Cypriano; nam Septuag. in opera sua. Ante seculum fundauit me in principio, &c. Cyprian. in opera sua ante seculum fundauit me. In principio, &c.

25 *In principio*.] Melius sic apud Lactantium Cyprianum Irenæum lib. 4. cap. 37. quam apud Tertullian. hæc duo verba subticentem, quæ in textu Hebræo, Chaldæo, Græco reperiuntur.

26 *Prodirent fontes*.] Sept. & Cyprian. procederent fontes.

27 *Genuit me*] Ita & Tertullianus, & Cyprian. pro eo quod septuag. habent, γεννᾷ με, generat me.

28 *Fecit regiones, & terras inhabitabiles sub cęlo*.] B. & T. fec. reg. & fines inhab. &c. Septuaginta Dominus fecit regiones & inhabitabiles, & summitates habitatas eius, quæ sub cælo. Cypr. fec. reg. & inhabitabilia [al. habitabilia] & fines inhabitabiles sub cęlo.

29 *Cum pararet Cęlum, &c.*] al. hic legitur. cum pareret. Ego secutus sum optimos Lactantij Codices, qui habent, vt septuaginta. Tertullianus, Cyprianus. Hilar.

30 *Et cum secerneret suam sedem; cum super ventos faceret validas nubes*] Apud Sept. distinctum legimus ita, vt illud [super ventos] cum sede coniungatur, non cum nubibus; Et cum secerneret suam sedem super ventos; & cum validas faceret desuper nubes, &c. Quo loci tamen verè annotatur, Tertullianum, Cyprianum, Hilar. prorsus habere sicut Lactantius. „ Nam
„ Tertullianus, & cum fortia faciebat super ven-
„ tos, quæ sursum, nubila. Cyprianus. Cum
„ super ventos validas faceret desuper nubes. Hilar. Quando super ventos validas faciebat in summo nubes.

31 *Et cum confirmatos poneret montes sub Cęlo*.] pro, montes, apud Sept. legitur, fontes, & cum confirmatos ponebat fontes eius, quæ sub cęlo. Tertullianus quoque. Et cum firmos ponebat fontes eius, quæ sub cęlo. Et Cyprianus, & cum confirmatos ponebat fontes sub cœlo.

32 *Iucundabar ante faciem eius, cum lætaretur*] Septuaginta, iucundabar in facie eius in omni tempore, cum lætaretur, &c. illud, omni tempore, habet quoque Vulg. & Cyprianus quod sanè Tertullianus omittit cum Lactantio.

CAP. VII.

33 Nomen eius neque Angelis quidem notum esse] An Sancti Angeli, & animæ beatæ clarè Deum intuentes eius nomen verum, & proprium concipere possint, disputant Theologi in primo sententiar. dist 22. & in p. p. Sancti Thom. quæstione 13. articulo primo, vt monui superius lib. primo, cap. sexto.

34 *Ὅσις περὶ τοῦ μόνου κυρίου πάντων, καὶ προεννοουμένου θεοῦ*.] Hæc verba restitui Lactantio vel potius Hermeti ex Cod. B. & T. nam aliquibus illa desunt, ὅσιος περὶ τοῦ μόνου κυρίου, alijs verò illa, καὶ πρώτου ἐννοουμένου θεοῦ.

35 *Christus non proprium nomen est, &c*] Author expositionis Symboli Apostolorum inter opera Cypriani.

36 *Qui eum immutata litera Chrestum solent dicere*.] Et tunc etiam nomen illud boni habet significationem, deducitur enim ἀπὸ τοῦ χράομαι, & idem est quod bonus, suauis, commodus, vtilis. Iustin mart. in Apolog. pro Christian. ad Antonin. Pium. Tertullianus cap. tertio. Apologet.

37 *Αὐτὸς δὲ δήμῳ*, &c.] Homeri versus ex initio quarti Odiss. leuiter immutatus, ibi enim. τῆς δ' ἐπὶ ἐν δήμῳ, &c.

CAP. VIII.

38 Beatus, qui erat, &c] hunc locum, qui ex Hieremia profertur à Lactantio nusquam reperio.

39 *A principio*.] Ab æterno, sic enim dictio illa sæpe exponitur etiam in scriptura. ecclesiastici 24 ab initio, & ante secula creata sum, &c.

40 *Quomodo igitur procreauit?*] Creationis vocabulo etiam Scriptura Sacra interdum abutitur vbi de Sapientiæ increatæ, & de Verbi æterni emanatione loquitur; nam cum processio Verbi æterni sit inenabilis, & reueletur creaturæ rationali, quæ ineptissima est ad diuinorum intellectionem, Spiritus sanctus ad eam explicandam vti solet multis ac varijs locutionibus, quas etiam postea Sancti Patres aliquoties sunt mutuati, quæquè non propriè, sed μεταφορικῶς, atque abusiuè sunt accipiendæ, dicitur enim, diuinam sapientiam, & increatum Verbum creari, non quòd ex nihilo fiat, sed vt intelligamus, Verbum non produci ex præiacente materia, item, Patrem nullam pati immutationem, aut alterationem, vt contingit in generationibus creatis. Huiusmodi autem locutiones non sunt à nobis vsurpandæ, sed iuxta Ecclesiæ sensum exponendæ, sicubi in Sacris literis, vel Sanctorum

rum

rum Patrum scripturis reperiantur.

41 *Siue etiam rationem*] hæc quæ ab impressis absunt, ex Cod. B. rectè a me restituta intelligo; nam initio sequentis capitis ait Lactantius, melius a Græcis Dei filium λόγον vocari, quia cum ille sit vox, & sapientia Dei, λόγος & sermonem significat, & rationem.

42 *Magna inter hunc Dei filium, & cæteros Angelos differentia est &c*] Superius ad ea verba capitis noni, libri secundi, illum primum & maximum filium, &c. manifestè ostendimus, Lactantium veram, & rectam de Dei filio Vnigenito sententiam habuisse, Deum verum esse illum, ac proinde infinitò ab Angelorum natura distare naturam eius credidisse Iccirco sicut ibi diximus, quòd quando filiorum Dei nomine Angelos vocat vna cum verbo diuino, tunc non vniuocè ad ipsum Verbum, & ad Angelos ea appellatio referenda est, vt omnes æqualiter respiciat, sed æquiuocè, idest propriè ad Verbum diuinum, impropriè verò, & metaphoricè ad Angelos: ita hoc loco monemus, quòd, vbi ediuerso Dei filium Lactantius Angelum vocat vt hic, & supra cap. 10. & inf. c. 14. iuxta alterā lectionē, tunc Angeli nomen non vniuocè ad ipsum Dei filium, & ad Angelos est referendum, sed ad Angelos propriè, vt ipsorum naturam, & substantiam significat, impropriè verò ad Dei vnigenitum, vt ea dictio naturam eius, sed munus, & officium designat legationis, & nunciationis; nam Angelus græcè, latinè nuncius dicitur, quia maxima quidem omnium legatione ad genus scilicet humanum redimendum Dei vnigenitus est perfunctus, cui nullus alius satis idoneus erat; atque hoc quidem sensu Sanctus Augustinus tom. 6. in tract. super, ego sum qui sum, censet secure Christum Dominum appellari Angelum posse, scilicet officio, non natura dicemus rursus & inf. cap. 14.

43 *Illi enim ex Deo taciti spiritus exierunt*] Et inf. Dei autem spiritus & viuunt, & manent, &c. Quam vereor, vt sentiat, Angelos ex Dei substantia esse! quod de animis hominum illum alicubi dixisse ostendi supra ad cap. 13. secundi libri, sibi cauere lectorem moneo.

44 *Ille verò, cum sit & ipse spiritus tamen cum voce, ac sono ex Dei ore processit, sicut verbum, &c.*] Iam conatur explicare nlij Dei emanationem a Patre, & quare verbum Dei appelletur. Sed rem tantummodo circuit, non attingit, idque mirum cuiquam esse non debet; nam Sanctissimæ Trinitatis mysterium multis seculis in Dei ecclesia fuit maximè occultum atque reconditum. Ille quidem ineptè vocalis verbi creati similitudine vtitur, vt nos in cognitionem manu ducat increati illius diuini Verbi. At verò non vocalis verbi similitudine aliqua, sed mentalis, quod est in nobis (vt ait Sanctus Augustinus 15. de Trinit. cap. 11.) sicut in ænigmate videtur vtcunque Dei Verbum. Ipse etiam Lactantius fatetur hoc loco Deum patrem mente illud concepisse, & quidem, cum Deus sit omnino incorporeus, non nisi secundum intellectualem emanationem generatio diuina intelligi potest Reiectis igitur, quæ à Lactantio afferuntur, nos catholica veritate sitientem Lectorem imbuamus. Principio mentis verbum nihil aliud est, quam notitia, seu conceptus mentis. Sanctus Augustinus lib. 9. de Trinit. cap. 7. & 11. & lib. 15. cap. 10. Sanctus Thom. p. p. quæst. 34. articulo primo, & in Ioann. cap primo, hic conceptus interior, quem alicubi vocat speciem Sanctus Thom. vt in primo, sent. distin. 27. quæst. 2. articulo secundo, aliquando conceptionem rei intellectę, vt primo, con. gent. cap 11. & intentionem intellectam, vt quarto, con. gent. cap. 11. & conceptionem intellectus, vt eod. lib. cap. 12. propriè, & proprijssimè dicitur verbum, quia mediante illo anima loquitur. Sanctus Augustinus d. cap. 10. Est enim in mente dictio vera, & propria, atque locutio, & proprium, ac verum dicere, & loqui, quod est intelligere, & consequenter verum, & proprium verbum, ipse videlicet mentis conceptus, multo id quidem magis verum, ac proprium, quam vocale verbum; & nomen verbi præcipuè mentis conceptum significat, vt docet Sanctus Augustinus vbi supra. Ob id periculo non vacaret illa positio, qua quis assereret, conceptum mentis non esse propriè verbum; quoniam verbi nomen in ea significatione, qua significat notitiam, significat quoque Dei filium. si ergo impropriè significaret conceptum, impropriè quoque significaret Dei filium, ac proinde filius Dei impropriè esset verbum, & consequenter non esset verbum; quæ sunt hæretica, & contra illud Ioann. primo. In principio erat verbum, &c. Sanctus Thom. in primo, sent. distin. 27 quæst. secunda, artic. primo, docet, absque omni dubio confitendum esse, Dei filium esse verbum, & propriè verbum dici, & p. p. quæst. 34. articulo primo, ad primum asserit, errorem esse Arrianorum negare filium Dei propriè verbum esse. Iam quomodo Verbum increatum in mente diuina producatur docet idem ille totius diuinæ pariter, atque humanæ sapientiæ vertex Sanctus Thom. quarto, contra gent cap. 11. Plures videlicet esse intelligendi modos, atque gradus, vt plures sunt gradus intellectualis vitæ; nam intellectus hu-

manus licet se ipsum intelligere possit, tamen suæ cognitionis initium ab extrinseco sumit, quia non intelligit absque fantasmate; ergo in Angelis est perfectior intelligendi modus, quorum intellectus ad sui cognitionem non procedit ex aliquo exteriori; sed per se cognoscit se ipsum; abest tamen aliquid omnimodæ, & absolutæ perfectionis, quia licet intentio intellecta sit eis omnino intrinseca, non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia, quia non est idem in eis intelligere, & esse; vltima igitur perfectio vitæ competit Deo, in quo non est aliud intelligere, & aliud esse: vnde oportet, vt intentio intellecta a Deo, idest verbum ipsius sit ipsa diuina essentia: Igitur in Deo se ipsum intelligente est verbum Dei, quasi Deus intellectus; sicut verbum lapidis in intellectu est lapis intellectus; quia verò intellectus diuinus non exit de potentia in actum, sed semper est actu existens, necesse est, vt se ipsum semper intellexerit, & ex hoc quod se ipsum intelligit, oportet, vt verbum ipsius sit in ipso, & sic Verbum Dei semper in Deo extitisse; & ideo coæternum illi esse. Rursus, cum intellectus diuinus non solum sit semper actu, sed etiam sit ipse actus purus, oportet, vt substantia intellectus diuini sit ipsum suum intelligere, quod est actus intellectus; esse autem verbi interius concepti, siue intentionis intellectæ est ipsum suũ intelligi: idem ergo esse est verbi diuini, & intellectus diuini, & consequenter ipsius Dei, qui est suus intellectus: esse autem Dei, est eius essentia, vel natura, quæ idem est, quod ipse Deus. Verbum igitur Dei est ipsum esse diuinum, & essentia eius, & ipse verus Deus. Denique productio Verbi in mente diuina est proprijssimè generatio, & Verbum productum proprijssimè Dei filius, vt demonstratur ex definitione generationis propriè dictæ, quam elicit Sanctus Thomas p. p. quæst. 27. art. 2. ex Aristot. 8. Ethic. & 7. Metaphysic. Generatio enim est origo viuentis a principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ. At verò in diuinis Verbum diuinum viuum procedit a patre viuo, & reperitur ibi principium coniunctum cum generante, & genito; nam essentia diuina, quæ patri est intima, & radix generationis coniungitur, siue potius communicatur eademmet filio genito; Et verbum procedens procedit secundum rationem similitudinis; quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura; nam in Deo idem est intelligere, & esse. Ibi igitur proprijssimè est generatio, & proprijssimè Dei filius, ac multo magis filius, & generatio, quam in rebus creatis, nam sicut edocet S. Thomas p. p. quæst. 13. art. 5. & 6. quoniam aliqua reperiuntur in Deo, & in creaturis, nobiliori, & perfectiori modo sunt in Deo, & prius dicuntur de eo.

45 *Merito igitur sermo, & Verbum Dei dicitur*] sermo quidem Sapientiæ 18. Ioann. 17. & a Patribus Tertulliano aduersus Praxe, Cyprian. aduersus Iudæ. lib. 2. c. pr. & 5. qui referens illud Ioan. pr. In principio erat Verbum, pro verbo, ponit, sermonem. Et Augustino qui illud enarrans Ioann. 17. Sermo tuus veritas est, &c. docet nihil referre, vtrum sermonem dicamus, an Verbum. & Hilario, qui nunc Verbum, nunc sermonem vocat in libris de Trinit. Hieron. item super Epistolam ad Ephes. Congruentius tamen verbum vocari videtur, quam sermonem, quoniam verbum propriè vnam rem, & vnicam vocem significat, sermo verò vnicam, & plures. Ergo ad ostendendum, Dei filium esse vnicum, & simplicissimum, quatenus Deus est, congruentius verbum appellatur, quam sermo.

46 *Nostri spiritus dissolubiles sunt, quia mortales sumus*] hic per spiritum putarim flatũ intelligi; nam de sermone, & locutione dicere pergit: De animis quidem nostris illud asserrere non est censendus, qui vbique illos doceat esse immortales.

47 *Quanto magis Dei vocem, &c.*] sic paulò infra. Si quis miratur ex Deo Deum prolatione vocis, &c. Omnes ejusmodi locutiones cauere oportet. Loca, quæ profert Scripturarum de ore cordis, & mentali verbo loquuntur.

48 *Quorum alterum, qui posterius regnauit, Troianæ vrbis excidium centum, & quadraginta annis antecessit*] Hæc lectio, quæ in vno Vaticanorum habetur, procul dubio vera est, ac germana lectio, & in eo quidem, quod dicit, Troianum excidium ante Salomonem extitisse (nam de numero annorum postea dicam cunctis Chronographis, & Lactantio ipsi consentiens, cum altera lectio ferè omnium aliorum MSS. & impressorum quæ habet [quorum alter, &c.] contrarium sensum efficiat, dicatq; Salomonem extitisse ante Troianum excidium, quod sanè historiæ temporum, et ipsius Lactantij sententiæ alibi expresse valde aduersatur. Ille quidem extremo primo horum librorum ab excidio Troiano ad ea tempora, quibus hæc ille scribebat, computabat annos mille quadringentos, et septuaginta: scribebat autem, vt supra ostendimus, anno a Christo nato trecentesimo secundo: quare si ex ea summa annorum mille, et quadringentorum septuaginta subtrahas annos ducentos, et sexaginta nouem, qui fluxerunt a morte Christi ad Lactantij scriptionẽ, profectò vnus annus, superq; mille, et ducenti ab exci-

ab excidio Troiano ad Christi Domini obitum secundum Lactantij supputationem interfluxerint. Iam verò si vulgatam lectionem sequare, addatque huic summæ annos centum, & quadraginta, quos fluxisse velis à Salomone vsque ad Troianum excidium, totum tempus, quod à Salomone ad Christi excessum fluxit, vnius fuerit, ac præterea mille, & trecentorum quadraginta annorum; quod vtique cum dicto Lactantij vehementer pugnat asserentis inf. c. 16. & 18. huius libri, vt ibi dictum est in notis a Salomone ad obitum Christi non nisi mille, ac decem annos cucurrisse. Contra verò si nostram lectionem amplexus dictæ summæ vnius, superque mille, & ducentorum annorum subtrahas annos centum, et quadraginta, quos a Troiano excidio ad Salomonem vsque fluxisse contendimus, omnia sibi inuicem Lactantij dicta consentire videbis, et summam effulgere vnius anni, superque mille, et sexaginta annorum, qui à Salomone ad Christi Domini obitum iuxta Firmiani sententiam interfluxerint. Nec tamen mirere, quod plures anni emergant, nempe vnus et quinquaginta supra dictam summam annorum mille, et decem, quæ d. cap. 16. continetur; nam vtrobique idem ferè tem pus designari intelliges, si animaduerteris, hic quidem curriculum annorum fieri ab excidio Troiano vsque ad natalem diem Salomonis, et ab eodem natali vsque ad Christi obitum, ibi verò non ab ortu Salomonis, sed à tempore, quo iam regnabat, et prophetiam illam, quam ibi recitat Firmianus, de Christo enunciabat, sumi annorum exordium vsque ad Christi Domini obitum volutorum: Salomon autem regnauit annis quadraginta, vt ex Sacra Scriptura constat in tertio Regnorum cap. 11. et secundo prætermissorum cap. 9. ex Iosepho 8. ant. cap. septimo, et Lactantio inf. cap. 13. vixit quatuor, et nonaginta, vt idem Iosephus tradit cap. 7. ita vt ab ortu Salomonis vsque ad prima tempora, quibus ille de Christo fuerit vaticinatus, sane quidem vnus ille, et quinquaginta anni fluxisse potuerint, et insuper anni tres. Ex quibus ita omnino scripsisse Lact. veri simillimum est non autem alio modo memoriæ lapsu, sicut Viues censuit ad c. 20. lib. 18. Ciu. S. Aug. et hic Thomasius in notis.

A Troiano excidio ad Lactantij scription. Anni —— 1470.
in fine pr. lib. Instit.
E' quibus demptis, qui a morte Christi ad Lact. script. interfuerunt, annis —— 269.
Remanēt ab excidio ad Christi obitum an. 1201.
Quibus additis a Sal. ad excid. iuxta hic vulg. lectionem annis —— 140.

Fientà Salomone ad Christi obitum anni 1341.

Contra Lactantium, qui inf. c. 16. à Salomonis prophetia vsque ad Christi obitum computat annos —— 1010.

Rursus ab ex cidio ad Christi obitum ann. 1201.
E' quibus subtractis qui ab excidio ad Salomonis ortū fiunt iuxta huius loci ger manam lectionem annis —— 140.
Remanent ab ortu Salomonis ad Christi obitum anni —— 1061.
E' quibus subtractis, qui ab ortu Salomonis fuerunt vsq; ad tempus quo profetabat, annis —— 54.
Remanent a tempore prophetiæ Salomonis ad Christi obitum anni —— 1007.

49 *Centum, & quadraginta annis antecessit*] Chronologi non consentiunt; Euseb. enim annis 170. Glarean. 147.

50 *Verbo Dei*] Tertullianus, Cyprianus sermone Dei.

51 *Et spiritu oris eius*] Ald. & Plantin. & in spiritu, &c. Ego retinui lectionem Florentinę editionis, quam habent Septuag. vulg. & Cyprianus. Sed Tertullianus aduersus Prax. & alibi, & Spiritu ipsius.

52 *Verbum bonum*] Tertullian. 2. aduersus Marcion. Cyprianus 2. Testimon. c. 3. sermonem bonum.

53 *Item Salomon, &c.*] profertur hic locus ex cap 24. Ecclesiast. qui liber cum non sit Salomonis, sed Iesu Sirach, vt ex prologo illius libri in Biblijs apparet, illorum tamen temporum consuetudo obtinuit (quod notat S. Augustinus lib. 17. Ciuit. c. 20.) vt Salomonis diceretur vel propter eloquij similitudinem, vel quia ex Salomonis sententijs collectus videretur; ideo non solum a Lactantio, citatur sub nomine Salomonis, sed etiam ab alijs Patribus, Cypriano, qui hunc eundem locum profert 2. aduersus Iudæ. c. pr. Clemente Alexand. 7. Stromat. Basilio contra Eunom. lib. 4. Nazianz. orat. 8. & quamplurimis alijs. Conc. item Carthaginen. 3. c. 43.

54 *Ego (inquit) ex ore altissimi prodiui ante omnem creaturam*] Cum Lactantio concordat Cyprianus; lectionem vero Septuaginta, qui habent, Ego ex ore altissimi prodiui, nec plura, exhibet sanctus Ambrosius lib. 4. de fid. c. 4. Vulg. ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.

55 *Ego in cælis feci, vt oriretur lumen indeficiens*] hæc non habentur apud Septuaginta, sed in Vulg. & apud Cyprianum.

56 *Et nebula texi omnem terram*] Ita & Cyprianus, at Septuaginta, & ficut nebula obtexi terram. Vulgata. Et ficut nebula texi omnem terram.

57 *Ego in altis habitaui*] Quod apud Septuaginta legitur, ἐν ὑψηλοῖς ita effertur a Lactantio, in altis, Cypriani Codices variant; nam quidam, fic habent, quidam vero in altisfimis, & verfio recens latina, ex Septuag. & Vulgata.

58 *Et fine ipfo factum eft nihil*] Hic punctus fit, & deinde fequitur. Sed melius græci, cum ita nouem Vaticani, & omnes impreffi, duo verò ex eifdē Vatic. & fine ipfo nihil factū eft. hic pūctus, & deinde Sed melius græci, &c. Vnus autem etiam Vatic. & fine ipfo factum eft nihil: hic duo puncta fixa funt, & deinde fequitur cōtinenter. Quod factum eft in ipfo vita erat. Hic rurfus punctus, & deinde fequitur. Sed melius græci, &c. ex quibus lectionibus fatis perfpicue intelligi poffe videtur, ita locum illum Euangelij Ioannis a Lactantio fuiffe interpunctum, & lectum; Et fine ipfo factum eft nihil. Quod factum eft in ipfo vita erat. vt illa, quod factū eft, non ad illa priora, & fine ipfo factum eft, ni hil, fed ad pofterioris coli verbam, in ipfo vita erat, pertinere cenfuerit, contra quam putauerunt Chrifoft. Theophilatus, Eutymius. Chrifoft. enim 4. homil. in Ioann. Cum dixerimus (inquit) fine ipfo factum eft nihil non id perfecto puncto notemus, at hæretici opinantur, hi enim cum velint fpiritum creatum effe fic legunt. Quod factum eft in ipfo vita erat. Verum nulla profecto ratione hæc intelligi po teft oratio] Theophilact. in Commentarijs Pneumatomachi, qui Spiritum Sanctum negant Deum hanc perticulam fic legunr, Et fine ipfo factum eft nihil. deinde hoc loco facto puncto legunt quafi ab altero principio. Quod factum eft in ipfo, &c. & interpretantur locum iftum iuxta fuam mentem dicentes, quod hoc loco Euangelifta de Spirituſancto differat dicens, quod factus eft in ipfo, hoc eft Spiritusfanctus, vita erat. Hoc autem dicunt Macedoniani conantes oftendere Spiritumfanctū effe creaturam, & enumerare cum ijs, quæ facta funt. Nos autem non fic, fed puncto facto poftquam dixit, quod factum eft, nouum principium legimus, in ipfo vita erat, &c. Eadem ferè Eutymius. At verò quantumuis punctum ftatuas poft verbum, nihil, locus ille minime patrocinatur errori, nec quicquam facit pro hæreticis, & quidem hoc modo legunt Cyrillus, Auguftinus, & Sanctus Thom. p.p. quæft. 18. art. 4. et Bibl. Complutenf. vt quidam referunt, licet omnes Codices Bibliorum Bibliothecæ meæ, prefertim excufi Romæ Sixti V. iuffu anno 1593. prorfus habent ficut Chriftoftomus.

CAP. IX.

59 ET *fapientia Dei*] Quod fapienter excogitatur dicitur fapientia alicuius; in Deo autem, vt docet Sanctus Thomas 4. cont. gent. c. 12. oportet, fapientiam dici ex eo, quod fe ipfum cognofcit, fed quia non cognofcit fe per aliquam fpeciem, fed per effentiam; immo idem ipfum eius intelligere eft eius effentia; ideo fapientia Dei habitus effe non poteft; fed eft ipfa Dei effentia: at Dei filius eft verbum, & conceptio Dei intelligentis fe ipfum, ipfum igitur Dei verbum, tanquam fapienter mente diuina conceptum propriè Dei fapientia dicitur.

60 *Hunc fermonem diuinum ne Philofophi quidem ignorauerunt*] Quorum teftimonia profert Auguftinus Eugubin. lib. pr. De perenni philofoph. cap. 23. et fequentib.

CAP. X.

61 ET *hòmini, quem induerat, quem gerebat, &c.*] Familiares funt Patribus eiufmodi locutiones, vt dicant, Verbum diuinum affumpfiffe, induiffe, gefiffe hominem; nam ita loquitur. Cyprian. in fin. libri de Idolor. vanitate. Auguftinus in lib de fid. cont. Manich. in principio capitis 26. Hilar. 10. de Trinit. circa med. quæ tamen locutiones non funt propriè accipiendæ, fed piè exponendæ, vt dicamus, hominem affumptum, quia eius natura eft affumpta, & quia affumptio terminata eft ad hoc, vt filius Dei fit homo; alioqui talis eft, & hæretica hæc pofitio fimpliciter, & propriè fumpta, Dei filius hominem induit, affumpfit, geffit. rationem affert Sanctus Thom. in tertia p. quæft. 4. artic. tertio, nam hoc nomen, homo, fignificat humanam naturam in concreto, vt fcilicet eft in aliquo fuppofito, & ideo ficut non poffumus dicere, quod fuppofitum fit affumptum, ita non poffumus dicere, quod homo fit affumptus. fubdit ibi Sanctus Thom. verba Felicis Papæ, & martyris in Concilio Ephefin.

62 *Poft annos quadringentos triginta.*] Ita leg. non vt in Ald. & Florent. Trecentos triginta. nam illum numerum habent optimi Codices B. T. P. nouem Vaticani, & Theoph. in lib. de temporib. quin etiam Scriptura Sacra tam Septuag. quam vulgatæ editionis cap. 12. Exod. & Paulus ad Galat. tertio. Verùm enimuero non ipfi tantum anni feruitutis, qua preffi Hebræi

bræi fuerunt in Ægypto, sed etiam mansionis eorum in terra Chanaan computandi sunt, vt initium fiat a septuagesimo quinto anno natiuitatis Abrahæ, quando ipse ingressus est terram Chanaan, vt notat Hermannus Conradus in Chronic. in Iacob. & Magister historiæ Scholast. Exod. 27. nam apud Septuag. quorum editione vtebantur patres, sic legitur cap. 12. Exod. „ Habitatio autem filiorum Israel, „ quam habitauerunt in Terra Ægypto, & in „ terra Chanaan anni quadringenti triginta] quem locum ita refert Sanctus Augustinus in quæstionib. quæstione 47. vbi etiam de hoc annorum numero disputat, Suidas in Μωϋ, & Beda.

63 *Quo rursus esuriente cœlestis alimenti pluma descendit.*] Alio ordine narratur hic historia, quam in scriptura; nam prius fame vexati sunt. Exod. 16.

64 *Aureum caput bouis, quem vocant Apim, &c.*] Hoc etiam illis exprobratur in Psalm. 105. & fecerunt vitulum in Horeb, &c.

65 *Amiserunt vetus nomen Hebræi.*] Qui ab Heber abnepote Noe per Sem ita vocabantur secundum Iosephum lib. primo, antiquit. cap. 14. Euseb. in Chronic. in principio. August. 16. ciuit. cap. 11. Suidam. Isidor. lib. 9. orig. cap. 2. sub num. 40.

66 *Et quoniam princeps eorum examinis Iudas erat, Iudæi sunt appellati.*] Iudam nullum equidem comperio præfuisse populo Iudæorum post Moysen; nam Iudas, de quo scribitur in primo cap. Iudic. Dixitque dominus, Iudas ascendet, &c. ab Hebræis, & Iosepho lib. 5. antiq. cap. primo non habetur ibi pro nomine alicuius indiuidui, sed pro patronymico de tota Tribu, è qua sumptus est Othoniel; dicunt itaque Iudam, id est Tribum Iuda cum Tribu Simeon, cepisse Regem Hebronis Adonibezech, &c. Iudæos itaque a Iuda Israelis filios dictos vulgò malunt. Vid. Euseb. in Chronic. Isidor. vbi supra.

67 *Sub Imperio Tiberij Cæsaris, cuius anno quintodecimo, id est duobus Geminis Consulibus &c.*] Is est annus Christi domini trigesimus primus, vt apud Euseb. & omnes passim Chronographos, quo fit, vt Lactantius Saluatorem passum fuisse dicat anno ætatis suæ trigesimo expleto. Ita quoque Tertullianus aduersus Iudæ. Clemens primo. Stromat. African. quinto. Annal. Hieronymus in Daniel. cap. 9. & Epistola 22. Augustinus 18. Ciuit. cap. 54. & lib. 22. cap. 15. & ad Hesych. Epistola 80. Oros. lib. septimo. Cassiodor. De Consul. Alij malunt anno ætatis suæ trigesimo primo, vt Apollinar. Laodicen. Episcopus apud Hieronymum sup. 9. cap. Daniel. Cyrillus ad cap. 29. Esai. Philastr. de hæres. Seuer. 2. hist. & alij recentiores relati à Ioann. Lucid. in lib. de vero die passion. cap. 9. Trigesimo secundo, & præterea paulò plus tribus mensibus fuit aliorum opinio, quam tuetur validè Benedictus Perer. in Comment. ad Daniel. lib. 11. in disput. de 70. hebdomad. quæst. septima. Sed trigesimo tertio, & tribus mensibus sensit Bed. de ration. temp. cap. 45. Albert. magn. in Epist. Dionys. Areop. Onuphr. in Fast. & Chronic. Baron. Cardinalis primo. Annal. Denique quinquagesimo circiter anno nonnulli alij asseruerunt, vt refert Sanctus Augustinus secundo, de doctr. Christ. c. 28. quam opinionem ab omnibus refutatam quidam attribuunt Irenæo secundo, aduersus hæres. cap. 39. & 40. alij dicunt, affictam ei, & de impostura dubitant, vt Cardinalis, vbi supra.

68 *Ante diem decimam Calendarum Aprilium Iudæi Christum Cruci affixerunt*] Sic quidem habent B. T. P. & octo Vaticani quamuis in aliquibus impressis legatur [ante diem septimam, &c.] lectionem retinui pluribus, & melioribus exemplaribus probatam. Hunc Lactantij locum, ne quem sua laude priuemus, longa, & pulcherrima disputatione enarrauit Marcellus Francolinus in tractat. De Tempor. horar. Canonic. cap. 73. & 74. quem compendio referemus. Per illa, ante diem decimam Calendarum Lactantius intelligit, non diem vndecimam Calendarum, vt Paul. Middelburg quinto Paulin. p. secunda, cap. 4. & Thomasius in notis ad hunc authorem putauerunt, sed diem ipsam decimam ante Calendas Aprilis, in qua locutione computari intelliguntur vtrique dies extremi, idest dies, qui describitur, & ipse Calendarum dies, vt rectè ipse Marcell. notat. d. c. 73. num. 18. refutata obiectione de §. ante diem. in l. anniculus amittitur. D. de verb. signif. & eodem §. egregiè explicato. His igitur verbis Lactantius putauit, Christum Dominum passum fuisse die vigesima tertia mensis Martij, idem sensit Pheopnil. Cæsarien. vicinus Apostolorum temporibus in Epistola Synodic. de Paschat. quæ impressa legitur inter opera Bedæ. Tom. secundo, in fin. vt aduersus Middelbur. & Thomasium probat Marcell. cap. 73. nu. 19. & cap. 74. in princip. Idem quoque sensit Euseb. Cæsarien. in omnimod. historia. Canon. Chronicorum, cuius extat fragmentum apud Anastasium Antioch. lib. variar. quæst. vt refert Turrian. in explanatione capitis sexti, libri secundi Constit. Apostolicar. Clementis Romani, & apud eundem Marcell. Idem & Sanctus Augustinus sermon. 22. de tempor. qui est De Natiuit. Domini. 18. Beda de ration temp. cap. 65. in

65. in Chronic. Ado Viennen. in Breuiar. Chronicor. ætate prima, in principio. Anselm. secundo, de Imag. Mund. cap. 17. Nicætas, & Græci ferè omnes, & alij, quos refert Middelburg. secunda, p. Paul. lib. quinto, cap. primo, & secundo. Iam alias sententias recenseamus, quoto cuius mensis die passus fuerit Dominus. Hugolinus Martell. in lib. de Ann. integr. restitut. c. 19. refert ex Sancto Augustino quosdam asseruisse, dominum passum fuisse nonis Martij, idest septima die Martij. Sanctus Epiphan. hæres. 50. contra Tessarescædecat. ait, se inuenisse acta Pilati, in quibus Pilatus indicabat, non ante octauum Calendas Aprilis, vt Tessarescædecatitæ citabant, sed ante decimum quintum Calendarum earundem, idest decimo octauo die Martij Dominum obijsse. at ipse Epiphanius d. hæresi 50. & 51. cont. non suscip. euang. Ioan. & Apocalyp. putat, die ante decimum tertium Calendas Aprilis, qui est ipse tertius decimus Cal. Aprilis, idest vigesimo die Martij. Duodecimo Calendas Aprilis, idest vigesima prima die Martij author expositionis super Matth. cap. 27. inter opera Anselmi. Die vigesima tertia Martij Lactantius, & alij, vt supra. Die vigesima quinta Martij, qua etiam incarnari dignatus est, scripsit Tertullianus lib. con. Iudæ. circa med. Chrisostom. serm. de natiuit. Ioan. Bapt. Augustinus 18. Ciuitat. cap. vltimo, & 4. de Trinit. cap. 5. & alibi. Beda Vsuard. Vuandelbert. & alij in Martyrologijs. Beda rursus in lib. de ration. temp. cap. 28. tradit idem sensisse quam plures Ecclesiæ magistros. Cyrill. in Epistola ad Synod. Chartagin. Sanctus Thom. super Ioan. cap. 2. lect. tertia, Sanctus Antonin. in Chronic. titulo quinto, cap. septimo, & alij innumeri, quo facile apparet, magis receptam esse hanc opinionem. Die Vigesima sexta Martij putauit Victorinus Lemouicen. antiquus Doctor, & supputator egregius, et alij, quorum meminit Beda de ratio. temp. cap. 59. Franciscus Maurolic. in Martyrolog. Onuph. in Chronic. Eccles. Die Trigesima Martij sua disputatione aliorum omnium reprobatis opinionibus probauit Middelburg. secunda, par. paul. lib. 14. cap. 2. Die secunda Aprilis etiam nonnulli, vt refert Martell de an. integ. rest. c. 19. Aprilis tertia, Rogerius Baccon, Ioan. de Muris, Paul. Burgen. Abulens. Lucid. Pontac. Zarlinus, et plerique recentiores. Aprilis vndecima Ioann. de Monte regio, quem refert Middelburg. 2. p. Paul. lib quinto, cap primo, et secundo. Tot sunt, ac tam variæ de die passionis dominicæ Scriptorum opiniones; vt meritò quis admiretur, et magnum quoddam arcanum Dei putet, diē incarnationis eius tunc vni Virgini matri cognitam, natiuitatis autem paucissimis, deinceps tamen vtramque toti Ecclesiæ innotuisse, passionis verò diem in amplissima, & celeberrima Vrbe obitæ, principibus viris, ac populis conspirantibus, Romano Preside iudicante, iudicij executionem indigenis, atque aduenis palam inspectantibus, Cœlo, atque vniuersis elementis horrifica signa, & longe omnium post hominum memoriam admiranda præbentibus, & toto vulgata orbe terrarum, adhuc tam parum compertam, & cognitam esse.

CAP. XI.

69 *Missi ad vos, &c*] Ita ferè etiam apud Cyprianum aduersus Iudæ. lib. pr. c. 2.

70 *Conuertatur vnusquisq; à via sua mala*] B. habet, vnusquisque vestrum; quamquam τὸ vestrum, abest a Biblijs, & a Cypriano.

71 *Post corpus suum*] ita legitur in B. T. P. & apud Septuaginta hic, & in Vulg. c. 14. 3. Reg. Locus autem iste petitus est ex cap. 9. lib. Nehemiæ, qui secundi libri Esdrę nomine circumfertur. Vulgata hic habet, post terga sua; Cyprianus, qui hunc eundem locum profert sub Esdræ nomine, post dorsum suum, recentiores editiones Lactantij, post cor suum.

72 *Æmulans æmulatus sum domino*] eodem propè modo refert Cyprianus d. cap. 2.

73 *Et remansi ego solitarius*] sic quoque Cyprianus, at Septuaginta cum quibus Vulgata concordat, & relictus sum ego solus. Gręcè autem habetur, μονώτατος.

74 *Et quærunt animam meam auferre à me*] Sept. & Vulg. & quærunt animam meam ad tollendam eam, siue, vt auferant eam. Cyprianus vbi supra, & quærunt animam meam auferre eam.

75 *Et sacrificium acceptum non habeo*] rectius Cyprianus pr. Testimon. aduersus Iudæos cap. 16. acceptum nō habebo, quia tam apud Septuag. quam in vulgata legitur, non suscipiam. & Tertullianus contra Iudæos non recipiam, vel, non accipiam.

76 *Clarificabitur*] græcè est δεδόξασται clarificatum est; & ita apud Tertullianum, & Cyprianum aduersus Iudæos.

77 *Apud gentes*] sicut Cyprianus Septuaginta ἐν τοῖς ἔθνεσι, sicut in Vulgata in gentibus. Tertullianus in omnibus gentibus.

78 *Seruiet mihi*] Septuag. Vulg. Tertull. Cyprianus seruiuit mihi.

79 *Venio colligere &c.*] ita refert ad verbum Cyprianus.

80 *Claritatem meam*] Sept. & Vulg. gloriā meam.

81 *Et mittam ex his conseruatos in gentes, &c.*] Sæpe patres non ad verbum proferunt loca Scripturarum, sed compendio, & paraphrastic*ῶς*, ijs tantum excerptis, quæ satis sint ad eorum institutum id sæpiculè factitare solet Firmianus, vt ego suis locis notaho. & hic quidem paucula quædam omittit quæ reperiuntur apud Septuag. & in Vulg.

82 *Vt ingratus in Deum populus in errorem maximum induceretur.*] Neque tamen inductio ipsa, vel permansio Iudæorum in errorem in Deum, tanquam in caussam est referenda. Vid. notata ad cap. 20. huius libri pertinentia ad materiam reprobationis.

83 *Quem ipsi Iudæi serra confectum crudelissimè necauerunt*] Hoc tradidit Tertullianus de patientia. Origen. homil. prima, in Psal. 37. Author libri aduersus Iudæos qui insecuti sunt Christum inter opera Cyprian. Chrisostom in cap. 19. Matth. Magister historiæ Scholastic. in historia quarti Reg. cap. 32.

84 *Filios genui*] Ita Tertullianus d oration. & Cypriani Codices multi initio libri de oration. dominic. & De Zelo, & liuor & versio Latina, ex Septuag. quamuis al. apud eundem Tertullianum, & Cyprianum reperiatur, generaui.

85 *Et populus meus me non intellexit.*] Ita Tertullianus quinto aduersus Marcion. & Cyprianus. De orat. dominic. quamuis primo Testimonior. cap. 30. habeat, & populus meus non intellexit. In multis quidem Codicibus pro *με*, haberi *μὴ* notatur ad latinam versionem ex Septuag. qui quidem habent, & populus me non intellexit, & ita eos scripsisse affirmat Sanctus Hieronym. non vt ait Pamel. ad Cyprianum de orat. dominic. & populus meus non intellexit. Lectionem Septuaginta secuti sunt. Tertullianus tertio, & quarto aduersus Marcion. Basilius, atque Cyrillus.

86 *Incassum facta est metatura; falsi scribæ, & confusi sunt; sapientes trepidauerunt*] Quod hic dicitur, metatura, & apud Cyprianum primo Testimon. cap. tertio, græce in Biblijs est *σχοῖνος*, quæ vox propriè iuncum sign ficat, quamobrem recens versio latina Bibliorum ex Septuaginta sic habet, frustra factus est iuncus mendax scribis, confusi sunt sapientes, & perterriti, &c. ibi autem iuncus pro calamo, & stilo accipitur, nam, iuncis marinis olim scribere soliti erát veteres, & ideo Sanctus Hieronymus in Vulg. clarius vertit „ Verè men„ dacium operatus est stilus mendax scribarum; „ confusi sunt sapientes, perterriti, &c.] Significat quoque funem, quod scilicet ex vinu, & iunco, vt tradit Plin. funes necterentur; vnde & factum est, vt per quandam *κατάχρησιν* etiam mensuram per funem *σχοῖνος* significat, nam funibus agros metiebantur veteres vt ex Isidoro patet orig. lib. 15. cap. 14. & ab Hebræis fluxit mos iste. Amos septimo, & humus tua funiculo metietur. Psalm. 77. & diuisit eis terra in funiculo distributionis] funiculus autem hic geometricus aruipendium vocabatur. Glossarium „ Aruipendium, *σχοῖνος γεωμε*„ *τρικός*. & terra illa, quam mensi essent, dicebatur *σχοίνισμα*, vt ex authore etymologici constat. Quin etiam apud Herodotum *σχοῖνος* pro mensura terræ persica accipitur. Ad vltimam igitur huius nominis significationem respexerunt qui hoc loco, quod græcè legitur, *σχοῖνος*, latine, metatura, transtulerunt, vt hic Lactantius, & Cyprianus, qui locum hunc ita profert. Incassum facta est metatura falsa; scribæ confusi sunt; sapientes trepidauerunt, &c. Ex quo apparet minus rectè illum à Lactantio translatum, atque distinctum; non enim falsi scribæ dicuntur in Biblijs, & apud Cyprianum, sed metatura falsa scribis, vel, scribarum: græcè quidem habetur *σχοῖνος ψευδής*: &, scribæ, in Biblijs non coniungitur cum, confusi sunt, vt apud Lactantium, & Cyprianum sed cum, metatura falsa.

CAP. XII.

87 *Qvòd si animalia quædam vento, & auræ concipere solere omnibus notum est, &c.*] De Equabus id videlicet proditū est ab Homero 20. Iliad. Virg. 3. Georg. Silio lib. tertio, & 16. Varr. secundo, de re rustic. cap. primo. Columel. lib. 7. cap. 25. Plin. lib. 4. cap. 22. Solin. libro tertio, c. 26. & 47. Iustin. historic. initio libri 44. lib. 8. cap. 42. lib. 16. cap. 45. Martian. Capell. lib. 6. cap. de diuisione terræ.

88 *Infirmatus est vterus Virginis, &c.*] Hic Salomonis locus fortasse exciderit ex ijs libris quos compofuisse illum tradit scriptura tertio Reg. c. 4. in fin. nunc verò desiderantur. Porrò dixerim vel hunc locum non ex vllo canonicorum scripturæ librorum excidisse, vel non a Salomone de Maria Virgine probatum esse, cum certum sit, beatissimam illam, atque sanctissimam nullum ex Conceptione, aut Natiuitate Saluatoris, damnum aut dolorem sensisse, cuius contrarium hinc videtur inferri, nam dicitur Esai. 35. germinans germinabit sicut lilium, & exultabit lætabunda, & laudans, id quoque asseruerunt sancti Patres, & DD omnes, Cypr. de operib. Cardin. in nat. Christi. S. Zeno. Episcopus serm. sexto, de nat. S. Augustinus ser. de assump. S. Thom.

ter-

tertia par. quæst. 35. articulo 6. ad prima.

89 *Concipiet in vtero.*] Sic Luc. primo, ex hoc loco Esai. Tertullianus tertio aduersus Marcion. & de Trinit. Cypr. Epistola 9. iuxta editionem Morellij, & alias antiquiores, quamuis iuxta editionem Manutij, quam ibi probauit, & recepit Pamelius, & secundo. Testimon. cap. 9. & Ambros. lib. primo, de Cain, & Abel. cap. 3. habeant, in vtero accipiet, quod magis accedere putauit Pamelius ad lectionē 70. qui habent ἐν γαστρὶ λήψεται, & ita apud eos olim quoque lectum testatur Sanctus Hieronym. d. opt. gratiæ interpretandi. Verum si propriam significationem verbi, concipio, expendamus, non ei frustra τὸ, in vtero reducitur neque differre vt an dicamus concipiet, in vtero, vel accipiet in vtero non enim verbum concipere absolute positum, accipere in vtero significat, sed simpliciter apprehendere, et ideo interpretes etiam in latina versione græcorum Bibliorum re ipsis 70. recens edita illud λήψεται non accipiet, sed vt Lactantius, et alij supra relati, trastulerunt, concipiet. Aldina editio, et Plantiniana hic habent, in vterum. Ego secutus sum Florentinam Iuntarum, in vtero, quæ cum Tertulliano concordat, Cypriano, alijs. Vulgata editio apud Esaiam simpliciter legit, concipiet.

90 *Et vocabis nomen eius Emmanuel.*] Ita plerique Lactantij Codices habent, vt etiam Tertullianus aduersus Iudæ. & Cyprian. d. cap. 9. & Hieronymus ad Pammach. de opt. gener. interpret. Florentina editio Iuntarum hic habet, vocabitur, cum vulg. & Cambronen. Codice Cypriani d. Epistola 9. vt testatur ibi Pamel. Sed Septuaginta cum Aquila, Symmach. & Theodot. teste Sancto Hieronym. transtulerunt, vocabis, & ita legunt plerique veterum, quamuis Chrisostomus in Commentarijs ad Esai. & in Psal. 44. & Cyrillus maluerint cum Euangelista Mattheo καλέσουσι, vocabunt.

91 *Ipsi autem non crediderunt, &c.*] hic locus paulo aliter legitur, quam in Lactantio, tum apud Septuaginta tum in Vulg. apud Septuaginta. ,, Ipsi autem non crediderunt, & exa-
,, cerbauerunt spiritum sanctum eius, & conuer-
,, sus est eis in inimicitiam: ipse pugnauit contra
,, eos; & recordatus est dierum antiquorum.
,, Vbi est qui eduxit è mari pastorem ouium? &c]
,, Vulg. ,, Ipsi autem ad iracundiā prouocaue-
,, runt, & afflixerunt spiritum sancti eius, & con-
,, uersus est eis in inimicum, & ipse debellauit
,, eos, & recordatus est dierum seculi Moysi, &
,, populi sui, Vbi est qui eduxit eos de mari cum
,, pastoribus gregis sui? (&c.] Videmus in vtrisque Biblijs haberi, non, de terra, vt in Lactantio, sed, de mari, vt est in Hebræo. In cæteris tamen versionibus scriptum esse vt apud Lactantium ἐκ τῆς γῆς, notatur ad versionem Latinam ex Septuag.

92 *Exultent Cœli desuper, &c*] hic Lactantius aliquid commune habet cum Septuag. & aliquid cum Vulg. ,, Illi enim, Lætetur cœlum
,, desuper, & nubes spargant iustitiam; germi-
,, net terra, & proferat misericordiam; & iusti-
,, tiam germinet simul. Ego sum Dominus, qui
,, creaui te, &c.] Vulg. ,,Rorate Cœli desuper, &
,, nubes pluant iustum, aperiatur terra, & ger-
,, minet Saluatorem, & iustitia oriatur simul.
,, Ego Dominus vocaui eum.

93 *Ecce natus est nobis puer, &c.*] Ita prorsus totum hunc locum refert Cyprianus secundo. Testimon. cap. 21. sed apud Sept. quia paruulus natus est nobis. Vulg. paruulus. n. &c. item Sept. & Vulg. ἐπὶ τοῦ ὤμου. super humerum.

94 *Vocatum est.*] Septuag. & Aquil. Ignatius Epistola ad Antiochen. & Euseb. lib. 7. Demonstrat. καλεῖται vocatur, sicut etiam Irenæ. quarto, aduersus hæres. cap. 66. Vulg. Symmach. Tertullian. κληθήσεται vocabitur. Theodot. ἐκάλεσε vocauit.

95 *Magni consilij nuncius*] Sic habent & MSS. Codices Cypriani attestante Pamelio, non autem, magnæ cogitationis, vt quidam impressi; eamque lectionem exhibent Septuaginta, μεγάλης βουλῆς, item Tertullianus, Ambros. initio tertij, in Luc. Hieronym. in Commentar.

96 *Et omnes Populi.*]. P. habet, & omnis populus, &c. Et ita editio quoque Florentina. Sed ego retinui lectionē Aldinæ Plantinian. et meliorum MSS. quam habent Septuaginta, et Vulg. & author expositionis Symbol. Apost. inter opera Cypriani, & Lactantius ipse ad finem huius capitis nullo exemplari discrepāte.

97 *Et potestas eius æterna, &c.*] B. & potestates eius æternæ, quæ nunquam transibunt. Sed ego hic quoque priorem retineo MSS. optimorum, et excusorum omnium, quæ congruit cum Septuag. et Vulg. cum Tertulliano, item et Cypriano aduersus. Iudæ. et ipso Lactantio ad fin. capitis.

98 *Sic dicit Dominus Deus Christo Domino meo.*] Ita quidem Tertullianus sæpe, et Cypr. primo, aduersus Iudæ. cap. 21. quæ lectio meritò damnatur a Santo Hieronym. in Comment. ,,
,, Scio (inquit) in hoc capitulo non solum La-
,, tinorum, sed etiam Græcorum plurimos ve-
,, hementer errare, existimantiū scriptū esse, sic
,, dicit Dominus Christo Domino meo, vt intelli
,, gatur iuxta illud, quod alibi legimus, Pluit Do-
,, minus a Domino, et, Dixit Dominus Domino meo;

" meo; neque enim κυρίῳ, quod Dominum sonat, sed κύρῳ dicitur, ideſt Cyro, &c.] Septuag. quidem, οὕτω λέγει κύριος ὁ θεὸς τῷ χριστῷ μου κύρῳ, sic dicit Dominus Deus Chriſto meo Cyro. Et Vulg. Hæc dicit Dominus Deus Chriſto meo Cyro] Hic Cyrus Rex Perſarum primus fuit, qui poſtea Iudæos captiuos ſoluit, vt Ioſephus tradidit lib. 11. antiquit. c. pr. & Lactantius ſupra c. 5. & 10.

99 *Et Ciuitates non claudentur*] Sic habent Sept. Tertull. Cyprian. Cyrillus. aliqui malunt πύλαι, ideſt portæ vt in Vulg.

100 *Aperiam tibi*] hæc appoſui ex Bon. Cod. & ex Septuag. quamuis in multis Lactantij exemplaribus deſint. Tertullianus aduerſus Marcion. lib. 4. & 5. aperiam eis, ſed hebręus textus, caldœus. græcus, latinus habet, vt in noſtro.

101 *Tunc ſublato de rebus humanis omni malo aureū ſeculum, &c.*] Hoc ſcilicet ſeculum aureum futurum eſſe falsò credidit illud tempus mille annorum, quod ipſe, & alij nonnulli commiti ſunt, de quo dicemus in notis ad c. 24. lib. 7.

CAP. XIII.

102 *Sine patris officio virginali vtero procreatus eſt*] obſerua locum aduerſus Carpocratitas, & Cherinthianos, qui Chriſtum ex ſemine Ioſeph fuiſſe conceptum blaſphemabant. ſic ſupra c. 12. Sanctam Virginem, &c. & infra c. 25. in principio.

103 *Vt mediam inter Deum, & hominem*] ideſt inter diuinam, & humanam naturam. Sic infra c. 25. fuit igitur (inquit) & Deus, & homo inter Deum, & hominem medius conſtitutus, &c. His locis Chriſtus Dominus à Lactantio vocatur medius. at d cap. 25. mediator d cit. Differt autem dicere, Chriſtum eſſe medium, vel eſſe mediatorem, vt docet S. Bonauentura in 3. Sentent. diſt. 19. quæſt. 2. nam medius dicit conuenientiam cum extremis; mediator non tantum conuenientiam, ſed etiam officiū reconciliationis; ille Græcis μέσος eſt, hic verò μεσίτης vt ipſe Lactantius tradit d. c. 25. Ergo (vt ibi ſcribit Sanctus Bonauentura) Chriſtus dicitur medius inter diuinam, & humanam naturam, quia concurrunt in eo duæ illæ naturæ ſicut in vna perſona, in quantum eſt vna perſona in duabus illis naturis, non in diuina tantùm, neque in humana tantùm, ſed in vtraque. dicitur medius alio quoque modo, quia extiterunt in eo proprietates duabus naturis conformes, Beatitudo videlicet ſimul, & mortalitas, in ea cum Deo confertur, in hac cum homine.

104 *Subſtantiam gerens*] Subſtantia hic non eſt φύσις, ideſt natura ita vt intelligatur, Chriſtum Dominum gerere mediam ſubſtantiam, ideſt naturam quandam quaſi tertiam inter diuinā, & humanam ex eiſdem diuina, & humana confuſis ſimul, ac miſtis conflatam, & conſtitutam, vt delirus ſomniabat Eutyches, in Conſtantinopolitano, & Calcedonen. Concilio ſub Leone primo in Hiſpalienſe 2. & ab ipſomet Leone in multis eius epiſtolis, preſertim in 14. ad ſynodum Epheſinam, & 17. ad Pulcheriam Auguſtam condemnatus diſputationibuſq; refutatus à Gelaſio Papa, Damaſceno 3. de fide orthod. Boetio de duab. nat. S. Thom. 4. contra gent. c. 35. quia non vnam, ſed duas naturas ita geſſiſſe Chriſtum Dominum confitemur, diuinam ſcilicet, & humanam, vt vtræque perfectè, impermiſtæ, atque inconfuſæ permanſerint, & nequaq; am altera in alteram ſit tranſmutata; et ideo ex vtriſq; naturis, et in vtriſque naturis Chriſtum conſiſtere profitemur; in vtriſq; quidem, quia vtræque manent, ex vtriſque verò, quia vtrunque, adunatione manentium vna ſit perſona Chriſti, vt Concilium ipſum Chalcedonenſe definit, et fusè docet Boeth. in d. lib. de duab. natur. neque etiam hic accipitur ſubſtantia pro οὐσία, ideſt eſſentia, vel pro οὐσίωσις, ideſt ſubſtantia ſed propriè pro ὑπόστασις, nam quæ dictio latinis ſubſtantia, eadem eſt Græcis ὑπόστασις, verum tamen quia propriè, principaliter, et maximè ſubſtātiæ dicuntur primæ ſubſtantiæ, ideſt ſecundarum ſubſtantiarum indiuidua, quæ in natura rationali, et intellectuali dicuntur ſuppoſita, et perſonæ, in hoc proprio accipitur ſignificatu hoc nomen ὑπόστασις, vt indiuiduum, ſuppoſitum, perſonam ſignificet, quemadmodum docet Boethus vbi ſupra c. 3. et S. Thomas in 3. part. quæſt. 2. art. 3. ad 2. Ita igitur et ſubſtantia; qua re inquit Lactantius vt mediam ſubſtantiam gerens, ideſt, vt media perſona exiſtens inter Deum, et hominem, ideſt inter diuinam, et humanam naturam, quippe quæ ex duabus, et in duabus naturis conſiſtit modo, quo diximus, noſtram hanc fragilem, imbecillemq; naturam quaſi manu ad immortalitatem poſſet educere.

105 *Ex vtroque genere permixtum, &c.*] Quæſtio fuit olim diu agitata, vtrum terminus vnionis verbi increati ad humanitatem eſſet perſona ſimplex, vel compoſita; & multi Theologi veteres id non auſi ſunt affirmare & nouiſſimus ex Maſtig. ſentent. in tertio, diſtinct. ſecunda Sancto Thom. quæſt. ſecunda, articulo tertio. Bonauentura articulo primo, quæſt. ſecunda. Scot. quæſt. tertia. Durand. quæſt. tertia. Richard. articulo ſecundo, quæſt. tertia. Gabriel. quæſt. prima, artic. tertio. Marſil. quæſt.

sexta, articulo tertio, dub. tertio. Almain. quæst. prima, conclus. secunda. Alens. tertia par quæst. 6. memb. secundo, articulo quinto. Caietano in tertia par. quæst. secunda, articulo quarto, & in prima par. quæst. tertia, articulo 8. aiebant enim compositionem absolutè dictam in suo formali conceptu dicere imperfectionem in vtroque componente, & ideo repugnare diuino verbo. Sed facile respondetur, id verum esse in alijs compositionibus, in quibus componentia ex sui natura instituta sunt, & ordinata ad componendum; in illis enim componentia perficiunt se inuicem, & compositum est perfectius singulis componentibus, & ideo talis modus compositionis dicit imperfectionem; at verò in hac admirabili compositione Verbum non est natura sua ad hanc, vel ad vllam aliam compositionem ordinatum; quamuis ex gratia se se accommodet ad componendum hunc hominem, in quo non ipsum perficitur, sed humanitas; nec quicquam suæ demitur perfectioni, quia non mutatur, nec aliquid suæ perfectionis amittit, & propterea hoc compositum simpliciter, seu intensiuè non est perfectius altero componentium, scilicet Verbo; quia illud est simpliciter infinitum in se continens eminenter quicquid perfectionis est in humanitate, extensiuè autem includit formaliter aliquam perfectionem, quam non includit solum verbum; ac denique quamuis esse Verbi secundum se non resultet ex Verbo, & humanitate, tamen esse huius hominis vt sic ex vnione vtriusque resultat; nec aliud quicquam est de ratione compositionis, aut compositi formaliter loquendo, quam vt sit verè vnum ex plurium rerum reali vnione resultans. Et hæc ratio formalis compositionis non dicit imperfectionem in vtroque componente, aut ad summum in altero; reliqua verò, quæ imperfectionem important, accidentaria sunt ad rationem compositionis, vt sic. Ergò quia, vt dictum est, Christus est vnum quoddam ex diuersis rebus (& est ratio è Sancto Basil. sumpta ad fin. secundi, cont. Eunom.) & ideo negare cogimur, huius vnionis terminum simplicem esse, & consequenter compositum affirmare, sunt enim hæc duo planè contradictoria, & confirmatur etiam quia magis compositus est Christus, vt hic homo, quam sola humanitas, Christus enim intrinsecè includit humanitatem, & aliquid aliud, idcirco recentiores omnes Theologi docent absolutè, & simpliciter dicendum esse, terminum vnionis Verbi increati ad humanitatem esse personam compositam, eamque vnionem esse veram, & propriam compositionem. Sanctus Thom. in tertia par. quæst. secunda, articulo. 4. & est conclusio definita in quinta Synod. action. 8. can. 4. & septimo, & in sexta Synod. action. 4. Epistola prima. Agathon. action. 11. Epistola Sophron. action. 13. canon. 6. & in Concilio Lateranen. sub Martin. quinto consultatione tione 5. canon. 17. condemnat eos, qui quæ 4. vbi confirmantur canones Synodi, & cõsulta de Christo in illis Concilijs sunt definita, negant propriè, & secundum veritatem dicta esse, & ibidem canon. 6. definit propriè & secundum veritatem Christum in duabus, & ex duabus naturis subsistere; illa verò particula, ex, procul dubio compositionem designat. Hoc & Sancti Patres fatentur Dionys. cap. primo, de diuin. nomin. & cap. tertio, de Eccles. Hierarch. par. 2. Damascen. lib. 3. cap. 3. & seqq. Greg. homil. 38. in Euang. Athanas. initio oration. quod vnus sit Christus. Petrus Diacon. de incarnat. & grat. „ A Sanctis (inquit) Pa-
„ tribus adunatione diuinitatis, & humanitatis
„ Christus Dominus compositus prædicatur.] Idque definitum dicit in quodam Concilio Antiochen. contra Paulum Samosatenum: Vt igitur hanc compositionem, & huius vnionis veritatem explicarent, vsi quoque sunt Patres alijs nominibus, scilicet mistionis, vel commistionis, vt hoc loco Lactantius, & Euseb. Emis. in homil. super illud Ioan. tertio. Amen, amen dico vobis non est seruus maior, &c. Gregorius Nazianz. compositionem hanc vocat nouam misturam, & admirandam temperationem in oratione 42. Tertullian. de carn. Christ. & Apologet. cap. 21. dicit, in Christo esse hominem mistum Deo: & ita ferè Hilar. lib. secundo, de Trinit. ad fin. & Augustinus ad Volusiam. Epistola tertia, & quarto de Trinitat. c. 13. Item vsi sunt nomine adunationis, copulationis ex duobus, coniunctionis, vt Chrisostom. homil. 10. in Ioann. Iustin. lib. de ver. fid. expos. ad fin. Cyrill. Epist. ad Nestor. Item nomine concretionis, vt Cyprianus lib. 2. aduersus Iudæ. cap. 10. „ Homo (inquit) & Deus Chri-
„ stus ex vtroque genere concretus] locutiones tamen, quæ mistionem dicunt, non sunt propriè accipiendæ, quia cum vtraque natura in se perfecta, in consutaque permanserit, vt contra Eutychen fuit constitutum, ibi propriè mistio, vel mistura esse non potuit; sed vsurpatæ sunt a Sanctis Patribus ad insinuandam duntaxat huiusce compositionis veritatem; nos autem ab eis omnino temperare debemus, nec Patres (vt ait Sanctus Augustinus quarto, de doctrin. Christ. cap. tertio,) in verbis omnibus imitari, quia pares eis gratias nõ habemus.

107 *Fatigata est Ægyptus.*] ita & Cyprianus secundo,

cundo. Testimon. cap 6. secutus Septuaginta, ἐκοπίασεν Αἴγυπτος, pro eo, quod est in vulgata iuxta hebraicam literam, labor Ægypti.

107 *Et Saba viri alti*] Ita prorsus scribendum, vt, Saba, coniungatur cum, viri alti, nullo interiecto puncto, sicut mendosè in omnibus Lactantij exemplaribus; ita enim intelligitur, viros altos Saba transgressuros esse, &c. iuxta lectionem omnium Bibliorum Hebræorum, Græcorum, Latinorum. Tertulliani aduersus prax. Cyprianus vbi supra, & aliorum Patrum. Pro eo, quod hìc habet Lactantius Saba, Septuaginta vulgata. Tertullianus, & Cyprianus habent, Sabaim, sed nihil refert, quia vtroque nomine Sabæi intelliguntur, illi scilicet, qui à Saba filio Chus, de quo. 10. Genes. descenderunt, eamque partem felicis Arabiæ incoluerunt, quæ ad Mare rubrum, siuè Arabicum appellatum vergit, hic enim in Hebræo habetur........ Alij Sabæi sunt descendentes à Saba filio Regma, de quo eod. cap. Genes. illius accolæ partis Arabiæ felicis, quæ magis vergit ad sinum Persicum. vnde Plin. lib. 6. c. 28. dixit, Sabæos ad vtraque maria porrectis gentibus habitare; intelligitur enim de mari Arabico, siue rubro, ac de Persico, & de vtraque gente Sabæorum, tum eorum, qui à Saba filio Chus, tum etiam eorum, qui à filio Regma duxerunt originem; quamquam profani scriptores hanc nobis è sacris literis cognitam distinctionem ignotam habuerint; sed vtrosque tanquam vnam gentem descripserint, & tam Græci, quam Latini vtrumque Saba, & ab ipsis denominatos Sabæos nullo appellationis discrimine nominarint quod & Perer. notat ad Genes. vbi suprà. Verùm Hebræi ita vtriusque nomen discriminant, vt Saba filium Chus prima litera scribant per Samech, quod est s tenue, & exile; filium autem Regma prima litera designent per sein, quod est s crassum; vid Isidor. lib. 9. orig. cap. secundo, sub num. 30. vnde ille recte Seua, & ab eo Seuæi, hic autem potius Sceua, & ab eo Sceuæi viderentur dicendi. Vtriusque populi meminit Psalmus septuagesimus primus, vbi, quod in Hebræo est, Reges Sceua, & Seua, in Vulgata, & apud Septuaginta legitur, Reges Arabum, & Saba dona adducent, &c. Videlicet Sanctus Hierony. & Septuaginta pro, Sceua, vertentes, Arabum, designare voluerunt progeniem a Saba filio Regma descendentem, Arabiæque persici sinus imperitantem.

108 *Et post te ambulabunt vincti compedibus; & adorabunt, &c.*] Septuaginta. Et post te sequentur vincti manicis, & transibunt ad te, & adorabunt te. Sed cum Lactantio omittente illa, & transibunt ad te, consentit Vulg. Cyprianus 2. test. c. 6. Cyrill. Euseb. Demonstrat. 5.

109 *Et te precabuntur*] Ita Vulg. sed Cyprianus, & ipsemet Lactantius inf. c. 29. Et in te precabuntur, cui lectioni consentiunt Septuaginta: καὶ ἐν σοὶ προσεύξονται.

110 *Hieremias*] locus hic non in Hieremia reperitur, sed in Baruch c. 3. qui & a S. Augustino sub nomine Hieremiæ citatur lib. 18. Ciuit. c. 32. Cypr. 2. Testim. c. 6. Chrisost. homil. de Trinit. Cassiodoro in Psalm. 81. Nam cum Baruch esset Hieremiæ scriba, & discipulus, quamplurimi veterum citare solent testimonia libri Baruch sub nomine Hieremiæ, præsertim Clemens Alexand. pr. Pedagog. c. 10. Hilar. 4. de Trinit. Basil. 4. contra Eunom. Ambros. pr. de pœnit. c. 8. & pr. Hexaemeron. c. 14. alij.

111 *Et non deputabitur alius absque illo, qui inuenit omnem viam prudentiæ*] Septuag. & non æstimabitur alius ad eum; adinuenit omnem viam scientiæ. Vulg. & non æstimabitur alius aduersus eum: hic adinuenit omnem viam disciplinæ. Sed Cyprianus prorsus vt Lactantius totum hunc locum refert.

112 *Thronus tuus*] Ita græcè est apud Paul. ad hebræos 1. ὁ θρόνος σου, & ita legit Aquil. Symmach. Tertullianus, Cyprianus. Qua de re vid. Euseb. super hunc locum. Hieronymum ad Principiam, Chrisostomum.

113 *Virga æquitatis*] ita & Cyprianus pro eo, quod in Vulg. & apud Septuag. habetur, virga directionis.

114 *Et odio habuisti iniustitiam*] Septuaginta, Vul. Tertullianus, Cyprianus [iniquitatem] Aquila verò teste Eusebio, ἀσέβημα, impietatem.

115 *Oleo exultationis.*] ita Septuaginta ἐλαίῳ ἀγαλλιάσεως, et ita quoque Cyprianus, S. August. Hieronymus pro eo, quod Vulgata, Tertullianus, Aquila legunt ἐλαίῳ χαρᾶς. oleo letitiæ. al. ἐλαίῳ ἀγλαΐσμου oleo nitoris, et splendoris, sicut Symmach. quæ lectio propè abest ab hæbreo saton, idest venustatis, gloriæ, ornamenti.

116 *Et homo est, & quis cognouit eum?*] Sic Septuaginta totum hunc locum, nisi quia ibi vt in Vulg. pro, cognouit, legitur cognoscet, vt etiam eundem locum referunt Tertullianus, et Cyprianus aduersus Iudæ. et Epiphan. pr. contra Ebionit. qui quidem locus cum paulò aliter habeatur in Vulgata videlicet, prauum est cor omnium, et inscrutabile, quis cognoscet illud? putarūt aliqui, hodie apud Hierem. nō extare.

117 *Et mittet eis Deus hominem, &c.*] Septuag. Et mittet eis hominem, qui saluabit eos, iudicans saluabit eos. Vulgata Et mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.

Cod. B. habet, vt contradiceret ei.

135 *Imperet tibi Dominus in te*] Septuaginta, et Vulg. increpet Dominus in te.

136 *Et ecce titio eiectus ab igne*] Septuag. Nonne ecce hoc vt torris est erutus de igne, in Bibli. Compluten. et apud Theodoret. et S. Hieronymum, Nunquid non iste torris est, etc. vt in Vulgata.

137 *Auferte sordida vestimenta ab eo*] Post hæc verba apud Septuaginta, et Cyprianum subduntur illa, et dixit ad eum, ecce abstuli iniquitates tuas, et in Vulg. ecce abstuli iniquitatem tuam, quæ fortè omisit Lactantius compendij causa, vt et alia paucula.

138 *Et induite eum*] sic Septuaginta, Tertullianus, Cyprianus, sed Vulgata sermonem continuat cum Iesu, et indui te.

149 *Tunicam talarem*] τὸ poderem, quod est apud Septuag. Tertull. et Cyprianum, Lactantius interpretatus est, tunicam talarem, cui adstipulatur S. Hieronymus.

140 *Et dabo tibi qui conuersentur in medio horum circumstantium*] ita legitur apud Septuaginta, sed Vulgata parum variat; ibi enim, Et dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt, illa vero sunt omissa, quæ ante verba hæc posita sunt in vtrisq; Biblijs; καὶ ἐὰν διαφυλάξῃς τὴν αὐλήν μου, et si custodieris atrium meum.

141 *Prope quingenti anni numerantur*] Ita scriptũ est in B. T. P. nouem Vaticanis, et Plantiniana. At Aldinæ, Florentinæ, et alijs nonnullis editionibus deest τὸ propè. Porrò Zacharias prophetabat anno secundo Darij 4. Persarum Regis, vt habetur Zachariæ pr. et Esdr. pr. c. 5. ab Euseb. in Chron. sub Olympiad. 64. et Hieronym. in prolog. Commentar. ad Zachar. à quo tempore vsque ad annum quintum decimum Tiberij Cæsaris Eusebius computat annos quingentos quinquaginta octo in Chronic. sub Olympiad. 202.

142 *Darij*] Quarti Persarum Regis, vt dictum est, qui ab Euseb. statuitur sub Olymp. 64.

143 *Et Alexandri*] Hic Alexander non est ille Magnus vocatus Philippi filius Macedonum Rex Vigesimus tertius, qui ab Eusebio ponitur sub Olympiade centesima vndecima, sed Alexander Decimus Macedonum Rex, qui ab eodem Euseb. sub Olymp. 64. censetur.

144 *Qui fuerunt non multò post quàm Tarquinius Superbus exactus est*] Darium non post, sed ante exactum Tarquinium fuisse constat, quippe qui in Persas imperium susceperit Olympiad. sexagesima quarta secundum Euseb. Tarquinius exactus est Olympiad. sexagesima septima.

145 *Filium suum legauit ad homines*] Multi MSS. et excusi habent, Filium suum principem Angelorum legauit ad homines, quos si quis sequi malit, et ea retinere, principem Angelorum, non magnopere repugnabo, cum hic intelligã, in ea dictione, angelorum, non naturam aliquam, sed munus, et officium designari; perinde enim est, ac si dixisset, primum legatorũ, siue nunciorum; nam Angelus græce, latinè est nuncius, quo nomine etiam in sacris literis nedum a Lactantio, et Cypriano 2. Testim. c. 5. et alijs Christus appellatus est Angelus Esai. 9. apud Septuaginta magni consilij Angelus, et ita locum illum effert Cyprianus sermone de nat. Christi, Lactantius supra c. 12. latinam ipsam maluit vocem, magni consilij nuncius. Malach. 3. Angelus Testamenti. et Ioan. Apocalyp. 20. Vidi Angelum descendentem de Cœlo, etc. quem locum de Christo Domino plerique interpretantur. Iure quidem Christus dicitur princeps nunciorum, seu legatorum (nam et hoc eum nomine vocat inf. c. 25. et 29. et lib. de ira Dei c. 2.) cum maximam omnium ad homines legationem obierit, vt diximus supra c. 8. Vel dixit principem, idest caput Angelorum iuxta illud Apostoli ad Coloss. 2. Qui est caput omnis principatus, et potestatis, etc. est autem eadem ratio et de Angelis omnium aliorum ordinum, vt docet S. Thomas 3. p. quæst. 8. art. 4. Ego Codicis B. cui ob miram eius vetustatem plurimum tribuo, et Plantinianæ editionis lectionem secutus sum.

CAP. XV.

146 C*Vm primum cæpit adolescere, tinctus est à Ioanne Propheta in Iordane &c.*] Circiter triginta annorum erat, cum baptizatus est IESVS, Lucæ 3. siue locum illum exponamus, vt duobus mensibus minor esset annorum triginta, vt Epiph. hæresi. 51. Iansen. in Concord. siue vt esset in ipsomet trigesimo ætatis anno, vt Tertullianus African. apud. Hieron. in Daniel. c. 9. Magister histor. scholastic. in hist. Euang. c. 33. qui trigesimum annum ita ab eo incœptum tradit, vt tredecim tantum dies eiusdem anni peregisset, quæ fuit multorum quoque Sanctorum Patrum sententia Irenæi aduersus hæres. lib. 2. c. 10. Greg. Nazianzeni homil. in S. Laurentium, Theophilact. & Euthymij in 3. Lucæ & deinde recentiorum, Carthusiani, Caietani in idem c. 3. & aliorum. siue denique vt iam expleuisset trigesimum, & trigesimum primum inchoasset, vt Ignatius Martyr ad Trallian. Chrisost. homil. 10. in Matth. Euthym, in eundem Matth. c. 3. Quibus quidem temporibus nemo, vt puto, initium fecerit adolescentiæ.

147 *Purifici roris perfusione*] ita legendum est ex B. T. P. & Florentina editione, non, purificati, &c. vt in Aldina, & Plantiniana. Et ex hoc loco fortasse intelligitur, in primitiua Ecclesia morem baptizandi fuisse, non baptizandos immergendo, vel desuper aquam effundendo, sed tantummodo baptizandos aspergendo, quod propter baptizandorum multitudinem, quæ sæpe simul conueniebat, eo tempore contigisse putandum est. Cæterum cum in immersione expressius repræsentetur figura sepulturæ Christi, modus baptizandi per immersionem, vel effusionem, quo vtitur hodie Ecclesia, est laudabilior, vt asserit S. Thom. i 3. p. quęst. 66. art. 7.

148 *Filius meus es tu, &c.*] paulo aliter reperitur hic locus apud Matth. 3. Marc. pr. Luc. 3.

149 *Confortamini manus resoluta, &c.*] Paululum variat lectio, & distinctio huius loci apud Septuag. in Vulg. apud Tertullian. 4. aduersus Marcion. & Cyprianum 2. Testim. c. 7. Vid. Francisci Lucæ Burgen. annotationes in Bibl.

150 *Mutorum*] ita est in Vulgata, & Cypriano pro eo quod apud Septuag. μογιλάλων difficulter loquentium, siue balborum.

151 *Et riuus in terra sitienti*] sic quoque Cyprianus aduersus Iudæ. c 7. transtulit illa καὶ φάραγξ ἐν γῇ διψώσῃ. Sept. & vallis in terra sitienti. Vulg. & torrentes in solitudine.

152 καὶ χειμάῤῥων ἀφέμος ἐστι αὐτ] In Codice Sibyllino χειμάῤῥων δὲ ἀφέμος αὐτοῖς.

153 *Ascendit in montem quendam desertum, vt ibi adoraret; vbi cum triduo moraretur & fame, &c*] Duorum miraculorum de satiata a Domino multitudine videtur Lactantius historias confudisse; nam primum quidem contigit, quando a Nazareth secedens nauicula transfretauit in desertum, & secutæ eum sunt turbæ terrestri itinere, de quo Matth. 14. Luc. 9. Mar. 6. Ioann. 6. Ibi verò non secesserat Iesus in montem ante patratum miraculum, neque triduo moratæ fuerant turbæ, sed quinque panes, & duo pisces multiplicati quidem fuerunt, multitudo per quinquagenos distributa, quinque hominum millia saturata, residuorum fragminum duodecim cophini impleti. Alterum contigit miraculum, quando secedens è Tyro, & Sydone venit secus mare Galilææ, & ascendens in montem sedebat ibi, & secutæ sunt eum turbæ multæ, quarum misertus est IESVS, quia triduo iam morabantur ieiunę, vt apud Matth. c. 15. Marc. 8. sed ibi septem panes erant, & pauci pisciculi, hominum ad quatuor millia, residuorum fragmentorum sportæ septem. Et de vtroque miraculo dicitur Matth. cap. 16.

154 εἰνάρτοισι κμα πέντε] In Cod. Sibyllino hi versus aliquantum variant.

155 γίγνετ] sic errorem Aldinæ editionis, quæ habet πέτατε, correctum oportuit ex Floręt. & Plantinian. editione, & ex ipso cod. Sybill.

156 κύματα πεζεῦσι, &c.] etiam hi aliquantulum ibi variant.

CAP. XVI.

157 ET *alieni beneficij bona non tantum suscipiunt, &c.*] Meursius 5. Critici Arnobian. c. 10. conijcit, legendum potius. Et alieni beneficij dona non tantum suscipiunt, &c.

158 *Et exprobrat nobis peccata legis*] hic verò pretermissa sunt illa, quæ ante verba hęc in vtrisq; Biblijs, & apud Cyprianum leguntur, & contrarius est operibus nostris.

159 *Gloriatur patrem se habere Deum*] ita quidem melius sicut Vulgata, & Cyprianus iuxta castigatas editiones 2. Testimonior. c. 14. Lucif. pro S. Athanas. August. de Ciuit. lib. 17. c. 20. quam apud Septuag. gloriatur patrem Deum.

160 *Stultitia ipsorum*] Septuag. Vulg. Cypr. malitia ipsorum. nam græcè est, κακία

161 *Mille, ac decem anni fuerunt*] Ego apud Eusebium in Chronic. sub Olympiad 202. a Salomone vsque ad Christi Domini obitum fluxisse comperio annos mille, & sexaginta.

162 *Extollatur Luna*] in Psalm. latini codices omnes, auferatur Luna.

163 *Annunciauimus coram ipso sicut pueri*] Ita prorsus Cyprianus 2. aduersus Iudæ. c. 13. Septuag. teste S. Hieronymo annunciauimus quasi paruulum in conspectu eius, & ita reperitur etiam apud ipsum S. Hieronymum in Comm. Tertullianus aduersus Iudæos, et 3. contra Marcion. Annunciauimus de illo sicut paruulus. Vulgata verò multo aliter.

164 *Homo in plaga positus, &c.*] In hoc loco Esaiæ enunciando Lactantius aliqua mutat, aliqua mutilat. Septuag. Homo in plaga positus, & sciens ferre infirmitatem; quia auersa est facies eius, despecta, & non reputata, &c. Cyprianus, homo in plaga positus, & sciens ferre imbecillitatem; quia auersa est facies eius, inhonoratus est, & non computatus. reliqua conferat lector.

CAP. XVII.

165 QVod *legem Dei solueret, cum hoc ille non suo iudicio, &c.*] Soluendi vocabulo vius est pro eo, quod est antiquare, vel euacuare, quibus vocibus vsus est Paulus ad Hebræos 8. ad Ephes. 2. ducta translatione à funiculorum nexibus, qui statim atque soluti sunt, omnem vim amittere. Christus Dominus proprium

proprium vocabulū adimplendi maluit Matth. 5. quia quando legi abrogatur, quæ non erat perpetua, sed ad tempus præfinitum posita, post illud tempus non propriè soluta, aut sublata dicitur, sed finita, & completa. Sic ibi Saluator, quia lex vetus non erat in perpetuum posita, sed quousque veniret plenitudo temporis, dixit se venisse eam non soluere, quasi perpetua esset, sed adimplere, & perficere veritates, quarum vmbras gerebat. Quod idem significat quoque Lactantius dum ait, quòd id faciebat secundum prædicta Prophætarum, & infra cap. 20. fatetur, nouum Testamentum fuisse veteris adimpletionem.

166 *Et deliget validas nationes, &c.*] Græcè autem apud Septuag. tam in Michæa, quam in Esaia legitur ἐξελέγξει, quod vulgatæ interpres, & alij transtulerunt, arguet, vt in Esaia, vel, vt in Michæa, corripiet; id enim significat verbum ἐξελέγχω. Sed & Cyprianus lib. 2. aduersus Iudæ c. 18. ex Esaia refert, redarguet, & author libelli aduersus Iudæos in opera eiusdem Cypriani, corripiet, Verum quoniam hic Aldina editio Lactantij, Plantiniana, & plereq; aliæ habent, deliget, suspicor codicem græcum Bibliorum Lactantij in Michæa mendum habuisse, & pro ἐξελέγξει exhibuisse ἐκλέξει, quod est, deliget. Cæterum cur apud eundem Cyprianum pr. aduersus Iudæos c. 10. Michęā quoque referentem legatur, deteget, vel hic apud Lactantium in Florentina editione, diriget, nullam rationem inire possum, & puto fuisse operarum erratum, sed germanum Cypriani, & Lactantij textum habuisse, deliget, & ita eos scripsisse licet perperam, scilicet gręci Codicis in Michæa fortasse (vt dixi) errore fallos.

167 *Oreb*] dicitur etiam Choreb, & forte melius, nam apud Hebręos prima litera huius nominis est apud Græcos χ. Iugum est montis Sinai; atque inde vno nomine mons Dei appellatur, & scriptum est, legem datam in Sinai, vt Exod. 19. & 34. Leuitic. 26. & in Oreb. vt Deuteron. 9. Malach. 4. legimus aliquos scripsisse, orientalem istius montis partem dici Sinai, occidentalem Oreb. Hieronymus de hoc Hebraic. & de 42. mansion. Ortel. & alij recentiorum, nonnulli putant, eundem montem nunc Sina, nunc Oreb vocari, receptior tamen sententia est, montes illos inter se distinctos esse, sed radicitus cohærere: esse etiam Oreb multo inferiorem altitudine Sinai.

168 Εἰς αὐτὸν πᾶς χύσεται &c.] Mutilus versus, qui ex Cod. Sibyllino restituitur, ibi enim, Εἰς αὐτὸν τότε πᾶς λύσεται, &c.

169 *Esaias ita prophetauit*] Erratum memoriæ, posuit enim Esaiam pro Hieremia, qui hoc habet cap. 4.

170 *Renouate*] Florent. reuocate. Sed nostram lectionem exhibent MSS. & editi Ald. Plantin. & Biblia tam Vulg. quam Septuag. Tertull. & Cyprianus aduersus Iudæos.

171 *Nouitatem*] ita Cyprianus pr. testimon. c. 8. & Tertullianus aduersus Iudęos, qui tamen pr. aduersus Marcion. habet, nouamen nouum, pro eo quod apud Septuag. legitur num. plurali νεώματα, noualia, hebraicè verò, chaldaice, & in Vulg. singulari numero, nouale.

172 *Circumcidite præputium cordis vestri*] ita Cyprianus primo aduersus Iudæos, sed Tertullianus, circumcidimini præputium, vel, præputia cordis vestri, vt in hebræo, chaldęo, & latino iuxta vulgatam editionem pro eo quod nunc apud Septuaginta legitur σκληροκαρδίαν ὑμῶν, duritiam cordis vestri.

173 *Et exurat*] hæc non habentur in plerisque, quæ nos adiecimus ex B. nam ita prorsus Cyprianus, & apud Prophetam in Septuag. & Vulg. legitur, & succendetur, vel & succendatur.

174 *In nouissimis diebus*] hæc non habent Sept. nec Vulg. sed Cypria us.

175 *Circumcidet dominus*] concordat cum Vulg. & Cypriano, Augustinus verò quæst. 53. cum Septuag. circumpurgabit. sed hic desunt illa, & cor seminis sui, quæ in vtriq; Biblijs habentur, & apud Cyprianum.

176 *Cultellos petrinos nimis acutos*] concordat cum Septuag. Cypriano, & Theodoret. in MSS. petrinos de petra acuta. S. Augustinus quæst. 6. fac tibi ipsi cultros de petra acutos, vel, sicut habet græcus, de petra acuta.

177 *Non enim Propheta sic ait, Et dixit Dominus ad me*] mendum habent omnia exemplaria, in quibus pro Dominus, legitur IESVS, nam textus ipsæ Scripturæ sacræ sic habet, vt nos excudendum curauimus, & sic rectè eum protulit ipsemet Firmianus paulo supra, ad quem locum ista referuntur.

178 *Auses*] ita iuxta Septuag. Numeror. cap. 13. nomen hoc efferunt Tertullianus aduersus Iudæ. & S. Aug. lib. 16. contra Faust. c. 19. τοῦ Αὐσὴ υἱὸν Ναυῆ. Vulg. habet ex hebræo, Osee.

CAP. XVIII.

179 *Qvod ita fieri oporteat in omni persecutione*] Obserua antiquissimi Patris testimonium de fuga licitè tempore persecutionis arripienda contra Marcionitas, & Montanistas, quos refellit Clemens Alexand. 40. strom. Origenes super Ioan. c. 31. Cyprian. in Epist.

in Epist. ad Thibaritinos de exhortatione martyrij, & lib. de lapſ. Nazianz. in oration. in laudem Cæſarij, & in oration. in laud. Baſil. Athanaſ. in apolog. de fuga ſua, & S. Auguſt. in Epiſt. ad Honorat.

180 *Legatus Syriam regebat*] Legati nomen accipit, vt commune omnibus, qui quouis officio publicè mitterentur, ita enim idem nomen & Varro interpretatur 5. de lingua latina, ſed propriè ſumptum peculiare nomen erat Magiſtratus, & officij. Procuratorem alij Pilatum nominant, vt Luc. Euang. c. 3. & Tacit. 15. Annal. alij Syriæ Præſidem, vt Ignatius martyr in Epiſtola ad Trallianos.

181 *Annis XLVI*] hunc numerum retinui probatum xij. Codicibus Vatican. P. & editionibus Florentina, Ald. Plantin. cæteris, & exhibitum ab ipſo Euangeliſta Ioan. c. 3. licet B. & T. habeant, annis XL.

182 *Nihil ivi eo damnatione dignum videri*] Hæc erat antiqua iudicandi formula. Senec. primo, natural. quæſt. cap. 16. & tamen non pronunciauit, iure cæſum videri. Plin. lib. 14. cap. 13.
,, Iudex pronuntiauit, mulierem videri plus vini
,, bibiſſe, quam valetudinis cauſa] eadem quoque in Decretis Senatus non rarò vtebantur. Salluſt. ,, Conſulente Cicerone, frequens Sena-
,, tus, decreuit, Tarquinij iudicium falſum videri] Cornific. lib. 1. ,, Senatus decreuit, ſi eam
,, legē ad populum ferat, aduerſus Rempublicam
,, videri eum facere.] In legibus etiam, & plebiſcitis. Liuius lib. 25. Plebs ſciuit videri eum in exilio eſſe alia exempla ex veterum Prudentum reſponſis, & alijs authoribus promit Cuiac. lib tertio, obſeruat cap. 26.

183 *Nec tamen ipſe ſententiam protulit, &c.*] Quin immo conſtat à Pilato fuiſſe aduerſus Chriſtum damnationis ſententiam dictam ex Ioann. & Luca, quorum ille cap. 19. pro tribunali ſediſſe Pilatum ait, quod non niſi iudicium exercentis eſt, hic verò cap. 23. ſuper eo, vel de eo iudicaſſe, hoc enim ſonat, ἐκάθισεν. Petrus etiam Apoſtolus Epiſtola prima, cap. ſecundo, de IESV loquens ait, tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè, ſcilicet Pilato. Id & Sanctus Ignatius tradit expreſsè in Epiſtola ad Trallian. Sanctus Auguſtinus, in Pſalm. 63. & Leo Papa ſermone primo, & 8. de paſſion. Domin.

184 *Coloris punicei veſte.*] Chlamys fuit illa veſtis, vt eſt apud Matth. cap 27. χλαμύδα κοκκίνην, quæ paludamentum à Romanis vocabatur, & ea Reges, Imperatores, milites ſuper armis induebantur. Rubri fuit coloris. Vnde Martial lib. 14.

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis,
Et placet hic pueris, militibuſque color.

Fallebantur enim milites, neque exterrebantur, ſi ex vulneribus ſanguis defflueret. Illum igitur rubrum colorem nunc coccino deſignarunt vt Mattheus Euangeliſta nunc purpureo, vt Marcus 15. Ioann. 19. nunc puniceo, vt hoc loco Lactantius, nam hi colores omnes rubrum aliquo modo referunt, vel eum augentes, vel remittentes, vel miſta quadam ſpecie temperantes. Coccum quidem rubere norunt omnes ex Plin. lib. 9. cap. 41. qui & lib. 22. cap. 2. Imperatorijs paludamentis dicatum ſcribit. Sed & Plutarch. in Fabio, ſignum prælij futuri Romanis Imperatoribus tradit fuiſſe tunicam coccinam extenſam ſuper prætorium. Purpuram autem Plin. lib. 9. cap. 38. præſtantiſſimam eſſe ſcribit, quæ ſanguinis concreti colorem exhibet, vnde & Homero purpureus dicitur ſanguis. De puniceo verò colore, qui & Phœniceus dicitur (quem Græci φοίνικα, vel σπάδικα appellant, quoniam palmæ termes ex arbore cum fructu auulſus ſpadix dicitur teſte Gell lib. tertio, cap. 9.) hæc profero ex Frontone apud eundem Gellium lib. 2. cap. 26. cum Phauorino Philoſopho de coloribus diſputante. ,, Non enim (inquit) hæc ſunt ſola voca-
,, bula rufum colorem demonſtrantia, quæ tu
,, modò dixiſti; rufus, & ruber, ſed alia quoque
,, habemus plura, quam quæ dicta abs te græca
,, ſunt; fuluus enim, & flauus, & rubidus, &
,, phœniceus, & rutilus, & luteus, & ſpadix ap-
,, pellationes ſunt rufi coloris, aut acuentes eum,
,, quaſi incedentes, aut cum colore viridi mi-
,, ſcentes, aut nigro infuſcantes, aut virenti ſen-
,, ſim albo illuminantes; nam phœniceus, quem
,, tu græcè φοίνικα dixiſti, noſter eſt; & rutilus,
,, & ſpadix phœnicei εὐανθοῦντα, qui factus græ-
,, cè, noſter eſt, exuberantiam, ſplendoremque
,, ſignificat ruboris, quales ſunt fructus palmæ
,, arboris non admodum ſole incocti, vnde ſpa-
,, dicis, & phœnicei nomen eſt. Spadica enim
,, Dorici vocant auulſum è palma termitem
,, cum fructu, &c.] Ergo & hunc colorem ſanguini attribuit Ouid. 13. Metamor & Statius primo. Achilleid. vnde & eum quoque futuri prælij ſignum fuiſſe, & paratos in pugnam milites induere ſolitos tradit Plutarch in inſtitut. Lacon. in Paul. Æmil. & in Marcel. Alij verò non à palma, vt dictum eſt, ſed potius à punici mali corio eum colorem nomen traxiſſe pronunciant; alij παρὰ τὸν φόνον, quia ſcilicet id virgultum (quod, vt androſemon, reddit ſanguinem, quamquā alio modo (φόνος dictum eſt à Theophraſto. De vna igitur, atque eadem Chriſti Chlamyde hi tres colores dicti ſunt, non quia ijdem ſint, nam propriè accepti diuerſi

uersi sunt, vt contra Parrhasium, Guarinum, & alios disputat Brodæus pr. Miscellan. c. 8. Bays. de re vestiar. c. 3. sed quia omnes aliquo modo, vt dictum est, eundem colorem, idest rubrum exhibent, pro vno, & eodem colore ab Euangelistis, & Lactantio exprimi potuerunt; quæ paucula differere volui, vt Lactantium cum Euangelistis, atque ipsos inter se se Euangelistas concordes esse ostenderem, quorum loca in speciem pugnantia quibusdam doctis viris, præsertim Lazaro Baysio vbi supra nonnihil negotij attulerunt.

185 *Gabinianam crucem*]. Florentina editio habet, Gabinianam; quod mendum annotauit Andreas Patritius initio Scholiorum ad fragmenta orationum Ciceronis. Respicere enim locus debet ad Verris factum crudele, qui P. Gauium (non Gabinium) cruci affixerat, de quo in oratione 7. in Verr.

186 *Ignorauerunt*]. ita & S. Augustinus pro eo, quod in Vulg. & apud Sept. habetur, ignorauit. Symmach. ignorabam.

187 *ὡς ἄνθρωπος*, &c.]. Coniunxit hæc carmina Lactantius, quæ in Cod. Sibyll. serm. 8. à se inuicem dissita, atque disiecta sunt; nam ibi prius leguntur illa, *καὶ στόματι ἀχράντῳ*, &c. Deinde nonnullis interiectis, illa, *Αὐτὸν δ' ἀσπάσεται*, verum alijs quoque interpositis ea demum reperiuntur, quæ hic prima leguntur. *αὐτὸν μετὰ χαρᾶς*, &c.

188 *Τέκνον, ὦ πόθον ἐκθὲν*] Cod. Sibyllinus, *τέκνον γενομένων, πόθον ἐκθὲν*, &c.

189 *Αὐτὰ γὰρ οὐ ἄρρεν*] Inter carmina Sibyll. hos versus non reperio.

190 *Ἀνδρείας*]. malim *ἀνδρεῖος*.

191 *Et dixit Esdras ad populum*] locus insignis, quem nunc non habemus. Iustin. Mart in Dial. aduersus Iudæ. affirmat è libris Esdræ cum alijs ibi notatis à Iudæis fuisse sublatum.

192 *Natiuitatem eius*] ita quoq; Tertull & Cypr At Sept. & Vulg. *τὴν γενεὰν*, generationem.

193 *Adductus est ad mortem*] ita ferè omnes Lactantij libri; Florentina habet, abductus, quæ lectio non placuit Pamelio attestante, eam in aliquibus quoq; MSS. Cypriani Codicibus legi: Tertullianus habet perductus.

194 *Quia facinus non fecit, neque insidias ore suo locutus est*]. Septuag. quia iniquitatem non fecit, neq; dolũ in ore suo. Vulg. eo quòd iniquitatẽ nõ fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius. Tertull. aduersus Iudæ. nec dolus in ore eius inuentus est, vel vt in MSS. nec dolus fuit in ore eius. Cyprianus, quia facinus non fecit, neque insidias ore suo. Florentina suntar. habet hic, quia facinus non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius. Sed nos secuti sumus membranas, & plures, ac meliores editiones.

195 *Consequetur multos*] ita est in editione Ald. & Plantiniana, & apud Cyprianum à Pamelio editum, vbi tamen Ioannes Costerius legebat, possidebit, vt nunc legitur in recenti versione latina ex Septuag. qui græcè habent *κληρονομήσει*, quod ego interpretarer, hæreditabit, vt hic habet editio Florentina, et Tertullianus aduersus Iudæos, in hæreditatem habebit.

196 *Propterea quod traditus est ad mortem*] Cypr. ex Septuag. Propterea quod tradita est ad mortem anima eius. Vulg. pro eo quòd tradidit in mortem animam suam.

197 *Peccata multorum*, &c.] ita lego cum B. T. et melioribus alijs MSS. et impressis, cum Septuag. Vulg. Tertull et Cypriano, licet editio Florentina habeat, peccatum multorum, etc.

198 *Captabunt in animam*, &c.] B. captabunt animam. Ego exhibui lectionem omnium aliorum Lactantij Codicum. Septuag. et Vulg.

199 *Sicut agnus sine macula*] Septuag. *ὡς ἀμνὸς ἄκακον*, quod recentiores illius versionis interpretes transtulerunt, sicut agnus innocens. Cyprianus 2. Testimonior. c. 15. habet, sicut agnus sine malitia. Vulgata, quasi agnus mansuetus.

200 *Cogitauerunt cogitationem*] sicut Cyprianus 2. Testimon. cap. 15: cogitauerunt cogitatum. Vulg. cogitauerunt consilia. Septuag. *ἐλογίσαντο λογισμὸν ἐν πονηρῷ*, cogitauerunt cogitationem malam.

201 *Eradamus*] ita Vulg. & impressi libri Cypr. 2. Testim. c. 15. et 201 sed MSS. teste Pamelio, tollamus, vel, euellamus. Tertullianus propius abest à Septuag. et Hieronymus; nam ille aduersus Iudæos, et hic in Comment. habet, conteramus; græcè est *ἐκτρίψωμεν*, exteramus.

202 *E terra vitã eius*] ita quoq; Cyprianus, sed Septuag. et Vulg. et Tertullianus eum de terra viuentium.

203 *Non erit in memoria*] Septuaginta, et Vulg. *μὴ μνησθῇ*, non memoretur. Tertullianus, et Cyprianus cum Lactantio concordant.

204 *Non quasi homo Dominus*, &c.] Ita Sept. (nisi quia pro, Dominus, habent, Deus) Cypr. 2. Testim. c. 20. Theodoret. quæst. 43. at Vulg. non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Ita ferè Orig. homil. 16. et Philo lib pr. de vita Mos.

205 *Quem transfixerunt*] Vulgat. quem confixerunt. Cyprianus 2. Testimon. c. 21. in quem transfixerunt. Tertullianus aduersus Iudæos, quem pupugerunt. S. Hieronym. qui de varia huius loci lectione disputat, certè apud Septuaginta agnoscis *ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο*, pro eo quòd insultauerunt.

206 *Effoderunt*] græcè ὤρυξαν, et ita ex MSS. in Cypriano legit Pamel. non vt in excusis, Et foderunt, quia copula nusquam habetur. Tertullianus aliquando vt Septuag. Vulg. et Iustin. foderunt, vt 4. aduersus Marcionem aliquando, exterminauerunt, vt lib. aduersus Iudæos.

207 *Manus meas, & pedes meos*] Ita Vulg. Tertullianus, Cyprianus, S. Augustinus 4. aduersus Marcion. alij. Sed idem Tertullianus aduersus Iudæos, cum Septuag. manus meas, et pedes, nec vltra. vt Iustin. meos pedes, et manus, nec vltra.

208 *Sed spiritus Dei per eum loquebatur, qui fuerat illa passurus*] idest ipsemet Dei filius, quem hic, vt alibi sæpè Dei spiritum vocat, eo quidem sensu, quo Deus spiritus vocatur, vt diximus lib. 2. c. 9. non vt filij personam cum persona Spiritus Sancti confundat.

209 *Post annos mille, & quinquaginta, tot enim colliguntur anni à Regno Dauid, vsq; ad crucem Christi*] Ab exordio scilicet Regni Dauidis summa quidem nonnihil deficit secundum Eusebiũ in Chronic. nam ille attribuit regno Dauidis annos quadraginta, post quem regnat filius eius Salomon, a quo; & prima templi ædificatione, quæ contigit anno quarto regni Salomonis, vt cap. 6. tertij Reg. vsque ad annum passionis Domini Eusebius sub Olympiad. 202. computat annos mille, & sexaginta. Sed ad amussim quadrat cum supputatione Lactantij, qui supra c. 16. a tempore prophetiæ Salomonis, quod exordimur à primo anno regni ipsius, computabat annos 1010. ijs ergo additis annis 40. regni Dauidis, prorsus hæc summa conficitur annorum mille, & quinquaginta.

210 *Quid si auertimini, &c.*] huius loci in sacro Codice multum variat lectio, nam hic alia mutata sunt, alia vel subtracta, vel addita. conferat qui volet.

CAP. XIX.

211 *ET obtenebrabitur dies lucis*] Ita Cyprianus 2. Testimon. c. 23. & ferè Tertullianus aduersus Iudęos apud quem legitur, & tenebrescet super terram dies luminis. Septuaginta, & contenebrescet super terram in die lux. Vulgata, & tenebrescere faciam terram in die luminis.

212 *Et cantica vestra*] Septuag. Vulg. Tertullianus, Cypr. & omnia cantica vestra.

213 *Exterrita est*] Cyprianus concordat cum Lactantio, sed apud Septuag. & Iræneum 4. aduersus hæreses c. 66. legitur ἐκενώθη vacua facta est. Vulg. infirmata est.

214 *Quæ parit*] ita Iræneus, & Cyprianus, Vulgata, & Septuaginta addunt ἑπτὰ septem, Vulgata, quæ peperit septem. Septuaginta, quæ parit septem.

215 *Et tæduit animam*] Cyprianus, & tæduit anima eius. Vulgata, defecit anima eius, abest enim copula, vt etiam apud Septuag. qui habent, ἀπεκακήσεν ἡ ψυχὴ αὐτῆς afflicta est anima eius.

216 *Et subiuit Sol ei*] ita Florentina editio; at Plantiniana, & Aldina, vt in Vulgata, & occidit Sol ei. Retinui lectionem, quam verosimilius existimaui expressisse Lactantium; eam videlicet, quam habent Septuaginta, ἐπέδυ, & Cypr.

217 [illegible], &c.] hunc versum exhibui, vt eum emendauit Marcus Musurus ad calcem editionis Aldi; hic verò in textu in omnibus ferè exemplaribus legitur, [illegible], &c. In Codice Sibyllino, [illegible]. Vtrobique verò metri ratio non constat.

218 *Apud inferos*] ita quoque Cyprianus quod apud Septuaginta, & in Vulgata, est εἰς ᾅδου in inferno.

219 *Interitum*] græcè διαφθορὰν corruptionem, vt apud Septuaginta in Vulgata, & Cypriano.

220 *Et somnum cepi*] ita Cyprianus, & Sanctus Augustinus pro eo, quod apud Septuaginta græcè est ὕπνωσα, sed idem S. Augustinus fatetur, nonnullos Codices habere, vt nunc Vulgata, soporatus sum.

221 *Auxiliatus est mihi*] sicquoque Cyprianus, sed Septuaginta ἀντιλήψεταί με suscipiet me, quos secutus est S. Augustinus, Vulgata verò suscepit me, vt Iustinus Martyr ἀντελάβετό μου.

222 *Hic filius meus sapiens, &c.* hunc locum nec satis fideliter recitat detractis, additis, mutatis nonnullis nec satis rectè de Dei filio interpretatur. Septuaginta, Iste est filius tuus sapiens. Vulgata ipse filius non sapiens. Loquitur ibi scriptura de iniquitate Ephraim, & per Ephraim alij aliud intelligunt. Sanctus Hieronymus de tribu ad idololatriam prona. Lyranus de filio insipiente a pietate ad impietatem deflexo, alij simpliciter de homine peccatore. Sequuntur Septuaginta. „ Quia
„ nunc non subsistet in contritione filiorum.
„ De manu inferni liberabo, & de morte
„ redimam illos. Vbi est causa tua mors? vbi
„ est aculeus tuus inferne?] Vulgata „ Nunc
„ enim non stabit in contritione filiorum. De
„ manu mortis liberabo eos; de morte redimam
„ eos. Ero mors tua ò mors, morsus tuus ero
„ inferne.

223 Non

223 *Non resistet*] B. caret negatione, quæ omnino retinenda est, sicut habet Propheta, nam apud Septuaginta legitur, non subsistet, in Vulg. non stabit.

224 *Eruam eum*] non, eum, sed, eos, habet scriptura sacra tam apud Septuaginta, quam in Vulgata.

225 *Viuificabit nos post biduum die tertio.*] hic Oseę locus apud Lactantium mutilus legitur, & malè distinctus, sicut apud Tertullianum aduersus Iudæos, & apud Cyprianum in antiquioribus editionibus 2. Testimon. c. 25. qui referri ita debuit, vt est apud Prophætam, Viuificabit nos post biduum: die tertio resurgemus (vt habent Septuag.) vel, die tertio suscitabit nos, vt Vulg.

226 *θανάτου*] ita legendum vt est in Cod. Sibyll. & olim hic emendauit Musurus, non vt corruptè in Florentina, & Aldina *θανάτοι*.

CAP. XX.

227 NE *adduceret eos in pœnitentiam, atque impios resanaret*] Vt ne quid offensionis hinc pie lector patiare, simul & Lactantium a calumnia vindicemus, qua hoc loco a nonnullis arguitur erroris, illud mihi etiam atque etiam attende; certissimum esse, ac de fide, aliquos homines a Deo reprobari. Malach. pr. Roman. 9. 2. ad Timoth. 2. quoniam ad Dei prouidentiam pertinet, vt rerum, quæ a suo fine deficere suapte natura queunt, qualis homo, qui per arbitrij libertatem potest a beatitudine deficere, aliquas deficere permittat, quo suauis vniuersi dispositio seruetur: nec tritum illud obstat primæ ad Timoth. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri, &c. quoniam intelligitur non de voluntate subsequenti, qua Deus dicitur simpliciter velle, sed de voluntate antecedenti, qua non dicitur simpliciter velle, vt ait Damascenus de fid. orthod. c. 2. Aug. De Spiritu, & aliter. c. 33. & de cor. et grat. c. 15. alias ad eum locum explicationes affert S. Thom. p.p. quæst. 19. art. 6 Modò quæritur, an circa reprobos diuina voluntas habeat aliquem actum positiuum ita vt positiuè concurrat, an autem se habeat tantum purè negatiuè? Respondetur, quòd quatuor contingunt reprobis. pr. permittuntur in peccatum cadere 2. culpa ipsa, & peccatum tertiò, à Deo deseruntur, & perseuerant in culpa vsque ad finem vitæ. quarto ipsamet punitio, & pœna æterna. Circa primum voluntatem Deus habet positiuam permittendi peccata, & aliquos sua libertate peccare, & a beatitudine deficere, tum quia et ipsa ita permittit, ergo vult eam permissionem, nam permissio, & operatio est signum diuinæ voluntatis beneplaciti. Sanctus Thom. pr. p. quæstione 19. artic. 12. quæ cum sit voluntas consequens, est actus positiuus in Deo, tum quia, cum nil fiat, nisi Deus fieri id velit, vel sinendo, vt fiat, vel ipse faciendo. Sanctus Augustinus in Enchyrid. c. 95. & peccatum quidem fiat, sed non ipso faciente, vel volente, vt fiat, ipso igitur fit volente permittere, & sinere, vt fiat. Item permittere mala bonum est, & ad maius bonum ordinatur, et ad diuinam prouidentiam id pertinet. Sanctus Thom. pr. p. quæst. 22. ideo volitam esse dicendum est eam permissionem a Deo actu positiuo; nec obiectetur, quòd si huiusmodi permissio peccati in reprobo est volita à Deo per actum positiuum, Deus saltem indirectè censeatur causa peccati reprobi, quasi Deus subtrahat auxilium efficax, quo stante reprobus nō peccaret, eo quia remouens rem prohibentem est causa saltem indirecta subsequentis effectus, vt de casu lapidis dicimus post amotam columnam, qua detinebatur. nam respondetur, quod licet subtrahat auxilium efficax, nunquam tamen subtrahit auxilium sufficiens, et ex subtractione auxilij efficacis peccatum non sequitur immediatè, sed ex voluntate libera peccantis, cum reprobatio nihil demat potestatis, aut libertatis reprobi, vt docet S. Thomas p.p. quæst. 23. art. 2. ad 3. At vero quando effectus non sequitur necessariò, nec immediate post remotionem prohibentis, tunc non semper remouens prohibens dicitur concurrere ad effectum, nec causa illius. Et rectè diximus, non semper, nam quandoque remouens prohibens dicitur causa effectus moraliter, vbi obligatus fuerat effectum impedire, nam tunc quamuis effectus non sequatur immediatè ex remotione prohibentis, imputabitur tamen remouenti, quoniam poterat impedire, et obligatus erat impedire, et non impediuit, sicut magistratui furta prouenientia imputantur, et dicitur causa eorum, licet non ab illo immediate sequantur, quia obligatus est ea impedire, at peccata meretricis non imputantur ei, quamuis permittat ea, nec dicitur eorum causa, quia impedire non debet, quinimmo ad bonam eius gubernationem spectat, vt ea permittat; atque hinc maximè elucet, quare Deus non dicatur vllo modo causa peccatorum reprobi nec in esse naturæ, nec in esse moris, quamuis permittat ea, et amoueat prohibens, quia non est obligatus ea impedire, quin potius ad bonam eius gubernationem, et suauem mundi moderationem pertinet, vt permittat aliquos peccare, et a fine deficere, vt do-

cet Sanctus Bonauentura in pr. sententi. dist. 4. art. 2. quæst. 2. Respectu verò culpæ, ratione cuius damnatur reprobus, non ille quidem habet velle. Oseæ 13. perditio tua, &c. Roman. 9. sustinuit in multa patientia, &c. alioqui Deus esset author peccati, & eius voluntas mala esset, quippe cuius obiectum peccatum, & malum esset, quæ sunt blasphema; sed neque nolle absolutum, & efficax habet, nam cum diuinæ voluntati absolutæ, atque efficaci nihil possit resistere, nulla peccata omnino essent; si circa ea nolle Deus absolutum haberet. Tertio Deus vult actu positiuo deserere reprobos, & permittere eos in peccatis perseuerare, & tradi in desideria cordis eorum. Roman. pr. Tradidit Deus illos in desideria, &c. Psal. 80. Dimisi eos secundum desideria, &c. Roman. 9. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Hæc loca significant actum positiuum diuinæ voluntatis circa derelictionem reproborum. Sed & idem suadetur ratione; nam quodcunq; rationabile, & iustum est Deus vult actu positiuo. Eiusmodi autem est, hominem à Deo derelinqui, qui prior Deum ipsum peccando deseruit. Cauendum est tamen, quòd vbi in sacra scriptura dicitur, Deum deserere, derelinquere, indurare, excæcare, non est sensus, quòd Deus immittat, aut efficiat in animis reproborum aliquam duritiem, vel cæcitatem quasi tenebras aliquas, aut quòd Deus sit causa reprobis, vt ruant in peccata, & in illis permaneant, sed quod Deus voluntate sua non confert gratiam, & calorem suum, quo emolliatur cor reprobi, nec infundit lumen, quo possit illuminari. S. Augustinus lib. de prædestinatione, & gratia c. 4. Epist. 105. & Epist. ad Simplician. Vel dicitur indurare, excæcare, &c. quia permittit indurari, & excæcari. est enim Scripturæ phrasis, & modus loquendi, vt quę propriè permissio Dei est, eam Dei actionem appellet, quia Deus positiuo actu vult eam permissionem, ità docet Damasc. 4. Theolog. c. 14. Euthimi. in Ioann. c. 15. Denique Deus actu positiuo vult reprobis inferre pœnam pro culpa; nam id maximè iustum est, & rationabile, & ad rectitudinem iudicis pertinet. Ex his manifestum est, reprobationem non esse causam damnationis reprobi, sicut prædestinatio est causa salutis prædestinati, quia permissio peccandi nihil ponit in peccante, sicut ponit aliquid iustificatio in pœnitente, nec reprobatio Dei quicquam subtrahit potentiæ reprobati, nec reprobus impotens factus est ad gratiam adipiscendam impotentia absoluta, sed tantummodo ex suppositione, quæ non minuit libertatem, vt docet S. Thomas p.p. quæst. 23. art. 3. Igitur non est absurdè locutus Lactantius quòd reprobis Iudæis IESVS noluit se ostendere, ne adduceret eos in pœnitentiam, etc. Significatur enim his verbis derelictio, qua derelinquebantur à Deo, et permissio, vt in peccato infidelitatis permanerent, atque subtractio diuini auxilij efficacis, quo emollirentur, et illuminarentur corda eorum, neque tamen peccatum eorum, aut in illo perseuerantia in Deum tanquam in causam refundi potest.

228 *Dereliqui domum meam &c.*] In huius loci prolatione Lactantius omisit illa, [dedi dilectam animam meam] quæ in vtrisque Biblijs habentur, non ibi, Dereliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius, & profectò sententia multum variat. Contra verò τό, ipsa, super addidit, quod non habent Biblia, nec Cyprianus.

229 *In iustitiam.*] Ald. & Plantin. sic habent. Florent. ad iustitiam. Ego malim vt in Vulg. & apud Septuag. & Cyprianum in iustitia.

230 *Et tenebo manum tuam*] Ita etiam Septuag. sed Vulg. & apprehendi manum tuam. Cyprianus, vt teneam manum tuam.

231 *Et confirmabo te.*] Septuaginta, & Cyprianus, & confortabo te. Vulg. & seruaui te, ideo pronomen illud retinendum est in textu Lactantij quod habet Florentina editio, licet Alduiæ, & Plantinian. desit.

232 *Generis mei.*] Ita Cyprianus, & Cyrill. sed in Vulg. & apud Septuag. τό mei non habetur.

233 *Sedentes in tenebris.*] Cum Lactantio concordat Vulgata. Tertullianus tertio, contra Marcion. & aduersus Iudæ. Cyprianus, Cyrillus. Sed in Bibl. Septuag. recens. editis additur copula, & sedentes, &c.

CAP. XXI.

234 V*T filius hominis.*] Florent. editio non habet particulam, vt, quam agnoscunt cæteræ, & MSS. libri, & Lactantius supra cap. 12. Item Septuag. & Vulgata. Tertullianus de carne Christi, & tertio, aduersus Marcion. & alibi, tanquam filius hominis.

235 *Quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicauerunt.*] Obseruandum est nobile quidem fragmentum huius de futura clade Hierosolymitana vaticinij, & prædicationis Petri, & Pauli Romæ habitæ, de qua nihil in sacris literis, vel alibi habemus. Notandus quoque locus clarissimi, & vetustissimi Patris contra hæreticos, qui negant, Petrum Apostolū vnquam Romæ fuisse.

CAP. XXIII.

236 Quicunque praecepta dat hominibus, &c.] Totam huius, & sequentis capitis disputationem, vt inanem pertransfeo, etenim iure negauerit nemo, Deum ipsum nondum carne assumpta cum legem Moysi dedit fuisse legis verum, ac perfectum latorem, & doctorem virtutis. Esai. 33. Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, ideo veriores illae attendendae sunt rationes de Christi Domini Incarnatione diuinitus explicatae à Sancto Thom. secunda par. quaest. prima, articulo primo, & a caeteris DD, praesertim a Sancto Bonauentura in tertio, sentent. distin. 1.

CAP. XXV.

237 Mater corporis eius Virgo.] Contra Valentinum, Apollinare, Eutichetem, & alios, qui negabant, Christum Dominum ex Maria Virgine quicquam accepisse, Vid. Irenae. tertio, aduersus haeres. Sanctus August. de haeresib. Theodoret. haeretic. fabul. lib. quarto, in fin.

CAP. XXVI.

238 In lesis, affectisque corporibus.] In prioribus editionib. corrupte legitur, lesis, &c.

239 Ne quis esset omnino, qui eum non posset imitari.] Haec eadem quoque ratio affertur a Sancto Thom. in tertia, par. quaestione 46. artic. 4. conuenientissimum enim fuisse docet, Christum morte Crucis affici propter exemplum virtutis.

240 Sicut mos eorum ferebat, &c.] Recte ait, eorum, scilicet Iudaeorum; nam ij tantummodo solebant crura suspendiosis frangere, vt eos mortuos eadem die humare possent secundum Deuteronomij legem cap. 21. Caeterum apud alias nationes, Crurifragium nihil ad crucem; sed à cruce plane remotum aliud erat supplicij genus. quod & Caesar. Baronius Cardinalis in Martyrolog. sub die 23. Maij adnotauit, & Lipsius lib. secundo, & tertio, de Cruce, vtrobique cap. 14.

241 Ne laesum, ac diminutum corpus ad resurgendum inhabile redderetur.] Nullius momenti ratio, quasi vero laesum, iectum, troncatum corpus non potuisset à Deo ad vitam excitari.

242 Pascha nominatur à τῷ πάσχειν.] Haec graeca non habentur in B. quae retinentur à caeteris omnibus MSS. & excusis. Sic quidem putare, nomen paschatis ab eo verbo deductum satis indicat etiam ex subsequentibus. Eundem errorem habet Tertullianus in fin. aduersus Iudae. & author gloss. quem reprobat Sanctus Hieronym. super Matth. cap. 26. Isidor. Origin. lib. 6. cap. 18. non enim a verbo graeco, sed ab hebraeo Phasach, quod transitum significat, deducitur, vt docet Iosephus lib. secundo, antiquit. cap. 13. Hieronym. us. vbi supra, & in Esai. 31. & Mich. 7. Ambros. in lib. de Cain, & Abel cap. 8. & sermone 53. Augustinus Epistola 119. & lib. secundo, de Trin. cap. 17. & lib. 16. Ciuitat. cap. 43. Celebrabatur enim hoc festum in memoriam transitus Angeli plagam ferentis a liminibus portarum agni sanguine illitarum.

CAP. XXVII.

243 Nunc satis est huius signi potentiam, &c.] Notandus est locus contra haereticos nostri temporis hostes Crucis Domini. idem argumentum tractat Tertullianus aduersus Iudae. & tertio, aduersus Marcion. & Cypr. secundo, aduersus Iudae. cap. 21. & 22.

244 Futura depingere.] Metaphorice futura depingi in hostiarum visceribus dicebantur, quae quomodocumque in eis praesignificabantur, & forte verbum erat aruspicum peculiare, vt litare, porricere.

245 Quibus prosecrant.] Idest quibus diu sacrificant, vel alio modo sacra faciunt, est enim compositum verbum ex propositione, pro, quae verbo adiuncta vim temporalem habet, & verbo, sacro, quod est, sacrum facio, ita quidem repetio in MSS. et editis plurimis. Florentina. tamen editio corrupte legit, prosecarant; ex qua lectione me valida incessit suspicio, legendum esse, quibus protecuerant, nam et noc verbum belluinae congruit, cum de extis loquatur. Liuius quinto, qui eius hostiae exta prosecuisset, etc. Tertullianus 9. Apologet. " Maior aetas apud Gallos Mercu" rio prosecatur. Et illud, prosecant, haud facile apud alium quenquam reperias, sed librarij fortasse duas illas literas incuria omiserint.

246 Dei templum.] Puta Iouis, vel Apollinis, vel cuiuius alterius Demonis, quos, ex persona Ethnicorum saepe Deos nominat, vt lib. pr. cap. 17. 20. 21. lib. secundo, cap. 4. et alibi.

247 Qui summum illum Iouem daemonibus aggregauit.] puto locum illum innuere, vbi de Minerua loquitur Homerus, Iliad. primo, sub initium. quae se se in coelum recepisse dicitur in domos Aegiochi Iouis ad Daemones alios.

[illegible]

CAP. XXVIII.

248 *VNde ipsa religio nomen acceepit.*] Religionem dici putat Lactantius à religando. Lactantium sequi videtur Ambrosius, in libro de Virginib. vbi sacras Deo virgines religiosas, quasi Deo religatas dicit. Item Hieronymus in Amos. c. 9. Isidor. 8. origin. cap. 2. Sanctus Augustinus in lib. de vera relig. vbi ait, religet nos religio vni omnipotenti Deo. Nigid. Figul. apud Gell. lib. 4. c. 9. Seru. super illud Maron. 8. Iam tum religio pauidos, &c. At Masfur. Sabin. apud Gell. vbi supra, & Seruius Sulpit. apud Macrob lib. 3. Saturn. cap. 3. dictam malunt à relinquendo, quasi id quod religiosum est, à nobis relictum, remotum, sepositum denique intelligatur.

249 *Non, vt Cicero interpretatus est à relegendo.*] Sed tamen Ciceronem sequitur ferè vetus quidam apud Gell. vbi supra qui ait. Relegentem esse oportet, religiosum nefas. Arnob. ad fin. quarti. Sanctus Augustinus 10. de Ciuitat. cap. quarto, & Sanctus Thomas omnes hic notatas religionis Etymologias approbat secunda secundæ quæstione 81. articulo primo.

250 *Superstitio falsi. Et omnino quid colas interest, non quemadmodum colas, &c.*] Falsum est, non enim tantum est falsi cultus superstitio, sed etiam veri, at non debite exhibiti vt docet Sanctus Thom. in secunda secundæ, quæst. 92. Cicero secundo de natura Deor. Religionem ait esse, quæ Deorum cultu pio continetur: superstitio, in qua timor Deorum inanis est. Fabius lib. 8. cap. 3. inquit, vt a diligenti curiosus, sic a religione superstitionem distare. Varro apud Sanctum Augustinum lib. 6. de Ciuit. religiosum a superstitioso hac ratione discernit, vt à superstitioso dicat timeri Deos vt hostes, à religioso autem vereri vt parentes. Plutarch. De Isid. & Osirid. superstitionem aiebat haud minus leue vitium esse, quam impietas.

251 *Religionum se nodos exoluere*] Illa Lucretiana tinuit primi libri.

Deinde quod artis
Religionum animos nodis exoluere pergo.

252 *Veteris tique ignara*] Ita in Romano Codice Virgiliano, & multis alijs antiquis haberi testatur Pierius, & Velutell. in annotation. ad Virgilium, sed nunc in omnibus impressis est, veterumue, &c.

CAP. XXIX.

253 *DVos tamen asseueremus Deum patrem, & Deum filium.*] Quoniam hic sermonem habebat de duabus tantum personis, patre, & filio, propterea duos illos simpliciter dixit nullo adiecto nomine. nos tutè subintelligere possumus duos, idest duos Entes & Entes non substantiuè sed adiectiuè accipiendo, & rursus subintelligendo scilicet duas personas: ita enim Magister in primo senten. distin. 25. & ibi Sanctus Thom. quæst vnic. artic quarto, & Sanctus Bonauentura, in explicatione literæ.

254 *Cum igitur & pater filium faciat, & filius patrem. &c.*] Non hæc nomina pro diuinis personis accipit, neque enim tam demens fuerit, vt a filio patrem fieri dixerit, sed vt relatiua nomina sunt, quorum vnum facit, & supponit alterum. nec alterum esse sine altero potest nam ante verba hæc ita dixerat, siquidem nec pater sine filio nuncupari, nec filius potest sine patre generari. Hoc videlicet exemplo coexistentiam illam, & coæternitatem patris, & filij in diuinis ostendere voluit, vt etiam author expositionis Symbol. Apostolorum inter opera Cypriani.

255 *Vna substantia.*] Filius igitur est patri consubstantialis: Contra Arrium.

256 *Cum & filius sit in patre, quia pater diligit filium, & pater in filio, quia voluntati patris fideliter paret.*] Filius secundum diuinitatem in omnibus coæqualis est patri, & vnum cum eo. Voluntate quidem igitur, vt hic dicit Lactantius, & Sanctus Thom in quarto, cont. gentes. cap. 36. argumento 7. Verùm non ea solum, sed etiam natura, essentia, substantia, vt ipsemet author paulò supra confessus est. Non enim nouatores defuerunt, sicut Erasmus in annotationib. super Epist. primam Ioann. cap. quinto, qui locum illum Euangelij Ioann. cap. 10. Ego & pater vnum sumus. quo semper S. Patres, & Doctores Catholici omnes vsi sunt aduersus Arrianos; de vnitate tantummodo voluntatis, concordiæ, atque consensus interpretarentur, non autem de vnitate essentiæ, contra quos disputat Alfons. de Castr. lib. quinto, contra hæres. in verb. Deus hæresi sexta, Torres in Commentarijs ad quæst. 27. primæ partis Sancti Thomæ. articulo primo, disputatione prima, part. secunda.

257 *Et in te precabuntur.*] al. & te precabuntur, vt supra, cap. 13. vbi diximus.

258 *Et qui eruit eum.*] ita Septuag. καὶ ῥυόμενος αὐτόν. Vulgata, & redemptor eius.

259 *Deus æternus.*] In vtrisque Biblijs est, Deus Sabaoth, idest Deus exercituum.

260 *Et ego nouissimus.*] Sit quoque Vulgata pro eo, quod habent Septuag. καὶ ἐγὼ μετὰ ταῦτα; et ego post hæc.

CAP.

CAP. XXX.

261 A*Vt Anthropiani, seu quilibet alij, &c.*] Non hic credo Anthropomorphitas designari, quorum errori assensum aliquando fuisse Lactantium dicam inf. cap. 18. libri de Ira Dei, sed nomine Anthropianorum puto hereticos significari, qui negabant Christũ fuisse Deum, purumq; ἄνθρωπον, idest hominem eum asserebant, vnde Antrophiani, quasi latinè dicas, hominiſtæ sint appellati, quales fuerunt Ebion, Carpocrates, Cherinthus, Theodotus, siue Theodosion, Paulus Samosatenus, Photinus, & alij, quorum hæresim damnauit magna Nicena Synodus, Ephesina, Chalcedonensis, aliæ quamplures. In Vaticanis, & alijs nonnullis M SS. & impressis ita legitur, aut Authropiani, aut Arriani, seu quilibet alij, &c. Ego B. lectionem retinui in editione quoque Plantiniana exhibitam, tum propter authoritatem miræ vetustatis Codicis, tum verò etiam propter rationem: innôtuit enim Arriana hæresis circa annum Domini trecentesimum decimum quintum. at hi Lactantij libri multò antea cæpti, absoluti, editi sunt, vt dictum est supra ad cap. primum, libri primi, neque tamen hinc quicquam deperit Catholicis, cum tam multis è locis Lactantij constet. ipsum Arrianam impietatem auersatum fuisse, & antequam exorta esset, prædamnasse, vt supra ostendimus lib. 2. cap. 9. & hoc lib. c. 8. 14. 29.

262 *In qua est confessio, & penitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.*] Diriguntur hæc spicula contra Nouatianum, & sectatores, qui in peccatum lapsos ad pœnitentiam non recipiebant, remissionem peccatorum in Ecclesia reperiri, eique claues aperiendi, atque soluendi a Christo datas fuisse negantes. qua de re Pacian. ad Sympronian. Epistola. 1. Sanctus Aug. De agon. Christ. cap. 31.

Quarti Libri Not. finis.





IOSEPHI ISAEI CÆSENATIS NOTÆ

IN QVINTVM LIBRVM DIVINARVM INSTIT. LACTANTII FIRMIANI.

CAP. I.

1 NON est apud me dubium, quin hoc opus nostrum, &c.] In quibusdam impressis. Non est apud me dubium, Constantine Imperator, quin hoc opus, &c. Lectionē B. secutus sum, quæ ratione fulta videtur, vt dixi ad cap. primum, primi libri.

2 *Coacerbant.*] Ita scriptum est in B. fortè pro, coaceruant, vt supra lib. 3. cap. tertio, connibere, pro, conniuere. Sic Sanctus Cyprianus in M SS. Epistola 42. ad Cornelium iuxta editionem Pamel. habet acerbationibus, pro eo, quod in excusis legitur, aceruationibus. sic, flagella acerbata, Tertulliano, in fin. Apologet. vbi vid. Pamel. & dicta epistola 42. Thomasius tamen hoc loco deductum mauult à verbo, acerbo, quod est, acerbum facio.

3 *Sacrilegum.*] Sic malim vt in B. quam, disertum, vt in Florent. Plantin. Ald. editione neque enim laudare voluit, sed damnare sacrilegum Ethnicum illum, qui Cypriano sanctissimo viro id nominis indidisset.

4 *Coprianum.*] Ita legendum, vt in Plantiniana, & Aldin. non, Caprianum, vt in Florent. editione Iuntarum legitur. Scomma est in Cyprianum ex allusione vocis. κόπρια enim stercus significat, vnde Coprianus, quasi stercus tractans, vel stercorarius. Vel Coprianum inquit, quasi ridicularium hominem, & scurram, nam scurræ antiquitus dicebantur Copriæ, vt Iosephus Scaliger notat in Castigationib. ad Festum in Scurra, & animaduertunt viri eruditissimi hunc locum emendantes Lipsius secundo elect. cap. 17. Iacob. Durantius primo variar. cap. 13. quòd videlicet relicto Deorum cultu nobile ingenium sordido, ac fœdo doctrinæ generi, fabulisquè anilibus, atque ridiculis Christianorum mancipasset.

5 *Vnde apparet, &c.*] Hanc totam periodum vsque ibi, quod si accidit, &c. adiecimus ex Cod. B. quod & aptissimè cohęreat cum alijs, quę hic habentur, & liquidò appareat Lactantiana.

CAP.

CAP. II.

6 Quorum alter antistitem se philosophiæ profitebatur, &c.] Porphyrium intelligit. consule Baron. Cardinalis Annales tom. 2. sub anno Domini Trecentesimo secundo.

7 Tres libros euomuit contra religionem, nomenque Christianum.] Tres quidem primò, verùm & alios postea vsque ad quindecim, vt scribit Suidas. Porphyrij calumnias, atque impietates iustis voluminibus refutarunt acriter Methodius Tyri Episcopus. Euseb. Apollinar. vt tradit Hieronym. De scriptor. Ecclesiast. & deinde incidenter, & per occasionem Cyrillus, Hieronymus, Augustinus alij.

8 Alius eandem materiam mordacius scripsit, &c.] Fuit iste Hierocles, quem libros suos, quos contra Christianos scripsit, veritatis amatoris titulo prænotasse scribit Eusebius, qui & illos egregio refutauit Commentario.

9 Qui erat tunc è numero Iudicum, &c.] Exercebat enim eo tempore præfecturam Augustalem Alexandriæ, vt tradit Epiphan. hæres. 68.

10 Assensus.] In quibusdam haberi, accensus, testatur Ianus Gulielmius in quæstionibus ad Plaut. Menæchm. cap. 4. ducta videlicet translatione a re militari vt diximus supra lib. secundo, cap. 10.

CAP. III.

11 Nemo Apollonium.] Baptista Pius in annotationibus posterioribus cap. 99. legendum hoc loco putat, nemo Apuleium, cum aliqua corrupta exemplaria habere testetur, nemo Apollinem. Ego prorsus lego, vt in omnibus libris reperi, nemo Apollonium; nam de illo sermo erat. & fortè sic scripserit quoque Pius; nam illarum annotationum editio, quæ apud me est, nimium quantum Typographi erroribus scatet.

12 Repente in iudicio non comparuit.] Hoc tradit & Philostrat. in Vit. Apollon. lib. 4.

CAP. IIII.

13 Qua materia non est vsus vt debuit, &c.] Ita & Sanctus Hieronymus sentit ad Magnum.

CAP. V.

14 Ne signare quidem, &c.] sic in Rom. Virg. Codice haberi testantur Pierius, & Velutell. cum impressi varient, nam alij sic habent alij verò, nec signare quidem.

CAP. VI.

15 In vsus hominum.] Libenter legerim, in vsus omnium, vt fieret antithesis ad illa, singuli, & paucorum.

CAP. VII.

16 Quanto frequentius impellitur, tanto firmius roboratur.] B. T. P. & M SS. ferè omnes, Quanto frequenter impellitur, tanto firmiter roboratur, Ego secutus sum lectionē Florentinæ, Aldinæ, Plantinianæ editionis, quæ rectior visa est, nam alteram damnat Valla primo, elegantiar. cap. 16. quamquam profectò (vt probè notat contra eum quoque Franciscus Floridus lib. 2. Lection. subsecivar. cap. 20.) etiam Cypriano, Tertulliano, Boetho, alijs, præsertim ecclesiasticis, Latinis scriptoribus vel Valla ipso iudice non admodum malis, quædam sunt dictiones, ac phrases peculiares non vtique suscipiendæ ad imitandum, quas tamen in illis non iure reprehendas, sed potius vti magnorum virorum labeculas, quasi in pulchra facie neuos quosdam probes, atque osculeris.

CAP. VIII.

17 Sicut vna (inquit) eademque natura, &c.] excidisse hic locus putatur ex libro de legibus primo.

CAP. IX.

18 Cum feminis patientia certent, &c.] tunc scilicet, cum viri nubunt in fœminis virum parituris, vt dicitur in l. cum vir. Cod ad l. Iul. de adulter. sic & Quintilianus Declamatione tertia, vt pollutis (inquit) in fœmineam „ vsque patientiam maribus incurrat iam libido „ in sexum suum.

19 Qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas omne polluant, &c.] dum videlicet execrabilem in se furorem admittunt, qui nec capiti quidem parcit, vt ait inf. lib. 6. cap. 23.

20 Induforum se omnes, &c.] Ita lego, vt habet B. vel, induforo, vt P. & ita legit Robertus Stephanus in fragmentis Lucilij ab ipso collectis, & editis, non vt corruptè legitur in Ald. & Plantin. indufori epenthesis illa est, pro, in forum, vel, in foro. sed forte scripserit Lucilius, Endoforum, vel, Endoforo; nam endo, pro in vsos fuisse veteres, norunt omnes.

21 Blanditia certare.] Ita legit Rob. Steph. vbi supra iuxta editionem Florentinam, quæ sanè

magis Luciliana est. quamuis Ald. & Plantin. habeat, blan liri, certare, &c.

22 *Per cætera vniuersa sequitur.*] B. per cætera vniuersa quæreretur? (quæ lectio quamquam, & ipsa recipi potest, tamen prior illa vulgatior est, & magis probata ab Antonio, Augustino, & Thomas.

CAP. X.

23 S*Parsurus sanguine flammas.*] In Marone variè legitur, nam aliquæ editiones habet, sparsuros, quæ lectio magis probatur Pierio, aliquæ verò vt in nostro. Flammam, quoque legi, non flammas in Romano Cod. Virgiliano testatur idem Pier. & Velutel. sed nostra lectio magis recepta.

24 *Tum pius Æneas.*] Ità ex Cod. B. emendantur excusi, qui habent, ecce pius Æneas, quæ lectio, & Maroni repugnat, & rationi versus.

25 *Equidem & viuis concedere vellem.*] Equidem viuis concedere mallem, in aliquot antiquis Codicibus haberi tradunt. Pier. Velutel. Bergizom. in Virgilium.

26 *Erudiantur ad iniustitiam.*] vel iustitiam, mendum est in Aldin. & Plantin. contra quàm sensus ipse authoris poscat, & B. T. P. alij MSS. & editio Florent.

CAP. XI.

27 E*Tenim si nemo est (inquit) &c.*] locum inter opera Ciceronis, non reperio, sed simmem habes tertio. Officior. c. tertio. ,, Quid
,, enim interest, vtrum ex homine se conuertat
,, quis in belluam, an in hominis figura immani-
,, tatem gerat belluæ?

28 *Sunt vnus in Phrygia, &c.*] Historiam scribit Euseb. 8. hist. cap. 11.

29 *Constitutiones sacrilega.*] Quas lege apud Euseb.

30 *Domitius.*] Vlpianus.

31 *Libro septimo.*] Al. libris septem, sed nostram lectionem exhibent MSS. B. P. & excusi Florent. probant Cuiac. lib. 10. Obseruat. cap. 34. Thomasius in Notis.

CAP. XII.

32 Q*Vare (inquit) si duo sint, &c.*] Exceptus locus è disputatione contra iustitiam, quam fuisse in tertio, de Repub. Ciceronis autumat Sigon in Schol. ad Cic. fragm. vbi de hoc egregiè disserit. Vid. & epist. 15. lib. quarti ad Attic.

33 *Et contrà eum. qui sit improbissimus, existimet, &c.*] Al. contra autem qui sit improbissimus existimetur, &c. sed rectissimè hunc locum quamuis de sola coniectura restituisse mihi videtur Andreas Patritius, cuius hæc verba sunt in Schol. ad frag. libri tertij, de Repub. Ciceronis. ,, Olim erat (existimetur) sed ego de
,, vera, vt puto lectione, cum per meipse diui-
,, narem, tum inueni postea ab alijs animaduer-
,, sam esse. Quid verò præterea, si sic? & contrà
,, eum, qui sit improbissimus, existimet, &c. ne-
,, que enim placet & hic, & paulò post contra
,, autem, & librarius in [putet & contra,] faci-
,, lè &, omittere potuit, præsertim si ita scri-
,, ptum viderat vti multa in pandectis Florent.
,, scripta extant, [put Et contra] quod tantum-
,, dem est, ac si ego scribam, putet & contra, &c.]
Patritij coniecturam iuuat, quod animaduersum est, sæpe scribas, cum in eandem dictionem, vel clausulam geminatam inciderent; alterâ earum omittere solitos, vt notat Gulielmus Forner. lib. secundo, selection cap. 24. qui ideirco Varronis locum de ling. lat. vbi habetur, circum aras solitum, legendum monet, solitum tum, & in l. pænales. §. primo. D. ad l. Faleid. vbi habetur, augmentum rei, legit, augmentum tum rei, & in l. omnes. D. de in integr. restit. pro, examinet, an veræ sint, legit, examinet, & an veræ sint, &c. alia exemp. ibi videre poteris. notat & idem Cuiacius lib. secundo obseruation. cap. 11. & lib. 10. c. 30.

34 *Existimatione.*] Lectionem hanc probat Patrit. vbi supra, exhibitam ab editione Plant. & Aldin. in Florentina legitur, æstimatione.

35 *Cariosis.*] Hanc lectionem, vt meliorem retinui, quam habet Aldus. dicit autem per contumeliam Deos cariosos, idest eorum simulachra, quæ cum è ligno, aut alia eiusmodi materia constarent, putrilaginem, & cariem contrahebant. al. legitur, nariosis, vel, varicosis.

CAP. XIII.

36 E*T Mutio glorientur.*] De quo Cicero, Liuius secundo primæ Decad. Valer. 3. c. 3. Senec. de Diuina Prouidentia, & epist. 24. Tertullian. ad Martyl. cap. 4. Sanctus Augustinus 4. ciuit. cap. 20.

37 *Et Regulo.*] De quo Cic. 3. officior. ad fin. Seneca de Diuina Prouidentia. Plin. de viris illustri. Gell. lib. 6. c. 4. Tertullianus ad Martyr. vbi supra, & in fin. Apologet. Augustinus primo, ciuit. cap. 15. & 24. Suid. in *ῥήγουλος*.

CAP. XIV.

38 *TErram digitis suis imaginatam.*] Insolitè id-est, in imaginem figuratam digitis suis atque formatam. sic Sanctus Remigius in suo Testamento apud Brisson. formul. lib. septimo, tibi hæredi meæ ecclesiæ supra memoratæ iubeo thuribulum, & imaginatum calicem fabricari, &c.

CAP. XV.

39 *IS cum legatus, &c.*] Historiam refert Macrob. pr. Saturn. c. 5. Gell. lib. 7. cap. 14. & lib. 17. in fin. Quintil. lib. 12. c. 1.

40 *Quam Cicero æquabilitatem vocat.*] Secundo de orator. „ Et eo magis, si intolerantius se ia- „ ctant, ex æquabilitatem communis iuris præ- „ stantia dignitatis, aut fortunæ suæ transeunt, „ &c.] & eod. lib. ad fin. „ Erit explicandum in „ laude iustitiæ, quid cum fide, quid cum æqua- „ bilitate, quid cum eiusmodi aliquo officio is, qui „ laudabitur, fecerit.] & pr. officior. c. 32. „ In „ liberis verò populis, & iuris æquabilitate exer- „ cenda etiam facilitas, &c.

CAP. XVI.

41 *NEc alia causa est, cur nobis inuicem fratrum nomen impertiamus, &c.*] Sic & Tertullianus. c. 39. Apologetic.

42 *Qua hic mala putantur, &c.*] Hunc versiculum apud Euripidem non inuenio.

CAP. XVII.

43 *AVt nullam esse iustitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam, &c.*] Tractat hoc argumentum apud Platonem Trasymachus in primo de Republica.

44 *Bonus vir (inquit) si habeat seruum fugitiuum, &c.*] Harum aliquam, & præterea nonnullas alias eiusmodi quæstiones edisserit Cicero tertio, officior. cap. 3.

45 *Si profitebitur, bonus quidē, &c.*] Al. si profitebitur emptori fugitiuum esse, bonus quidem, &c. Sed illa, emptori fugitiuum esse, non extant in B. nec P. quia illud, profitebitur, non tantùm ad fugitiuum seruum, sed etiam ad domum pestilentem, & alia similia referri debet, de quibus dixerat, vt notat quoque Thomasius.

46 *Iam verò iustus ille, sed stultus est.*] Hanc lectionem Aldi, & Iuntarum Florent. retinui, quantumuis inuitis, & reclamantibus Codicib. B. T. P. & Plantiniana editione, vbi habetur, iam non iustus &c. repugnat hæc lectio sententiæ ipsius Carneadis; non enim in hac disputatione iniustitia, sed iustitia cum stultitia, iniustitia verò ipsa cum sapientia coniungebatur: & ita dicebatur, quòd ille quidem iustus erit, sed stultus, si verò contra fecerit, idem sapiens habebitur, sed erit iniustus. hoc liquet ex alio sequenti proximè exemplo.

CAP. XVIII.

47 *CVr enim nauiget, &c.*] Vid. Senec. natural. quæst. lib. 5. c. 18.

48 *Familiares illi Pythagorei.*] De Dæmone, & Pythia loquitur, quorum historiam habes apud Valer. lib. 4. cap. 7. Ciceronem tertio officior. cap. 3 sub initium.

CAP. XIX.

49 *APud Ciceronem idem ipse iustitiæ defensor Lælius, vult, inquit, &c.*] Cuius quidem Lælij, quæ hoc capite referuntur sententiæ exciderunt ex eadem disputatione tertij de Republica Ciceronis (de qua supra, c. 12.) vbi contra Furium pro iustitia Lælium inducebat Cicero differentem.

CAP. XXIII.

50 *DEus (inquit) homines pro liberis habet, &c.*] Hęc ipsa verba haud certè reperias apud Senecam, sed eorum sententiam habes in eo libello De Diuina prouidentia sub initium. quare aut ea verba excidisse dicendum, aut eam Lactantium ipsiusmet, quasi Senecæ verbis extulisse sententiam; quod alibi sæpe ab eo factitatum animaduerto. Sic supra lib. 3. c. 21. ea Platoni verba attribuit. Ciuitas concors erit, &c. Et hoc libro cap. 18. illa Carneadi apud Ciceronem Iustus (inquit) si aut equum saucio, &c. & inf. lib. 6. c. 12. Si audieris (inquit) præces, &c. quæ Domini verba nusquam reperiuntur, sed sententia ipsorum Matth. 5. Luc. 6. Lactantij verbis expressa.

Quinti Libri Not. finis.



IOSEPHI ISAEI
CÆSENATIS
NOTÆ
IN SEXTVM LIBRVM DIVINARVM INSTIT. LACTANTII FIRMIANI.

CAP. I.



NIHIL enim sancta, & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat, &c.] Non quia exterius quoque sacrificium Deo non sit acceptissimum, vt dictum est supra lib. 2. c. 2. Sed hæc sæpe prisci patres ingerebant auribus Ethnicorum, qui sceleribus omnibus cooperti se religiosos putabant, si templa, & aras hostiarum sanguine cruentarent, tanquā Deus victimis indigeret. Cæterum de Sanctissimo Eucharistiæ a Christo Domino instituto sacrificio, quod Missam nominamus, quodque ex hoc, vel alijs huiusmodi locis temere admodum infamant hæretici, vide antiquissimorum Patrum testimonia, Ignatij Christi contemporanei, & Apostolorum discipuli Epistola 10. & ad Philadelph. Epist. 9. ad Ephes. Epist. 14 ad Romanos, Epist. 15. Irenæi discipuli Polycarpi; qui fuit auditor Ioannis Apostoli lib. 4. c. 32. vbi inquit. ,,Ex creatura panis accepit, & ,, gratias egit dicens, hoc est corpus meum, & ,, calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ ,, est secundum nos, suum sanguinem confessus ,, est, & noui testamenti nouam docuit oblatio- ,, nem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in ,, vniuerso mundo offert Deo, &c.] Et c. 34. ,, Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus do- ,, cuit offerri in vniuerso mundo, purum sacrifi- ,, cium reputatum est apud Deum, & acceptum ,, esse ei.] Item Tertulliani lib. 2. ad vxor. De Monogam. De corona milit. De oration. De castit. De cultu fœminar. pr. aduersus Marcion. & alibi sæpe. Cypriani Epist. 63. ad Cæcilium. & Epistol. 66. Nazianzeni in carmine ad Episcopos, Ambros. in oratione præparat. ad missam. Chrisost. in homil. de prodit. Iud. & super Epist. ad Hebræos. Hieronym. ad Damas. de fil. prodig. Augustini de Ciuit. lib. 17. cap. 20. Cyrill. Cathec. Mystago. Gregorij Magni 4. Dialog. c. 58. Alex. Pr. in decreto, quod habetur inter Concilia generalia De Sacerdotibus non vexand. Leonis pr ad Dioscor. Epist. 9. Fulgent. ad Moncim. lib. 2. denique Conciliorum, Toletani p. c. 5. Ephesini in Epistola

stola ad Nestor. Lateranen. relati in cap. firmiter de summa Trinit. Tridentin. sessione 22.

CAP II.

1 *Ascendunt lumina velut in tenebris agenti*] sic paulò inf. iam sentiant, quàm non indigeat lucernis eorum Deus, &c. Qui igitur Deo lumina accendunt ea fide, vt credant, ipsum in tenebris agere, vel luminibus indigere meritissimò damnantur. At verò Sancta Dei Ecclesia lumina etiam per diem in Templis accendit, vt erga Deum, & Sanctos eius in animis fidelium venerationem, ac religiosam quandam lætitiam excitet, vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Euangelio legitur, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, vt dicitur in Canon. cleros. distinct. 21. ex Isidor. 7. Origin. c. 12. isque pius vsus tum diuinis literis, tum Sanctorum testimonijs comprobatur. Nam Exod. 25. fit mentio de candelabro in Dei templo septem infusoria habente. Cyprianus Epist. 55. de Ceroferarijs, siue Acolytis meminit, quorum munus est ad sacram mysteriorum pompam accensos in Ecclesia cereos ferre. S. Hieronymus contra Vigilantium hæreticum disputat luminarium vsum Catholicis exprobrantem. S. Athanas. cereos à fidelibus oblatos ab Ariannis hæreticis sublatos conqueritur in Epistola ad Orthodox. Videndi sunt præterea Euseb. lib. 6. historiæ c. 23. S. Epiphan. ad Ioan. Hierosolym. Epist. S. Paulin. in Carmin. in Natal. 3. & 6. S. Felicis. S. August. in sermone de tempore 215. S. Euod. de miraculis S. Stephani lib. pr. cap. 2. & lib. 2. c. 2. Item Concilia Romanum sub Syluestro, Charthaginen. 4. c. 2. & seqq. Atque hoc pietatis signum Deo gratissimum, atque acceptissimum esse testatur insignia ex ipsa cera è candelabris, vel oleo è lampadibus sumpto facta miracula, de quibus S. Augustinus 22. Ciuit. c. 8. Theodorett in historia Sanctor. Patr. c. 21. in Iacobo. S. Greg. Turonen. in miracul. S. Martin. cap. 2. ad fin. S. Greg. Magn. 3. Dialogor. cap. 30. Paulus Diaconus De gestis Langobard. lib. 2. cap. 9.

3 *Sed vt ait Poeta liquidum, &c.*] Lucretius 5. *Largus item liquidi fons luminis ætherius Sol, &c.*

CAP. III.

4 *Dvæ sunt viæ, per quas humanam vitam, &c.*] Aldi editio: duæ sunt viæ, Constantine Imperator, per quas, &c. Sed in B. T. P. in editione Florentina, Iuntar. & Plantinian. nihil de Constantino.

5 *Alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum*] Vbi ad hoc biuium peruenisset Hercules, ancipitem animi fuisse, vtram viam capesseret, fabulatus est Prodicus Chius, vt pulcherrima narratione refert Xenophon lib 2. de memorab. Socratis in principio, Cicero pr. Officior. c. 43. Suid. in verbo πρόδικος, & Aristophanis interpres in Nubibus. Philo Iud. in lib de merced. meretr. in ærar. non inferend. Basil. de vtilit. ex lib. gentil. capiend. extat hac de re venustissimum Virgilij Epigramma de litera Y.

6 *Quomodo autem hæ viæ*] Ita reposui ex vtroq; Cod. S. Saluatoris B. T. P. pro eo quod in impressis est, quomodo autem vitæ istæ, &c. nam permanet in allegoria duarum viarum.

CAP. IV.

7 *Vt Poetæ loquuntur*] nam Virgilius 6.
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit
Hac iter Elysium nobis, &c.

8 *Posita sunt omnia*] ita leg. vt in B. & T. & alijs optimis Codicibus, non vt in aliquibus impressis. posuit Deus omnia, nulla enim vitia posuit Deus.

Ex altitudine in profunda cadat] Secutus sum lectionem vetustissimi Codicis B. nec aliam tamen, quæ habet, in altitudinem profundam cadat, improbandam puto, vt putauit Thomasius, vbi ait, nam cadere in altitudinem nullo modo dici potest, cum illud sit erigi non cadere. cum enim altitudo à profunditate non nisi ratione differat, sæpe altitudo pro profunditate ponitur. Sic altitudo maris Cicer. ad Attic. lib. 9. & Cæsar. 4. belli Gallici, & concauæ altitudinis speluncarum 2. de nat. Deor. & Terra descedit ad infinitam altitudinem pr. de Diuinat. & saxum depressum est in mirandam altitudinem 7. Verr. & Cels. lib. 7. c. 7. altitudo plagæ vsq; ad cartilaginem esse debet. et Plin. lib. 10. c. 33. specus sex pedum defossa altitudine.

CAP. V.

9 *Verum scientia non potest esse virtus*] secus Plato in Lachet. Menon. & alibi, quem arguit Arist. Ethic 6. c. 13. magnor. moral. pr. c. pr. Eudemion. lib. pr. c 3. & lib. 7. c. 16.

10 *Stultitia caruisse*] B. T. P. & Florentina editio hæc non habent. Ego secutus sum editionem Aldi, & ea reposui, quia pertinent ad hęc illa, Et sapientia prima, non autem ad illa priora, virtus est vitium fugere.

CAP.

CAP. VI.

11 *NEc Deum, nec aduersarium eius*] hæc lectio recepta est ab omnib⁹ excusis, & a MSS. tribus Vatican & P. alij nouem ex ijsdem Vaticanis habent, nec Deum, nec aduersarium Dei. nec ea lectio quicquam absurdi continet, vt suspicatur Thomasius, cum non solum Diabolus, sed etiam quicunque peccatores aduersarij Dei rectè dici possint. Moyses Exod. 13. in Cantic. Deposuisti aduersarios tuos. & 2. c. pr. Reg. in Cantic. Dominum formidabunt aduersarij eius. & Lactantius supra lib. 2. c. 10. Diabolum vocauit antitheum, idest Dei aduersarium. B. tamen habet aduersarium humani generis.

Dirimunt hi cōmunē generis humani societatem] Paucula tantum transposita, nam Cicero, hi dirimunt communem humani generis, &c.

Ab optimis naturæ, & veritatis exemplis] Sed Cicero in Castigatis Lambinianis, quorum lectionem germanam puto, ex optimis naturæ principijs, & veritatis exemplis. Veruntamen quædam aliæ Ciceronis editiones τὸ principijs, non habent.

12. *Aut eum Fabritius inquit fortis, &c.*] mutilus est, & nonnihil variat hic Ciceronis locus apud authorem nostrum; nam Cicero sic habet. „Nec verò cum duo Decij, aut duo Sci-
„ piones etiam fortes viri commemorantur, aut
„ cum Fabritius, aut Aristides iustus nomina-
„ tur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his iustitiæ,
„ tamquam a sapiente petitur exemplum, &c.]
Et quidem Fabritium Cicero nunquam ad fortitudinis, sed ad iustitiæ adducit exemplum, & eod. lib. 3. offic. cum ait Romæ idem fuisse, quod Athenis Aristides. vnde hic fortasse vox fortis, abundare videatur, & totus locus ex Cicerone restituendus.

CAP. VII.

13 *VT immortale illud arcanum eius in operto esset*] ferè omnes MSS. & excusi habent, in aperto esset, quæ lectio repugnat sententiæ Lactantij. Ideo lectionem Iuntarum secutus fui, quæ plana, & consona, & perspicua est. loquitur enim de illo æterno, infallibili arcano, & nullis hominum mentibus scrutabili; quo Deus aliquos reprobat, & permittit errare, vt ipsorum libero arbitrio a sapientia, & veritate auersi in idipsum incidant, quod vitare cupiunt, pænam videlicet sempiternam. qua de re diximus ad cap. 20. lib. 4. B. habet, vt immortalitatem, ita arcanum eius in aperto esse voluit.

CAP. VIII.

14 *HVic legi nec abrogari fas est, &c.*] Ita legendum puto cum Thomasio in notis, & cum Patritio, atque Sigonio in scholijs ad hunc locum inter fragmenta Ciceronis lib. 3. de Republica, nam hic tria genera labefactandæ legis expressa sunt, nempe obrogatio, derogatio, abrogatio, de quibus apud Festum, Ciceronē 2. de Inuention. Vlpianum tit. pr. Institution. propagari, quod hic habetur in aliquibus exemplaribus nihil ad rem.

15 *Ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pænas, &c.*] ferè omnes Codices habent, aspernabitur, & quia videbatur, copulam sequi debere, Patritius legebat, aspernabitur, & hoc ipso luet, &c. Franciscus Balduin. In Institut. Iustiniani, aspernabitur, atq; hoc ipso luet B. Codex omnem scrupulum depulit, dum legendum ostendit vt in textu.

CAP. IX.

16 *ET legitimè iniurias faciendo*] Ironicè loquitur aduersus Romanos; qui solebant per Feciales indicere bella, & quadam verborum formula ante obtestari, se aduersus gentem illam, quam debellare conabantur, bellum iustè parare. Tum sibi quæcunque licere, & omnia se legitimè agere putabant. vide Halicar. 2. histor.

17 *Aliud est igitur ciuile ius, quod pro moribus vbique variatur*] De hoc disserunt Philosophi in 5. Moral. ad Nicomach. c. 7. Magnor. moral. pr. c. 31. Iurisconsulti in Institutionibus, & Pandectis Tit. de Iustitia, & iur.

18 *Et ipsam iustitiam ignoret necesse est*] ita ex vtroque Cod. S. Saluatoris B. T. P. Florent. editione emendantur libri, qui habent, & ipsum Deum ignoret, &c.

CAP. X.

19 *ITaque inter se congregatos, quòd natura hominum, &c*] Vid. Aristotelem pr. politic. cap. 1. & 2. & lib. 3. c. 4.

CAP. XI.

20 *QVi flecti, ac misereri non putant esse sapientis*] Vt Stoici, referente Cicerone 3. Tuscul. & in oration. pro Muren. contra Catonem. Vt Senec. lib. 2. de Clemēt. c. 5. vt Agesilaus fortissimus Imperator, cuius sententiā, &c. fert Plutarch. in Laconic. apophtegmat. difficile esse, misereri simul, & sapere.

21 Malè

21 *Malè meretur, &c.*] Hic versus apud Plautum ita legitur. *De mendico.*
malè meretur qui ei dat quod edat, aut quod bibat.
22 *Quod sine spe recipiendi feceris*] præclarè Seneca lib. 4. de benefic. c. 3. & seqq.
Benigniusque] Cicero benigniusue.
Nihil est enim, &c.] Cicero nihil enim est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, &c.

CAP. XII.

23 *Quod illi virtutis, iustitiæq; doctores prorsus nō attigerunt*] Nā licet quippiā reperias apud Platonem, Aristotelem, Ciceronem, aut alios fortassis Ethnicos de mortuis hominibus humandis, id potius viri boni officium crediderunt, quàm vt significent ab vllo vnquam legislatore præcepto imperatum, & de parentibus, & cognatis potius, aut de Republica benè meritis, quam de peregrinis, ac pauperibus tumulandis locuti intelliguntur. Vide Hieronym. Magium, qui hunc locum enarrat lib. 2. Miscellaneorum c. 19.
24 *Qui superuacaneam fecerent sepulturam*] Vnde illud Maron. ad fin. 2. Æneid. facilis iactura sepulchri est. qua de re Senec. in remed. fortuitor.
25 *Si audieris (inquit) preces supplicis tui, &c.*] Non sunt hæc verba desumpta ex vllo Sacræ Scripturæ loco, sed ijs Lactantius ipse, quæ Domini Saluatoris est, sententiam expressis Luc. 6. „ Estote misericordes, sicut & pater ve-
„ ster misericors est. Dimittite, & dimittemini,
„ date, & dabitur vobis. Eadem quippe men-
„ sura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

CAP. XIII.

26 *Veniam non habet, qui sciens peccat*] hoc declara ex superioribus, videlicet si peccās pœnitentiam non agat, neque profiteatur, & statuat, se non vltra peccaturum.
27 *Qui primum gradum ascendit, satis iustus est*] Non ille satis iustus est, si ab operibus malis abstinens, malè tamen aut loquatur, aut cogitet, id quod vel ipse Lactantius, & confitetur, & docet infra c. 23. & lib. 7. c. 27. a t, Deum iudicaturum esse etiam prauas cogitationes.

CAP. XIV.

28 *Nam Stoici affectus omnes, quorum impulsu animus commouetur ex homine tollunt. &c*] pro quibus Stoicis Seneca plurimis in locis Epistola 86. peperceram. Epist. 117. Vtrum fatius lib. pr. De ira cap. 10. & 11. & seqq. & toto lib. 2. Peripatetici contra non tollendos omnino, sed moderandos contendunt; Virtutes enim Aristoteles simpliciter impatibilitates, & tranquilitates, vt ait Lactantius lib 7. c. 10. negat esse lib. 2. Ethic. c. 30. Vid. Ciceronem 3. & 4. de finib. & 4. Tuscul. Plutarch. de moral. virt. S. Augustinum lib. 9. Ciuit. c. 4. & lib. 14. c. 8. & 9. Author noster contra vtrosque disputat.

CAP. XVI.

29 *Quis & in illo exiguum lætari, &c*] loquitur iuxta opinionem gentilium Philosophorum, contra quos erat disputatio, vt eos suis ipsis positionibus argueret, quod hisce in libris professus est se facturum lib. 5. cap. 4. non autem iuxta dogmata Christianæ sapientiæ, qua docemur, vel ipsis hostibus bona omnia cupienda. de quo & ipse præclarè differit inf. cap. 18.

CAP. XVII.

30 *Nam istæ concitationes animorum iuncto curru similes sunt, &c.*] fortasse alludat ad currum, de quo Plato in Phædro.
31 *Hic est ille homo honestus, &c.*] Sententia Senecæ excerpta è moralis philosophiæ libris, quos amisimus, sed similia passim effert epistola 24. sollicitum lib. 6. natural. quæst. cap. 32. & alibi.

CAP. XVIII.

32 *Qui colit verbum bonum.*] Idest IESVM Dei filium, qui Verbum bonum dicitur initio Psalm. 24. ad quem locum respexit.
33 *Iam ex hoc ipso boni viri nomen amittat necesse est, &c.*] Non solum contra Ciceronem hæc disputatio tendit, sed etiam contra Aristotelem, qui non vlcisci iniuriam, ignaui hominis, atque seruilis esse contendit lib. 4. Moral. Nicomach. & tertio. Eudemiorum vtrobique cap. 5.
34 *Alieno titulo inscriptas.*] Videlicet titulo Philippicarum exemplo Demosthenis.
Spero (inquit) Cæsar, qui obliuisci, &c.] τὸ Cæsar, abest a textu Ciceronis, ibi enim, spero etiam te, qui obliuisci, &c.

CAP. XIX.

35 *Itaque hanc ipsam iram cotem dicunt esse virtutis.*] Secutus sum Iani Gulielmij tum iudicium,

cium, tum fidem, nam in nonnullis MSS. Lactantij Codicib. ita haberi testatus est in Quæstionib. ad Plaut. Menaechm cap. 4. Et quidem Cicero a quo mutuatur hæc omnia Lactantius sic habet in Lucull. propè fin. „ Ipsam iracun-
„ diam fortitudinis quasi cotem esse, &c.

CAP. XX.

36 *Stupra vero (inquit) & adulteria, &c.*] Quædam transposita, quædam omissa. Cice-
„ ro „ stupra verò, & adulteria, & omne tale
„ flagitium nullis alijs illecebris excitari, nisi vo-
„ luptate; cumque homini siue natura, siue quis
„ Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic di-
„ uino muneri, ac dono nihil esse tam inimicum,
„ quam voluptatem: nec enim libidine dominan-
„ te temperantiæ locum esse, nec omnino in
„ voluptatis regno, &c.] Aliqui tamen Codices Ciceroniani habent, [nullis alijs illecebris incitari nisi voluptatis.] vt notatur ad oram Lambinianorum, & nec enim [libidine dominante temperantiæ locum esse omnino, neque in voluptatis, &c.]

37 *Tamen spectacula hæc publica non contemnunt.*] De quibus Tertullian. in libro de Spectacul. Cyprianus Epistola prima ad plebem. Sanctus August. in 3. Ciuit. c. 8. & seqq.

38 *Neque militare iusto licebit, &c.*] Loquitur tantùm pro tempore illo primitiuæ, & adolescentis Ecclesiæ, quæ nec gladium habebat, nec decebat, tunc illam armis vti, sed duntaxat per passiones, & miracula augeri, vt scribit Hugo Carensis in annotationibus in Marc. exponens locum illum Lucæ 22. Vendat tunicam suam, & emat gladium. Cæterum & hominem iustum militare posse, & militiam aliquando iustam esse ex sancto Ambrosio, Augustino, Gregorio, cæteris patribus prodit Gratianus in Decret. tota causa 23. quæstione prima, secunda, tertia, & hæreticorum Manichæorum, Oecolampadij, Agrippæ, Lutheri, Erasmi contrariam assertionem refellit Sixt. Senen. lib. 6. Biblioth. annot. 156. Alphons. de Castr. cont. hæres. lib. tertio, in verbo, Bellum.

39 *Neque verò accusare quenquam crimine capitali*] Non est hoc simpliciter verum, cauæ enim adesse possunt, quibus non modo iusto homini accusare facinorosum licet, sed etiam ad accusationem instituendam obligatur, quando videlicet intelligat. reetus in rei publicæ perniciem ire, & idoneis, id testibus probare possit. Sanctus Greg. apud Gratian. in can. si quis super his. in canon. Metropolitanum, & Gelasius in Canon. qua propter secunda, quæst. 7. Pius Papa in Canon. si quis per capillum 22. quæst. prima. Sanctus Thom. secunda, secundæ, quæst. 68. articulo primo. Sot. de iust. & iur. lib. quinto, quæstione quinta, articulo primo.

40 *Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, &c.*] Ioannes Duns in 4 distinct. 15. quæst. tertia, propè a. est a Lactantij sententia. Verum illud Dei præceptum non adeò generale est, vt omnem prorsus exceptionem respuat, & causas aliquas adesse posse, quibus homo hominem iure interimat, demonstrat Sanctus Thom. secunda secundæ, quæstione 64. Dominic. Sot. De Iustit. & iur. lib. quinto, quæst. prima.

41 *Quem Deus sanctum animal esse voluit, &c.*] Dictio, sanctum, hoc loco in significatione propria accipitur, & idem valet, quod ab iniuria hominum defensum, atque munitum, vt scribit Martian. Iureconsultus in l. sanctum. D. de rer. diuis. Donatus. „ Sanctum dicitur,
„ quod omni obseruatione inuiolatum est. Cice-
„ ro secunda. Philippic. tanta enim est charitas
„ patriæ, vt vestris etiam legionibus sanctus es-
„ sem.] Sic sanctæ leges dicuntur, quæ pœnæ sanctione corrumpi vetantur apud Vlpianu in l. sacra D. de rer. diuis. sic oppidorum muri sancti Pompeio Festo De Verb. veterib. Caio Iureconsulto in l. prima, & Cassio, Sabino, Marciano in d. l. sanctum. D. de rer. diuis.

CAP. XXIII.

Vt in hos affectus auidissimè ruerent, eaque ratione propagari, & multiplicari genera possent, &c.] Sic & Galenus libro 14. de vsu part. cap. secundo, sic & Sanctus Basilius enim (inquit) appetitus mortalibus ad propagandam sobolem diuinitus est datus, &c. & de nomine loquens Senec. in Consolatione ad Matrem cap. 13. si cogitas, ait, libidinem non voluptatis causa homini datam, sed propagandi generis, quem non violauerit hoc secretum, & infixum visceribus ipsis exitium, omnis alia cupiditas intactum præteribit.

42 *Pudicitiam flagitauit.*] Ita B sex Vatic. & ferè omnes alij tum MSS. tum excusi. Alij sex eorundem Vaticanorum, & Aldus in emendatione erratorum suæ editionis ad libri calcem, flagitiauit. Ego quidem nec satis habeo, cur alterutram lectionem probem, nec quid conijciam inuenio. Nam cum flagitare nullam aliam habeat significationem quam vehementer, & sollicitè exposcendi, rectè dicas, puellam flagitari ab aliquo, vt apud Vlpianum in l 2. D. de

D. de priuat delictis. quem locum profert Thomasius, sed ei minime opitulatur, quia aliud est puellam flagitare, aliud pudicitiam flagitare Gulielmus Fornerius libro secundo select. cap. 11. ait flagitare idem propriè esse, quod stuprare. au thoritates affert, quas alij viderint. Ego mallem, flagitiauit, vt hic idem esset, quod flagitio pudicitiam affecit, ac polluit, nisi verbum valde insolens formidarem.

43 *Ne capiti quidem parcit*] Beroaldus ad Suetonium in Tiberio cap. 45. Brodæus Miscellaneorum libro secundo, cap. 21. Magius Miscell libro secundo cap. 20. declarant hoc Lactantij dictum, qui contra hosce nefarios inuectus est etiam supra lib. 5. cap. 9.

44 *Verùm etiam publicis, vulgatisque corporibus abstinendum Deus præcepit, docetque nos, cum duo inter se corpora, &c.*] hinc Ebionis, & Helchefeitarum refellitur hæresis, qui Pauli Apostoli Epistolas omnes repudiaruut, vt scribit Irenæus lib. primo aduersus hæres. & Eusebius libro tertio Ecclesiasticæ historiæ cap. 27. & libro sexto cap. 27. nam cum hæc deprompta sint ex capite sexto in fine primæ ad Corinthios constat etiam illis temporibus, Pauli Epistolas inter diuinas scripturas, & diuinitus inspiratas à fidelibus recensitas esse. alias item Pauli sententias, vt diuina oracula refert alibi, supra hoc libro cap. 18. lib. De ira Dei, cap. 21. Consequenter etiam hinc profligatur hæresis Simonis Magi, Saturnini, Nicolaitarum, Florianorum, Adamitarum, Vualdensium, qui omnium fœminarum, vsum promiscuum ausi sunt comprobare.

45 *Solam omnium mulierem patientem viri fecit &c.*] Sed Aristoteles equam quoque post fœtum susceptum iniri scribit libro septimo histor. animalium cap. quarto. Et Plinius alia quoque animalia præter mulierem, licet pauca, coitum noscere grauida tradit libro septimo, cap. 11.

46 *Iniquum est enim, vt id exigas, quod præstare ipse non possis*] Hoc ijsdem penè verbis expressit Vlpianus in l. Si vxor. §. Iudex. D. ad l. Iul. de adulter. Seneca Epistola 95. eam partem, &c.

CAP. XXIV.

47 QVOD *si liceret, vt ijs, qui in itinere deerrassent, &c*] Hic locus hodie non extat.

48 *Secutis*] al. secutos prima lectio Patritio magis placuit, & mihi.

49 *Magnum (inquit) nescioquid, &c.*] Eandem auream sententiam habet Seneca initio duodecimi libri Epistolarum, Epistola, Singulos dies. „ Sic certè (inquit) viuendum est tan„ quam in conspectu viuamus, &c.

50 *Neque verbenis opus est, neque fibris, neque cespititbus, &c.* fibris ait pro intestinis. pars pro toto. Sacra facturi super aras cespitem ex gramine, seu verbenas apponebant. Verbena item, & laurus suffitionibus frequens erat. Virgilius Eclog. 8.

—— molli cinge hæc altaria vitta
Verbenasquè adole pingues, &c.

Ob id verbena ἱεροβοτάνη, idest sacra herba vocitata est Dioscoridi lib. 4. Plinio lib. 25. cap. 9.

51 *Vt à Cicerone est dictum. &c.*] locum non reperio, nisi inter fragmenta incertorum librorum.

CAP. XXV.

52 E*Bur (inquit Plato) non castum donum Deo*] locus Platonis est duodecimo De legibus, vbi quæ Dijs offerenda sint docet. De ebore autem dicitur, quia frequens erat illius vsus apud gentes in simulachris Deorum faciendis, vt scribit Plinius lib. 8. cap. 10. & lib. 12. cap. pr. Virgilius pr. Georg.

Et mæstum illachrymat templis ebur, &c.

53 *Verùm apud istos, qui nullo modo rationem diuinitatis intelligunt, donum est quicquid auro, &c.*] Errat Lactantius, nam quam ille refutat, ipia est vera, & propria differentia inter donum, & sacrificium, vt docet Chrisost. homil. 18. in Epist. ad hebræos. Theophilatt. ad cap. 8. eiusdem Epistolæ. Sanctus Thomas Secunda Secundæ quæst. 85. art. 3.

54 *Itaque Deo vtrumque incorporale offerendum est. Donum est integritas animi. sacrificium laus, & hymnus, &c*] Prophæta quoque in Psalmis sæpe sacrificium laudis commemorat, de quo Paulus ad hebræos 13. & spiritus contribulatus sacrificium dicitur Psalm. 50. & omne

opus bonum de Epistola ad hebræos, hæc quidem omnia impropriè, & metaphoricè sacrificia dicuntur; propriè verò sacrificia vocantur res oblatæ, circa quas aliquid fit, sicut olim animalia, quæ mactabantur, & comburebantur, & nunc panis, qui benedicitur, & frangitur, & comeditur, vt docet Chrisostomus, Theophilactus, & sanctus Thomas vbi supra, & vtraque sacrificia Deo debentur. Vid. quæ diximus supra libro secundo, cap. 2. & hoc eodem lib. cap. primo.

55 *In illo sermone perfecto*] sic supra lib. 4. cap. 6. ὁ λόγος τέλειος. & infra lib. 7. cap. 18 intelligit autem Asclepium.

56 *Bene ominare*] Ita legendum ex Cod. B. & ipsomet Asclepio Hermetis, qui non semel ita dicit, nam sic quoque in Pimandr. cap. 9. Editiones Ald. Iuntar. Plantinian. habent, benè, benè ò mi nate, &c.

57 *O Asclepi*] Ita omnes impressi libri rectè legunt, vt est apud ipsum Hermetem. B. haud rectè, O' Asclepiades.

Sexti Libri Notar. finis.



IO-



IOSEPHI ISAEI CÆSENATIS NOTÆ

IN SEPTIMVM LIBRVM DIVINARVM INSTIT. LACTANTII FIRMIANI.



CAP. I.

1 *VT ait Plato*] locum illum innuit in Phædon. ,, Vis ergo (inquit) duas rerum species ponamus, alteram visibilium, inuisibilium alteram? &c.]

2 *Qui ait & ortum aliquando, & aliquando esse periturum*] Vt ex Lucretij carminibus constat lib. 2. ad fin.

CAP. III.

3 *STolci naturam in duas diuidunt partes, &c.*] Vid. Cic pr. Academic.

4 *Vel biauerint terræ*] Plin. lib. 2. c. 80.

5 *Quoties demersæ fluctibus & vrbes, & insulę, &c.*] Plinius eod. lib. cap. 92.

6 *Et multorum fundamenta montium latens, & internus ignis absumit*] Plin. eod. lib. c. 106.

7 *Maria extruuntur*] Plin. lib. 5. cap. 19.

8 *Montes exciduntur*] Vt Athos quondam à Xerse Persarum Rege. Plin. lib. 4. cap. 10.

9 *Et ad eruendas opes, interiora terræ viscera effodiuntur*] de quo queritur Plin. lib. 2. c. 63. & in prohemio libri 33. Senec. lib. 5. natural. quęst. cap. 15.

10 *Cum vero mundum, omnesq; partes eius, vt videmus, mirabilis ratio gubernet, &c.*] Diuinitus Aristoteles libell. de mund. cap. 7.

CAP. IV.

11 *PVtantq; homines in omnibus terris, & agris tanquam fungos esse generatos*] De qua opinione disseruit supra lib. 2. cap. 12.

12 *Neque enim aut calore solis, aut lumine, aut aspiratione ventorum, &c.*] Hanc Taxaq. P. & alterius S. Saluatoris B. minus antiqui, & Plantinianæ editionis lectionem secutus sum omni culpa carentem, cum cæteræ aliquo modo oppugnari possint Ald. aut calore solis, aut Lunæ lumine. Florent. Iuntar. aut calore Solis, aut Lunæ, aut aspiratione ventorum, &c. quę lectio teneri potest iuxta eorum sententiam, qui Lunam æque ac Solem calefacere corpora censent. Suid. in σελήνη.

13 *Cur Deus omnia nostri causa cum faceret, tantam vim natricum, viperarumq; fecerit?*] Præter Ciceronem in Lucull. Lucretius lib. 5.

Præterea genus horriferum natura ferarum
Humanæ genti infestum terraq; mariq;
Cur alit, atq; auget? &c.

Respondet Basilius homil. 9. in Hexaemer. „ Nec verò est, quòd quisquam accusare parentem rerum debeat ob eam causam, quod animalia, quæ virus mittunt perniciosa, & inimica vitæ nostræ procreauerit; isto enim pacto pedagogum etiam accusare licebit, quòd adolescentiæ facultatem, & procliuitatem in officio contineat, plagisq; ac verberibus intemperantiam castiget, &c.] Idem homil. 5 non longè a principio. Augustinus lib. de heres. contra Manich. pr. c. 16. In Codice autem Ciceroniano pro illis (cur tam multa pestifera terra, &c] sic legitur, cur mortifera tam multa perniciosa terra, &c.

14 *Homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum rationem dedit solam. Itaque nudum formauit, & inermem, &c.*] Idem ait lib. de Opif. Dei c. 2. & 3. & Aristot. lib. 4. de part. anim. c. 10. Ergo iniustè de Natura queritur Plinius in prohemio 7. quòd cum animantia cætera texerit aliquo modo, atque muniuerit, hominem nudum, ac inermem formauerit.

15 *Asclepiades noster*] hic ad Lactantium scripsit librum De prouidentia Dei, Lactantius vicissim ad illum libros duos, nescimus quo titulo, vt referunt Hierony m. Honor. Augustodun. & alij.

CAP. V.

16 *ET imbecillis corporibus illigatas, &c.*] Lactantius sæpe vocat corpus laqueum animæ, vinculum, septum, carcerem, custodiam, &c. imitatus Platonem in Gorgia, Phædone, Cratylo, & Ciceronem in somn. Scipionis in pr. Tusculan. & alibi a quibus loquendi modis abstinere debemus nos. Et eos in Origene damnarunt Methodius Epiphan. 2. Panar. Theophil. Alexandr. Epist. lib. pr. Hieronymus in Epistola ad Pammach. Cyrill. lib. pr. Commentar. in Ioann. Vid. supra ad cap. 3. lib. 2.

17 *Tolerantiam malorum. ac laborum &c.*] Quæ hoc capite de perferendis ærumnis, atque laboribus. & lib. 6. c. 11. de misericordiæ operibus exercendis dixerit obseruanda sunt aduersus Lutherum, & sectatores, qui bona opera ad salutem necessaria negant.

18 *Et cum Deo semper*] In vtroque Cod. B. In duodecim Vaticanis 1. 2. & alijs omnibus Mss. In editione Iuntar. & Plantinian. desint hic caput quintum, & continenter textum incipit illis verbis. Nunc totam rationem, &c. Quare non leuis suspicio suboritur, totum eum, quem nunc subijciam, haud sanè breuem sermonem, quique in editione Aldina post hæc verba contexitur, nothum esse, atque ab alio suppositum: quamquam profectò valde ingeniosum illum, & egregiè strenuum veteratorem fuisse oportuit, qui Lactantij stilum tam miro modo fuerit imitatus. Is sermo talis est. „ Neque nunc aliquis eò confugiat, vt dicat ad ipsius culpam pertinere, qui & bonum instituit, & malum. Cur enim malum voluit esse, si id odio habet? Cur non bonum tantum fecit, vt nemo peccaret, nemo faceret malum? Quamquam hoc in omnibus ferè prioribus libris docuerim, & id iam superius quamuis leuiter attigerim, tamen subinde admonendum est, quia omnis ratio in eo posita est. Nulla enim virtus esse poterat, nisi diuersa fecisset, nec omnino apparere vis boni potest, nisi ex mali cõparatione. Adeo malum nihil aliud est, quam boni interpretatio. Sublato igitur malo, etiam bonum tolli necesse est. Si læuam manum, aut pedem amputaueris, nec corpus erit integrum, nec vita ipsa constabit; adeò ad compagem corporis temperandam aptissimè cum dextris sinistra iunguntur. Item si pares calculos feceris, nemo ludet. Si vnum colorem Circo dederis, nemo spectandum putabit, sublata omni Circensium voluptate. quos profectò qui primus instituit, amator vnius coloris fuit; sed alterum ei, quasi æmulum posuit, vt posset esse certamen, & aliqua in spectaculo gratia. Sic Deus, cum bonum constitueret, cum virtutem daret, statuit etiam diuersa, cum quibus illa confligerent. Si desit hostis, & pugna, nulla victoria est. Tolle certamen, ne virtus quidem quicquam est. Quam multa sunt hominum inter se, & quam varijs artibus constituta certamina: nemo tamen fortior, velocior, præstantior haberetur, si aduersarium, cum quo contenderet non haberet: Vnde autem abest victoria, abesse hinc & gloriam simul, & præmium necesse est. Vt igitur virtutem ipsam exercitatione assidua roboraret, eamque faceret de malorum conflictatione perfectam; vtrumque simul dedit, quia vtrũq; sine altero retinere vim suam non potest. Ergo diuersitas est, cur omnis ratio veritatis innititur. Non me præterit, quid hoc loco a peritioribus possit opponi. Si bonum sine malo esse non potest, quomodo primum hominem dicis ante ostentum Deum in solo bono fuisse, aut postea in solo bono futurum? Discutienda

nobis

„ nobis hæc quæstio est, quod in prioribus libris
„ prætermisi, vt hic implerem. Diximus supe-
„ rius ex elementis repugnantibus hominis con-
„ stare naturam. Corpus enim, quia terra est,
„ comprehensibile est, temporale, brutum, at-
que tenebrosum est. Anima verò, quia de cæ-
„ lo est, tenuis, æterna, sensibilis, illustris est:
„ quæ quia inter se contraria sunt, necesse est,
„ hominem bono, & malo esse subiectum. Ani-
„ mæ adscribitur bonum, quia indissolubilis est,
„ corpori malum, quia fragile est. Quoniam
„ igitur sociata, & coniuncta sunt corpus, &
„ anima, æquè bonum, & malum cohæreat ne-
„ cesse est; nec separari alterutro possunt, nisi
„ cum illa separata sunt. Denique boni, maliq;
„ notitia simul homini primo data est; qua per-
„ cepta statim de loco sancto pulsus est, in quo
„ malum non est. vbi cum esset in bono tantum,
„ id ipsum bonum esse ignorabat. Postquam
„ verò accepit boni, maliquè intelligentiam,
„ iam nefas erat, eum in beatitudinis loco mo-
„ rari; relegatusquè est in hunc communem or-
„ bem, vt ea vtraque simul experiretur, quo-
„ rum naturam pariter agnouerat. Apparet
„ ergo idcirco datam esse homini sapientiam, vt
„ bonum discernat a malo, vt ab incommodis
„ commoda; ab inutilibus vtilia distinguat, vt
„ habeat iudicium, & considerantiam, quid ca-
„ uere, quid appetere, quid fugere, quid sequi
„ debeat. Sapientia igitur constare sine malo
„ non potest: vixitquè ille princeps generis hu-
„ mani, quam diu in solo bono fuit velut infans
„ boni, ac mali nescius. at enim postea homi-
„ nem necesse est & sapientem esse, & sine vllo
„ malo beatum. Sed id fieri non potest, quan-
„ diu anima domicilio corporis induta est. Cum
„ verò factum fuerit corporis, animæq; dissidiu,
„ tunc malum a bono separabitur, & sicut cor-
„ pus interit, anima manet; ita malum interi-
„ bit, & bonum permanebit. Tunc homo acce-
„ pto immortalitatis indumento, erit sapiens,
„ expers mali, sicut Deus. Qui ergo vult, nos
„ in bono esse tãtum, id potissimum desiderat, vt
„ sine corpore viuamus, in quo est malum. quod
„ si tollatur, aut sapientia homini, vt dixi, aut
„ corpus adimetur: sapientia, vt ignoret malum;
„ corpus, vt non sentiat. Nunc autem cum ho-
„ mo & sapientia sit instructus, vt sciat, & cor-
„ pore, vt sentiat, vtrumque pariter in hac vi-
„ ta Deus esse voluit, vt ratio virtutis, sapien-
„ tiæq; constaret. Potuit itaque hominem inter
„ vtrunque medium, vt haberet licentiam vel
„ mali, vel boni sequendi. Sed malo admiscuit
„ apparentia quædam bona, idest varias, & de-
„ lectabiles suauitates; vt earum illecebris indu-
„ ceret hominem ad latens malum. Bono au-
„ tem admiscuit apparentia quædam mala, idest
„ ærumnas, & miserias, & labores, quorum as-
„ peritate, ac molestia offensus animus refuge-
„ ret a bono latenti. Hic ergo sapientiæ offici-
„ um desideratur, vt plus mẽte videamus, quã cor
„ pore, quod pauci admodũ facere possunt, quia
„ & virtus difficilis, ac rara est, & voluptas com-
„ munis, ac publica. Ita necesse est, sapientem
„ pro stulto haberi, qui dum appetit bona, quæ
„ non cernuntur, dimittit è manibus, quæ vi-
„ dentur; & dum vitat mala, quæ non aspiciun-
„ tur, incurrit in malo, quæ ante oculos sunt.
„ quod accidit nobis, cum neque cruciatum, neq;
„ mortem pro fide recusamus, quando ad sum-
„ mum nefas compellimur, vt prodita fide, atq;
„ abnegato Deo viro, Dijs mortuis, mortiferisq;
„ libemus. Hæc ratio est, cur hominem Deus
„ & mortalem fecerit, & malis subiecerit, licet
„ ipsius causa mundum ædificasset, scilicet vt
„ virtutem caperet, & ei virtus sua immortalita-
„ tem daret. Virtus autem, sicut ostendimus,
„ veri Dei cultus est.] Hoc autem sermone
nihil asseritur, quod non alibi quoq; Lactan-
tius dixerit; Nam Deum in mundo bonum &
malum esse voluisse docuit etiam lib. 2. cap. 18.
lib. 5. cap. 7. lib. 6. cap. 15. & 22. lib. De ira
Dei cap. 15. Item eum loquendi modum ad
materiam reprobationis spectantem, de qua
lib. 4. cap. 20. videlicet, Deum malo admis-
cuisse quædam apparentia bona, idest varias
suauitates, vt earum illecebris indueret homi-
nem ad latens malum, &c. vsus est supra lib.
4. c. 2. & 11. Fuisse autem Adamum, antequã
fructum vetitum comederet, boni pariter, ac
mali nescium, &c. asseruit lib. 2. cap. 13.

CAP. VII.

Hominum causa mundum, & omnia, quæ in eo sunt esse facta Stoici loquuntur]. Vt testatur me cum Stoico disputans apud Tertullianum in Lucullo ad fin. Cur Deus (inquit) omnia no-stri causa cum faceret (sic enim vultis) tantam vim natricum, &c.

19 *Ad virtutem capescendam nasci homines Aristoteles disserit*] Locum innuit Aristotelis, qui hodie inter eius opera non extat, sed a Cicerone refertur 2. de finib. illis verbis. „ Hi non
„ viderunt, vt ad cursum equum, ad arandum
„ bouem, ad indagandum canem, &c.]

Esse inferos Zenon Stoicus docuit, &c] De Zenone nihil tale comperio apud Scriptores, sed de Socrate apud Ciceronem pr. Tuscul. circa med.
„ Ita enim censebat (inquit) itaque disseruit,
„ duas esse vias, duplicesq; cursus animorum è
„ corpore excedentium; nam qui se humanis vi-
„ tijs contaminassent, &c.

CAP.

CAP. VIII.

20 *Plato autem sic argumentatus est, immortale esse, &c.*] De hoc Platonis argumento videndus Macrob. lib. 2. in Somn. Scipion. cap. 13. & seqq. & Sanctus Athanas. in orat. cont. Idol. qui magna illud ex parte approbasse videtur. Sanctus Thom. secundo, cont gent. c. 82. hinc suspicatus est, Platonem credidisse, brutorum animas immortales, quòd simpliciter dixerit, animam ex se esse, & a se moueri. Sed hic Platonem defendit Lactantius quòd adiectione sapientiæ humanam animam a mutorum animabus discreuerit.

21 Addidit igitur, vt effugeret hanc communitatem, fieri non posse, quin sit immortalis animus, &c.] Duo loca respexit Ciceronis, vbi argumenta Platonis colligit de immortalitate animorum, alterum prima Tuscul. „ Animorum nulla in terris origo inueniri potest, &c. „ alterum Cat. maior. siue de Senect. ad fin. Quid „ multa? sic mihi persuasi, sic sentio; cum tanta „ celeritas animorum sit, &c.

Harum (inquit) sententiarum quæ vera sit Deus aliquis viderit.] Hæc verba apud Ciceronem prolata leguntur, dum de animi substantia disputaretur, non de immortalitate, de qua hic Lactantius.

22 *Quoniam vtraque (inquit) earum sententiarum, &c.*] Quonam è libro Ciceronis hæc ceciderint, habetur incertum.

CAP. IX.

Theoriam rectissimè nominauit] compositum.n. & deductum nomē est ex nomine τῦ θεῦ. idest Dei, & verbo ὁράω. quod est specto, aspicio vt & Plutarch. tradit libello de Musin. vnde apparet minus rectè scriptum in Cod. B. qui non θεωρίαν habet, sed ?αιδίαν. ea vero vox crebra est apud Trismeg. Nam Pimand. c. 12. ad fin. ἃ δὲ ?? ?? ?ὐτοῦ θεωρεῖσι, &c. cap. 13. sub initium. ?? ?? ?? ?? θεωρῶ??. c. eod. in fin. hymnodiæ. ? θεωρ? λόγ?? ??, &c. initio cap. 14. γένηται ἡ θεωρία.

23 *Quæ non erit secundum naturam, &c.*] Ita B. P. Iunt. Plant. idest virtus non erit secundum naturam, si ratio tantum habenda est corporis, & non animæ æternitatis; nam corpus ex virtutis actibus frangitur potius, atque tabescit, vt rectè exponit Thomasius. al. quod nec erit secundum naturam.

24 *Nam cum liceat nobis iucundissimis frui voluptatibus, &c*] Eodem argumento vtitur Paulus Apostolus prima ad Corinth. cap. 15. si in hac vita tantum, &c.

CAP. X.

25 *Et tranquillitas animi est, &c.*] hoc non simpliciter probat Aristotiles secundo. Ethic. cap. tertio, qua de re supra, ad cap. 14. libri sexti.

CAP. XII.

26 *Quoniam cum corpore (inquit) anima nascitur, &c.*] Argumenta promit Epicureorum contra immortalitatem animæ ex tertio Lucretij De nat. rer. & hoc est primum argumentum.

Præterea gigni pariter cum corpore, & vna
Crescere sentimus, &c.

27 *Cedit item retro, &c*] Hæc carmina paulò aliter leguntur apud Lucretium ibi enim.

Cedit item retro de terra quod fuit ante
In terras & quod missum est ex ætheris oris
Id rursum cæli relatum templa receptant

28 *Velut humor fracto vase, &c.*] Alludit ad ea, quæ ibi sequuntur.

Nunc igitur quoniam quassatis vnd q; vasis, &c.

29 *Quoniam crescit (inquit) sensus in pueris, &c*] Lucretius.

Nam velut infirmo pueri, teneroq; vagantur, &c.

30 *Primum non est idem mens, & anima, &c.*] Obiectionem illam de sensu in pueris crescente, & in senibus deficiente conatur diluere. sed parum vaidè. Aristoteles primo, de anim. tex. 65. non esse animi vitium docet, si senes delirent, sed corporis, neque senectutem esse in animo, sed in instrumentis, &c.

31 *Nam dormientium mens, non anima sopitur.*] Haud satis profectò tenuisse mihi videre Lactanti, quid anima, quid mens esset. Non tibi succurrebat ex diuino præceptore primo, de anim. text. 89. & seqq. & lib. 2. tex. 19. & 31. animam vnum quiddam esse plures habens potentias, superiorem earum hanc esse, quam ille νοῦν, nos intellectum, & mentem dicimus, quam nec corpori admistam, nec instrumento affixam corporeo docet in tertio de anim. tex. 6. ideo non in mente somnum fieri, sed in sensu interiori scribebat lib. de somn. & vigil. cap. 2. nihil enim aliud esse somnum, quam refrigerationem primi sensiterij eod. lib. cap. 3. & 2. de partib. anim. cap. 7.

32 *Et in furiosis mens extinguitur, anima manet.*] Nugæ. Quid est, extinguitur? An non hæc animæ portio est ignis ille diuinus, de quo tu ipse cap. 8. De opificio memineras? Cicero primo. Tusculanar. „ Alteram autem affert rationem „ [Panætius,] nihil esse, quod doleat, quin id ægrum esse quoque possit; quod autem in morbum

„ bum cadat, id etiam interiturum; dolere au-
„ tem animos; ergo etiam interire. Hæc refelli
„ possunt, sunt enim ignorantis, cum de æterni-
„ tate animorum dicantur, de mente dici, quæ
„ omni turbido motu semper vacet, non de par-
„ tibus ijs, in quibus ægritudines, iræ, libidinesque
„ versentur, quas is, contra quem hæc dican-
„ tur semotas a mente, & disclusas putat, &c.

33 *Dementes vocantur.*] Abusiuè: non quia sine mente sint, sed quia esse videantur, cum ratione vti non possint læsis instrumentis inferiorum potentiarum, quæ menti ad ratiocinandum famulantur.

Ad sedem suam reuolet.) vt Cicero in Somn. Scip. hinc profecti huc reuertuntur, & in fin. primæ Tusc. in nostram domum remigremus. & alibi sæpè: quorum locorum imitatione raptus Firmianus temerè hoc dictum effudit. nos autem ab eiusmodi locutionibus abstinere debemus, nam fauere vniuersaliter dogmati de animabus ante corpora conditis, & de cœlo in terram lapsis quod redet ipsemet supra lib. 3. cap. 18. & Sanctus Augustinus cum in secundo Academic librorum dixisset, animum securiorem rediturum esse in cœlum, eum loquendi modum damnat libro primo detract. cap. 1. & se scribere debuisse ait, non rediturũ, sed iturũ; ob dictam superius rationẽ. vid notas lib. 2. c. 3.

34 *At enim memoria defecit.*] Nam, vt ait Seneca pater in prolog. Declamationum. „ Me-
„ moria est res ex omnibus partibus animi maxi-
„ mè delicata, & fragilis, in quam primùm sene-
„ ctus incurrit.

35 *Verùm eadem (inquit) dolori, & luctui obnoxia est, &c.*] Secundum argumentum Lucretius.

Huc accedit, vti videamus corpus vt ipsum
Suscipere immanes morbos &c.

36 *Anima (inquit) etiam morbum corporis sentit, &c.*] Tertium argumentum Lucretius.

Quin etiam morbis in corporis auius errat
Sæpe animus, &c.

37 *Obliuionem sui.*] Lethargum, de quo ibidem Lucretius.

Interdumquè graui lethargo fertur in altum, &c.

38 *Contagio eius ægrescit.*] Parum sapienter. Si ægrescit, etiam demum interit.

39 *Sicut oculus (inquit) euulsus à corpore, &c.*] Quartum argumentum Lucretius.

Scilicet auolsus radicitus vt nequit vllam
Despicere ipse oculus rem. &c.

40 *Sicut id, quod vase continetur, &c.*] absurda comparatio. non continetur anima in corpore vt id quod in vase; non continetur, vt id, quod in loco, nam anima potius continet corpus, quam contineatur à corpore primo de anim. tex. 90. est autem in corpore, sicut forma in ma-

teria quarto Physic. tex. 23.

41 *Animam, quia non citius emittatur è corpore, mortalem videri, &c.*] Quintum argumentum Lucretius.

Denique sæpe hominem paulatim cernimus ire, &c.

42 *Quòd si immortalis nostra foret mens non tam se moriens, &c.*] sextum argumentum.

Sed Lucretius habet, Non iam se moriens, &c.

CAP. XIII.

43 ἐπίπαν δ' ἀνάγκην] Ita legimus cum Musuro, & editione Iuntarum; nam in Aldin. & Plantinian. deest, δ'.

44 *Sed sicut in fidibus ex intentione neruorum, &c.*] De hac Aristoxeni opinione, de qua meminit etiam lib. de opific. cap. 16. vid. Platon. in Phędon. Arist. lib. primo, de anim. tex. 54. & seqq. Lucret. initio tertij. Cicer. primo. Tusculanar.

CAP. XIV.

45 *Plato.*] Apud quem in Timæo leguntur figmenta illa de Sacerdote quodam Ægyptio narrante Soloni, Athenas nouem millibus annorum ante Solonis ætatẽ fuisse conditas, omnesquè insignes illius temporis res gestas in sacris Ægyptiorum libris subtiliter annotatas contineri.

46 *Secuti fortasse Chaldæos.*] Probaui cum Thomasio lectionem vtriusque Cod. Sancti Saluat. B. T. P. pro ea, quæ in alijs habetur, sicuti fortasse Chaldæi, Hi quidem innumera se annorum millia habere iactabant, vt hic ait Lactantius, & Sanctus Augustinus lib. 12. ciuit. cap. 10. quos & Lucretius refutat lib. 5. Cur supera bellum Thebanum, &c. Macr. lib. 2 in Somn. Scip.

47 *Nondum sextum millesimum annum esse conclusum, &c.*] Idem ait Sanctus Augustinus dicto cap. 10.

48 *Quo numero expleto consummationem fieri necesse esse.*] Increbruisse fertur hic error de duratione mundi sex millibus annorum ex veteri quadam hebræorum traditione, de qua in Thalmudicis voluminibus ordine quarto. Trac. quarto, cui titulus. Sanedrim. illumquè confouisse aiunt non modo Rabbi quendam nomine Isaac super c. primum. Genes. & alios eiusdem sectæ nonnullos, sed ex nostratibus quoque insignes aliquot viros; nam præter Lactantium ita opinati sunt Iustin. martyr. q. æst. 72. Irenæ. aduersus hæres. cap. vltimo. Hilar. in Matth. cap. 17. Hierony. in exemplari expositione Psalm. 89. ad Cyprian. & in Commentar. super Michæ. cap. 4. Augustinus 20. Ciuit. cap. 7. Germanus verò Episcopus Constantinopoli-

nopolitan. in lib. de theor. rer. eccleſiaſt. ſecutus Hyppolitum martyr. & Cyrill. in lib. de Antichriſt. affirmat, mundum ſex millibus annorum, ſuperque quingentis duraturum. Contra hunc errorem extat aliorum patrum authoritas, Ambroſij lib. ſeptimo in Luc. illud Matthæi exponentis. Poſt dies ſex transfiguratus eſt, &c. Auguſtini in Pſalm. 89. Bedæ in lib. de ration. temp. & denique ipſiusmet Saluatoris Act. primo conteſtantis, non eſſe noſtrum ſcire tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. & Matth. 13. De die autem illo, vel hora nemo ſcit, &c. Extat & res ipſa, nam cum ex errore illo colligeretur, ab eo tempore vſque ad mundi conſummationem ducentorum circiter annorum curriculum expectari, vt inf. cap. 25. profectò non modo iam ducenti anni, ſed mille propemodum, ac treceni præterierunt. Sanctus Thom. rationes ponit, quibus conuenit, vt dies Domini magnus ignoretur.

49 *Hic eſt autem dies Sabbati, qui lingua hebræorum à numero nomen accepit, &c.*] Nam Lactantius Sabbati nomen deductum putat a Sebang. quod eſt ſeptem, quia is eſt ſeptimus dies. & ita quoque Theophil. ad Autolyc. lib. ſecundo. Alij malunt Sciabath, ideſt Sabbatum requiem ſignificare, & a verbò Sciabath, quod eſt quieſcere, deductum eſſe; quibus adſtipulatur Ioſephus lib. primo, antiquit. cap. primo. Philo in lib. de Abraham in principio, & de migratione Abraham. Plutarchus autem, & quidam alij Ethnicorum, fatuè nimis aliunde putant deductum, nam Plutarchus in quinta quęſtion. Conuiual. a Bacco, qui Sabbus eſt, quòd eo die ſe mutuo hebræi ad potandum inuitent, alij verò a Sabbo morbi genere apud Ægyptios, quo replentur inguina vlceribus, illo enim laboraſſe aiunt Hebræos Ægypto exeuntes, & ſeptimo die quieuiſſe, ac proinde diem illum Sabbatum nominaſſe. Certè ducem fuiſſe leproſorum, & ſcabie laborantium Moyſen in egreſſu de Ægypto calumniati ſunt Manethon Ægyptius referente Ioſepho contra ipſum diſputante lib. primo contra Appion. & Iuſtinus hiſtoricus lib. 36. qui ait, Moyſen Damaſcena antiqua patria repetita, mentem ſyneum [al. ſynam] occupauiſſe, in quo ſeptem dierum ieiunio per deſerta Arabiæ cum populo ſuo fatigatus cum tandem veniſſe, ſeptimum diem more gentis Sabbatum appellatum in omne æuum ieiunio ſacrauiſſe, quoniam ille dies famem illis, erroremque finierat, &c.

50 *Sicut indicat Propheta dicens, &c.*] Sed locus ille nihil opitulatur errori, cum ibi millenarius numerus ſumatur pro indefinito quodam numero. vt in Pſal. 104., verbi quod mandauit ,, in mille generationes.] & in Eccleſiaſtic. ,, melior eſt vnus timens Deum, quam mille filij impij, &c.] cuiuſmodi multa exempla reperiuntur apud profanos ſcriptores.

51 *Vt mille annis in hoc mundo viueret.*] Omne tempus, quod vixit Adam, fuiſſe comperio quinto Geneſ. nongentorum, & triginta annorum.

CAP. XV.

52 QVòd *Romanum nomen, &c.*] Et. infr. cap. 25. At verò cum caput illud orbis occiderit, &c. Fuit vetus traditio illorum temporum, cum primum Romanum Imperium defeciſſet, venturum Antichriſtum, & paulò poſt mundum interiturum. ita enim ſcribit & Tertullian. in lib. ad Scapul. & Apologetic. c. 32. & Optat. Mileuitan. cont. Donatiſt. lib. ſecundo, atque orta eiuſmodi traditio videtur ex prophetia Danielis cap. ſecundo, vbi quatuor regna enumerantur, & poſt illa denunciatur aduentus Antichriſti. Et etiam ex verbis Apoſtoli in ſecunda, ad Theſſalonicen. cap. 2. vbi non prius venturum ait Antichriſtum, quam diſceſſio venerit, ſcilicet populorum a Romano imperio, ſecundum Auguſtinum lib. 20. Ciuit. cap. 19. Sed quomodo eſt hoc, quia iam diu gentes diſceſſerunt a Romano Imperio, nec dum venit Antichriſtus? Reſpondet Sanctus Thomas ſuper d. cap. ſecundum, Epiſtolæ Paul. lectione prima, his verbis. ,, Dicendum, quòd ,, nondum ceſſauit, ſed eſt commutatum de tem- ,, porali in ſpirituale, vt dicit Leo Papa, in ſer- ,, mone de Apoſtolis, & ideo diſceſſio a Roma- ,, no imperio debet intelligi non ſolum a tempo- ,, rali, ſed etiam a ſpirituali, ſcilicet a fide Ca- ,, tholica Romanæ Eccleſiæ. Eſt autem hoc con- ,, ueniens ſignum, nam Chriſtus venit, quando ,, Romanum Imperium omnibus dominabatur, ,, ita econtra ſignum aduentus Antichriſti eſt di- ,, ſceſſio ab eo.

53 *Seneca Romanæ vrbis tempora diſtribuit in ætates, &c.*] Locum Senecæ non inuenio, ſed quiddam eiuſmodi apud Bedam De Temporibus cap. 66.

54 *Hyſtaſpes quoque qui fuit Medorum Rex antiquiſſimus, &c.*] De huius vaticinijs ſub nomine Hyſtaſpis meminit etiã Paulus Apoſtolus apud Clementem Alexandrinum ſexto. Stromat. illis verbis. ,, Libros quoque græcos ſumite, ,, agnoſcite Sibyllam, quo modo vnum Deum ,, ſignificet, & ea, quæ ſunt futura: & Hyſtaſ- ,, pen ſumite, & legite, &c.] quæ cum in Epiſtolis Pauli non inueniantur, veroſimile eſt, Clementem

mentem antiquissimum Theologum ex Pauli concionibus ad populum habitis, & memoriæ mandatis, & deinde ad posteros traditione quadam transmissis prodidisse. Eiusdem quoque sub nomine Hystaspis non semel mentionem agit Iustin. martyr. in Apolog. secunda, pro Christian. Et hoc loco septem Codices Vaticani habent, Hystaspes, pro eo quod in alijs libris excusis est, Hydaspes. Ideo verum huius Regis nomen restituimus Lactantio, quod etiam probat Theodorus Canterus Variar lection. lib. 2. cap. 19. quamquam quæ de Hystaspe Darij patre affert ex Agathia historico lib. 2. & Ammiano lib. 23. huic nostro conuenire non possunt. Siquidem Darij pater, qui & Hydaspes alicubi nominatur, non fuit Rex, vt ex Herodot. constat. Et cum Roma condita fuerit circiter Olympiad. 6. vt ex Euseb. Glarean. in Chronol. ad Liui. & alijs patet, Darius autem floruerit Olymp. 64. vt ex Euseb. retulimus supra lib. 4. cap. 14. necesse est vt Darij pater multis penè non solum annis, sed etiam seculis post conditam vrbem extiterit, contra quàm hoc loco Lactantius afferat, qui ait, hæc multò ante præfatum Hystaspen, quam Troiana illa gens, idest Romana conderetur.

55 *A quo amnis quoque nomen accepit, qui nunc Hydaspes dicitur.*] Iam hinc intelligis, cur fluuius Hydaspes dicatur Medas a Virgilio quarto Georg. illis Carminibus.

Præterea Regem non sic Ægyptus, & ingens Lydia, nec populi Parthorũ, aut Medus Hydaspes Obseruant, &c.

Quod diuini Poetæ expositores forsit, nec satis, quod ad rem faceret, attulerunt.

56 *Admirabile somnium*] Ita restituitur hic locus ex B. Cod. qui corruptus legitur in impressis, admirabilis omnium. nam genuinam esse hanc lectionem vel illa quæ sequuntur ostendunt, sub interpretatione vaticinantis pueri, &c.

CAP. XVI.

57 *AD consumendum.*] Ita reposui pro eo quod corruptè est in omnibus, ad consumandum.

58 *Tum repente aduersus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagæ septentrionalis orietur, &c.*] In hoste potentissimo, qui aduersus decem Reges orietur non intelligit Lactantius Antichristum, vt censuit Franciscus Ribera ad cap. 12. Apocalyp. numero 13. nam initio sequentis capitis ait, & hunc ipsum hostem deletum iri cum omnibus suis reliquijs ab altero Rege ex Syria surrecturo humani generis proditore, quem cap. 19. Antichristum appellat, id quod clarius edisserit cap. 11. Epitomes horum librorum; vbi cum dixisset, viros decem occupaturos orbem, & contra eos surrecturum longè potentiorem, ac nequiorem, qui tribus ex eo numero deletis Asiam possidebit, cæteris in potestate sua redactis, & adicitis, ait deinde inter ea mala exsurrecturum Regem impium, non modo generi hominum, sed & Deo inimicum, qui reliquias illius prioris Tyranni conteret, cruciabit, vexabit, interimet: atque hunc futurum Antichristum satis apertè ostendit. In hoste igitur illo, quem ait debellaturum Reges illos, fortasse Lactantius Neronem intellexerit, nam & id putauisse Sanctum Martinum Turonensem Episcopum prodit Seuer. Sulpit. In Dialog. lib. secundo, in fin. quanquam & alij multi, vt scribit Seuer. ibid. Sanctus Hieronymus in illud Daniel. 11. & cor eius aduersus testamentum sanctum, &c. & Sanctus Augustinus lib. 20. ciuit. cap. 19. qui illos arguit, crediderunt, Neronem ipsum futurum esse Antichristum. Fallus igitur hoc loco Lactantius est, cum ex scripturis constet, non alium Regem, quam Antichristum ipsum decem Regibus illis superuenturum, qui eos subigat, & suo imperio subijciat, vt docent omnes expositores super 12. Danielis in fin. vbi visio quartæ bestiæ declaratur. & super 12. Apocalypt. ad ea verba, habens capita septem, &c. & super c. 17. ad ea, & decem cornua, &c. Item Irenæ, aduersus hæres. lib. 5. cap. 25. & 26. Hyppolit. martyr. de consummat. secul. Theodoret. in Daniel. oratione 7. Prosper Aquitanic. in lib. cui titulus dimid. tempor. cap. 7. Nec Sancti Martini authoritate sustinetur quod de Nerone aliqui fabulantur, neque enim id prophetico spiritu sensisse putandus est, sed vt fortè ab alijs enarratum, aut scriptum acceperat, ita quærentibus respondisse.

CAP. XVII.

59 *PRopheta magnus mittetur à Deo, &c.*] Lactantius de vno tantum propheta mentionem habet, cum tamen capite 11. Apocalyp. vnde desumpsit, duos mittendos esse dicatur, quos Ioannes prophetas quidem vocat, sed eorum nomina silentio præterit, & ideo relictus est scriptoribus locus ad opinandum. Porrò alterum eorum futurum Heliam omnes consentiunt ex capite quarto Malachi. at de altero pugnant; nam alij futurum asserunt Moysen, vt Hilar. can. in Matth. 20. Ambros. in lib. de Cain, & Abel. cap. 2. Catharin. super Genes. & Ioann. Arborcus lib. 11. Theophias.

Alij Hieremiam, vt refert, & credit idem Victorio. quem reprobat Ansbert. super d. c. 11. Apocalyp. & Hilar. d. c. 20. Recepta tamen à plerisq; patribus sententia videtur, vt comes Eliæ sit Enoch futurus ex illo Ecclesiast. 44.
„ Enoch placuit Deo, & translatus est in paradi-
„ sum, vt det gentibus pœnitentiam, &c.] dest in fine seculorum, quando prædicaturus est pœnitentiā gētibus ab Antichristo seductis. Ita Tertullianus lib. de anim. c. 28. S. Ephrem sermone de Antichrist. & sermon. de consumat. seculi Isidor. lib. de vit. & mort. Sanct. c. 3. & 35. Hyppolit. mart. serm. de Antichrist. Hieronym. Epist. 148. ad Marcell. & in Psalm. 20. Aug. in tractat de Antichristo, & lib. 2. de peccato origin c. 23. & lib. 9. super Genes. ad liter. cap. 6. Prosper Aquitanic. in dimid. tempor. c. 13. & seqq. Greg. magn. lib. 9. moral. c. 4. & homil. 12. in Ezechiel. Damascen. 4. de fid. orthod. c. 27. ad fin. 4. ea quoq; super d. cap. 11. Gloss. Ansbert. Aymo, Rupert. Anselm. Richard. S. Thomas, Adr. Arethas.

60 *Peractisq; operibus ipsius alter Rex orietur ex Syria &c.*] Non ante ortum Antichristi, vt ait Lactantius, sed ipsius persecutionis tempore Prophetæ prædicabunt diebus mille ducentis, & sexaginta, videlicet quanto ferè tempore durabit Antichristi persecutio, quoniam eorum prædicatio quasi in antidotum persecutionis illius dabitur, vt docent omnes super illud c. 11. Apocalyps. Et prophetabunt diebus mille ducentis.

61 *Malo spiritu genitus*] Non quia generandus sit a Dæmone incubo alieno semine, vt quidam putauerunt, sed quia mali spiritus opera nascetur, vt tradunt martyr Hyppolitus, & Damascen. cauenda quoq; opinio asserentium, Antichristum non alium fore, quam Diabolum, quos S. Hieronymus damnat 2. Daniel. super illud. Ecce oculi quasi oculi hominis, &c. Damascen. 4. De fid. orthod. c. 28.

62 *Illius prioris mali*] idest illius prioris Tyranni (vt exponit cap. 12 Epitomes) qui eo decem Reges dixerat subacturū esse sup. cap. anteced.

63 *Signabuntur ab eo tanquam pecudes*] De charactere Antichristi, quo suos signabit sectatores, habetur Apocalyp. 13. sed qualis futurus sit ille character, ambigitur. ex Primasio quidem tradit Ansbertus, atque ita tradit, vt id sibi a Deo reuelatum innuat, talem futurum illum characterem, vt in eo totum Christi nomen compendio includatur, qualis est is, quem Imperator Constantinus Magnus, Leo Quintus, & alij nonnulli Imperatores gestauerunt in Labaris, duobus modis exprimi solitū, videlicet ☧ ☧ talem enim characterem numismata vetera ostendunt, quorum formas typis excusas exhibet etiā Cardin Baronius lib. 3. Annal. sub anno Domini 312. & Steuechius ad Vegetium lib. 2 cap. 18. Lipsius De Cruce c. 15. id vero simile est, quoniam nullum nomen magis amabit Antichristus, quam Christi nomen, quo Iudæos decipiet, & Agarenos, & multos etiam Christianorum.

CAP. XVIII.

64 *Ἥ[illegible] καὶ μακάρων*, &c.] Hæc habentur in 5. sermone Carminum sibyllinorum, sed ibi multum variat lectio.

65 *Ἄφθιτι*] ita lego cum M. Masuro propter metri rationem, sicut est in MS. B. et in editione Florentina non autem *ἀφθίτοις*, vt est in Aldina, et Plantinian.

66 *καὶ τόν τ' αὖ τ' ἐκεῖν*] variat hic versus aliquātulum in Codice Sibyllino.

67 *Ἡμετέρας δὲ λάες*, etc.] Variat lectio in Carminibus Sibyllinis nam ibi

——— ἵνα τοι [illegible], ἐν πυρὶ [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

CAP. XIX.

68 *Οὐκ ἔστ' ἀν' ἴχθι*, etc.] non extant in carminibus sibyllinis.

69 *Et postea orbis terra Regnū recepturus est, &c.*] De Regno loquitur, quo Christum post iudicium cum sanctis mille annis cum iustis in terra regnaturū falsò credidit Lactantius de quo errore dicemus infra. Quare non immeritò notauit hunc locum Didacus Couaruu. lib. 4. Variar. Resol. cap. 19. sub num. 10. Cautè Isidorus hunc eundem penè locum exscribens lib. 6. Origin. c. 17. ab istis verbis abstinuit.

70 *Cadet repente gladius è cælo, &c*] hoc dictum testimonio scripturæ caret, cuiusmodi et alia nonnulla, quæ ex eorum temporum traditionibus referre putandus est.

71 *Ῥίψει*] sic omnino legendum est ex Codice Sibyllino monente id serie primarum literarum cuiusq; versus in acrostichis, non *τρέψει*, vt hic vulgò legitur.

27 *Ἔργα δὲ χειροποίητα*, etc.] etiam hic versus paulò aliter legitur in Carminib. Sibyllinis.

CAP. XX.

73 *Post hac aperientur inferi, & resurgent mortui, &c.*] Lactantius hoc capite, et sequentibus de futuro extremo iudicio, et de mortuorū resurrectione hæc docet. Animæ non statim post mortem iudicantur, sed in vna, commu-

nique

nique custodia subtus terram detinentur vsque ad diem vniuersalis iudicij. inf. c. 21. Duplex erit resurrectio, altera fidelium, idest eorum, qui in Dei religione fuerint versati, altera impiorum, idest infidelium. Primùm igitur (inquit) ex inferis, hoc est ex subteranea illa custodia excitabuntur fidelium animæ ad sua corpora recipienda, vt hoc loco dicitur. Examen operum fiet, vt si plura, & grauia fuerint bona, ad vitam beatam dentur, sin e contra ad pœnam damnentur, vt dicitur paulò inf. Examen fiet per ignem; nam ij, quorum peccata vel pondere, vel numero præualebunt, amburentur igne, quos autem plena iustitia, et maturitas virtutis incoxerit, ignem illum nō sentient. in fin. cap. 21. Tum constituet Deus ciuitatem sanctam in medio terræ, vbi regnabit mille annis cum iustis illis, qui præerunt viuentibus veluti iudices. Qui verò tunc reperti fuerint in corporibus viui non morientur, sed per eosdem mille annos prolem sanctam, et Deo charam generabunt. Ethnici non extinguentur omnino, sed quidam relinquentur in victoriam Dei, vt triumphentur à iustis. hæc omnia cap. 24. Denique post mille annos altera fiet resurrectio, videlicet impiorum, qui Idola coluerūt, qui Deum verum vel nescierunt, vel abnegarunt; ij verò absque vllo iudicio (neque enim surrecturos impios in iudicium ex sacris literis hoc capite docet) ad cruciatus æternos cum principe Dæmonum, et eius ministris exterminabuntur; iusti autem renouato mundo felices, ac beati in similitudinem Angelorum in conspectu altissimi semper versabuntur, et ei in æternum seruient. cap. 26. Protulit has ineptias Lactantius, quia non rectè percepit vaticinium Ioannis Apostoli 20. Apocal. „ Et vidi „ sedes, et sederunt super eas, etc.] At verò vna tantummodo erit resurrectio omnium, quorum alij quidem ibunt in Cęlum ad vitam æternam, ij scilicet, qui post baptisma susceptum vel nullam peccati maculam contraxerunt, vel contractam diluerunt, ac purgauerunt; alij in Infernum ignem æternum, ij videlicet, qui in actuali mortali peccato obierunt, qui verò in solo originali decesserunt, vel in Limbo, vel in hoc mundo vel vt ait S. Antoninus Florentin. p.p. summæ Tit. 8. c. 1. §. 4. in alio loco, quem solus nouit Deus, pœna damni tantum, scilicet carentia visionis Diuinæ punientur. Quo modo autem verba Ioann. Apost. sint intelligenda docent expositores Apocalyps. S. Augustinus lib. 20. de Ciuit. c. 7 et seqq. ex recentioribus doctissimè, ac luculenter Franciscus Ribera super Apocalyp. Nos omnes Lactantij errores sigillatim annotabimus.

74 σωπότε καὶ τὸ λάβη, etc] extant hæc carmina in Oraculis Sibyllinis serm. 3. vbi lectio plurimū variat, et hic versus mutilus habetur,

75 βασιλῆος] Sibyllinus Codex, et S. Augustinus lib. 18. Ciuit. c. 23 habet βασιλῆες.

76 *Non resurrecturos impios in iudicium, &c.*] quod intelligendum est quo ad discussionem meritorum, non autem quo ad distributionem pœnarum; nam quo ad præmiorum, vel pænarum distributionem omnes iudicabuntur iuxta illud Roman 14. „ Omnes astabimus ante tribunal „ Christi] vt explicat S. Thomas in 4. sententiar. distinct. 47. quæst. vnica, artic. 3. et ipse Lactantius infra c. 26.

Impiorum verò &c] Ita legendum esse (cū vitiosè vulgò legatur Impios verò) textus ipse conuincit; nam de animabus dicere pergit, de quibus ait paulò supra, sed eorum, qui iusti fuerunt, puras, et impassibiles, etc. nunc alterum huius orationis membrum exequitur, impiorū verò (suppl. animas) mediam gerere naturam ex contagione carnis, cuius desiderijs addictæ fucum trahant, etc. neque vero illud, addictæ, cum dictione, impios, conuenit.

77 *Par leuibus ventis, &c.*] caue tamen putes, animam quasi ventulum quēdam, et aurā esse.

CAP. XXI.

78 P*Rimum igitur dicimus, tantam esse Dei potestatem, vt etiam incorporalia comprehendat, &c.*] Docet quomodo anima, cum spiritalis sit, pati possit ab igne corporeo: Videlicet eam pati non posse potentia naturali, quia cum in se (inquit) nihil habeant solidum, et contrectabile à solidis et corporalibus nullam vim pati potest; sed posse tamen ea potentia, quam Theologi nostri obedientiæ potentiam nuncupant, qua cunctæ res aptæ natæ sunt creatori obedire ita vt in eis quicquid ipse vult fiat, exemplum affert de Angelis, qui eum metuunt, cum inenarrabili quodam modo ab eo castigari possint, et de Dæmonibus, qui ab eo torquētur, et puniuntur. Iam hoc nil aliud asserere est, quam quod S. Thomas in 4. sent. dist. 44. quæst. 2. art. 3. et ibi alij quoque Theologi docent, videlicet ignem æternum in animas agere, et eas torquere posse tanquam instrumentum diuinæ virtutis, atque iustitiæ.

79 *Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne inducentur, &c.*] Putauit Lactantius omne animarum iudicium defferri post corporum resurrectionem, idcirco inquit, licet Deus virtute sua possit igne agere in animas etiam corpore exutas, tamen congruentius vult, eas pati cum corpore, quia in corpore peccauerut, et ideo rursus carne inducerentur, etc.

80 *Et tamen non erit caro illa, quam Deus homini superiecerit huic terrenæ similis, &c.*] Non negat eorum qui surrecturi sunt carnem futuram eãdem numero cum ea, quam habuerunt in vita, quod fides Catholica docet, vt habemus cap. primo. De summ Trinit. & fid. cathol. & DD. demonstrant in quarto, distin. 47 & 48 sed ait, non eam fore huic similem: & statim in quo futura sit ea dissimilitudo pronunciat, nempe quia cum caro nostra ad ignis contactum diffluat, ac consumatur, illa insolubilis erit, atque mansura, neq; cruciatibus illis, & igne aliquando defectura.

81 *Cuius natura diuersa est ab hoc nostro &c.*] Naturam accipit hic non ita propriè pro substantia, & forma specifica, sed aliquantò laxius, atque abusiuè, vt diuersæ illum ignem affirmet esse naturæ, idest diuersarum quarundam proprietatum, & operationum consequentium, quas statim, & ipse hic, & alij quoque recensent. Tertullian. Apologet. cap 48. Minuc in octau Pacian. de pœnit. & confess Quòd videlicet nullius materiæ fomite alatur, quòd vnà cremet, & recreet impios, & quòd quantum de corporibus absumat, tantum reponat. Et hoc modo Damascenus etiam declaratur, qui quarto. De fid. orthod. cap. vltimo ait, impios mittendos esse in ignem æternum non materialem, qualis est apud nos, sed qualem nouit Deus, dicitur enim in addition. ad tertiam part. Sancti Thom. quæstion 97. articulo quinto, & à Sancto Bonauentura. in 4. sentent. distinct. 44. artic. secundo, quæst. prima, quòd Damasc. non negat, ignem inferni esse simpliciter materialem, sed materialem, qualis hic noster, eo quia quibusdam proprietatibus à nostro igne differt, neque negat similitudinem in forma specifica, sed in operationibus quibusdam, vt diximus. Nam quòd ignis Inferni eiusdem naturæ, ac speciei sit cum igne nostro probabilius videtur, atque receptius à Theologis, vt notatur in addition. ad tertiam part. di quæst 97. articulo 6 & disserit Sotus in 4 sentent distinc. 50. quæst. vnic. artic. primo. Conclusione secunda.

82 *Nec admistum habet fumum, sed est purus, ac liquidus, & in aquæ modum fluidus, &c.*] Fortassis de igne Purgatorij hoc verum sit, nam id aliquid tradidere. Cæterum de igne Inferni pernegant omnes. Basil. in Psalm. 33. super illud, Timorem Domini. Sanctus Gregorius lib. 9. moral. cap. 49. qui ait, ignem illum caliginosum esse, & splendore carentem. Sanctus Thom. in secundo sent. distinct. 6. art. 3. ad primum, & in 4. dist. 50. quæst. vnica articul. secundo. Sanctus Bonauen. in 4. distin. 44. artic. 2. quæst. prima, habebit tamen ignis ille tantum de tristi luce, quantum sufficiat, vt damnati se mutuo possint contueri ad miseriarum, & & pœnarum suarum augmentum, vt ait Sanctus Gregorius, vbi supra.

Sed & iustos cum iudicauerit etiam igni eos examinabit, &c.] de igne conflagrationis, hæc ferè tradunt DD. Sanctus Thom. in 4. sentent. distin. 47. art 4 ad tertium, & ibid. Sanctus Bonauent. quæst. 4. in fin. & in septima p. Breuiloq cap. 4.

83 *Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus iudicari.*] Pœnas animarum, & præmia differri in diem iudicij vniuersalis post corporum resurrectionem, atque eas interim in vna communi custodia detineri Lactantius est opinatus, vt supra diximus hoc eodem cap. Idem senserunt, & alij plerique antiquorum patrum. Clemens Roman pr. Recogn. ad fin. ex Petri Apostoli persona loquens. Iustin. martyr in quæstion. à gentib. posit. quæst. 76. Irenæ. aduersus hæres. Tertull. 4. aduersus Marcion & lib. de anim. c. antepenult Origen homil septima, in Leuitic. & secundo, & quarto. Principior. Victorin. super Apocalyp. ad ea. Vide sub altare. Prudent. in hymn. pro exeq. defunct. & alibi. Ambros. secundo, de Cain, & Abel cap. 2. & libro de bono mortis. cap. 10. Chrisost. homil. 39. in primam ad Corinth. Augustin. in Psal. 36. Theodoret. ad cap. 11. Epistolæ ad Hebræ. Arethas in illud Apocalyp. Vsquequo Domine non vindicas sanguinem, &c. Oecumenius ad c. 11. Epistolæ ad hebræ. Theophilact. ibid. & in Commentar ad Luc. super illud. hodie mecum eris, &c. Eutymius ibid. Sanctus Bernard. super illud Apocalyp. Vidi sub altare, &c. Denique pro hac sententia adducitur Iacobus Apostolus in lithurgia diuini sacrificij, & ita Ioannem Romanum Pontificem eius nominis Vigesimum secundum credidisse, & credendum sanxisse refert Ocham in operib. 93. dier. & Adrianus in 4. sent. in fin. quæst. De Sacram Confirmat. Quibus non obstantibus, nunc pro certo, & infallibili dogmate habendum est, animas statim ab egressu corporum iudicari, & quæ rationis vsum habuerunt pro diuersitate meritorum ad gloriam Paradisi, aut ad pœnam vel æternam in Infernum, vel temporalem in Purgatorium deduci, quæ verò ante rationis vsum decesserunt, vel in Limbum puerorum migrare, vbi pœna damni tantummodo afficiantur pro peccato originali contracto, nisi baptisma susceperint, vel in Paradisum ad vitam beatam pro merito Christi, siquidem baptismate sunt ablutæ, vt docet Sanctus Thom. Sanctus Bonau. & cæteri in 4. sentent. distinct.

distinct. 45. art. primo. Et contraria assertio pertinet ad errorem Armenorum, & Anabaptistarum asserentium animas sanctorum ante resurrectionem corporum diuinæ visionis gloria frui non posse, & tam Dæmonum, quàm animarum differri supplicium vsque ad diem iudicij, quod de Dæmonibus falsum esse tradidi supra lib. 2. cap. 15. ad ea, quibus quia liberum arbitrium, &c. De animabus etiam ei positioni Sancti Patres aduersantur. Chrisost. homil. super illud sapientiæ 6. Iustorum animæ, & alibi sæpe. Ambros. Epistola 55. & alibi Sanctus August. lib. 9. Confession. cap. 3. & in Meditation. c. 24. De spiritu, & anima. cap 58. & de ecclesiastic. dogmat. cap. 79. Greg. lib. 4. Moral. c. 25. Hieronym. in Epitaph. Nepotian. & omnes Theologi in 4. distin. 45. Sanctus Thom. in prima secundæ, quæst 4. artic. tertio. Aduersantur Decretales Epistolę Innocentij tertij, in cap. maiores de baptism. & in cap. Apostolicam. De Presbytero non baptizat. Item Benedictus Vndecimus in quadam extrauagante, quæ licet in corpore iuris non sit clausa, authētica tamen est, & infallibilis authoritatis, quam integra fide refert Marsil. in 4. sentent. quæst. 13. artic. tertio, & Alfons. de Castr. aduersus hæres. in verbo, Beatitudo. Quinetiam vniuersalia Concilia, Florentinum sub Eugenio quarto, his verbis. ,, Definimus, illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerūt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum sicuti est pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendas, &c.] Item Concilium Tridentinum session. quinta, canon. quinto. Aduersantur denique, & sacrarum Oracula scripturarum. Ad philippen. primo, cupio dissolui, &c. secunda ad Corinth. quinto, scimus quoniam si terrestris domus nostra suum locum, & refert Sanctus Thom. p. p. quæst. 64. articulo quarto, ad tertium, &c. & eod. cap. audemus, & bonam voluntatem habemus, &c. Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiso. Ad testimonia scripturæ, vel Patrum, quæ pugnare videantur, sicubi dicatur, Beatitudinem, vel pœnam ante diem iudicij non dari respondent Theologi, id intelligendum esse de consummata illa Beatitudine vel pœna, quæ post corporum resurrectionem habebitur, vel id dici non quia ante diem vniuersalis Iudicij per vniuscuiusq; speciale iudicium non contingat bonis pariter, ac malis par retributio meritorum, sed quia in die resurrectionis vniuersalis præsente tota curia cælestium, terrestrium, & infernorum cuiusque operibus publicè recensitis ante Christi Domini tribunal per publicam, & cūctis manifestam sententiam iustis præmium, & reprobis supplicium decernetur, atque ita omnia retractabuntur perinde ac si nihil ante illam diem actū fuisset ad extremum dicitur, eum errorem haud officere eruditioni, & pietati illorum patrum, cum ecclesia illis temporibus nondum quicquam certi hac de re statuisset. Extrauagans autem Benedicti Vndecimi Ioannem Pōtificem vindicat a calumnia. Qui plura volet aduersus hanc hæresim, quam olim quoque vulgauit Vigilantius hæreticus à Santo Hieronymo profligatus, & nuper Lutherus, atque Caluinus, videat Sanctum Thom. in opuscul. contra Græc. & Armen. c. 9. Ocham part. secunda. Dialog. Tract. primo. Alfons. de Castr. aduersus hæres. vbi supra Cardinalem Bellarmin. Tomo primo. Controu. 7. Controuer.

CAP. XXIII.

84 *Δύσωιγον γάρ ἀ λαυμιρίτων*, &c.] In oraculis Sibyllinis hæc carmina multum variant.

CAP. XXIV.

85 **M**ille *annis inter homines versabitur, &c*] Hæc est opinio Lactantij, post primam manifidelium resurrectionem, filium Dei mille annis regnaturum esse in terra cum iustis in ea bonorum omnium affluentia, quam vates aureo seculo extitisse cecinerunt. Non absurdè hic error ad Cherintum primo refertur, vt tradit Euseb. septimo, hist. eccles. cap. 23. & lib. tertio, cap. 28. quem secutus est Papias Hierapolitan. Episcopus, vt scribit idem Euseb. eod. lib. tertio, cap. vltimo. Nicephor. c. 20 Hieron. De script. eccl. s. in Papia. Papiam deinde propter scriptoris antiquitatem, non propter dictorum rationem multi Ecclesi. Viri secuti sunt, vt tradit Eusebius d. c. vltimo. Hieron. vbi supra, & in prohem. lib. 18. in Esai. pro eodem errore pugnauit quoque Nepos quidam Ægyptius, quem refutauit Dionys. Alexandrinus in lib. de repromission. vt refert Euseb. lib. 7. hist. cap. 22. At verò licet Hieronymus huius sententiæ recensuerit Tertullianum, & Victorinum, hodie tamen nihil extat eorum, quod hoc dogma contineat, immo Victorin. super Apocalyp. illud tanquam Cherinthianam hæresim damnat. Tertullianus autem

quam-

quamuis Regnum mille annorum fateatur, tamen delicias illas non carnales, sed spiritales fore docet ad fin. libri tertij aduersus Marcion. quam opinionem aliquo modo tolerabilem, & a se ipso quandoque receptam ait Sanctus Augustinus lib 20 Ciuit. cap. 7. Horum itaque Milliariorum, siue Millenariorum error profectus est non solum ex verbis cap. 20. Apocalyps. perperam intellectis, vt diximus ad cap. 20 huius libri sed etiam ex traditione antiqua Iudæorum malè interpretantium oracula Prophetarum, vbi sæpe ac multa dicunt de regno Christi in Hierusalem, vt tradit Euseb. lib 7. hist cap. 22. & Hieronymus in Papia. Iam verò quamuis idem Hieronymus super illud Hierem. 23. et conteres lagunculam, etc. eam hæresim se non audere damnare dicat, quia eam multi Ecc. Viri, et martyres eam habuerint, tamen eam audacter, atque apertè damnat ad Cap. 60. Esai et quicunque de hæresibus scripserunt; nec immeritò; non enim prior aliqua futura est resurrectio, deinde altera, sed vna omnium in die nouissimo, quo de singulorum meritis iudicium feretur, quorum alij quidem ibunt in vitam ęternam, alij verò in ignem æternum, vt dicitur Matth. 25. probatur, & Iob. cap. 19. „ scio enim, quod redemptor „ meus viuit, etc.] prima ad Thessalonic. quarto. Paulus docet, quòd cum Dominus ad iudicandum venerit, qui tunc viuent tollentur cum sanctis obuiam Christo in aera, et sic semper cum Domino erunt. Quinetiam eod. cap. 20. Apocalyp. vnde prædicti occasionem erroris nacti sunt, vna omnium resurrectio, et vnum iudicium ponitur. „ Et vidi (inquit) mortuos „ magnos, et pusillos, etc.] Ex quibus inane apparet commentum illud de tempore mille annorum post primam resurrectionem, quam altera, deinde resurrectio sit secutura. Fridericus Staphilus in Epitome Lutheranæ Theologiæ refert, Anabaptistas nostrorum temporum pestes eundem errorem de mille annis inter cæteras suas hęreticas recepisse, cōtra quē Tritemius in lib. de script. Ecclesiasticis testatur, Gennadium scripsisse, & scripta edidisse, sed hodie non extant.

86 Ἀχέροντι δὲ μὴ μέρεσιν, &c.] Non habetur hic versus in Codice Sibyllino.

87 *Tum qui erunt in corporibus viui non morientur, &c.*] Tolluntur hæc & quæcunque sequuntur, sublato figmento illo de tempore mille annorum, in quo illa docet euentura.

88 *Sub idem tempus etiam princeps Dæmonum, &c.*] ex. 20 Apocaly. „ Et apprehendit Draconem „ serpentem antiquum, &c.]

89 *Peracto què iudicio Ciuitas sancta constituetur, &c.*] Apocalyp. 21. „ Et ego Ioannes vidi „ sanctam Ciuitatem Hierusalem, &c.] Hæc verba Millenarij interpretati sunt de Vrbe illa, in qua sanctos cum Christo mille annis regnaturos crediderunt; at ibi de celesti patria loquitur Apostolus, vbi beati post iudicium Dei visione in æternum fruentur.

Et Luna claritudinem Solis accipiet. &c.] Hæc quæ de claritate Lunæ, ac Solis, & de Terræ fæcunditate mysticè propheta Esaias vaticinatus est cap. 30 futuraque prædixit tempore primi aduentus Saluatoris nostri, Firmianus falsò putauit euentura tempore illo mille annorum, de quo diximus hoc eod. cap.

Cadet & ipse mari vector. &c.] Hi versus omnes habentur Ecloga quarta Virgilij sed mirè eorum ordinem, perturbauit Lactantius qui, & scripsit, tunc etiam molli Hauebit, &c. pro eo quod est apud Poetam, Molli paulatim flauescet, &c.

90 *Secundum Cumææ Sibyllæ carmina.*] Ea non reperio; nam quæ profert Sixtus Senen. lib 2. Biblioth. cap. vbi de Cumæa ex Stratonici Cumarum Episcopi Collectaneis, eadem sunt, quæ statim postea refert Lactantius ex Erythræa, & reperiuntur inter Oracula Sibyllina. ad fin sermonis tertij, quamuis non eodem, quo hic scribuntur, ordine.

91 οὐδὲ χρόνοι, &c] In Cod. Sibyllino, οὐδὲ χόνει. & multum ibi variat lectio; rectior tamen, quam in Lactantio conferat qui volet.

92 εὐφραίνου δὲ κούρη, &c] Hi versus aliquantulum variant in Carmine Sibyllino ibi enim.
Εὐφραίνου δὲ χθὼν ἁγία ἔσι, &c.

CAP. XXV.

93 Omnis tamen expectatio non amplius, quam ducentorum videtur annorum. &c.] Atqui a tempore, quo scribebat Lact. ad hæc vsque tempora non modo ducenti, sed mille & trecenti fluxerunt. Cum autem paulò post annum Domini Trecentesimum scriberet hæc Lactantius vt ostendi ad cap. primum, lib. primi, manifestum est, ipsum ab exordio Mundi vsque ad diem Natalem Saluatoris computare annos quinquies mille, & quingentos; nam affirmat hic, & supra, cap. 14 mundum duraturum annis sex millibus, a qua computatione non procul abest Sanctus Augustinus aliquantò recentior Lactantio, qui & ipse scribit lib. 20. Ciuit cap. 7. quòd sua ætate spacia posteriora illius sexti millesimi voluebantur. Sed Eusebius in Cronic. Natalem Domini collocat sub anno ab exordio Mundi centesimo nonagesimo nono supra quinquies millesimum.

94 Et

94 *Et πυρὸς esse caeperit.*] πυρὸς, idest impetus, vel ruina. sic habet Plantiniana, & Aldina editio. at Florentina Iuntarum, & πυρὰ esse caeperit. tanquam pyra prorsus, idest strues lignorum fit cuiusvis ignibus comburenda. Vtraque lectio ex ipsis net Carminib. Sibyllinis teneri posse videtur; nam 3. & 8. sermone dicitur, καὶ π᾽ ... πυρὸς, & eodem 8. serm. traditur, Romam ignibus absumendam.

CAP. XXVI.

95 SEd idem cum mille anni, &c] Desumpta ex 20. Apocal. „ Et cum consummati fue-
„ rint mille anni, soluetur Sathanas, &c.] quae declarantur à Santo Augustino 20. Ciuit.c.7.& 11. in fin.

96 *Tunc veniet nouissima ira Dei, &c*] cuius irae septem phialas Angeli septem iussi sunt effundere super terram. Apocalyp. 16. vid.& Carmina Sibyllina serm. 3.

97 *Concutiet terram quam validissimè, &c.*] Apocal.ibid. „& terrae motus factus est magnus, &c.

98 *Et à motu eius scindentur montes Syriae, &c.*] Apocalyp. ibid. „ Et ciuitates gentium ceciderunt, &c.

99 *Et statuet Deus Solem triduo, ne occidat.*] Hoc dictum testimonio scripturae firmatum non inuenio.

100 *Et inflammabit eum, & descendet aestus nimius, &c.*] Apocalyp. „ Et quartus Angelus effu-
„ dit phialam suam in Solem, &c.]

101 *Et grandines lapidum.*] Apocalyp. „ Et
„ grando magna sicut talentum descendit, &c.]

102 *Et replebuntur montes cadaueribus, & campi operientur ossibus*] Videntur haec desumpta tum ex cap. 39. Ezechielis, vbi iubentur conuocari omnes volucres, vniuersae aues, & cunctae bestiae agri aduescendum, &c. tum etiam ex Apocalyp. 19. vbi Ioannes audiuit Angelum stantem in Sole, & vocantem voce magna cunctas aues ad comedendum cadauera interfectorum; vt ostenderent prophetae multitudinem quandam ingentem à Christo interficiendorum; solent enim hostium cadauera, cum plurima sunt, in escam auium inhumata relinqui.

103 *Populus autem Dei tribus illis diebus, &c.*] Testimonium scripturae non habeo.

104 *Renouabitur mundus à Deo, &c.*] Apocalyp. 21. „ Et vidi caelum nouum, & terram nouam.

105 *In qua exterminabuntur impij, &c.*] Placet haec Lectio Florentinae editionis; nam cum supra cap. 20 dixerit primam illam resurrectionem futuram esse in ... , qui scilicet in Dei religione fuerint versati, nunc secundam fore dicit impiorum, qui manufacta coluerunt, &c. Ald. & Plantin. In qua excitabuntur iniusti, &c.

106 *Sed & Dominus illorum cum ministris suis comprehendetur*] Apocalyp. 20. „ Et Diabolus,
„ qui seducebat eos missus est in stagnum ignis,
„ &c.]

Ad poenamque damnabitur] Sic Sanctus Cyprian. in fin. De Idol vanit. „ iam venturus è
„ coelo ad poenam Diaboli.] Videlicet ad pœnā detrusionis, vt ex textu liquet. sic etiam supra lib. 3. c. vltimo.

107 *Quae finxerunt credunt.*] Post haec verba in Aldina editione sequitur haec oratio ad Constantinum Imperatorem directa, quam, quia deest in vtroque Codice Sancti Saluat. in P. & XII. Vaticanis, & omnibus aliis MSS. quos mihi videre contigit, item in editione Florentina Plantiniana, & caeteris plerisque, huc seorsum a textu subiicio, Videlicet. „ Sed omnia
„ iam sanctissime Imperator figmenta sopita
„ sunt, ex quo te Deus summus ad restituen-
„ dum iustitiae domicilium, & ad tutelam generis
„ humani excitauit. Quo gubernante Romanae
„ R. P. statum iam cultores Dei pro scelera-
„ tis, ac nefarijs non habemur. Iam emer-
„ gente, atque illustrata veritate non argui-
„ mur vt iniusti, qui opera iustitiae facere cona-
„ mur. Nemo iam nobis Dei nomen exprobrat.
„ Nemo irreligiosus vlterius appellatur, qui soli
„ omnium religiosi sumus; quoniam contemptis
„ imaginibus mortuorum, viuum colimus, & ve-
„ rum Deum. Te prouidentia summae diuinita-
„ tis ad fastigium principale prouexit, qui pos-
„ ses vera pietate ali rum malè consulta rescin-
„ dere, peccata corrigere, saluti hominum pa-
„ terna clementia prouidere; ipsos denique ma-
„ los a R. P. summouere, quos summa pietate
„ deiectos, in manus tuas idem Deus tradidit, vt
„ esset omnibus clarum, quae sit vera maiestas.
„ Illi enim, qui, vt impias religiones defenderēt,
„ coelestis, ac singularis Dei cultum tollere vo-
„ luerunt, profligati iacent; tu autem, qui no-
„ men eius defendis, & diligis, virtute, ac feli-
„ citate praepollens, immortalibus tuis glorijs
„ beatissimus fueris. Illi paenas sceleris sui & pen
„ dunt, & pependerunt, te dextera Dei potens ab
„ omnibus periculis protegit: tibi qu etum, tran-
„ quillumque moderamen cum summa omnium
„ gratulatione largitur. Nec immeritò rerum
„ dominus, ac rector te potissimum delegit, per
„ quem sanctam religionem suam instauraret,
„ quoniam vnus ex omnibus extitisti, qui praeci-
„ pua virtutis, & sanctitatis exempla praeberes,
„ quibus antiquorum Principum gloriam, quos
„ tamen fama inter bonos numerat, non modo
„ aequares, sed etiam (quod est maximum) prae-
terires.

„ terires. Illi quidem natura fortasse tantum si-
„ miles iustis fuerunt. Qui enim moderatorem
„ vniuersitatis Deum ignorat, similitudinem iu-
„ stitiæ assequi potest, ipsam verò non potest.
„ Tu verò & morum ingenita sanctitate, & ve-
„ ritatis, & Dei agnitione in omni actu iustitiæ
„ opera consumas. Erat igitur congruens, vt
„ informando generis humani statu te authore,
„ ac ministro diuinitas vteretur. cui nos quoti-
„ dianis precibus supplicamus, vt te in primis,
„ quem rerum custodem voluit esse, custodiat:
„ deinde inspiret tibi voluntatem, qua semper in
„ amore diuini nominis perseueres. Quod est
„ omnibus salutare, & tibi ad felicitatem, & cæ-
„ teris ad quietem.

CAP. XXVII.

Attendat Lector in hoc Capite præclarissimam Lactantij exhortationem ad vitam purè, atque innocenter agendam.

VEridicis hominum purgauit, &c.] Lucretius. veridicis igitur purgauit, &c.

108 *Et finem statuit cupedinis, &c.*] sic quidem habent editiones Ald. & Plantin. & libri ipsi Lucretiani; licet B.T.P. editio Florent. Iuntar. & Veneta Tridini. Et finem statuit torpedinis, &c.

109 *Limite paruo*] secutus sum lectionem MSS. Lactantij B. T. P. & quorundam impressorum Lucretij, quæ lectio non displicet Lambino. Vulgati Lucretiani habent, Tramite paruo, quæ lectio non admodum Lambino placet; at MSS. quos ille secutus est, tramite prono, hoc est facili, & procliui. Veneta Tridin. & Florentina Iuntar. hic, limite prono. al. limite puro.

Septimi Libri Notar. finis.





IOSEPHI ISAEI CÆSENATIS NOTÆ IN EPITOMEN LACTANTII FIRMIANI.

CAP. I.

1 *Et cultum eius, legemq; tenuerunt*] hæc in impressis non habentur.

2 *Si indicabit*] etiam hæc alijs desunt.

3 *Aut occidere. aut mori, &c*] Quidam Codices habent, aut occupare, aut mori. Patritius ad fragmenta Ciceronis 3. de Repub. ,, occupare inquit, Tabulam videlicet, aut equum, quo alteriam vehatur vi capere, quo verbo possent etiam fortassis intelligi id, quod alioqui dicimus antevertere, quod propriè gladiatorum est, qui vt mortem ipsi propositam fugiant, aduersarium neci dant occupatum. vid. Gell. lib. 8 c. 3. & copiosius Nonium Marcell. de var. signif. serm. Meus liber pro, occupare, legit, occidere, in actiua videlicet significatione pro, perimere; quamquam vtrunque & reprehendi post mea quidem sententia, & defeodi, &c.] Ego potius legelidum puto, vt est in nostro, quia sic habent optima quæque exomplaria tum hic, tum lib. 5. Instit. c. 17.

4 *Quia nocebit*] Patritius ibid. malebat, quia alij nocebit, quòd alioqui τὸ nocebit, videatur esse ad τὸ sibi referendum, cum tamen id res ipsa repudiet.

5 *Intelligens, & arguta non sapientia, sed calliditas, &c.*] mendosè in impressis. Intelligens redargui videtur, quia non sapientia, &c.

6 *Non potest igitur neque stulto iustitia, neque iniusto sapientia conuenire*] ita lego cum Thomasio ex Cod. B. non vt in excusis, perperam. Igitur neque stulto iustitiam, neque iniusto sapientiã conuenire.

7 *Quò diutius, commodiusq;*] al. quo iustius, &c. manifestus error, & qui repugnat sententiæ. Ego vero hunc locum restitui ex ipsomet Lactantio lib. 5. instit. c. 19 vbi habetur, si enim post mortem nihil sumus, profectò stultissimi est hominis non huic vitæ consulere, vt sit quãdiutina, & commodis omnibus plena? quod qui faciet, a iustitiæ regula discedat necesse est. si autem superest homini vita melior, & longior, &c. Ad oram Plantin. positum est, iucundius, forsan ex Cod. B. sed hoc ferè idem est quam commodius.

8 *Et illos æternam pœnam, &c.*] impressi corruptè, ex illis, &c.

CAP. II.

9 Q*Vod sit verum sacrificium Dei, qui iustissimus &c.*] prauè in excusis est, quid sit verum sacrif. Dei, quis iust. &c.

10 *Dona pretiosa*] sic habet B. & Lactantius ipse 2. Instit. c. 4. & lib. de ira Dei c. 21. non, dona præsentia, vt corruptè in vulgat.

11 *Dijsq; fictilibus*] corruptè in excusis. alijsq; ficti.

12 *Nam illa, quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem sunt, inepta, fragilia, ingrata sunt. Hoc est sacrificium verum, non quod ex arca, &c.*] luxatus est hic locus, & mutilus in impressis, vbi, Nam illa, quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem sunt hoc sacrificium verum non est, nec quod ex arca, &c.

CAP. III.

13 A*Ddicuntur iniusti*] al. mendosè. abdicuntur, &c.

14 *Tenenda est*] ita leg. vt in B. non vt in editis, veneranda est.

15 *Si enim idem Deus nos ferit, &c.*] τὸ nos, malè omissum est in al.

16 *Vt errore vitæ prioris abiecto simul cum ipso Deo nosmetipsos, quos impietas dissociauerat disceremus*] Hæc restitui Lactantio, quæ al. desunt.

17 *Irretiti fuimus*] non, vt vulgò legitur, irretiti sumus.

CAP. IIII.

18 E*T interdum cogunt ita delinquere, &c.*] De tribus illis affectibus loquitur, ira, auaritia, libidine. Neque verò scriptorum verba semper anxiè pensiculare oportet; non enim illi propriè semper, sed laxius interdum aliquantò, & καταχρηστικῶς loqui solent, vt Lactantius hoc loco, dum dicit hosce affectus aliquando cogere, vt intelligamus vi maxima quandoq; inclinare, atque vrgere. Nunquam enim cogunt, sed rationis imperio, & arbitrij libertate frenantur, quod sentire quoque Lactantium inde patet, quia tota eius oratio vehementer homines hortatur ad eos affectus compescendos, & in officio continendos. Genes. 4. „ Sub „ te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, „ &c.] Et contrarium dogma ad eorum hæresim pertinet, qui liberum arbitrium negauerunt, asseueruntq; peccata esse ineuitabilia, quæ ab appetitu, atque ab affectibus nostris proficiscuntur, vt Simon Magus, quem Petrus Apostolus confutauit, vt Clemens Romanus testatur, Item Marcion, & Manes, quorum errorē denuo ex inferis excitarat Petrus Abailardus a S. Bernardo reuictus, & deinde post ducentos annos Ioannes Vuiclef eoudem natus in Concilio Constantiens. session. 8. c. 27. denique Caluinus, Bucerus, Lutherus, Melanchton, quorum omnium hęresim anathemate ferit Con c. Arausican. sessione 2. c. 13. & Trident. sess. 6. c. 6. & sess. 6. c. 5. & contra eam disputat Irenæus contra hæres. lib. 4. c. 72. Tertullianus 2. aduersus Marcion. Greg. Nyssen. in lib. de libero arbit. Chrisostom. hom 60. super Matth. S. August. de Ciuit c. 9. & de vera Relig. c. 14. Damasc. 2. de fid. orthod. c. 7.

19 *Ante omnia*] hęc duo verba restitui Lactantio quæ illi surrepta fuerant.

CAP. V.

20 A*Varitia frangatur*] non, frangitur.

21 *Sed dulcia*] non, sed dubia. vid. c. 21. lib. 6.

CAP. VI.

22 E*T cauenda sunt, quod ad celebrandos, &c.* In impressis legitur, & cauenda sunt totaliter, quòd ad celebrandos, &c. dictionem, totaliter expulimus, quæ nec Lactantiana est, nec latina, nec in B. aut alijs Mss. recepta.

23 *Vita nostra munitur*] corruptè in editis, vita nostra multatur.

24 *Et hoc sit voluptas, quod scelus vindicauit cædibus*] in excusis nullo sensu, & hoc vt scelus vindicent.

25 *Hic non peierabit*] ita B. & editio Plantiniana, sed malè Aldina hic vitabit, peius Florentina, hic iurabit.

26 *Si falsum testimonium mendacio nocet ei, &c.*] In impressis, si mendacium nocet ei.

27 *Nunquam igitur mentiendum, &c.*] Non esse mentiendum, omnes asseruere vbi damnosum est, vel ociosum mendacium. Vbi verò est officiosum Origenes secutus Platonem in 3. de Republica, cuius verba refert lib. 6. stromat. putauit licere mentiri, & deinde Chrisost. in fin. lib. 1. de Sacerdotio. Cassian lib. 17. Collatio. c. 17. & seqq. Hieronym. in Comment. Epist. ad Galat. Catholica veritas est, quam hoc loco docet Lactantius, & S. Augustinus in lib. de mendacio. textus in cap super eo. Tit. de vsur. Magister, & omnes Theologi in 3. dist. 38. videlicet, nunquam esse mentiendum, & ad authoritates patrum contra opinantium respondent Doctores vbi supra.

28 *Est ergo vir iustus, qui non (etiam sine noxa in otiose sermone) mentitur.*] Ita hic locus legendus est, ex Cod. B interpungendusque sicut nos interpunximus, vt sententiam planam, & perspicuam faciat. al. perturbatè, atque confusè. Non est vir iustus, qui non sine noxa vitioso sermone mentitur.

29 *Nec adulari licet.*] Ezechiel. 13. Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, &c. idest qui adulantur, vt ibi exponit glossa interlinear. & Sanctus Tho. secunda, secundæ quæst. 115. articulo primo, sic illud Esai. 3. qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, de adulatione quòd perniciosa sit intelligitur, & citatur à Cypriano 3. Testimon. c. 115.

CAP. VII.

30 *Qui opem tuam in malis.*] Mendosè alij. qui opem tunc in malis.

31 *Si quis nudus occurrerit, vestiamus.*] hæc Lactantio ex B. reddidimus, quæ in editis non habentur.

Inopes aut pauperes, &c.] hæc lectio videtur non carere mendo, nam idem omnino est, inopes, & pauperes, genuinam autem indicat author ipse lib. 6. instit. c. 12. vnde hæc sunt deprompta. ibi inquit. „ Vltimum illud, & „ maximum pietatis officium est peregrinorum, „ & pauperum sepultura.] quare hic legen. arbitror, peregrinos, aut pauperes, etc.

CAP. VIII.

32 *Quia Deus, & viro.*] In al. nullo sensu, quo Deus, etc.

33 *Adulterij reuictam.*] Non vt al. adult. deuictam.

34 *Vt nunquam coniugalis fœderis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resoluatur.*] Hic locus mutilus est in excusis, ibi enim. Et nunquam coniugalis fœderis vinculum, nisi ruperit, resoluatur.

35 *Itaque iustum hominem quod sit secus nec facere oportere, nec velle.*] Etiam hæc clausula manca, & corrupta legitur in impressis hoc modo. Itaque iustum hominem, qui scit se nec facere oportere, nec velle.

36 *Hoc semper obsequium domino deferamus*] In al hoc enim semper, &c. sed τὸ enim superfluit, nec est in B.

37 *Qui cum magis suscipiat peccatorem confitentem, quàm iustum superbum, quanto magis iustum suscipiet confitentem, eumque in Regnis cœlestibus faciet pro humilitate sublimem?*] Mutilus, & corruptus locus in alijs, vbi legitur. Vt cum Angelis suscipiat peccatorem confitentem, quem in Regnis cœlestibus faciat pro humilitate sublimari.

38 *Hunc vt filium suscipit, eique donum immortalitatis impartitur.*] Impress. Hunc vt fil. susc. sibi, quia donum, &c.

39 *Qui summam non habebant?*] Impressi corruptè. Qui scientiam non habebant. peculiaris vox est Lactantio, vt summam appellet breuem quandam, & compendiariam diuinorum mysteriorum collectionem, atque notitiam. Sic libro septimo. Instit. cap. 6. & 7.

CAP. IX.

40 *Negantes ergo prouidentiam esse vllam, vtique Deum, qui fons, & caput rerum est, negauerunt.*] al. neg. er. prou. vtique Deum, qui fons, & cap. eius est, neg.

41 *Sine generante natura.*] Ita legen. non vt in al. sine ratione natura.

42 *Cum & femina ex rebus oriantur.*] Malè in impress. cum femina exordijs oriantur.

43 *Aliqua ratione generatum.*] Non, vt alij rat. generari.

44 *Et ab eo mundum factum, & hominem causa esse factum.*] Pro eo quod deprauatè in alijs legitur. Et ab eo mundum, & hominem esse factum.

45 *Si mala ergò, & bona fecit, aut nihil fecit Deus, aut si bona tantùm, &c.*] Ita restituitur hic locus ex B. qui in excusis habetur, Bona igitur, & mala aut nihil fecit Deus, si bona tantùm fecit, æterniora, &c. hæc autem à Lactantio dicuntur ex persona Theodori illius athei sententiam suam profert sequenti capite.

46 *Ergo secundum sententiam Platonis, ideò Deus & bonus est, quia bona fecit, & malus, quia mala.*] Minime verò. nam quæ sit philosophi sententia, liquet ex 2. De Republica ad fin.

47 *Apparet à Deo factum esse mundum, quia mundus bonus est; omnia enim complexus est, bona, & mala, &c*] Perturbatus locus est in al. apparet non ideo factum esse mundum; quia mundus bonus est: quoniam eum complexus est & bona, & mala, &c.

48 *Non vt nauis tantùm videatur.*] deest al. dictio, tantum.

49 *Nec esse finem transmeandi.*] impressi corrup. nec citra finem, &c.

CAP. X.

50 *Quæ sit illa summa.*] etiam hic pro, summa, in alijs prauè legitur, sententia.

Vt Deum patrē agnoscāt, vt colant, etc.]

Suspicor hic vnum verbum à librarijs omissum, & vt connexio illa, quam ait Lactantius magis appareat legendum credo, vt Deum patrem agnoscant, agnoscunt, vt colant, &c.

51 *Viderunt hoc philosophi*.] rectè B. pronomen addit, quod deest excusis.

52 *Incidit potius in veritatem*.] Ita emendatur, quod in editis est. incidit totius rei veritatem.

53 *Quod per se ipsum semper mouetur, nec principium motus habet, etiam finem non habere*.] Hæc lectio B. ratiocinationem Platonis magis exprimit; quam illa excusorum, quod per se ipsum mouetur neque principium motus, neque finem posse habere.

54 *Quæ quia naturæ contraria sunt*.] ita legen. non, quæ quia natura, &c.

55 *Quia terrena prostrata iacent*.] Non, quia terrena perspiciunt. sic supra lib. 7. cap. 9. quas pronis corporibus abiectas, in terramque prostratas, &c.

CAP. XI.

56 *A Prophetis colligi potest*.] corruptè impressi. à philosophis, &c.

57 *His malis accedent prodigia, &c.*] Non vt in editis, his malis accident, &c.

58 *Et Deum cassæ preces*.] Non vt in al. & ad eum, &c.

59 *Qui vt erit aduersarius, & vt credi ei possit, &c.*] Emendaui ex B. & suppleui quod legitur in impress. qui vt aduersari ei possit, &c.

60 *Sed ille vecors, ira implacabili*. Vulgata lectio. sed ille proteruia implacabili.

61 *Et vt vexata tot seculis terra, &c.*] Al. mutile. Vt vex. seculis, &c.

Concutiet enim à fundamentis suis terram, &c.] Hæc & quæ sequuntur vsque ad illa. Post hæc renouabit, &c. desumpta videntur ex cap. 39. Ezechiel. & 19. Apocalyp. illud quoque hic animaduertas, *se*. enim ad proximè superiora referri, atque ita significari; vel Dæmonum principem, vel multitudinem impiorum concussuram esse terram a fundamentis, &c. quod & prophetis, & Lactantio ipsi repugnat, qui Dei hæc opera futura esse pronunciant, & hic quidem mox ait Lactantius, & pluet super impios, &c. quare certissimum est, hoc loco post illa verba, delendamque suorum gentem, aliqua à librarijs prætermissa, quæ consonent illis verbis capitis 26. libri septimi. Instit. Tunc veniet nouissima ira Dei super gentes, & debellabit eas vsque ad vnum. quibus statim rectè hæc subderentur. Concutiet enim a fundamentis suis terram, &c.

62 *πολυάνδριον*] Quidam sepulchrum, quidam ruinam interpretantur. Vid. Ezechiel. Sept. & Vulg. d. c. 39. & ibi Sanctum Hieronym. & Hierem. c. 12. Septuag. & Vulg. reperitur & ea vox apud Arnob. sub initium 6 Pausaniam Corinthiacis. Strabonem nono, de Ælian. lib. 12. de var. histor.

63 *Tunc etiam impij*.] Non autem, tunc enim impij.

64 *Eos quoque secunda resurrectione facta Deus excitabit, vt ad perpetua tormenta damnati, & æternis ignibus traditi merita pro sceleribus suis persoluant*.] Ita hic locus rectè ex B. restituitur, qui al. corruptè sic legitur. Eisque secunda resurrectio facta Deum excitabit, vt ad perpetua tormenta damnent, æternis ign. trad. mer. scel. su. soluant.

65 *Consona adnunciatione*.] al. corruptè. cons. administratione.

66 *Hystaspes*.] al. Hydaspes. emendationis nostræ rationes attulimus ad fin. c. 15. lib. septimi diu. instit.

67 *Dubitari non potest, quin spes omnis vitæ, ac salutis in sola Dei religione sit posita*.] Sic ex B. restituitur quod in al est. Dub. non pot. curæ, spes omnes vitæ, ac salutis in sol. relig. Dei sint posita.

CAP. XII.

68 *Q Vem Deus ad liberationem misit, atque missurus est, nisi summum Deum per eum cognouerit, nisi mandata eius, legemque seruauerit*.] Ita B. excusi, quem D. ad lib. mis. qui missus est, nisi sum. D. per eum cogn. mand. eius, legesque seruau.

Notar. in lib. de Epit. finis.



IOSEPHI ISAEI CÆSENATIS NOTÆ IN LIBRVM DE IRA DEI LACTANTII FIRMIANI.

1 DE *Ira Dei*] Extat de hoc libro honorificum Beati Hieronymi testimonium ad c. 4. Epist. ad Ephes. his verbis. „ Firmianus noster librorum de Ira Dei docto pariter, & eloquenti sermone conscripsit, quem qui legerit, puto ei ad iræ intellectum satis, abundéque sufficere, &c.] Eundem librum appellat pulcherrimum in lib. de scriptor. Ecclesiast. in Firmiano. Cauendum tamen à themate illius, quod est De ira Dei, nam toto lib. docet, iræ affectum, & alios quosdam verè, & propriè in Deo reperiri, & præsertim cap. 15. 16. & 17. quod etiam asseruit lib. 2. Diuin. Instit. c. 18. vbi diximus.

CAP. II.

2 *Vt nullo affectu commoueri putant*] Mendum irrepsit ferè in omnibus libris vbi pro, nul lo, legitur, vllo, quod res ipsa repudiat, nam Lactantius eos arguit, qui nullo affectu cōmoueri Deū putant. ideo legen. vt est in sept. Vat.

3 *Dum disputant*] Ianus Gulielmus ad Plaut. Menæchm. c. 4. testatur, in quibusdam exemplaribus haberi, dum dissipant, quam lectionem probat ipse.

4 *Alij verò iram tollunt*] ita legendum esse, sicut est in B. T. P. textus ipse suadet, non vt in plerisque, illi verò, &c.

5 *Aut vtrunque tribuendum*] Hæc lectio B. tenenda est, vel alia alterius Codicis S. Saluatoris minus antiqui, Tax. & P. aut neutrum detrahendum, quæ sensu eadem est cum priori. Quòd si legatur vt in Aldina, & cæteris editionibus, aut neutrum tribuendum, hoc quartum membrum idem fuerit cum eo, quod ille secundo loco posuit, videlicet, aut vtrumque pariter detrahendum, Hoc animaduertit quoque Thomasius in notis.

CAP. III.

6 *Si malorum tantummodo author est Deus?*]. loquitur de malis pœnarum, quæ Deus iratus infligit, quorum authorem, & causam Deum esse

esse fatetur quoque Sanctus Thom. pr. p. quæst. 49. artic. 2.

7 *Vtique si Deus non est, esse alterum necesse est, qui contraria Deo faciat, &c.*] Retinui communem Lectionem, quamuis B. & T. habeant, vtique si Deus est author malorum, esse alterum necesse est, qui contraria, &c. si Deus (inquit) non est author, scilicet tam bonorum, quam malorum ita, vt solum malefaciat, non autem etiam benefaciat hominibus, alterum igitur constituere authorem beneficiorum necesse est, cum & bona, & mala experiamur. Sed alius præter Deum constitui non potest, ergo idem Deus author est tum malorum, idest pœnarum, tum bonorum, idest beneficiorum, atque præmiorum.

CAP. V.

9 G*Ratiam in Deo esse, iram non esse.*] vt qui nec velit obesse, nec possit, vt ait Senec. lib. 2. de ira. vbi de hoc disserit.

10 *Velut sæua tempestas tantos excitet fluctus, &c.*] Irati habitum pulchrè describit. pulcherrimè quoque Senec. initio lib. primi, de ira, & in fin. secundi, & rursus initio tertij.

11 *Non minus, quàm illorum qui vtrumque detrabunt.*] Ex hac lectione B. T. P. & Plantinianæ editionis clarior fit sententia Lactantij. Quod si τὸ detrahu t, expuncto, simpliciter legas vt in Aldina, & Florentina, non minus, quam qui vtrumque, videbuntur hæc verba referri posse etiam ad illud, tribuunt, superius dictum; quod susceptæ a Lactantio disputationi repugnat.

CAP. VII.

12 N*Ihil inter hominem, &c.*] ita B. T. quod corruptè in nonnullis legitur, nonnihil, i.e. id sententiæ Lactantij repugnat: qui hoc loco respicit ab errore alias habito, Rationem mutis etiam inesse, de quo disserui secundo. Instit. cap. 3.

13 *Quæ se intelligunt.*] Operarum error in editis est, qui se intelligunt, nam de mutis animalibus loquitur.

14 *Vt apes.*] de quibus mira apud Aristotelem 9. de hist. anim. cap. 40. Plin. lib. 11. cap. 5. & seqq. Basil. homil. octaua in Hexaemer. Vid. etiam Theodoretum serm. sexto, de curat. affect. græc. quæ est. De Prouidentia, vbi ex animalium industria admirandam Dei prouidentiam probat.

15 *Patriam sola, & certos, &c.*] Vulgata hæc lectio est tam apud Lactantium, quam etiam apud ipsum Virgilium Florentina tamen editio hic habet.

——*Natale solum, & certos, &c.*

Pierius in Castig. Virgil testatur, in quibusdam Codicib. haberi.

Agpatriam sola, vt illa propositio A.

hoc loco sit admirantis. quod nec ipsi, nec mihi placet.

16 *In mutis quoque, &c.*] Ita legendum ostendunt B. T. P. & omnes alij MSS. & textus ipse. In editis operarum errore legitur, in multis quoque.

CAP. VIII.

17 O*Mnis enim per se Diuum, &c.*] Epicureorum verba ad hunc locum pertinentia ponit Plutarch. ad fin. libri cui Titulus. Ne suauiter quidem viui posse secund. Epicur. decreta.

18 *Nam priuata, &c.*] Ita reposui, vt est apud Lucretium al. iam priuata, &c.

19 *Nihil indiga.*] Sic habent B. T. P. & libri Lucret. non autem, nil indiga, vt editiones Aldina, Florentina, Plantiniana.

20 *Quid enim dicam propitius sit?*] Ita reposui, vt est in Ald. & cæteris, & apud ipsum Ciceronem pro eo quod habetur in Florentina. Quid enim facere propitius homini potest?

21 *Terror impendeat.*] ita MSS. excusi mendosè, impendat.

CAP. IX.

22 A*Thenis quidam Diagoras.*] Vulgata est hæc lectio penè omnium librorum, a qua discedere non sum ausus. P. tamen habet, Ælius quidam Diagoras, & B. Alius quidam, &c. Vnde, quis suspicari posset, legendum esse, Melius quidam Diagoras, nam Melium quidem vocat eum Cicero initio primi de Nat. Deor. vbi hæc ipsa pertractat, Plutarch. primo placitor. cap. 7. sext. Empyric. Pyrrhon. hypotyp. lib. tertio, cap. 24. Arnobius 4. & Minucius alij. Quòd autem Lactantius, & nostratium alij permulti Diagoram, Theodorum, & cæteros, de quibus etiam lib. primo. Instit. cap. secundo, ἀθέους, hoc est absque Deo cognominent, videndum est, nec fortè a Christianis etiam in eosdem bonos, ac doctos viros vetus Ethnicorum calumnia importetur, cum enim hi Deorum multitudinem, totque monstra, atque portenta, quæ stulta colebat gentilitas, irriderent, putati sunt ἄθεοι, & nullum omnino Deum credidisse. quod quæritur quidem certè, ac miratur, & Clemens Alexand.

CAP.

CAP. X.

23 QVis illa vidit unquam?] Respondet Lucretius in primo, quòd multa alia sunt in rebus corpora, quæ videri nequeunt.

Ne qua fortè tamen caeptes diffidere dictis, &c.

24 *Si aspera, & angulata sunt, &c.*] Hæc B. lectio probata Thomasio melior est quàm impressorum, aspera (inquit) & angulata, &c.

25 *Ex omnibu' rebus.*] Ita malim ex emendatis Lucretianis, quàm, ex omnibus, &c.

26 *De nilo posse fatendum est.*] Ita leg. vt in Aldina editione, & Florentina, & apud Lucretium, B. T. de nihilo, sed versus non constat. P. *De nullo posse putandum est.*

Semine quando opus est, &c.

27 *Denique si ex inuisibilibus sunt, quæ non videntur, consequens est, vt ex visibilibus sint, quæ videntur; cur igitur nemo videt?*] Ita legendus est locus iste ex vtroque Codice Sancti Saluatoris Bon. & T. non vt al. Denique si ex inuisibilibus sunt quæ videntur, cur igitur nemo videt? &c. argento vtitur à contrarijs, si ea, quæ non videntur manant a corporibus inuisibilibus, ergo quæ videntur, prodeunt ex visibilibus, ea igitur cur non videntur?

28 *Vnde homo nomen accepit.*] ita leg. vt habet B. T. P. & Lactantius supra 2. Instit. cap. 11. Impressi malè omittunt τὸ homo.

29 *Nihil est enim, inquit,*] Ita B. Plantinian. & Cicero ipse. at Ald. & Flor. desit, enim.

30 *Atque factum.*] Cicero atque fictum.

31 *Nihilue aut humidum quidem, aut flabile, &c.*] ita B. Plantin. & ita legendum puto apud Ciceronem vbi habetur, nihilne, &c. al. hic legitur, nihilque humidum, aut flabile, etc.

32 *His enim naturis nihil inest, quod vim memoriæ, &c.* Ita vetustiores impressi Lactantiani, & Cicero. ipse. At Ald. & Plant. his enim innatum nihil est, quod vim, etc.

33 *Quod & præterita, &c.*] ita lego, vt in B. & T. & apud Ciceronem. al. quo & præterita, etc.

34 *Prouideat.*] sic editi libri Lactantij, & Cicero, at B. & P. malunt, præuideat.

35 *Inuenietur unquam.*] sic Cicero. al. inueniuntur, etc.

CAP. XI.

36 SIcut Plato in Timæo.] cuius verba ita Cicero transtulit in lib. de Vniuerso. „ Atq; illũ
„ quidem quasi parentem huius vniuersitatis in-
„ uenire difficile, & cum inueneris, indicare in
„ vulgus, nefas.

37 *Idem testatur Hermes*] Mercurius scilicet ille Trismegistus, cuius hæc ad Tatium sententia legitur apud Stobæũ in Collectaneis serm. 80. qui est De Dijs, & Physiolog. circa cœl. ac mũd.
„ Deum cogitare animo difficile est, eloqui im-
„ possibile.

38 *Apud Xenophontem, &c.*] Cuius hæc verba
„ sunt lib. 4 memorab. Socrat. „ Quòd igitur Dij
„ sint, hominumq; habeant curam tu quoque ò
„ Euthydeme cognosces, si non expectes, quo-
„ usque Deorum videris formas, satis nanque
„ erit opera eorum considerando colere, ac ho-
„ norare eos, &c.

CAP. XII.

39 QVia sapientia est diuinitatis intellectus, &c.] secutus sum lectionem MSS. optimorũ, et Plantinianæ probatam et explicatam a Thomasio in suis notis. Antonius Augustinus pro eo quod legitur, In homine solo reperiri iustitiam, malebat, In homine solo reperitur iustitia. Impressi libri ferè omnes habent. Cum diuinitatis intellectus, quo differimus à belluis, in homine solo reperiatur, qua nisi cupiditates, etc. quam lectionem mutilam esse, nec benè cum superioribus cohærere omnes (vt puto) intelligent.

40 *Impiequè viuemus*] ita B. T. P. non vt in impress. impièque viueremus, nam dixerat, coercuerit.

CAP. XIII.

MElius stipulæ] Virg. *stipulæ melius, &c.*

41 *Peruehatur*] B. T. P. MSS. omnes mẽdum operarum est in æditis. prouehantur.

42 *Ventorum spiritu*] De vtilitate ventorum videndus Senec. lib. 5. Natural. quæst. c. 18.

43 *Proposuit tamen ei & bona, & mala*] non loquitur de malis culpæ, vt ex textu liquet.

44 *Quam Stoici nullo modo videre potuerunt*] sic rectè Aldin. et Plantin. Sed Veneta Tridin. et Florent. Quam Stoici posuerunt, non rectè, quia supra dixerat, Stoicos repulisse quæstionem Academicorum, etc.

45 *Sapientia enim*] ita leg. ex B. T. P. non vt in Florent et Ald. sapientia etiam. Nam causam affert, cur in sapientia sit plus boni, ac iucunditatis: neque placet hic, et iterum mox, etiam.

CAP. XV.

46 SImul Deum proposuisse bonum, & malum, &c.] hic loquitur quidem de malo culpæ, sed verbum, proposuisse, quo ad malum non est in significatione propria accipiendum, quasi

Deus

Deus voluerit malum, ideſt peccatum, ſed propoſuiſſe, inquit, ideſt permiſiſſe, vt ipſemet ſtatim ſe ipsum explicat illis verbis, ſed ideo malum permiſiſſe, etc. et ita vbique declarandus eſt, et intelligendus Lactantius ſi forte dicat, Deum propoſuiſſe, feciſſe, voluiſſe malum eiuſmodi. Diximus enim lib. 4. Inſtit. c. 20. ad ea verba, ne adduceret eos in pænitentiam etc. etiam in ſacris Literis quandoque Dei permiſſionem appellari actionem Dei, quia Deus actu poſitiuo vult illam permiſſionem, etc.

Nam quia fragilis, &c.] ita corrigendum fuit operarum illud erratum in alijs editionibus, nam qui fragilis.

CAP. XVI.

47 *A Deo & in ipſa ira ireſt gratificatio*] ita legunt B. T. P. ſignificat enim, in ira ipſa non tantum in eſſe vltionem, et pœnam aduerſus malos, ſed gratificationem etiam, et beneficentiam erga bonos, quibus conſulit, dum nocentes e medio tollit, et ideo maxime Deo competere. al. Adeo et in ipſo ira eſt, et gratificatio, etc. quæ lectio nihil habet acuminis.

CAP. XVII.

48 *Supplicium de ſeruo nunquam acerrimum ſumpſerit, &c.*] hinc emendandum puto Ciceronis textum, qui habet, ſupp. de ſeruis quam acerbiſſimum ſump.

49 *Rependendi*] Senec. caſtigatus à Pinciano habet, reponendi.

CAP. XVIII.

50 *SED defertur aliunde tanquam dubium, nec vnquam poteſt eſſe ſcelus tam clarum, vt defenſioni non ſit. Et ideo poteſt iudex non moueri, &c.*] hæc retinenda ſuerunt, vt in Aldina, et Plant. quæ in Veneta Trid. & Florent. deſiderantur.

51 *Quod facit*] hæc quoq in Veneta Trid. & Florent deſiderantur.

52 *Et incitauerit*] hæc habet B.T. Plantin. quæ deſunt Aldinæ, et Florentinæ editioni.

53 *Archyta Tarentinus*] de quo Cicero initio 4. Tuſcul. Valer. Max lib 4. c. 1. Plutarch. de liber. educand. et de ser. num. vindict.

54 *Nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur*] vid. Plat. in Gorg. et apud Senec. in fine 1. de ira, et ad fin. 2. c. 31. item et Gellium lib. 6. c. 14.

55 *Vt ſtomachum eius incitent*] ſed nec lectio B. et T. diſplicet, vt ſtomachum peruerſi hominis incitent, peruerſum propriiſſimè vocat præpoſterum hominem, et qui ordinem peruertit in puniendo; ſæuit enim vbi non iraſcitur, vbi iraſcitur parcit.

56 *Ergo etiam non nocentibus iraſcuntur, etiam paribus, &c.*] Hæc quoque retinenda ſunt ex B. T. Plantin. quæ nonnullis deſunt.

57 *Quod autem de homine dicimus, id etiam de Deo, qui hominem ſimilem ſui fecit. Omitto de figura Dei dicere, &c.*] Corporea Deum præditum eſſe figura multis locis aſſerere videtur Lactantius cum tamen 2. Inſtit. c. 9. & lib. 6 cap. vlt. et lib. 7. c. 3. 9. et 21. verè, et rectè fateatur, ipſum corporis expertem: adeo facilè ſcriptores interdum ſibi contraria et dicunt, et ſentiunt. Id aſſeruerunt non modo philoſophi quidam, vt Ariſtoteles ſcribit 3. Metaph. tex. 7. ſcilicet Epicurei, de quibus Cicero pr. de nat. Deor. et Galan. De philoſophic hiſt. c. 29. ſed etiam Iudæorum nonnulli, et ex noſtris quidam hæretici, vt Tertullian. quem tamen pie interpretatur S. Auguſt. in lib. De hæreſib. ad Quod vult Deum c. 86. Vadiani item, et Manichæi, vt habetur ex S. Auguſtino in 3. Confeſſ. c. 7. qui omnes ab errore illo cognomen Antropomorphitarum adepti ſunt. de quibus videnda ſunt, quæ ſcribit Nicephor. lib 2. c. 14. et lib. 13. c. 10. eo quoque infectum olim penè omne genus monachorum qui in Ægypto morabantur ſcribit Caſſianus collat. 10. c. 1. Quòd enim ſcriptura dicat, hominem ad Dei imaginem, et ſimilitudinem creatum, illi humilem literæ ſonū attendentes, eum errorem concipiebant. Ibi verò ſimilitudo, et imago non corporaliter, ſed ſpiritaliter accipitur, ſiue latinorum ſententiā amplectamur, vt illa imago dicatur reſpectu mentis humanæ, et trium eius potentiarum, quibus ſanctiſſima Trinitas aliquo modo repræſentetur, vt docet S. Auguſtinus in lib. de Trinit. ſiue Græcorum Patrum vt illa imago, et ſimilitudo ſit reſpectu dominij, quod obtinet homo non modo terrenarum omnium rerum, vt Chriſoſt. ſenſit homil. 8. in pr Geneſeos, ſed etiam ſuorum affectuum, et motuum per libertatem arbitrij, quatenus rationi aduerſantur. vt Clemens Alexandrinus 6. ſtrom. Baſil. homil. 10. in Hexaemer. Chriſoſt. homil. 23. ſuper Geneſ. Plato in Phædon. referente Euſebio lib. 11. præparat. c. 14. et Porphyrius, eodem Euſeb. atteſtante. Vide contra eam hæreſim Cōcilium Lateranen. ſub Innoc. 3. in cap. firmiter. De ſumm. Trinit. S. Auguſt. vbi ſupra, et lib. 1. Confeſſ. c. 10 ſuper Geneſ. ad lit. lib. 10. c. 25. De doctrina Chriſt. c. 6. et 8. S. Thom. pr. cōt. gent. c. 21. et pr. p. quæſt. 3. art. 1.

CAP.

CAP. XIX.

58 *VT Aristoteles, cæteriq; philosophorum*] Expressi lectionem magis receptam; nem sic habent septem Vaticani P. & impressi antiquiores, præsertim Venet. Trid. & Florent. Iuntar. Vnus autem Vaticanor. Ald. Plantin. Vt Aristoteles, & Timon, cæteriq; Phil. Alius verò ex eisdem Vaticanis, & B. vt Aristides, & Timon, cæteriq; Phil. Ego τὸ Aristides, non puto geminæ lectionis; nullum eius nominis philosophum celebrem apud scriptores comperio. Si verò Timonem retinemus, non illum intelligo humani generis osorem, de quo Plutarch. in M. Ant. sed Philiasium è scholà Pyrrhonis philosophum maledicum, amarulentũ, de quo Suidas in σιλλαίνει, μυλλαίνει. Gell. lib. 3. c. 17. Laert.

CAP. XXI.

59 *NE mentis impos aliquod inexplicabile facinus admitteret, &c.* B.T. ne post aliquod &c. Ianus Gulielm. in quæstionib. ad Plaut. Menæchm. c. 4. scribit, in aliquibus libris reperiri, ne mentis impossibile aliquod facinus, &c. vnde is ita scribendum coniicit, ne mentis impos â bile aliquod fac. &c.

60 *Nec facilè regere se potest propter fragilitatem, intelligere debemus, &c.*] ità restituitur hic locus ex vtroque Cod. S. Saluatoris T. P. Venet. Tridn. & Florent. cæterisque antiquioribus editionibus. mendosè Ald. nec fac. reg. se potest propt. frag. non ideò intell. deb. &c. nam illa, non ideo, sensum cõtrarium inuehunt ei, quod Lactantius docet, vt monuit quoque Thomas., qui & hunc locum explicuit in notis.

CAP. XXII.

61 *QVI sapientiam capillis, & habitu iactant*] nam promissum capillum gerebant, & pallio induebantur qui sapientiam profitebantur, vt lib. 3. Instit. c. 25. diximus.

CAP. XXIII.

62 *Ἐξ οὗ μηνίσαντος* &c.] In Carminibus Sibyll. verba variant, & sensus, nam ibi. *καὶ τότε γινώσκων θεὸν* &c.

63 *Ἀλλ' ὅμως*, &c.] In Cod. Sibyllino paulò aliter leguntur.

64 *Id ponunt, quod est inutilissimum, detrahentes ei, quod est rebus humanis maximè salutare, per quod constat ipsa Maiestas*] Ita lego hunc locum ex vtroq; Cod. S. Saluat. T. P. qui mutilus est in editis, vbi habetur. Id ponunt, quod est cõtra ipsam maiestatem. Regnum hoc, &c.

CAP. XXIV.

65 *ET diligendus*] hæc ex B. T. & Plant. rectè apponuntur, quæ in aliquibus editionibus desunt, vt tribus his præcedentibus, colendus, adorandus, diligendus fiat relatio ad alia tria subsequentia, quia in Deo est materia rerum, ratio virtutum, fons bonorum, vt etiam Thomasius monuit.

Notar. Lib. De Ira Dei finis.

„ terires. Illi quidem natura fortaſſe tantùm ſi-
„ miles iuſtis fuerunt. Qui enim moderatorem
„ vniuerſitatis Deum ignorat, ſimilitudinem iu-
„ ſtitiæ aſſequi poteſt, ipſam verò non poteſt.
„ Tu verò & morum ingenita ſanctitate, & ve-
„ ritatis, & Dei agnitione in omni actu iuſtitiæ
„ opera conſumas. Erat igitur congruens, vt
„ informando generis humani ſtatu te authore,
„ ac miniſtro diuinitas vteretur. cui nos quoti-
„ dianis precibus ſupplicamus, vt te in primis,
„ quem rerum cuſtodem voluit eſſe, cuſtodiat:
„ deinde inſpiret tibi voluntatem, qua ſemper in
„ amore diuini nominis perſeueres. Quod eſt
„ omnibus ſalutare, & tibi ad felicitatem, & cæ-
„ teris ad quietem.

CAP. XXVII.

Attendat Lector in hoc Capite præclariſſimam Lactantij exhortationem ad vitam purè, atque innocenter agendam.

Veridicis hominum purgauit, &c.] Lucretius. veridicis igitur purgauit, &c.

108 *Et finem ſtatuit cuppedinis, &c.*] ſic quidem habent editiones Ald. & Plantin. & libri ipſi Lucretiani; licet B.T.P. editio Florent. Iuntar. & Veneta Tridini. Et finem ſtatuit torpedinis, &c.

109 *Limite paruo*] ſecutus ſum lectionem MSS. Lactantij B. T. P. & quorundam impreſſorum Lucretij, quæ lectio non diplicet Lambino. Vulgati Lucretiani habent, Tramite paruo, quæ lectio non admodum Lambino placet; at MSS. quos ille ſecutus eſt, tramite prono, hoc eſt facili, & procliui. Veneta Tridin. & Florentina Iuntar. hic, limite prono. al. limite puro.

Septimi Libri Notar. finis.





IOSEPHI ISAEI CÆSENATIS NOTÆ IN EPITOMEN LACTANTII FIRMIANI.



CAP. I.

1 *NEc cultum eius, legemq; tenuerunt*] hæc in impressis non habentur.

2 *Si indicabit*] etiam hæc alijs desunt.

3 *Aut occidere. aut mori, &c*] Quidam Codices habent, aut occupare, aut mori. Patritius ad fragmenta Ciceronis 3. de Repub. „ occupare inquit, Tabulam videlicet, aut equum, quo alteriam vehatur vi capere, quo verbo possent etiam fortassis intelligi id, quod alioqui dicimus anteuertere, quod propriè gladiatorum est, qui vt mortem ipsi propositam fugiant, aduersarium neci dant occupatum. vid. Gell. lib.8 c. 3. & copiosius Nonium Marcell. de var. signif. serm. Meus liber pro, occupare, legit, occidere, in actiua videlicet significatione pro, perimere; quamquam vtrunque & reprehendi post mea quidem sententia, & defeodi, &c.] Ego potius segelidum puto, vt est in nostro, quia sic habent optima quæque exomplaria tum hic, tum lib. 5. Instit. c. 17.

4 *Quia nocebit*] Patritius ibid. malebat, quia alij nocebit, quòd alioqui τὸ nocebit, videatur esse ad τὸ sibi referendum, cum tamen id res ipsa repudiet.

5 *Intelligens, & arguta non sapientia, sed calliditas, &c.*] mendosè in impressis. Intelligens redargui videtur, quia non sapientia, &c.

6 *Non potest igitur neque stulto iustitia, neque iniusto sapientia conuenire*] ita lego cum Thomasio ex Cod. B. non vt in excusis, perperam. Igitur neque stulto iustitiam, neque iniusto sapientiã conuenire.

7 *Quò diutius, commodiusq;*] al. quo iustius, &c. manifestus error, & qui repugnat sententiæ. Ego vero hunc locum restitui ex ipsomet Lactantio lib. 5. instit. c. 19 vbi habetur, si enim post mortem nihil sumus, profectò stultissimi est hominis non huic vitæ consulere, vt sit quã diutina, & commodis omnibus plena? quod qui faciet, a iustitiæ regula discedat necesse est. si autem superest homini vita melior, & longior, &c. Ad oram Plantin. positum est, iucundius, forsan ex Cod. B. sed hoc ferè idem est quam commodius.

8 *Et illos æternam pœnam, &c.*] impressi corruptè, ex illis, &c.

CAP. II.

9 Q*Vod sit verum sacrificium Dei, qui iustissimus &c.*] prauè in excusis est, quid sit verum sacrif. Dei, quis iust. &c.

10 *Dona pretiosa*] sic habet B. & Lactantius ipse 2. Instit. c. 4. & lib. de ira Dei c. 21. non, dona præsentia, vt corruptè in vulgat.

11 *Dijsq; fictilibus*] corruptè in excusis. alijsq; ficti.

12 *Nam illa, quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem sunt, inepta, fragilia, ingrata sunt. Hoc est sacrificium verum, non quod ex arca, &c.*] luxatus est hic locus, & mutilus in impressis, vbi, Nam illa, quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem sunt hoc sacrificium verum non est, nec quod ex arca, &c.

CAP. III.

13 A*Ddicuntur iniusti*] al. mendosè. abdicuntur, &c.

14 *Tenenda est*] ita leg. vt in B. non vt in editis, veneranda est.

15 *Si enim idem Deus nos fecit, &c.*] τὸ nos, malè omissum est in al.

16 *Vt errore vitæ prioris abiecto. simul cum ipso Deo nosmetipsos, quos impietas dissociauerat disceremus*] Hæc restitui Lactantio, quæ al. desunt.

17 *Irretiti fuimus*] non, vt vulgò legitur, irretiti sumus.

CAP. IIII.

18 E*T interdum cogunt ita delinquere, &c.*] De tribus illis affectibus loquitur, ira, auaritia, libidine. Neque verò scriptorum verba semper anxiè pensiculare oportet; non enim illi propriè semper, sed laxius interdum aliquátò, & καταχρηστικῶς loqui solent, vt Lactantius hoc loco, dum dicit hosce affectus aliquando cogere, vt intelligamus vi maxima quandoq; inclinare, atque vrgere. Nunquam enim cogunt, sed rationis imperio, & arbitrij libertate frenantur, quod sentire quoque Lactantium inde patet, quia tota eius oratio vehementer homines hortatur ad eos affectus compescendos, & in officio continendos. Genes. 4. „ Sub
„ te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius,
„ &c.] Et contrarium dogma ad eorum hæresim pertinet, qui liberum arbitrium negauerunt, asserueruntq; peccata esse ineuitabilia, quæ ab appetitu, atque ab affectibus nostris proficiscuntur, vt Simon Magus, quem Petrus Apostolus confutauit, vt Clemens Romanus testatur, Item Marcion, & Manes, quorum errorē denuo ex inferis excitarat Petrus Abailardus a S. Bernardo reuictus, & deinde post ducentos annos Ioannes Vuiclef condemnatus in Concilio Constantiens. session. 8. c. 27. denique Caluinus, Bucerus, Lutherus, Melanchton, quorum omnium hęresim anathemate ferit Conc. Arausican. sessione 2. c. 13. & Trident. sess. 6. c. 6. & sess. 6. c. 5. & contra eam disputat Irenæus contra hæres. lib. 4. c. 72. Tertullianus 2. aduersus Marcion. Greg. Nyssen. in lib. de libero arbit. Chrisostom. hom 60. super Matth. S. August. de Ciuit c. 9. & de vera Relig. c. 14. Damasc. 2. de fid. orthod. c. 7.

19 *Ante omnia*] hęc duo verba restitui Lactantio quæ illi surrepta fuerant.

CAP. V.

20 A*Varitia frangatur*] non, frangitur.
21 *Sed dulcia*] non, sed dubia. vid. c. 21. lib. 6.

CAP. VI.

22 E*T cauenda sunt, quod ad celebrandos, &c.* In impressis legitur, & cauenda sunt totaliter, quòd ad celebrandos, &c. dictionem, totaliter expulimus, quæ nec Lactantiana est, nec latina, nec in B. aut alijs MSS. recepta.

23 *Vita nostra munitur*] corruptè in editis, vita nostra mulctatur.

24 *Et hoc sit voluptas, quod scelus vindicauit cædibus*] in excusis nullo sensu, & hoc vt scelus vindicent.

25 *Hic non peierabit*] ita B. & editio Plantiniana, sed malè Aldina hic vitabit, peius Florentina, hic iurabit.

26 *Si falsum testimonium mendacio nocet ei, &c.*] In impressis, si mendacium nocet ei.

27 *Nunquam igitur mentiendum, &c.*] Non esse mentiendum, omnes asseruere vbi damnosum est, vel ociosum mendacium. Vbi verò est officiosum Origenes secutus Platonem in 3. de Republica, cuius verba refert lib. 6. stromat. putauit licere mentiri, & deinde Chrisost. in fin. lib. 1. de Sacerdotio. Cassian lib. 17. Collatio. c. 17. & seqq. Hieronym. in Comment. Epist. ad Galat. Catholica veritas est, quam hoc loco docet Lactantius, & S. Augustinus in lib. de mendacio. textus in cap super eo. Tit. de vsur. Magister, & omnes Theologi in 3. dist. 38. videlicet, nunquam esse mentiendum, & ad authoritates patrum contra opinantium respondent Doctores vbi supra.

28 *Est*

28 *Est ergo vir iustus, qui non (etiam sine noxa in otiose sermone) mentitur.*] Ita hic locus legendus est, ex Cod. B interpungendusque sicut nos interpunximus, vt sententiam planam, & perspicuam faciat. al. perturbatè, atque confusè. Non est vir iustus, qui non sine noxa vitioso sermone mentitur.

29 *Nec adulari licet.*] Ezechiel. 13. Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, &c. idest qui adulantur, vt ibi exponit glossa interlinear. & Sanctus Tho. secunda, secundæ quæst. 115. articulo primo, sic illud Esai. 3. qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, de adulatione quòd perniciosa sit intelligitur, & citatur à Cypriano 3. Testimon. c. 115.

CAP. VII.

30 *Qui opem tuam in malis.*] Mendosè alij. qui opem tunc in malis.

31 *Si quis nudus occurrerit, vestiamus.*] hæc Lactantio ex B. reddidimus, quæ in editis non habentur.

Inopes aut pauperes, &c.] hæc lectio videtur non carere mendo, nam idem omnino est, inopes, & pauperes, genuinam autem indicat author ipse lib. 6. institu. c. 12. vnde hæc sunt deprompta. ibi inquit. „ Vltimum illud, & „ maximum pietatis officium est peregrinorum, „ & pauperum sepultura.] quare hic legen. arbitror, peregrinos, aut pauperes, etc.

CAP. VIII.

32 *Quia Deus, & viro.*] In al. nullo sensu, quo Deus, etc.

33 *Adulterij reuictam.*] Non vt al. adult. deuictam.

34 *Vt nunquam coniugalis fœderis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resoluatur.*] Hic locus mutilus est in excusis, ibi enim. Et nunquam coniugalis fœderis vinculum, nisi ruperit, resoluatur.

35 *Itaque iustum hominem quod sit secus nec facere oportere, nec velle.*] Etiam hæc clausula manca, & corrupta legitur in impressis hoc modo. Itaque iustum hominem, qui scit se nec facere oportere, nec velle.

36 *Hoc semper obsequium domino deferamus*] In al. hoc enim semper, &c. sed τὸ enim superfluit, nec est in B.

37 *Qui cum magis suscipiat peccatorem confitentem, quàm iustum superbum, quanto magis iustum suscipiet confitentem, eumque in Regnis cœlestibus faciet pro humilitate sublimem?*] Mutilus, & corruptus locus in alijs, vbi legitur. Vt cum Angelis suscipiat peccatorem confitentem, quem in Regnis cœlestibus faciat pro humilitate sublimari.

38 *Hunc vt filium suscipit, eique donum immortalitatis impartitur.*] Impress. Hunc vt fil. susc. sibi, quia donum, &c.

39 *Qui summam non habebant?*] Impressi corruptè. Qui scientiam non habebant. peculiaris vox est Lactantio, vt summam appellet breuem quandam, & compendiariam diuinorum mysteriorum collectionem, atque notitiam. Sic libro septimo. Instit. cap. 6. & 7.

CAP. IX.

40 *Negantes ergo prouidentiam esse vllam, vtique Deum, qui fons, & caput rerum est, negauerunt.*] al. neg. er. prou. vtique Deum, qui fons, & cap. eius est, neg.

41 *Sine generate natura.*] Ita legen. non vt in al. sine ratione natura.

42 *Cum & semina ex rebus oriantur.*] Malè in impress. cum semina exordijs oriantur.

43 *Aliqua ratione generatum.*] Non, aliq. rat. generari.

44 *Et ab eo mundum factum, & hominum causa esse factum.*] Pro eo quod deprauatè in alijs legitur. Et ab eo mundum, & hominem esse factum.

45 *Si mala ergò, & bona sint, aut nihil fecit Deus, aut si bona tantùm, &c.*] Ita restituitur hic locus ex B. qui in excusis habetur, Bona igitur, & mala aut nihil fecit Deus, si bona tantum fecit, æterniora, &c. hæc autem à Lactantio dicuntur ex persona Theodori illius athei sententiam suam profert sequenti capite.

46 *Ergo secundum sententiam Platonis, ideò Deus & bonus est, quia bona fecit, & malus, quia mala.*] Minime vero. nam quæ sit philosophi sententia, liquet ex 2. De Republica ad fin.

47 *Apparet à Deo factum esse mundum, quia mundus bonus est; omnia enim complexus est, bona, & mala, &c*] Perturbatus locus est in al. apparet non ideo factum esse mundum, quia mundus bonus est: quoniam enim complexus est & bona, & mala, &c.

48 *Non vt nauis tantùm videatur.*] deest al. dictio, tantum.

49 *Nec esse finem transmeandi.*] impressi corrup. nec citra finem, &c.

CAP. X.

50 *Quæ, sit illa summa.*] etiam hic pro, summa, in alijs praue legitur, sententia.

Vt Deum patrē agnoscāt, vt colant, etc.] Suspi-

Suſpicor hic vnum verbum à librarijs omiſſum, & vt connexio illa, quam ait Lactantius magis appareat legendum credo, vt Deum patrem agnoſcant, agnoſcunt, vt colant, &c.

51 *Viderunt hoc philoſophi.*] rectè B. pronomen addit, quod deſit excuſis.

52 *Incidit potius in veritatem.*] Ita emendatur, quod in editis eſt. incidit totius rei veritatem.

53 *Quod per ſe ipſum ſemper mouetur, nec principium motus habet, etiam finem non habere.*] Hæc lectio B. ratiocinationem Platonis magis exprimit; quam illa excuſorum, quod per ſe ipſum mouetur neque principium motus, neque finem poſſe habere.

54 *Quæ quia natura contraria ſunt.*] ita legen. non, quæ quia natura, &c.

55 *Quia terrena proſtrata iacent.*] Non, quia terrena perſpiciunt. ſic ſupra lib. 7. cap. 9. quas pronis corporibus abiectas, in terramque proſtratas, &c.

CAP. XI.

56 *A Prophetis colligi poteſt.*] corruptè impreſſi, à philoſophis, &c.

57 *His malis accedent prodigia, &c.*] Non vt in editis, his malis accident, &c.

58 *Et Deum caſſa preces.*] Non vt in al. & ad eum, &c.

59 *Qui vt erit aduerſarius, & vt credi ei poſſit, &c.*] Emendaui ex B. & ſuppleui quod legitur in impreſs. qui vt aduerſari ei poſſit, &c.

60 *Sed ille vecors, ira implacabili.* Vulgata lectio. ſed ille proteruia implacabili.

61 *Et vt vexata tot ſeculis terra, &c.*] Al. mutilè. Vt vex. ſeculis, &c.

Concutiet enim à fundamentis ſuis terram, &c.] Hæc & quæ ſequuntur vſque ad illa. Poſt hæc renouabit, &c. deſumpta videntur ex cap. 39. Ezechiel. & 19. Apocalyp. illud quoque hic animaduertas, ne enim ad proximè ſuperiora referri, atque ita ſignificari, vel Dæmonum principem, vel multitudinem impiorum concuſſuram eſſe terram a fundamentis, &c. quod & prophetis, & Lactantio ipſi repugnat, qui Dei hæc opera futura eſſe pronunciant, & hic quidem mox ait Lactantius, & pluet ſuper impios, &c. quare certisſimum eſt, hoc loco poſt illa verba, delendamque ſuorum gentem, aliqua à librarijs prætermiſſa, quæ conſonent illis verbis capitis 26. libri ſeptimi. Inſtit. Tunc veniet nouisſima ira Dei ſuper gentes, & debellabit eas vſque ad vnum. quibus ſtatim rectè hæc ſubderentur. Concutiet enim a fundamentis ſuis terram, &c.

62 *πολυάνδριον*] Quidam ſepulchrum, quidam ruinam interpretantur. Vid. Ezechiel. Sept. & Vulg. d. c. 39. & ibi Sanctum Hieronym. & Hierem. c. 12. Septuag. & Vulg. reperitur & ea vox apud Arnob. ſub initium 6 Pauſaniam Corinthiacis. Strabonem nono, de Ælian. lib. 12. de var. hiſtor.

63 *Tunc etiam impij.*] Non autem, tunc enim impij.

64 *Eos quoque ſecunda reſurrectione facta Deus excitabit, vt ad perpetua tormenta damnati, & æternis ignibus traditi merita pro ſceleribus ſuis perſoluant.*] Ita hic locus rectè ex B. reſtituitur, qui al. corruptè ſic legitur. Eiſque ſecunda reſurrectio facta Deum excitabit, vt ad perpetua tormenta dament, æternis ign. trad. mer. ſcel. ſu. ſoluant.

65 *Conſona adnunciatione.*] al. corruptè. conſ. adminiſtratione.

66 *Hyſtaſpes.*] al. Hydaſpes. emendationis noſtræ rationes attulimus ad fin. c. 15. lib. ſeptimi diu. inſtit.

67 *Dubitari non poteſt, quin ſpes omnis vitæ, ac ſalutis in ſola Dei religione ſit poſita.*] Sic ex B. reſtituitur quod in al eſt. Dub. non pot. curæ, ſpes omnes vitæ, ac ſalutis in ſol. relig. Dei ſine poſita.

CAP. XII.


68 *QVem Deus ad liberationem miſit, atque miſſurus eſt, niſi ſummum Deum per eum cognouerit, niſi mandata eius, legemque ſeruauerit.*] Ita B. excuſi, quem D. ad lib. miſ. qui miſſus eſt, niſi ſum. D. per eum cogn. manda eius, legeſque ſeruau.

Notar. in lib. de Epit. finis.

IO-



IOSEPHI ISAEI CÆSENATIS NOTÆ IN LIBRVM DE IRA DEI LACTANTII FIRMIANI.



1 De Ira Dei] Extat de hoc libro honorificum Beati Hieronymi testimonium ad c. 4. Epist. ad Ephes. his verbis. „ Firmianus noster librum de Ira Dei docto pariter, & „ eloquenti sermone conscripsit, „ quem qui legerit, puto ei ad iræ intellectum satis, abundèque sufficere, &c.] Eundem librum appellat pulcherrimum in lib. de scriptor. Ecclesiast. in Firmiano. Cauendum tamen à themate illius, quod est De ira Dei, nam toto lib. docet, iræ affectum, & alios quosdam verè, & propriè in Deo reperiri, & preserrim cap. 15. 16. & 17. quod etiam asseruit lib. 2. Diuin. Instit. c. 18. vbi diximus.

CAP. II.

2 *Vt nullo affectu commoueri putant*] Mendum irrepsit ferè in omnibus libris vbi pro, nullo, legitur, vllo, quod res ipsa repudiat, nam Lactantius eos arguit, qui nullo affectu cómoueri Deú putant. ideo legen. vt est in sept. Vat.

3 *Dum disputant*] Ianus Gulielmus ad Plaut. Menæchm. c. 4. testatur, in quibusdam exemplaribus haberi, dum dissipant, quam lectionem probat ipse.

4 *Alij verò iram tollunt*] ita legendum esse, sicut est in B. T. P. textus ipse suadet, non vt in plerisque, illi verò, &c.

5 *Aut vtrunque tribuendum*] Hæc lectio B. tenenda est, vel alia alterius Codicis S. Saluatoris minus antiqui, Tax. & P. aut neutrum detrahendum, quæ sensu eadem est cum priori. Quòd si legatur vt in Aldina, & cæteris editionibus, aut neutrum tribuendum, hoc quartum membrum idem fuerit cum eo, quod ille secundo loco posuit, videlicet, aut vtrumque pariter detrahendum, Hoc animaduertit quoque Thomasius in notis.

CAP. III.

6 *Si malorum tantummodo author est Deus?*]. loquitur de malis pœnarum, quæ Deus iratus infligit, quorum authorem, & causam Deum esse

esse fatetur quoque Sanctus Thom. pr.p. quæst. 49. artic. 2.

7 *Vtique si Deus non est, esse alterum necesse est, qui contraria Deo faciat, &c.*] Retinui communem Lectionem, quamuis B. & T. habeant, vtique si Deus est author malorum, esse alterum necesse est, qui contraria, &c. si Deus (inquit) non est author, scilicet tam bonorum, quam malorum ita, vt solum malefaciat, non autem etiam benefaciat hominibus, alterum igitur constituere authorem beneficiorum necesse est, cum & bona, & mala experiamur. Sed alius præter Deum constitui non potest, ergo idem Deus author est tum malorum, idest pœnarum, tum bonorum, idest beneficiorum, atque præmiorum.

CAP. V.

9 G*Ratiam in Deo esse, iram non, &c.*] vt qui nec velint obesse, nec possit, vt ait Senec. lib. 2. de ira. vbi de hoc differit.

10 *Velut sæua tempestas tantos excitet fluctus, &c.*] Irati habitum pulchrè describit. pulcherrime quoque Senec. initio lib. primi, de ira: & in fine secundi, & rursus initio tertij.

11 *Non minus, quàm illorum qui vtrumque detrahunt.*] Ex hac lectione B. T. P. & Plantinianæ editionis clarior fit sententia Lactantij. Quod si τὸ detrahunt, expuncto, simpliciter legas vt in Aldina, & Florentina, non minus, quam qui vtrumque, videbuntur hæc verba referri posse etiam ad illud, tribuunt, superius dictum; quod susceptæ a Lactantio disputationi repugnat.

CAP. VII.

12 N*Ihil inter hominem, &c.*] ita B. T. quod corruptè in nonnullis legitur, nonnihil, &c. id sententiæ Lactantij repugnat: qui hoc loco respicit ab errore alias habito, Rationem mutis etiam inesse, de quo disserui secundo. Instit. cap. 3.

13 *Quæ se intelligunt.*] Operarum error in editis est, qui se intelligunt, nam de mutis animalibus loquitur.

14 *Vt apes.*] de quibus mira apud Aristotelem 9. de hist. anim. cap. 40. Plin. lib. 11. cap. 5. & seqq. Basil. homil. octaua in Hexaemer. Vide etiam Theodoretum serm. sexto, de curat. affect. græc. quæ est. De Prouidentia, vbi ex animalium industria admirandam Dei prouidentiam probat.

15 *Patriam sola, & certos, &c.*] Vulgata hæc lectio est tam apud Lactantium, quam etiam apud ipsum Virgilium Florentina tamen editio hic habet.

——*Natale solum, & certos, &c.*

Pierius in Castig. Virgil testatur, in quibusdam Codicib. haberi.

Ac patriam sola, vt illa propositio Ac.

hoc loco sit admirantis. quod nec ipsi, nec mihi placet.

16 *In mutis quoque, &c.*] Ita legendum ostendunt B. T. P. & omnes alij MSS. & textus ipse. In editis operarum errore legitur, in multis quoque.

CAP. VIII.

17 O*Mnis enim per se Diuum, &c.*] Epicureorum verba ad hunc locum pertinentia ponit Plutarch. ad fin. libri cui Titulus. Ne suauit. quid viui poss. secund Epicur. decreta.

18 *Nam priuata, &c.*] Ita reposui, vt est apud Lucretium al. iam priuata, &c.

19 *Nihil indiga.*] Sic habent B. T. P. & libri Lucret. non autem, nil indiga, vt editiones Aldina, Florentina, Plantiniana.

20 *Quid enim dicam propitius sit?*] Ita reposui, vt est in Ald. & cæteris, & apud ipsum Ciceronem pro eo quod habetur in Florentina. Quid enim facere propitius homini potest?

21 *Terror impendeat.*] ita MSS. excusi mendosè, impendat.

CAP. IX.

22 A*Thenis quidam Diagoras.*] Vulgata est hæc lectio pene omnium librorum, a qua discedere non sum ausus. P. tamen habet, Ælius quidam Diagoras, & B. Alius quidam, &c. Vnde, quis suspicari possit, legendum esse, Melius quidam Diagoras, nam Melium quidem vocat eum Cicero initio primi de Nat. Deor. vbi hæc ipsa pertractat, Plutarch. primo placitor. cap. 7. sext. Empyric. Pyrrhon. hypotyp. lib. tertio, cap. 24. Arnobius 4. & Minucius alij. Quòd autem Lactantius, & nostratium alij permulti Diagoram, Theodorum, & cæteros, de quibus etiam lib. primo. Instit. cap. secundo, ἀθέους, hoc est absque Deo cognominent, vedendum est, nec forte a Christianis etiam in eosdem bonos, ac doctos viros vetus Ethnicorum calumnia importetur, cum enim hi Deorum multitudinem, totque monstra, atque Portenta, quæ stulta colebat gentilitas, irriderent, putati sunt ἄθεοι, & nullum omnino Deum credidisse. quod quæritur quidem certè, ac narratur, & Clemens Alexand.

CAP.

CAP. X.

23 Quis illa vidit vnquam?] Respondet Lucretius in primo, quòd multa alia sunt in rebus corpora, quæ videri nequeunt.

Ne qua fortè tamen captes diffidere dictis, &c.

24 *Si aspera, & angulata sunt, &c.*] Hæc B. lectio probata Thomasio melior est quàm impressorum, aspera (inquit) & angulata, &c.

25 *Ex omnibus rebus.*] Ita malim ex emendatis Lucretianis, quàm, ex omnibus, &c.

26 *De nilo posse fatendum est.*] Ita leg. vt in Aldina editione, & Florentina, & apud Lucretium, B. T. de nihilo, sed versus non constat. P.

De nullo posse putandum est.

Semine quando opus est, &c.

27 *Denique si ex inuisibilibus sunt, quæ non videntur, consequens est, vt ex visibilibus sint, quæ videntur; cur igitur nemo videt?*] Ita legendus est locus iste ex vtroque Codice Sancti Saluatoris Bon. & T. non vt al. Denique si ex inuisibilibus sunt quæ videntur, cur igitur nemo videt? &c. argento vtitur à contrarijs, si ea, quæ non videntur manant à corporibus inuisibilibus, ergo quæ videntur, prodeunt ex visibilibus, ea igitur cur non videntur?

28 *Vnde homo nomen accepit.*] ita leg. vt habet B. T. P. & Lactantius supra 2. Instit. cap. 11. Impressi malè omittunt τὸ homo.

29 *Nihil est enim, inquit,*] Ita B. Plantinian. & Cicero ipse. at Ald. & Flor. deest, enim.

30 *Atque factum.*] Cicero atque fictum.

31 *Nihilne aut humidum quidem, aut flabile, &c.*] ita B. Plantin. & ita legendum puto apud Ciceronem vbi habetur, nihilne, &c. al. hic legitur, nihilque humidum, aut flabile, etc.

32 *His enim naturis nihil inest, quod vim memoriæ, &c.* Ita vetustiores impressi Lactantiani, & Cicero. ipse. At Ald. & Plant. his enim innatum nihil est, quod vim, etc.

33 *Quod & præterita, &c.*] ita lego, vt in B. & T. & apud Ciceronem. al. quo & præterita, etc.

34 *Prouideat.*] sic editi libri Lactantij, & Cicero, at B. & P. malunt, præuideat.

35 *Inuenietur vnquam.*] sic Cicero. al. inueniuntur, etc.

CAP. XI.

36 Sicut Plato in Timæo.] cuius verba ita Cicero transtulit in lib. de Vniuerso. „ Atq; illū „ quidem quasi parentem huius vniuersitatis in„ uenire difficile, & cum inueneris, indicare in „ vulgus, nefas.

37 *Idem testatur Hermes*] Mercurius scilicet ille Trismegistus, cuius hæc ad Tatium sententia legitur apud Stobæū in Collectaneis serm. 80. qui est De Dijs, & Physiolog. circa cœl. ac mūd. „ Deum cogitare animo difficile est, eloqui im„ possibile.

38 *Apud Xenophontem, &c.*] Cuius hæc verba „ sunt lib. 4 memorab. Socrat. „ Quòd igitur Dij „ sint, hominumq; habeant curam tu quoque ô „ Euthydeme cognosces, si non expectes, quo„ usque Deorum videris formas, satis nanque „ erit opera eorum considerando colore, ac ho„ norare eos, &c.

CAP. XII.

39 Quia sapientia est diuinitatis intellectus, &c.] secutus sum lectionem MSS. optimorū, et Plantinianæ probatam et explicatam à Thomasio in suis notis. Antonius Augustinus pro eo quod legitur, In homine solo reperiri iustitiam, malebat, In homine solo reperitur iustitia. Impressi libri ferè omnes habent. Cum diuinitatis intellectus, quo discernimus à belluis, in homine solo reperiatur, qua nisi cupiditates, etc. quam lectionem mutilam esse, nec benè cum superioribus cohærere omnes (vt puto) intelligent.

40 *Impiequè viuemus*] ita B. T. P. non vt in impress. impiéque viueremus, nam dixerat, coercuerit.

CAP. XIII.

Melius stipulæ] Virg. *stipulæ melius, &c.*

41 *Peruehatur*] B. T. P. MSS. omnes mēdum operarum est in æditis. prouehantur.

42 *Ventorum spiritu*] De vtilitate ventorum videndus Senec. lib. 5. Natural. quæst. c. 18.

43 *Proposuit tamen ei & bona, & mala*] non loquitur de malis culpæ, vt ex textu liquet.

44 *Quam Stoici nullo modo videre potuerunt*] sic rectè Aldin. et Plantin. Sed Veneta Tridin. et Florent. Quam Stoici potuerunt, non rectè, quia supra dixerat, Stoicos repulisse quæstionem Academicorum, etc.

45 *Sapientia enim*] ita leg. ex B. T. P. non vt in Florent et Ald. sapientia etiam. Nam causam affert, cur in sapientia sit plus boni, ac iucunditatis: neque placet hic, et iterum mox, etiam.

CAP. XV.

46 Simul Deum proposuisse bonum, & malum, &c.] hic loquitur quidem de malo culpæ, sed verbum, proposuisse, quo ad malum non est in significatione propria accipiendum, quasi

Deus

CAP. XIX.

58 *VT Aristoteles, cæteriq; philosophorum*] Expressi lectionem magis receptam; nem sic habent septem Vaticani P. & impressi antiquiores, præsertim Venet. Trid. & Florent. Iuntar. Vnus autem Vaticanor. Ald. Plantin. Vt Aristoteles, & Timon, cæteriq; Phil. Alius verò ex eisdem Vaticanis, & B. vt Aristides, & Timon, cæteriq; Phil. Ego τὸ Aristides, non puto geminæ lectionis; nullum eius nominis philosophum celebrem apud scriptores comperio. Si verò Timonem retinemus, non illum intelligo humani generis osorem, de quo Plutarch. in M. Ant. sed Philiasium è schola Pyrrhonis philosophum maledicum, amarulentũ, de quo Suidas in Σιλλαίνει, μυλλαίνει. Gell. lib. 3. c. 17. Laert.

CAP. XXI.

59 *NE mentis impos aliquod inexplicabile facinus admitteret, &c.* B.T. ne post aliquod &c. Ianus Gulielm. in quæstionib. ad Plaut. Menæchm. c. 4. scribit, in aliquibus libris reperiri, ne mentis impossibile aliquod facinus, &c. vnde is ita scribendum conijcit, ne mentis impos â bile aliquod fac. &c.

60 *Nec facilè regere se potest propter fragilitatem, intelligere debemus, &c.*] ita restituitur hic locus ex vtroque Cod. S. Saluatoris T. P. Venet. Tridin. & Florent. cæterisque antiquioribus editionibus. mendosè Ald. nec fac. reg. se potest propt. frag. non ideò intell. deb. &c. nam illa, non ideo, sensum cõtrarium inuehunt ei, quod Lactantius docet, vt monuit quoque Thomas. qui & hunc locum explicuit iu notis.

CAP. XXII.

61 *QVI sapientiam capillis, & habitu iactant*] nam promissum capillum gerebant, & pallio induebantur qui sapientiam profitebantur, vt lib. 3. Instit. c. 25. diximus.

CAP. XXIII.

62 Ἐξ οὗ μηνίσαντος &c.] In Carminibus Sibyll. verba variant, & sensus, nam ibi. καὶ τότε γινώσκειν θεὸν &c.

63 Ἀλλ᾽ ὁπόταν, &c.] In Cod. Sibyllino paulò aliter leguntur.

64 *Id ponunt, quod est inutilissimum, detrahentes ei, quod est rebus humanis maximè salutare, per quod constat ipsa Maiestas*] Ita lego hunc locum ex vtroq; Cod. S. Saluat. T. P. qui mutilus est in editis, vbi habetur. Id ponunt, quod est cõtra ipsam maiestatem. Regnum hoc, &c.

CAP. XXIV.

65 *ET diligendus*] hæc ex B. T. & Plant. rectè apponuntur, quæ in aliquibus editionibus desunt., vt tribus his præcedentibus, colendus, adorandus, diligendus fiat relatio ad alia tria subsequentia, quia in Deo est materia rerum, ratio virtutum, fons bonornm, vt etiam Thomasius monuit.

Notar. Lib. De Ira Dei finis.



IOSEPHI ISAEI CÆSENATIS NOTÆ
IN LIBRVM DE OPIFICIO DEI LACTANTII FIRMIANI.

Vbi Libros Galeni citabimus, nec titulum designabimus, opus de vsu partium intelligemus.

CAP. I.

1 C*VM videas tanta temeritate homines extitisse, &c.*] hæc eadem aiebat Socrates apud Xenophontem 1. memorab. Socrat.

CAP. II.

2 Q*Vemadmodum tamen vita eorum tutior esset ante prouidit, omnes enim &c.*] Ita quoque Aristot. 4 de part. anim. c. 10. Lucretius 5. nam „ quæcunque vides, &c.] Cic. 2. de nat. Deor. Plutarch. lib. de fortuna, Plin. præfat. 7. Tyr. maximus, Dial. περὶ τοῦ ... Gregor. Nyss. De homin. opif. c. 7.

CAP. III.

3 P*Ræterea, quæ ad ipsum mundū pertinentia vitio dant, &c.*] ita B. T. pro eo quod inēdoin editis est, prętcrea quę ad ipsu mudū vitio dāt, &c.

4 *Queruntur hominem nimis imbecillum, & fragilem nasci, &c.*] scilicet Lucret. 5. sub initium. Plin. præfat. 7. immerito tamen, & fatuę, vt ait Aristoteles 4. de part. c. 10. Senec. 4. de benef. cap. 18. Gal. 1. cap. 2. & seqq. Plutarch. De fortuna Basil. homil. 10. i Hexaemer. Greg. Nyss. vbi sup.

5 *Nihil fieri aliter debuisse, quàm factum est, vt non dicam potuisse quia Deus potest omnia, &c.*] An Deus aliquid melius facere possit, quam fecerit, & an mundu facere meliorem potuerit, & possit, quam fecerit, disputant Theologi cum Magistro 1. sent. distinct. 44. vbi S. Thom. quæst vnic. art. 1. & 2. S. Bon. quæst. 1. 2. & 3. Richard. quęst. 1. Albert. p. p. quęst. 77. memb. 3. Alens. 3. p. quæst. 26. membr. 3.

6 *Boues, & Vaccas, aut equos cum immanissimis corporibus, &c.*] Secutus sum vulgatiorem lectionem. Vaticani multum variant. nam vnus huic lectioni consentit; alius habet, Boues, equos, &c. alius autem, Boues lucos, &c. alij, duo Boues, & vaccas cū iman. &c. duo item alij, & P. Boues lucas cum imman. &c. quæ lectio placuit Cuiaccio, & Petro Ciacconio in libello, quem composuit De inscriptione Columnæ Rostratæ. Bonon. Boues, & Vaccas, aut Elephantes cum imman. &c. Boues lucas, &

Boues lucos appellabant Elephantes. Lucret. 5. *Inde Boues lucas, &c.* Denominationis ratio apud Varronem 6. de ling. lat. Plinium lib. 8. c. 6. qui assentiri videtur putantibus, boues lucas à Lucanis dictas, quòd in Lucania primum à Romanis Elephanti sint visi. vnde & vnus Vaticanorũ hic habet, Boues Lucanos cũ imman. &c.

CAP. IV.

7 I*dem queruntur hominem morbis, & immaturæ morti esse subiectum, &c.*] Lucretius 5. sub initium ——— *cur anni tempora morbos, &c.* Theophrastus apud Cic. 3. Tuscul. propè fin. Et quidẽ immeritò, vt ait Sallustius initio Iugurth. Quintilianus lib. 12. Instit. c. 11. Senec. initio lib. de breuit. vitæ.

8 *Homo quoque si eodem modo haberet, &c.*] Senec. 4. de benef. c. 18.

CAP. V.

9 V*T alternis motibus solo fixa perducerent animal, &c.*] quia motus omnis localis in animalibus quiescentibus quibusdam fit partibus, vt tradit Arist. de animal. incess. c. 7. & per firmationem, et motum perficitur ambulatio. Galen. lib. 3. c. 5.

10 *Quatuor fecit extantia, bina posterius, &c.*] Arist. ibid. c. 4. 5. & seqq.

11 *Sed ad faciendum, operandumq; sunt nata, &c.*] Ideo manus dicitur instrumentum instrumentorum Arist. 4 de pa&. c. 10. Gal. lib. 1. c. 4.

12 *Quasi carinam compegit*] sic Arist. de incess. anim. c. 8.

13 *Ne gradiendi, flectendiq; se facultatem animal non haberet*] Arist. 2. de part. c. 9. Galen. lib. 12. c. 10. & seqq.

14 *Costas*] Arist. d. c. 9.

15 *Caput collocauit in quo esset regimen totius animantis, &c.*] est enim membrorum omnium princeps, cui totum corpus connexum subest, & paret, vt scribit Plat. in Timæ.

16 *Vt quidem Varro ad Ciceronem scribit, &c.*] locus non extat.

17 *Quoniam caput eius animalis, &c.*] caussam affert cur Deus proboscidem Elephanto dederit. vid. Arist. 2. de part. c. 16. Basil. homil. 9. in Hexaemer.

CAP. VI.

18 D*Ixit in principio mundi, &c.*] Lucr. 5. *Multaq; tum tellus, &c.*

19 *Nihil omnino rationis expers potuisse generari*] idest nihil potuisse generari, in quo non aliquo modo ratio, & prouidentia conditoris eluceret.

20 *Dixit enim neque oculos, &c.*] Lucretius. *Illud in his rebus, &c.* Alter Stoici, de quibus Cicero 3. de finib. Iam membrorum, idest partium corporis, &c.

CAP. VII.

21 Q*VÆ ossa dicuntur, &c.*] de quibus Plat. in Timæ. Arist. 2. de part. c. 9 & 3. de hist. an. c. 5. Cic. 2. de nat. Deor. Nyss. de opif. c. 30.

22 *Venas admiscuit*] Arist. 3. de part. c. 5. & de hist. vbi supra, Cic. vbi sup. Gal. 4. c. 5.

23 *Tam non est id necessarium, quàm indumentum pilorum*] ita leg. ex B.T.P. non vt al. non est id tam necessarium, &c. & cur non sit homini ab opifice data cauda, rationem affert Arist. 4. de part. c. 10.

24 *Quanta enim in eo futura deformitas esset ex calnitio apparet)* hæc malè omissa sunt in Veneta Trid. & Florent. quæ habentur in Ald. & Plant. Caluitij autem dedecus ostendit Theodoretus serm. de prouid. licet argumento adoxo laudarit illud Synesius.

25 *Texit ergo illud pilo*] Plat. in Timæ. Galen. lib. 11. cap. 14.

26 *Iam barba ratio, &c.*] Galen. ibid. Athenæ. lib. 13. cap. 6.

CAP. VIII.

H*Vnc ad cæli contemplationem rigidum erexit, &c.*] sic supra lib. 2. Instit. c. 1. vid. Basil. homil. vlt. in Hexaem. in fin. sed & hæc figura sublunarium omnium Imperatori maxime conueniebat, & regiæ dignitatis præferebat inditium vt ait Greg. Nyss. de hom. opif. c. 8.

27 *Tamquam in arce*] ex Cicerone 2. de natur. Deor. Ienius autem interpres, ac nuntij rerum in capite tanquam in arce, &c. sic initio Primæ Tusculanæ. item & Plin. lib. 11. c. 37. & Nyssen. cap. 12.

28 *Orbi, & globo similem*] ex Plat. in Timæ.

29 *Tamquam Cælo tegitur*] ex Plin. vbi supra.

30 *Facies*] quam solius hominis esse scribit Arist. pr. de historia anim. c. 8. & 3. de part. c. pr. in fin. Plin. vbi supra.

31 *Ac primum oculorum orbes, &c.*] De quibus Plato in Timæ. Cicero, & Plin. vbi supra Galen. lib. 3. cap. 10. in fin. lib. 8. cap. 5. lib. 10. c. pr. Basil. vbi supra.

32 *A quo foratu frontem nominatam Varro existimauit*] ita & Isidor. lib. 11. Orig. c. pr. sed locum apud Varronem non inuenio. De fronte Arist. pr. de hist. an. c. 8. Plin. d. cap. 37.

33 *Quod ad speciem nullus est perfectior numerus, quàm duorum*] Sic omnia sensuum instrumenta duplicia esse oportere docebat præceptor 2. de part. anim. c. 10. & lib. 3. c. 17. Galen. lib. 10. c. 1.

34 *Quòd earum foramina noluit esse nuda, &c.*] ita prorsus legendum ea quę sequuntur ostendunt. nuda vocat simplicia, & planè inobsepta, cuius modi si aurium foramina essent, vox spargi, ac præteruolare posset. at Natura obsepsit illa tū ipsis auriculis exterius, tum verò etiam interius pluribus refersit cauitatibus, quibus vox inuehitur, & quantumuis luctans retinetur. al. corruptè legitur voluit esse nuda, &c.

35 *Quibus impositis solent angustiora vasa cōpleri*] Ianus Gulielmus in quæst. ad Plaut. Menæch. c. 4. scribit, se in MS. Cod. legisse, angustiores vasa, &c. quod cum nullum sensum habeat, fecit ille coniecturæ locum, legendum esse, angusti oris vasa, &c. putat Lactantium allusisse ad locum illum Quintil. lib. 1. in fin. c. 2. ,, Vt vascula ,, oris angusti superfusā humoris copiam respu- ,, unt, sensim autem influentibus, vel etiam instil- ,, latis complentur; &c.

36 *Quorum præcipuè inexplicabilis est, ac mira subtilitas, &c.*] quā subtilitatem miratur, & cæteris longa, ac præclara disputatione admirandam præbet Galen. lib. 10. c. 6. Basil. vbi supra.

37 *Mēbranis lucentibus texit*] Cic. 2. de nat. Deor.

38 *Vt imagines rerum contrapositarum tanquàm in speculo refulgētes ad sensū intimū penetrarent, &c.*] Nobilem illam, atq; arduam quęstionem tangit de modo, ac ratione videndi, in qua variarum sectarum principes philosophi desudarunt; alijs quidem per emanationem ab oculo, alijs per intus susceptionem; rursusq; alijs per materialium, & corporearum, alijs per spiritalium, & immaterialium rerum influxum, aut effluxum visionem fieri asserentibus. Qua de re Plato videndus in Timęo, vbi de oculis. Arist. 2. de anim. tex. 66. & seqq. & lib. de sens. & sensil. c. 2. Lucr. 4. Plutarch. de placit. lib. 4. c. 13. Gell. lib. 5. c. 16. Macrob. 3. Saturn. c. 14. Galen. lib. 10. c. 12. & de placit. Hippoc. & Plat. li. 7. c. 9. & seqq. Auen Rois Coll. g. lib. 3. c. 38. Quid Lactantius sentiat haud satis perspicuū. supra positis quidem verbis videtur asserere, imagines rerum penetrare ad sensum intimum, idest recipi interius, quod non Aristotelem solum docuisse, verum etiam Platonem grauissimi viri probauerunt, Leonicus in prologuijs Commentar. ad lib. de sens. & sensil. & ad 2. eiusdem lib. Scalig. De subtilit. ad Cardan. exercitat. 325. c. 5. alij.

39 *Sensus ille qui dicitur mens, &c.*] iuxta illud vulgatum Heracliti, de quo meminit Aristoteles problematis. section. 11. problemat. 33. Mens videt, mens audit. sed melius dixisset, anima, siue animus, vt Cic. 1. Tuscul. nam lōgè aliter accipi mentem, & animam, quàm putet Lactantius dixi supra lib. 7. Instit. c. 12.

40 *Ea, quæ sunt foris, transpicit, ne forte existimes, aut imaginum incursione nos cernere, &c.*] Iam hic contra quā supra dixerat, per extra missionem, seu emanationem ab oculo visionem fieri docere videtur.

41 *Aut intentione aeris cum acie, &c.*] Hæc opinio radios non euocat, sed a pupillæ radijs vicinum aerem in res visas impingi, atque ita ipsius aeris adiumento, ac quasi fultura, vectioneq; putat fieri visionem, verberatum quippe aerem illum, qui pupillam contingit, aspelli ad obiectum, in quo fiat basis metæ, cuius fastigium sit in ipsa pupilla; quod commentum non modò inane ostendit Lactantij ratio, sed etiam, quia nihilò peius videmus, cum retro cedimus, at regrediendo impulsio illa fieri non potest, sed duntaxat stando, aut procedendo. aer præterea sub aquas non penetrabit, quarum in fundo res positæ videntur.

42 *Aut effusione radiorum*] cuius opinionis fuere optici omnes, & pleriq; philosophorum vsque ad Aristotelem, quos deinde secutum Galenum castigat Auen Rois, & cum veterum quolibet conferendus Iulius Cæsar Scalig. De subtilit. Exercit. 298. c. 16.

43 *Quasi per fenestras*] sic Cic. 1. Tusculanar. ,, Vt facile (inquit) intelligi possit, animum, & ,, audire, & videre, non eas partes, quæ quasi fe- ,, nestræ sunt, &c.

44 *Lucretius*] lib. 3. vbi ait:
Præterea si pro foribus sunt lumina, &c.

45 *Itaque ad videndum membris potius in orbem cō globatis opus fuit, &c*] non tamen in orbem perfectum, quia figura exactè sphærica non congruebat, vt docet Galen. lib. 10. c. 6.

46 *Et quæ in primori facie adhærerent, &c.*] quia cernitur per directum. Arist. 2. de part. c. 10.

CAP. IX.

47 *QVI dum volunt ostendere sensus falsos esse multa colligunt, &c.*] sicut Lucret. lib. 4.

48 *Quòd furiosis, & ebrijs omnia duplicia videātur*] qua de re Arist. probl. 11. 17. & 18. sec. 31.

CAP. X.

49 *VT igitur oculi munitiores essent ab iniuria ciliorum tegminibus occuluit*) Arist. 2. de par. c. 14. & 15. Galen. lib. 10. c. 6. Basil. in Hexaem.

50 *Nam & ipse palpebræ, quibus mobilitas inest, &c.*) Arist. 2. de part. c. 13. Galen. lib 10. cap. 9. & 10.

51 *Pilis in ordine stantibus vallatæ, septum oculis decentissimum præbent*) Xenoph. pr. memorab. Socr.

Socr. Arist.d. c. 13. Cic. 2. de nat. Deor. Plin. lib. 11. c. 37. Gal d.c.6 Basil. vbi supra.

52 *Et videndi tenorem non impedit, & reficit obtutum*) Ita & Plato in Timæo.

53 *Quid ipsa superciliorum fastigia, &c.*) Xenoph. vbi supra Arist. d. cap. 15. Cic. Gal. Basil. vbi supra.

54 *Nasus*) Cic. ibid.

55 *Genarum*) Galen. ibid.

56 *Tria sunt officia constituta*) Arist. pr. de hist. an. cap. 11. Gal. lib. 10. c. 11.

57 *Duos tamen intrinsecus sinus habet*) Arist. pr. de hist. an. c. 17. lib. 3. de part. cap. 4. Gal. lib. 6. cap. 9.

58 *Lingua intus inclusa, quæ vocem motibus suis in verba discernit*) Plat. in Timæ. Xenophon. vbi supra Arist. 3. de anim. in fin. & lib. 4. de histor. animal. c. 9. & lib. 2. de part. anim. c. 16. & 17. Cic. vbi supra. Gal. lib. 8. c. 5. lib. 9. c. 8. lib. 11. c. 10. lib. 16. c. 3.

59 *Quòd contritos, & commolitos dentibus cibos colligit, &c.*) ita & Cicero vbi supra Galen. lib. 9. cap. 8.

60 *Varro à ligando cibo putat lingua nomen impositum, &c.*) Isidor. lib. 11. Orig c. pr. refert Varronem, non a legando, cibo, vt ait Lactantius sed a lingendo cibo linguam dictam putauisse, alios verò a ligandis vocibus, quòd per articulatos sonos verba liget.

61 *Eamquè dentium septis Deus quasi muro circumuallauit*) Gellius lib. pr. c. 15. scribit, Homerum dixisse, petulantiæ verborum coercendæ vallum esse oppositum dentium, refertque ipsius carmina.

62 *Mirabili modo per ordinem fixos*) Hæc vulgò non habentur, quæ ex B. T. restitui.

63 *Ac deinde labiorum tegminibus honestauit*) labia enim tum dentium tuendorum caula, tum ad vsum sermonis sunt comparata. Arist. 2. de part. cap. 16.

64 *Vt ad conterendos cibos, &c.*) ita leg. vt in B. T. P. non vt errore operarum in omnibus editis, aut ad cont. etc. De vsu dentium Xenop. vbi supra Arist. 3. de part. c. pr. Plin. 11. c. 37. Galen. 11. c. 8. Isidor. vbi supra.

65 *Fallitur quisquis hunc sensum palato inesse arbitratur, lingua est enim, &c.*) Lactantio adstipulatur Plato in Timæ. Tenduntur (inquit, à lingua venæ ad cordis sedem saporum nunciæ, &c. Aristot. 2. de anim. tex. 104. lib. p. de hist. anim. c. 11. lib. 2. de part. c. 17. & lib. 4. cap. 11. Gal. lib. 8. c. 5. & lib. 9. c. 8. Plin. autem etiam palato saporũ sensũ attribuit, Vid. est & Cœl. Rodig. 2. antiq. lect. c. 30. qui & hunc locum Lactantij refert, & toto illo lib. humani corporis fabricam egregiè prosequitur.

66 *Qua nihil de quaque materia odoris capio decerpit*) Ita B. & T. pro eo quod in impressis est, qua nihil de quacunque materia odoris decerpit. Nomine capionis vsus est, sicut Iurisconsulti, cum dicunt vsucapio, & Cato pignoriscapio iuncto vocabulo, vel disiuncto referente Gellio lib. 7. cap. 10. Frontinus lib. 2. de aquæduct. eoque nomine his pignoris capio, mulctæquè dictio vtique esto. sic pignorum capio in l. 7. Cod. Theod. de exactionib. & l. fin. eod. Cod. tit. de distract. pign.

67 *Quid dicam de manibus? &c.*) Arist. 4. de part. c. 10. Cic. 2. de nat. Deor. Gal. lib. pr. c. 4. & seqq. & optimè omnium Greg. Nyssen. in libello illo verè admirando de opif. hom. c. 8. vbi docet manus sermonis etiam causa homini datas.

68 *In digitos terminauit.*) Arist. & Galen. vbi supra.

69 *Et forma vnguium rotunda.*) Arist. vbi supra Gal. d. lib. 1. c. 8. & 11.

70 *Manus funditur*) Ita lego cũ Thomas. partim ex altero Cod. S. Saluatoris minus antiquo, qui habet, manus, nõ, maturius, quod est in excusis nullo sensu, partim ex B. T. P. qui pro, finditur, habent, funditur. loquitur autem de pollice, de quo Arist. pr. de hist. animal. c. 15. de part. vbi supra. Gal. vbi supra, cap. 20.

71 *Ad manum connectitur.*) ita leg. cum Thomasio ex B. nam quod in impressis habetur, ad manus carnè nectitur, falsum est, articuli enim non ad carnem, sed alijs ossibus nectuntur T. habet, ad manum carne nectitur. P. ad manum carne vestitur.

72 *Iam pectoris latitudo, &c.*] Transit ad aliam materiam, & ideo nisi dicamus aliqua excidisse, vulgata lectio hic locum habere non potest, nam pectoris, &c.

73 *Papillæ*] de quibus Arist. 1. de Hist. anim. c. 12.

74 *Vt per eum fœtus dum est in vtero, nutriatur*] de fœtus nutritione Arist 7. de hist. an. c. 8.

CAP. XI.

75 *QVod pulmonem vocamus*] de quo Plato in Timæo, Arist. 3. de part. c. 6. Gal. lib. 6. c. 2. & lib. 7. c. 2. & 8.

76 *Ideoque ne plenum quidem viscus efficit, sed inflabile, &c.*] B. T. P. non habent particulam, ne, & vtraque lectio recipi potest, nam pulmo plenum viscus dicitur a Galeno lib 7. c. 2. cum plurimis sit contextum vasis, quorum interualla carne molli [illegible] quidam oppolentur. Inane contra dicitur ab Aristot. lib. 3. de part. c. 6. eâ ratione, quia neutiquam impeditur, quin aditum [illegible] patefaciat.

77 *Quod alit animam.*] Non hic rationalem intelligas, sed vitalem illã nobis cũ brutis communem.

78 *Ciba-*

78 *Cibalem, ac spiritalem*] per illam potum, & cibum, per hanc solum spiritum transmeare dicit, vt & Arist. 3. de part. c. 3. & problem. 9. Sectionis 34. Plin. lib. 11. c. 37. Galen. De placit. Hippocrat. & Plat. lib. 8. c. 15. Hippocrates tamen, & Plato, & alij relati à Plutarch. 7. Disp. Conuiual. quæst. 1. & lib. de stoic. repugnant. Gell. lib. 17. c. 11. Macrob. 7. Saturn. c. 15. potum etiam per spiritalem fistulam delabi scripserunt. quod tamen Galenus, vt scriptores conciliare possimus intelligendum ait non de toto potu, sed de aliqua minima illius particula, quanta sufficiat lambitiuæ, vt ita dixerim, virtuti pulmonis ad eum, quem à corde recipit calorem maximum temperandum, quod ex eodem Galeno doctissimos, atque optimos philosophos ciues meos Claramontem Claramontium, & Iacobum Mazzonium ante me animaduertisse intelligo ex capite 74. lib. 3. illius operis materna lingua conscripti, quo Mazzonius ipse Dãtem Poetam vindicat a calumnijs.

79 *Quæ iccirco sic nominantur, quia per eas, vel odor, vel spiritus nare non desinit*] ita Festus, & Isidor. lib. 11. orig. c. 1. qui pro, nare, habet, manare, sed hinc restituendus.

80 *Quæ sunt huius fistulæ quasi bestia*] hæc restituenda fuerunt Lactantio ex B. T. P. quæ in impressis desunt.

81 *Verùm quoque ad os interpatet*] ita malim ex B. T. P. vt monet Thomas. quam vt al. verquo. ad os iter patet, quam tamen lectionem si recipere malis, vide num ita legen. sit. Tamen huius fistulæ spiritalis non tantum ad nares, verum quoque ad os iter patet.

Colles faucium] Italici à receptiori lectione discedere, nam sic habent septem Vatic. & alij plerique scripti & cusi. Impressi Romæ anno 1474. & Florent. Iunta. habent, folles. loquitur autem de tollibus, de quibus Festus tolles tumor in faucibus, etc. vt infra. Plin. lib. 11. etc. vnde & cogita, num fortè legendum sit, tolles, certè Cic. vnde hæc mutuatur videtur Lactan. non metaphorico aliquo nomine, sed proprio vsus est 2. de natura Deorum dixit enim Tonsillas. linguam autem (inquit) ad radices, etc. vt infra. Festus. Tolles „ tumor
„ in faucibus,. quæ per diminutionem tonsil-
„ læ dicuntur.] Propriè fiunt circa vuam ex vtraque parte infra fauces, vocanturquè glandulæ ob quandam glandis similitudinem. Plin. lib. 11. c. 37. „ Tonsillæ in homine, in sue glandu læ] Cicer. de nat. Deor. „ Linguam autem ad
„ radices eius hærens excipit stomachus, quo pri-
„ mùm illabuntur ea, quæ accepta sunt ore. Is
„ vtraque ex parte tonsillas attingens, palato
„ extremo, atque intimo terminatur.

82 *Nec procedens ex eo spiritus efficere vocem sine linguæ ministerio posset*] Hæc quoque supplentur ex B. T. quæ in excusis desiderantur.

83 *Quasi mugientes profundunt*] Eadem ferè causa est affectionis, & læsionis in muto, & surdo. Vid. Aristotelem problemat. 2. & 4. section. 11. & probl. 14. sect. 33. Alexandrum Aphrodis. problemat. 138.

84 *Auditum quoque obstrui necesse est*] si tamen natura, & à natiuitate contigerit, quòd si deinde morbo aliquo, non id necesse esse tradunt Medici, vt refert Aphrod. vbi supra.

Strangulemur] ita legendum esse non stranguletur, textus euincit ipse.

85 *Intestinorum quoque multiplices spiræ, &c.*] Arist. de hist. anim. lib. 1. c. 16. De partib. lib. 3. c. 14. Gal. lib. 4. c. 17.

86 *Quòd vesica, &c.*] de qua Arist. 3. de part. c. 8. Gal. lib. 5. c. 7. & 8.

87 *Cuius vsum volucres non habent*] causam affert Aristoteles d. cap 8.

CAP. XII.

88 *Quidam putant, ex medullis tantum, &c.*] per spinam è cerebro labi dicebat Aristoteles problem. 56. section. 10.

89 *Quidam ex omni corpore*] Vt refert Aristoteles lib 1. de gener. anim. c. 17. quam opinionem refellit ibi. cap. 18.

90 *Varro*] fortasse in eo libro quem de origine humana ab ipso conscriptum testatur Censorin. de die natal. hodie non extat.

91 *Et Aristoteles*] sed ille hoc potius negare videtur 1. de gener. anim. c. 18 & seqq. cui Sanctus Thom. assentitur in 3. par. quæst. 31. artic. 5. ad 3. sed quia quidam alij celeberrimi authores contrariam sententiam tuentur videndus est de quæstione copiosè disputans Caietanus secunda secundæ quæst. 154. art. 12.

92 *Et primum quidem cor hominis confingi.*] Causam affert Aristoteles, & id verum existimari in omnibus animalibus tradit Plin. lib. 10. c. 53. varias opiniones ponit Censorin. c. 5.

93 *Et sapientia*] iuxta opinionem eorum, qui mentem in corde sitam volunt, qua de re latius inf. c. 16.

94 *Denique totum opus quadragesimo die consummari*] sic quidem Plin. lib. 7. c. 6. opiniones autem recenset Plutar. 5. Placit. cap. 21. Varronem non quadragesimo, vt hic refert Lactantius sed quadragesimo nono scripsisse refert Gellius lib. 3. cap. 10.

95 *In animum tamen fœtibus primùm oculos fingi*] huic opinioni aduersantur plerique omnes, vt refert Plin. d. cap. 53.

96 Simi-

95 *Similitudines autem in corporibus filiorum sic fieri putant, &c.*] Nonnulli scilicet, contra quos disputat Arist. lib. 1. de gener. anim. c. 3. qui postea opinionem suam effert eod. lib. cap. 17. & seqq. & lib. 4. de gen. an. c. 3.

97 *Dispares quoque natura hoc modo fieri putantur, &c.*] Arist. 1. de gen. an. c. 1. Gal. lib. 14. c. 4. & 7.

98 *Vir itaque nominatus est, &c.*] Cic. 2. Tuscul. Ianar, viri propriam maxime esse fortitudinem aiebat.

99 *Fontibus lactis*] sic vbera vocat & Gellius lib. 12. c. 1. fontem illum sanctissimum corporis, generis humani educatorem, etc. Basilius homil. 9. in Hexaemer. ἐπείσατο δὲ τοῖς εἰκόνας πηγὰς τῷ γάλακτος, etc. Sanctus August. 1. confess. c. 7. pulcherrimam quoque vberum cum fontibus comparationem habes a Plutarch. in Paul. Aemil.

CAP. XIII.

100 *Conglobata in nates caro, &c.*] eadem Aristot. 4. de part. cap. 10. ad fin.

101 *Genua, &c.*] Vide Galen. lib. 3. c. 15.

102 *In plantis vero eadem quidem, sed tamen longe dispar, quam in manibus ratio est, &c.*] De pedum, manuum, crurum collatione, ac differentijs Galen. toto lib. 3.

103 *Speciem magis, quam vsum praeferentes*] non ita Galenus qui vsum eorum, & quidem maximu, ac multiformem ostendit lib. 3. c. 8. & alibi.

CAP. XIV.

104 *Quid vtilitatis, quid effectus habeat tenuis membrana illa perlucens, qua circumnectitur aluus, &c.*] Id totum copiose enarrat Vesalius lib. 5. de hum. corp. fabr. c. 2.

105 *Quod est longe secus*] Vesalius contra lib. 5. c. 10. De rerum autem vsu, & officio Arist. 3. de part. c. 7. & 9. Galen. lib. 5. c. 5. & seqq.

106 *Quid splen?*] Responderet Plato. in Timae. Arist. 3. de part. c. 7. Galen. lib. 4. c. 15. & 16.

107 *Quid iecur?*] Respondeat Plato, & Arist. vbi supra, & c. 12. Galen. eod. lib. c. 12. & seqq.

108 *Qui vini sanguinis fons est*] Ita & a Platone appellatur in Timae.

CAP. XV.

109 *Grammatici quidem, ac philosophi vocem esse definiunt aerem spiritu verberatum*] Grammatici quidem, Diomedes lib. 2. Priscian. vbi de Voce. ex Philosophis Plato in Timaeo docet, vocem esse pulsationem quandam ab aere per aures, cerebrumque, & sanguinem vsque ad animam penetrantem. Arist. 2. de anim. tex. 90. percussionem respirati aeris ab anima, quae est in ijs partibus ad vocatam arteriam. Idem habet 5. de gener. animal. c. 7. Senec. 2. natural. quaest. c. 29. Vide Plutarch. quaest. 6. Platonicar. quaest. & lib. 4. de placitis. c. 19. Gellium lib. 5. c. 15. Laert. in Zenon.

110 *Vnde verba sunt nuncupata*] ita Diomedes, & Priscianus; quod Quintilianus non probat lib. pr. cap. 6.

111 *Veluti eum in patentem cicutam, &c.*] Vide Theodoretum praeclare differentem sermone 6. de curat. graecar. affect. qui est De prouidentia diuina quomodo ars naturae imitatrix organa musica ad vocis humanae organorum similitudinem effinxerit, esse autem in instrumentis humanae vocis commissam quandam tibiae, lyraeque Musices similitudinem ostendit praeclare Nyssen. De hominis opif. c. 9.

CAP. XVI.

112 *Varia ergo a philosophis de natura eius, ac loco, &c.*] Videndus est Arist. 3. de anim. Macrob. in somn. Scip. lib. pr. c. 14. locum quidem eius alij cor, vt Arist. & Chrysippus, alij caput esse affirmant, vt Plato, & Galen. qui hanc quaestionem copiose tractat toto lib. 2. & 3. de placit. Hippocrat. & Platon. Vid. Lucret. lib. 3. Plutarch. 4. placit. c. 2. & seqq.

113 *Qui mens, vel animus nuncupatur.*] Ergo pro eodem accipit Lactantius mentem, & animum. Sic saepe Lucretius in 3. Cic. in somn. Scip. vbi videndus Macrobius d. c. 14.

CAP. XVII.

114 *At, vt Empedocles ait, aerem glaciatum.*] hoc refert etiã Plutarch. 2. placit. c. 11.

CAP. XVIII.

115 *Ideireo animum, & animam indifferenter appellant duo Epicurei poetae.*] Alterum illorum poetarum Lucretium intelligo, qui quidem aliquando ita indifferenter appellat. lib. 3.

Animum, atque animam dico coniuncta teneri
Inter se, atq; vnam naturam conficere ex se, &c.

Ita re vnum esse, ratione differre docet, quia scilicet animus proprie sit mens, consilium, ratio domicilium habens in pectore, anima vero per totum corpus diffusa. Lucretius ibid.

Sed caput esse quasi, & dominari in corpore toto
Consiliu, quod nos animu, menteq; vocamus, &c.

alterum autem Horatium (nam se deiecta Epicuri fuisse testatur ipsemet 1. lib. pr. carm. ode 24. & pr. epistolar. epistola 4. ad Tibullum. is autem animae, atque animi appellatione indifferenter vtitur pr. carm. od. 3. 2. serm. Satyr. 3. & alibi. Ita & Ciceronem locutum Macrob. osten dit pr. in somn. Scip. 14.

116 *Nam requiesceret nullo pacto possimus, nisi mens visionum imaginibus teneatur.*] Quid qui non somniant,

somniant, & tamen dormiunt, & quiescunt? vt scribit Arist. in libell. de somnijs, in fin. et 4. de historia animal. c. 10. sedet in eo falsus Lactantius est, quod et somnum, & insomnium mentis affectus esse putat, cum sint phantasiæ, vt d. lib de in somn. c. p. et dixi sup. li. 7. Inst. c. 12.

117 *Quæ vera, immittuntur à Deo, &c.*] Arist. principio libell. de diuinat. per somn. et de generib. somn. Macrob. in som. Scipion. lib. pr. c. 3.

CAP. XIX.

118 *QVia neque ex vtroque, neque ex alterutro feruntur animæ*] Quæritur, vtrum anima sit ex traduce, idest, vtrum anima cum semine traduci, et transmitti possit. Lactantius negat. rectissimè. nam contraria assertio damnata est. Vid. Aug. in lib. de hæresib. ad quodvultdeum c. 86. in Epistola ad S. Hieronym. per orosi. præsbiterum missa, et in Epistola ad Optat. Eucher. pr. super Genes. ad ea verba. Et edificauit Dominus Deus costam. Hieronym. ad versum 15. Psalm. 32. S. Tho. 2. cont. gent. c. 86. et p. p. quæst. 118. art. 2.

119 *Dedit ei, & constituit aduersarium nequissimum &c.*] Codex B. hæc verba, et quæ sequuntur vsque ibi, Magna est enim uis hominis, etc. non agnoscit. Mihi hæc tota oratio tum phrasi, tum sententia videtur Lactantiana, nam idem prope habet lib. 6. Instit. c. 4 „ sic (inquit) in omni „ hac vita, quia nobis aduersarium Deus reser„ uauit, vt possemus capere virtutem, etc.] recepta quoque est ab optimis quibusque MSS. T. P. et octo Vaticanis (nam cęteri quatuor Vaticani hunc librum non habent) alijsque, quos diligenter inspexi, & impressi Ald. Florent. Comprobatur etiam ex textu ipso, vbi de sacramento virtutis dixerat; voluit enim hac oratione ostendere, quodnam esset illud sacramentum, & ita differuit de permissione vitij contra virtutem; scilicet hæc permissio est illud sacramentum, de quo etiam lib. 6. Instit. dixit in fin. capitis septimi.

CAP. XX.

120 *NAm ipse homo.*] B. habet, nam mens hominis, quam lectionem probat Thomasius. Ego à vulgata lectione T. P. & octo Vaticanor. Aldinæ quoque, Florentinæ, aliarum editionum non recedo. in illa enim permanet opinione, quòd mens hominis sit ipse homo, de qua latè dixi ad c. 3. lib. 2. Instit.

Quæ Lactantij nomine carmina circumferuntur De phœnice, de Domini passione, de resurrectione eiusdem, siue de paschate, haud genuina eius esse arbitramur, quòd nec recensita sint à Hieronymo, Honorio, cæterisquè veteribus inter eius opera, nec vnum quidem vsquam vestigium eorum extet in antiquissimis nostris Codicibus: proinde nihil opera in illis insumpsimus.

FINIS.

REGESTVM.

* ** *** **** ***** † †† ††† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz Aaa.

Omnes sunt duerniones præter Hh ternio.